SC.11.Pl-6.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
7 D
14

VERA
ECCLESIA CHRISTI
SIGNIS, AC DOGMATIBUS DEMONSTRATA

CONTRA

JACOBI PICENINI

Apologiam pro Reformatoribus, & Religione Reformata, atque ejus Religionis Triumphum.

OPUS

EMINENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI

FR. VINCENTII LUDOVICI CARDINALIS GOTTII

ORDINIS PRÆDICATORUM,

Latinis litteris conſignatum

A FR. VINCENTIO THOMA COVI

EJUSDEM ORDINIS,

Præmiſſo de Vita Eminentiſſimi Auctoris Commentario, aliiſque appoſitis, reliquis Tomis referendis.

Tomus I.



BONONIÆ MDCCXLVIII.

Apud Thomam Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google


D. GEORGIUS BRANYUGH
Episcopus Zagra: biensis &c. &c.
Joannes Fabbri fecit Bononię

EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO,

ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. GEORGIO BRANYUGH

Dei , & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Zagrabienſi , Abbati Beatæ Mariæ Virginis de Topuſzka, Comitatus de Berzencze Supremo ac perpetuo Comiti , Inclytorum Regnorum Dalmatiæ , Croatiæ , Sclavoniæ , Locumtenenti Banali , Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliario intimo actuali

FR. VINCENTIUS THOMAS COVI

Ordinis Prædicatorum S. T. M., Bononienſis Univerſitatis, & Almi Collegii Illyro-Hungarici Lector Theologus

S. P. D.

EA nimirum me ratio ad hujus Operis latinam verſionem maxime impulit, quod, cum eximius ejus Auctor, Eminentiſſimus Cardinalis Gottius, circa Italiæ fines, Jacobi Picenini, aliorumque Veræ Eccleſiæ Chriſti hoſtium temerarios

 au-

auſus hac ratione omnino retuderit; optimum videbatur, hujus rei exemplar, latinis litteris conſignatum, ad exteras nationes tranſmitti, quo tot hæreticæ pravitatis infecta ſemina, quæ per agrum Dominicum, veluti diſperſa zizania, ubique terrarum inſoleſcunt, commode poſſent de ſuo errore ac falſitate in bonam frugem converti. Veritas tamen obvoluta myſteriis, exiguo præſertim, ac rudi meo pronuntiata ſermone, quod eam negantium mentes excutiat, idoneis eget Aſſertoribus, ac validis præmuniri præſidiis. Quocirca, cum de Patrono ipſi adſciſcendo mecum ipſe revolverem, cujus auctoritate & gratia prima hæc pars de Signis Veræ Eccleſiæ latius excurreret, & loquentium mendacium ora contineret, præſtantiſſimam Tutelam Tuam, Excellentissime ac Reverendissime Præsul, ceteris quibuſcunque præferendam duxi, quem certiſſime novi, & præclariſſimum Auctoris nomen, & Rei Eccleſiaſticæ negotia habere cariſſima. Enimvero Tu de doctrina, & Scriptis Eminentiſſimi Gottii, tam benigne ſentire, quam acute diſſerere aſſueviſti, qui, dum Bononiæ in Almo Collegio Illyro-Hungarico Alumnus verſabaris, theologicis præceptis ex illius uberrimo fonte hauſtis, tum in eum gratiſſimam, ac devotam mentem, tum inſigne quoddam, omnigena eruditione refertum, virtutis ſuæ ſpecimen deinceps retuliſti; ſed & ampliſſimo, ac magnanimo Cordi tuo nulla Sanctior, ac intimior cura inſedit, quam Veræ Eccleſiæ Dei juſtiſſimam cauſam promovere, in his præſertim Illyrii, ac Pannoniæ partibus, ubi Eccleſiaſtica & ſeculari ornatus poteſtate, divina & humana pio prudentique

con-

conſilio ita moderaris, ut rebellium fidei audaciam coercere, errantibus vero, ac vagis, viam conſequendæ veritatis nunquam ceſſes oſtendere. Neque enim, locis licet longe diſſitos, latere nos potuit intrepida Apoſtolici zeli tui conſtantia, qua procul a finibus Zagrabienſis Diœceſis tuæ omnibus exactis ſuſpectæ fidei Sectariis, nullum deinde acceſſum, nec cum ovibus paſcuæ tuæ commercium ullum habere, quocunquæ prætextu, permittis. Quod & adverſus græcam Schiſmaticorum perfidiam facis, in favorem Unitorum, illis exilia, & pœnas, iſtis patrocinium largiendo, & gratias. Hinc fortunatiſſime factum eſt, Te Duce, ac Paſtore Vigilantiſſimo, etſi tam multæ, tam variæ, tam pernicioſæ Hæreſum, ac Schiſmatum Sectæ vicinia tua deprædentur, & confiniis prope tuis inſidientur, in Provinciis tamen Paſtorali Cuſtodiæ Tuæ commiſſis, una ſit atque integra omnium fidei profeſſio, una doctrinæ veritas, una morum pietas, una denique cum Sancta Romana Eccleſia, quæ veræ Eccleſiæ Chriſti legitimum Caput eſt, & Centrum, perfecta communio. Hæc Excellentissime ac Reverendissime Domine momenta ea ſunt præcipua, quæ me non tam moveant, quam urgeant hanc qualemcunque verſionem Tibi ſummo corde, & animo devovere: munuſculum ſane, ex me, leviſſimum, & tanto Præſule minus forte dignum; quod tamen fidenter Tibi proferre non vereor, ratus illud Te gratioſe accepturum, tum ex merito cauſæ, quam ſtrenue defendit, tum ex dignitate Eminentiſſimi Auctoris, quem in fronte gerit. Cujus Vitæ, breve quidem, ac rude, ſincerum tamen & ſimplex commenta-

rio-

riolum præmiſi, ut præclariſſimi Viri, omnium virtutum, ac Scientiarum ornatiſſimi, Tui quondam Præceptoris, omni autem ætate benemeriti, ac amantiſſimi, utcunque expreſſam imaginem ſub oculis habeas. In qua præſtantiſſima excelſi animi tui lineamenta conſpicies; Indolem ſcilicet illam Tuam magnanimam, candidam, religioſam, paſtorali zelo fervidam, Dei gloriam anhelantem, quæ Te Epiſcopatu dignum, & omni, ac majori qua fulges dignitate, meritiſſimum fecit. Vale plurimum, & ſalve; Teque Eccleſiæ tuæ bono, Pannoniæ, atque Illyrii ornamento, ac ſplendori, diuturnum, atque incolumem præſta.

Dabam Bononiæ ex noſtro S. Patris Dominici Cœnobio Kal. Martii MDCCXLVIII.

NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theol. Profeſſor, ac totius Ord. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

QUo magis intereſt Eccleſiæ Catholicæ, ut Opus, cui Titulus: *La Vera Chieſa di Criſto*, ab Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo olim Cardinali Gottio Ordinis noſtri italice conſcriptum, ac Typis editum, opera & ſtudio R. A. Patris Magiſtri Fratris Vincentii Thomæ Covi pariter Ordinis noſtri, in Bononienſi Univerſitate publici Profeſſoris, latine nunc redditum, novis Typis excudatur, eo libentius tenore præſentium, noſtrique officii auctoritate, hac de re opportunam facultatem concedimus: dummodo prius ab A. R. Patre Magiſtro Fratre Antonino Pazzaglia, in præfata Univerſitate Bononienſi Lectore publico, cenſorio judicio fuerit approbatum, atque ſervatis aliis de jure ſervandis. In quorum fidem his, officii noſtri ſigillo munitis, ſubſcripſimus. Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 28. Junii 1747.

Fr. Thomas Ripoll
Mag. Ordinis.

L. ✠ S. *Reg. pag.* 164.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius
Mag., Collegii Caſanatenſis Theologus, & Pro-Socius.

Vix

VIx publicam lucem aſpexit *Vera Chriſti Eccleſia &c.* ab felic. record. Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo D. D. Cardinali Fr. Vincentio Ludovico Gottio Ordinis Prædicatorum adverſus Jacobum Piceninum ſtudioſe elaborata; quod a Catholicis omnibus eruditis latis ulnis excepta, ſummiſque laudibus commendata fuit: quamplurimis tamen conquerentibus, cur non latino, ſed italico idiomate prodiiſſet. Æquum enim videbatur, tam excellens, & adeo Catholicæ Religioni fructuoſum Opus, non finibus Italiæ veluti coarctandum, ſed per univerſam Europam vulgandum eſſe, ut nationum omnium intelligentiæ patefieret. Quod tunc igitur non paucis in votis fuit, modo exequutioni mandatum cernimus ab A. R. P. Magiſtro Fr. Vincentio Thoma Covi publico in Univerſitate Bononienſi Theologiæ Profeſſore Ordinis Prædicatorum, qui communi totius Chriſtianæ Religionis bono quidem conſulere volens, hanc ſpartam ſibi adornandam ſumpſit, vertendi ſcilicet in latinum Eminentiſſimi egregium laudatum Opus; quod & præſtitit libro, cui titulus *Vera Eccleſia Chriſti, ſignis, ac dogmatibus demonſtrata &c.* Hunc, ut mandatis Reverendiſſimi P. F. Thomæ Ripoll totius Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis humillime obtemperarem, cum accurate ac perjucunde legiſſem, comperi Auctorem Interpretis partes omnes feliciter expleviſſe. Tanta enim verſionis cum Originali textu convenientia apparet, ſive doctrinam, ſive ſenſa, ſive argumentationem, immo & fere ſtili perſpicuitatem, leporem, concinnitatem ſpectes, ut in nihilo diſcrepent; ſervato dumtaxat diſcrimine, quod par eſt inter linguam, & linguam obſervare. Idcirco ſi prædefuncti Purpurati Opus æquum fuit Typis mandari; non minori æquitate latinam hac interpretationem publici juris fieri debere exiſtimo.

Ego Fr. Dominicus Antoninus Pazzaglia Ordinis Prædicatorum Exprovincialis, & in Bononienſi Univerſitate publicus Controverſiarum Fidei Profeſſor.

Vidit D. Paulus Philippus Premoli Cleric. Regul. S. Pauli, & in Eccleſ. Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 17. Octobris 1747.

IMPRIMATUR.

Fr. Seraphinus Maria Maccarinelli Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

MONI-

MONITUM AD LECTOREM.

VEram Eccleſiam Chriſti, opus ab Auctore ſuo F. Vincentio Ludovico S. R. E. Cardinali Gottio italice editum, latinæ conſuetudini recenter traditum, Chriſtifidelium univerſitati prodere conſilium eſt. Indigena lingua id primo conſcriptum, quod Piceninus, quem oppugnabat, eodem ſtilo Apologiam *ſuam, ac vanum* Triumphum *vulgaverat; ne domeſtico morbo extraneum videretur attuliſſe remedium. Rei tamen dignitas, Catholicæ Eccleſiæ communis cauſa, atque ipſa eximii Auctoris fama per omnes Gentes late diffuſa, haud immerito expoſcebant latinæ omnium linguæ mandari: triginta porro annorum ſpatio id dilatum non alia ex cauſa puto contigiſſe, quam unumquemque, ut fit, ab eo abſtinuiſſe, quod a pleriſque meditatum, ab uno, vel altero præſtandum brevi tradebatur. Intra tamen incertæ exſpectationis limina detineri diutius minime potui; quin & amiciſſimorum hominum hortatu, & Superiorum meorum auctoritate motus, Provinciam hanc, quam equidem novi nec ornatam, nec ſplendidam, in me ſuſcepi: laudis quippe ſatum, Domino jure tribuendum, alieni fundi cultor perperam auderet ſibi promittere; nec porro minus avide, ac libentius eam accepi, pro mea erga præſtantiſſimum Auctorem veneratione, atque animi gratulatione, qui cum in vivis verſaretur, tot, tantiſque, liberalitate ſua, me cumulavit beneficiis, ut munificentiſſimi*

largitoris nomen, immortalitate dignum, quo modo poſſum promovere nunquam mihi non erit optatiſſimum. Atque in Bononienſi Dominicanæ familiæ Cœnobio, quo monaſticæ vitæ profeſſor opus hoc ipſe Auctor exegit, latinis litteris reddi non conveniens modo, quam ejus integritati pernecеſſarium quodammodo videbatur. Enimvero cum ipſius autographa, tum hæreticorum libri, quorum nonnulla refellenda indicavit, tum maxime Sanctorum Patrum volumina, quibus opus ſuum potiſſime excrevit, nonniſi in hujus Cœnobii non vulgari Bibliotheca aſſervantur; ſine qua pretioſa ſupellectili, germanam, ac ſinceram verſionem inſtitui poſſe, haud difficile, quam plane videtur impoſſibile. Mediolanenſe exemplar, quo uſi ſumus (quod ab ipſo Auctore ſecundis curis auctum prodiit & caſtigatum, in his quæ in Romana, ſive Bononienſi, ut frons libri refert, editione, cujuſdam cenſoris licentia ingeſta fuerant) errata quædam ex typis contraxit, rite, ac tuto non corrigenda inconſulto autographo: ſic Patrum ſenſa, hæreticorum dicta ſparſim ab Auctore, pro re ſua, italice exarata, qua fide ſuis erant reſtituenda auctoribus, niſi ſuppeterent codices? Qua in re quantum, non modo mea, ſed peritiorum cura, & diligentia elaboratum ſit, ſelectiſſimis editionibus expenſis, Pameliana ſcilicet, Valeſiana, ac Maurina, cuipiam ea conferre libuerit cognitu erit facillimum. Habebis igitur in hac mea verſione, Amice Lector, candorem & fidem, minime vero, quorum expers ſum, nitorem & elegantiam. Stilo quippe preſſo, ac facili uſus ſum; ſtilum, ni fallor, geniumque Auctoris referente, cujus ſenſa omnino reddere nunquam deſtiti: ſicut & adverſarii Picenini verba paſſim interloquentis, ut ab Auctore recitata, quantum fert latina phraſis, ad verbum vertere ſategi. Quæ vero ſit hujus operis

ratio

ratio, ſcopus, quæ mens, ac rerum ſeries & diſpoſitio, ex appoſita præfatione Auctoris, quin acta agam, facile deprehendes. Ergo monenda monui. Reliquum eſt, ut præclariſſimi Auctoris vitam paucis compendiatam, tanquam munuſculum meum benigne excipias. Extat porro commentarius nobilis De Vita, & Studiis F. Vincentii Ludovici Gottii &c. *omnibus numeris abſolutus, quem Romæ Anno MDCCXLII. edidit Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius S.T.M., & Collegii Caſanatenſis Theologus, Vir plane in omni facultate dicendi ornatiſſimus, cujus uſque modo pauca publici juris habentur, ſed hæc erudite, eleganter, egregie elucubrata; nec dubito quin, aſſiduis licet Ordinis neceſſitatibus graviter implicitus, uſurus non ſit aliquando ſapientiæ ſuæ bono, ſcriptis perficiens quæ ampliſſimo meditatur ingenio. Quorum igitur notitiam, laudatus, Romæ degens, propriis hauſit oculis, in rem meam ſecum ipſe recenſui; nonnulla vero, ſive alio geſta, ſive per ipſum non indicata, ex ocularibus, ac certiſſimis teſtibus excuſſi, quo nimirum eximii noſtri hujus ſeculi Viri accuratam redderem qualemcunque notionem.*


FR. VINCENTIUS LUDOVICUS S.R.E.
Presb. Card. GOTTI Bononienſis Ordinis
Prędicatorum.

DE VITA AUCTORIS.

Vincentius Ludovicus Gottius A. Æ. C. MDCLXIV. Bononiæ natus eſt, tanquam in patrio Scientiarum ſolo, quo Filium rerum Theologicarum Studiis natum, Studiorum Parens optimis diſciplinis educaret. Jacobum Gottium J. U. Doctorem Patrem habuit, Virum doctrina & prudentia in primis nobilem, in Bononienſi Archigymnaſio legum Interpretem; Matrem vero ex ſtirpe Coparda non vulgarem fœminam, tam moribus, quam nomine Claram. Et erat in eo cum præſtanti, acrique ingenio, conjuncta par corporis habitudo, decens forma, non immodicus vigor, melancholica, qua omnes ferme, ut Ariſtoteles tradit, ingenioſi naſcuntur, bile accenſa temperatio. Quæ indoles in iram quamvis facile prona ſit, ac præceps, eam tamen, tum ipſa florente ætate, tum omni vita, ſæpe ac fortiter ita moderavit, & fregit, ut ad officia mentis animum excitaret; de reliquo bonitati, ac manſuetudini obtemperaret, & decretis pareret ſuis. Ab ipſis unguiculis, vel Patris exemplo, vel indita vi, maximus illi inerat litterarum ardor. Et ejus cupido diſcendi ſe prodidit brevi. Adoleſcentiam quippe vix attigerat, & jam artes omnes, quibus illa ætas ad humanitatem inſtitui ſolet (ut eſt captus Juvenis) a Præceptoribus hauſerat, ad hoc munus delectis in Scholis quas Pias vocant, ſicut a Patribus Societatis rudimenta Rhetoricæ. Sed fauſtis incœptis intervenit primæ juventæ graviſſimum malum, Patris ſcilicet acerbiſſimum funus. Grande enimvero impotentis ætatis periculum, paterno deſtitui fræno. Non ſic tamen noſtro. Nam ſiniſtro hoc fato, præter amariſſimum luctum, nihil contraxit noxium optimus adoleſcens; quin potius ſingulari Dei beneficio ſalutare ſibi ſtatuit conſilium, arrepto terreno Patre, totum ſe Deo vero Patri tradere erudiendum. Divinam igitur voluntatem de ſe ut exploratam haberet, aſſiduis precibus orabat; qua de re inſignes etiam pietate viros conſuluit. Statim ac autem divinum ipſi affulſit lumen, nulla poſita mora, vocantem ſequutus eſt. Et anno ſextodecimo ætatis ſuæ ad Bononienſe S. Dominici Cœnobium properat, inibi rogat in Ordinem recipi. Clam a familiaribus & domeſticis ſuis fatetur ſe ſubtraxiſſe, timens a pio conſilio impediri. Adoleſcentis animum & men-

mentem P. P. admirati, repulſam dare nequeunt, admiſſionem differunt. Interim ejus conſanguineis accitis, de pio auſu, & innocenti fuga veniam, immo manendi conſenſionem ſecum deprecantur. Qua impetrata, voti compos ſtrenuus adoleſcens efficitur. Anconæ religioſæ militiæ Tyrocinium exercuit, & Anno MDCLXXXI. ſolemnibus votis Deo obſtrictus Dominicanæ familiæ nomen dedit.

Philoſophicis diſciplinis inſtituendus, Forolivium ex Superiorum nutu ſe contulit, ubi per aliquod tempus P. Joſephi a Turre Januenſis, Viri litterariæ Reipublicæ benemeriti, ex inſtitutionibus verbi Dei, quas pluribus voluminibus edidit, auditor fuit; Bononiam inde ex certa cauſa vocatus, triennalem curſum ſub eximio artium Profeſſore Angelo Unda de more abſolvit. Quæ ingenii præſtantia, quæ mactæ virtutis de eo ſpes certiſſima habenda eſſet, Philoſophiæ curriculo palam innotuit. In hac quippe facultate, novitiis plerumque ingeniis dura ſatis, & gravi, nil ipſi non exploratum, nil non facile objiciebatur; quæ vero ſemel hauſerat, nedum immobiliter retinebat, ſed, omnium admiratione, de ipſis acute, nitideque diſſerebat. Quamobrem cum, quodam veluti litterarum commercio, ſelectiſſimi Juvenes conſueviſſent, tum ex remotiſſimis partibus Bononiam, tum iſtinc ad illas, Theologiæ diſcendæ cauſa, deſtinari, Gottius præ ceteris hujuſmodi viſus eſt, qui Salmanticam (Urbs eſt Hiſpaniæ doctrinæ fama nobilis) hac ratione mitteretur. Nec deſtitit, Superiorum imperio obſequentiſſimus, ad iter, terra, marique difficillimum confeſtim ſe comparare; & ſapientiæ ardore vincente moleſtæ peregrinationis diſcrimina, ad Prædicatorum Cœnobium Salmanticæ proficiſcitur, quo tum florentiſſima undique confluebant ingenia, ut ex Profeſſorum præſtantia, ſtudiorumque exercitationibus, eximiam referrent divinæ ſcientiæ eruditionem. In tanta igitur Gymnaſii frequentia, inter tot ſtudiorum Æmulos, quadriennio Theologiæ curriculo, ſtudiis & ingenio adhibens maximarum rerum effectricem conſtantiam, non doctrinam modo, ſed ſingulare etiam doctrinæ ſibi decus peperit. Namque, quod uni ex delectis Profeſſoribus committi, præter omnem conſuetudinem mandatum ipſi fuit, haud præclarum, quam arduum munus (Actum magnum vocant) in Salmanticenſi Academia publice diſputandi de univerſa Theologia, concurrentibus ad objecta præſtantiſſimis Univerſitatis Profeſſoribus. Quantum porro æſtimationis & laudis hinc ipſi accreverit, argumento eſt, tum Salmanticenſis Cœnobii ſolicita Patrum cura, qua, exhibitis etiam honorificis Cathedris, eum ſibi perpetuo adoptare pertentarunt; quibus tamen non acquievit, modeſte, ac humaniter reſpondens, tanta benignitate uti non poſſe, quin Bononienſis Cœnobii Patribus, ubi Ordinem ingreſſus erat, ingratus fieret: tum Marcelli Duratii, Matriti tunc S.R.E. legationem agentis, ſumma in eum gratia, & benevolentia. Quippe is audita ejus virtutis

fama,

ſama, Matriti apud ſe eum manere voluit, ſecum comiter agens; immo ægrotantem a ſe divelli non permiſit, donec integre perfecteque convaleſceret. Interea ab Archiepiſcopo Compoſtellano F. Antonio de Monroy, jam antea Prædicatorum generali Magiſtro, Sacerdotio initiatus, non abſque maximo deſiderio ſui ex Hiſpania in Italiam dimittitur.

Anno itaque MDCLXXXVIII. in Italiam reverſus, Mantuanum Cœnobium Philoſophiæ Profeſſor adierat; Ubi tamen paulisper moratus, Romam petere a Magiſtro generali Ordinis juſſus eſt, a quo Minervitanæ juventuti philoſophicis inſtituendæ præficitur. Quo munere triennio de more exacto, ad idem perficiendum munus in Archigymnaſio S. Dominici, Bononiam, honoris cauſa, deſtinatur. Egregium utrobique emolumentum ejus virtus auditoribus præbuit ſuis: quorum plurimi ad inſignes gradus poſtea promoti, & F. Joannes Baptiſta Lomellinus Salutiarum Epiſcopus fuit. Philoſophica re iterum bene geſta, in Faventino Cœnobio Theologiæ ſuam navabat operam. Verum non poterat diu tanta doctrinæ lux domeſticis parietibus abſcondi, quin ſplendore ſuo non modo niteſceret, quam prodeſſet publico. Bononiæ tum agebatur de Profeſſore inſtituendo in publico Archigymnaſio, qui demortuo S. T. M. Baſſano ſuccederet, & rem Theologicam ad mentem D. Thomæ auditoribus publice proponeret. Nec ambigendum diu. Gottii quippe fama totius ampliſſimi Senatus adeo pervaſerat animos, ut omnium ſuffragiis ac plauſu Gottius ad hanc Provinciam deligitur. Bononiæ tum Legatus a latere præerat Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Duratius, qui de ejus electione magnopere gratulatus, adventantem amplexus eſt; quem deinde nedum carum habuit, ſed in gravioribus conſiliis, pro ſua dexteritate & prudentia, eum non raro adhibuit. Noſter igitur in celeberrima Bononienſi Academia poſitus Theologiæ Profeſſor, inſtituit, ea, qua par eſt, gravitate ac dignitate rem divinam tractare. Namque experiebatur, quod & alias funeſtiſſimo Catholicæ fidei periculo acciderat, quædam in hanc facultatem irrepſiſſe vitia, ejus Sanctitati ac Majeſtati omnino contraria: ſinceram, ſcilicet, veræ Theologiæ effigiem a quibuſdam nomine Theologis non teneri; immo utentibus umbris, nec ipſas umbras aſſequi, ſed inanem & obſcurum quemdam Theologiæ fumum: totam rem divinam ineptiſſimis diſputationibus tranſigi, fidei autem dogmata, vel quaſi extranea dimitti, vel naturalibus metiri argumentis, poſthabito auctoritatis pondere; hinc non modo a pleriſque noſtrum contemni Theologos ſcholæ, quam ab inimicis Eccleſiæ, una ſecum ſacroſancta dogmata velut hominum commenta irridenda propinari. Sui propterea muneris negotium fore perſenſit, rem perditam & collapſam, quantum in ſe poterat, reparare, & Theologiam ſcholæ ad eam reſtituere, quam ex D. Auguſtino Magiſter Sententiarum tradit natam eſſe rationem, nimirum: *quemadmodum*

fides

cum primis faciendas ſuppeterent neceſſaria. Olim ipſum audivi ex animo dolentem de quingentis argenteorum, quæ annuatim Franciſcus Cardinalis Barberinus, profuſæ in eum exiſtimationis argumento, ipſi legaverat: quod tanti Viri munificentia in his pauperibus erogandis impenſior ipſi acceſſerit cura. Etenim ſumma ejus erat ſolicitudo, de Eccleſiaſticis, annuiſque proventibus non modicam partem, immo præter neceſſarios domeſticæ rei ſumptus, totum reliquum egenis impartiri. Quocirca certum apud ſe deſcriptum habebat familiarum numerum, quarum vel gravis inopia, vel anguſta res eſſet; ſinguliſque ſubveniendis ſtatam pecuniæ ſummam ſingulis menſibus deſignaverat. Plurimis etiam, quos tam duræ neceſſitatis angor urgebat, quam honeſtæ conditionis pudor coercebat, occultis, largiſque ſubſidiis ſic opitulabatur, ut, juxta divinum monitum, neque ſiniſtra noverat quod in abſcondito porrexerat dextera; quorum nullum prorſus extitiſſet indicium, niſi ſecuta ejus morte communis luctus, et lamentatio, effuſæ in omnes hujuſmodi miſericordiæ monumenta prodidiſſet.

Quibus jam ſatis nihil in humanis fuiſſe, cujus ſenſu tangeretur, atque id unum cordi habuiſſe, ſcilicet uni Deo ſervire, eique in omnibus placere, quem ſibi agendorum omnium finem unicum conſtituerat, & ex intimis viſceribus ſincera Charitate diligebat; illud uſurpans identidem: *Omnia vanitas, præter amare Deum*. Quapropter in ipſum ſummum bonum, munificentiſſimumque conditorem conſervatorem ſuum mens erecta, vel in mediis hominum congreſſibus, jucundiſſimos ſermones de Deo miſcebat, & ſingulari quadam dulcedine hujuſmodi colloquiis delectabatur. Hinc aſſiduis licet divinarum rerum commentationibus deditus, antelucanas horas contemplationi, & orationi quotidie dabat. Juge Sacrificium, præmiſſa bis terve in hebdomada exomologeſi, ſumma cum religione, ac pietate offerebat; erga Deiparam Virginem ſingulari cultu, & devotione ferebatur; S. Parentis Dominici, Thomæ Aquinatis, Vincentii Fererii opem, ac interceſſionem apud Deum aſſidue implorabat, eorumque, ſicut aliorum ſui Ordinis Sanctorum, virtutes imitandas ſibi proponebat vehementiſſime. Hinc illa animi magnitudo, & zelus ardens, quibus pro chriſtiana diſciplina, & religione catholica, nixus Deo, perpetuo decertavit, atque in illis promovendis, tuendiſque, implacabile bellum fidei hoſtibus indixit, quoſque adortus eſt ſemel, acriter oppugnavit, quos oppugnavit ſtrenue vicit, omnes ipſis evadendæ vel illudendæ veritatis latebras ſcriptis ſuis occludens; ut omnium conſenſu Fidei adſertor, ac Religionis vindex jure appellari mereretur. Indidem Chriſtianam illam ſortitus eſt veram prudentiam, non quæ ſimulationis fuco, technis fallaciiſque involvitur, ſed quæ cum ſimplicitate, animique candore conjuncta, a Columbæ ſenſu non abhorret. Hac duce & comite, cum

in

in omnibus actis ſuis regendis, tum maxime uſus eſt in Comitiis pro eligendo Pontifice, quibus iterato interfuit, perſonam gerens ſuam omnium commendatione probatiſſimam. Nec quippe mihi fas eſt quidquam hic commemorare eorum, quæ in ſacroſancto illo Senatu ab ipſo, vel de ipſo agebantur; cum hujuſmodi ſint, quæ vel publica fama omnium jam aures impleverint, vel graviſſimis, paucisque arbitris nota, noſtram lateant parvitatem.

Ergo his ceteriſque dotibus, quibus præclariſſimam purpuram ſplendidiorem fecit, eximia præbendo documenta, quam exempla virtutum, grande vitæ ſuæ ſpatium perficiens, illam attigit metam, in qua ab hujus mortalis vitæ ſtadio ad bravium cæleſtis Patriæ conſequendum vocabatur. LXXVIII. ætatis ſuæ impleverat annum, quo confectus ſenio, ac laboribus fractus, afflictione pectoris, reſpirationis difficultate biennio fere cruciatus, diſſolvi ſenſim jam præſentiens, ac frequentiſſime prænuntians; Idibus Septembris Anno MDCCXLII. vi morbi adeo contabuit, ut jam prope ad extrema deduci ipſe cognoverit. Ceteris namque incommodis, acuta febris, cum urinarum ſuppreſſione, acceſſit ultima hominis pernicies. Nihilo tamen ſecius, ob Dominicæ Crucis reverentiam, cujus inſequenti mane Exaltationis memoria agebatur, ſupremo labentium virium conatu a lecto ſurgere, & ſacris operari devotiſſime voluit. Factum. At vero gravius inde decumbente, Medicorum ſententia pronuntiatum de ejus vita prorſus actum eſſe. Lethale nuntium tranquillitate animi, ac vultus ſerenitate excepit, quaſi id eſſet de quo certiorari diu concupierat; ſtatimque ſciſcitatus eſt ardentiſſime cuncta ſibi exhiberi Catholicæ Religionis munimenta, quæ ad æternitatis iter aggrediendum conferuntur. Quibus rite procuratis, totius anteactæ vitæ noxas corde & ore palam deteſtatus, potiſſimum vero neglectæ temporis ingeniique diſpenſationis veniam precatus, divini Corporis viaticum robuſta fide, ac religione ſuſcepit. Poſt hæc ea facultate uſus, quam Clemens XII. ipſi conceſſerat, transferendi quas vocant penſiones, aliquas familiæ ſuæ nobilibus viris adſignavit, gratam erga eos ſui ultimam exhibens voluntatem. Interea per Urbem de extremo tanti viri periculo vulgatus rumor, gravem pro omnium in eum exiſtimatione concitavit triſtitiam, quam poſt ejus mortem dolor, & luctus excepit. Porro Summus Pontifex Bened. XIV. Eccleſiæ clavum feliciter regens, qui in omni fortuna noſtrum intime noverat, & ſingulari dignatione ornaverat; cujus etiam perſonam & ſcripta, in eruditiſſimis Operibus ſuis ante Pontificatum, maximo litterariæ & Chriſtianæ Reipublicæ incremento editis, honeſtiſſime commendaverat; decumbentem perhumaniter convenit, vigilantiſſimi, ac ſummi Paſtoris officia, necnon paternæ benignitatis cariſſima ſigna præſtiturus. Sed jam morbus urgebat atrocius, & Gottii pietas, quæ totius vitæ ſuæ curſum illuſtraverat, clarius emicabat. Defixo nimi-

ipſi maxime placere ſtudioſius decertarent: ſic homines vincit prudens & diſcreta ſapientia. In regenda univerſa Provincia individua illi comes erat perfecta in retribuendo juſtitia. Nullus hominum, vel etiam potentium, favor aut gratia, nulla indiſcreta mediatio, ſed ſola præſtantia meritorum, & certa perſonarum experientia, officia apud ipſum & gradus impetrabant. Qua conſtanti agendi ratione mirum eſt, quantum regularis diſciplina & ſtudia, eo moderante, profecerint. Hoc vitæ ritu viginti ferme annorum curriculo Patriæ & Ordini ſuo egregiam navavit operam.

Porro A. MDCCXIV. vertente, Apoſtolicis litteris Clem. XI. P. M., ex tempore intelligit Mediolanum (Urbs eſt Italiæ præclariſſima) generalem ſe fidei Quæſitorem Apoſtolica auctoritate eſſe delegatum. Graviſſimum hercle ac permoleſtum ipſi videbatur, a Bononienſi Academia, a jucundiſſimis ſtudiis, a Fratribus ſuis repente divelli; ſed & Cœnobii Bononienſis F. F., eum tanquam Patrem peramanter reſpicientes, atque univerſa Civitas ægre impatienterque ferebat tanti Civis jacturam. Supremo tamen obediendum erat imperio. Invitus itaque Mediolanum venit, ubi muneri, quod ingratiis ſuſceperat, operam præſtitit ſuam haud ingratam. Ad cuſtodiendam tuendamque rem Fidei totus incubuit. Ex ignorantia vel inſcitia lapſos charitatis amplexibus erigebat; monitos, ac dolentes abſolvebat, nec parcens errori, ſecretis animadverſionibus honori conſulebat. Pertinaces vero, certaque malitia aberrantes, ardentiſſimo quidem Fidei zelo exagitabat, nunquam porro a lenitate diſcreto: quo intelligerent, non perſonas, ſed errores inſequi; quibus ex animo renuntiare & ejurare, efficaciſſimis ſermonibus, nec ſine lacrymis, compellebat. Adverſus Catholicæ Fidei hoſtes perpetuum atque implacabile indixit bellum, ſtrenue acriterque decertans, ne prava eorum converſatione, vel ſcriptis ſuis, Eccleſiæ Sanctæ Dei candor macularetur. Neque exiguus hujus zeli & vigilantiæ fructus. Quippe tum primo Jacobi Picenini falſam Apologiam, inſolentiſſimum ac vanum Triumphum calamo perſtringere inſtituit; cujus Operis ſcribendi rationem, finem, mentemque ſuam cum in ſequenti præfatione ſua enucleate nitideque ipſe propoſuerit; ne acta agere videar, de inſigni hoc Opere quidquam dicere abſtineo. Interea Proceres & Senatores Mediolanenſes, Virum jam fama præclarum, ingenti plauſu exceptum, ex frequenti conſuetudine perſpectis tot in eo dotibus, de ſapientia, de prudentia, de zelo, eximiæ comitati, atque humilitati conjuncto, pro ſe quiſque magnificis verbis, atque honoribus celebrare geſtiebat. Singulare profecto veræ virtutis a fucata diſcrimen! Utraque a longe perlatæ vehementem excitant ſui opinionem; ſed in conſpectu probatæ, quantum iſta decreſcit & contemnirur, excellit illa & commendatur. Benedictus S. R. E. Cardinalis Odeſcalchus, noſtrum in primis gratiſſimum habebat, cujus jampridem

Bo-

Bononiæ Prolegatus virtutem noverat. Frequentiſſimis porro ac quotidianis fere colloquiis ſecum agebat, de graviſſimis ſui Archiepiſcopatus negotiis mature deliberans. Quocirca omnem movit lapidem, ut a propoſito abdicandi muneris ipſum averteret. Perperam tamen humillimus Gottii animus tot officiis, atque honoribus tentatus; immo ex his forte faſtidioſum munus in dies magis magiſque averſatus, miſſionem ſuam iteratis, ac ferventioribus votis apud Pontificem exorabat; quam poſt biennium a ſuſcepto officio tandem impetravit. Bononiam A. MDCCXVII. redeuntem, cariſſimum Civem ovans gratulanſqe Patria recepit. Paucos poſt menſes ex Senatus Conſulto a Cathedra Theologiæ ad illam Controverſiarum Fidei aſcendit; quam pridem V. CL. Benedictus Bacchinius Caſinenſis Abbas, dum in vivis ageret, eximiis monumentis illuſtraverat. In ſequenti autem anno, a Theologorum Collegio, honoris cauſa, inter ſuos adoptatus eſt, ut *Viro famoſo* Doctoratus inſignibus publice decretis, ipſique collatis; quæ ſponte benigneque ſuſcepit, non ad aucupandam gloriæ famam, ſed ad Patriæ charitatem ſibi arctius adjungendam. Inter hæc præcitatum Opus adverſus infelices Picenini auſus ad calcem duxit, quod *Veræ Eccleſiæ Chriſti* titulo nuncupavit, tribus juſtis Voluminibus exactum, & Romanis Typis juſſu Clem. XI. P. M. A. MDCCXIX. impreſſum. Neque Adverſario ſemel proſtrato inſurgendi vires permiſit; quippe cum ejuſdem Picenini liber *de Concordia Matrimonium inter & Miniſterium* Tiguri editus in ejus manus venerit, mole quidem exiguus, ſed non tam Cælibatus profanatione, quam contra Catholicas poſitiones plurium errorum admixtione malignus, in omnem partem callidum hoſtem, noſter, adortus, in tres claſſes Colloquiorum volumen inſtituit; in quo de Sacrorum Miniſtrorum Cælibatu, de Romani Pontificis auctoritate in Conciliis & definitionibus, aliiſque Catholicis veritatibus, poſtremo vero de Gregorii VII. vindiciis ordinate, eruditeque diſſeruit. Hoc Opus paulo ſerius quam ſcriptum fuerat, A. ſcilicet MDCCXXVII., Bononiæ publicam aſpexit lucem. Unico tamen litterarum otio placidiſſime frui omnino ipſi non permittebat ſuorum confratrum amor, & deſiderium. Nimium inſidebat omnium animis egregia hujus in regendo humanitas, & prudentia; propterea, quem merito Patrem jugiter colebant, interim Prælatum habere votis omnibus expoſcebant. Importunis precibus, quibus reſiſtere benignus erga ſuos diu non valuit, paſſus eſt ad Præfecturam Bononienſis Cœnobii Anno MDCCXX. tertio eligi. Porro ad hunc Annum corrigendus eſt Cl. Jacobus Echard, qui *Tom. II. Script. Ord. Præd.* ſcribit, Regentem Generalis Studii Bononienſis noſtrum fuiſſe: certo quippe certius eſt nunquam id muneris peregiſſe, quod cum publicis prælectionibus conciliari neutiquam potuiſſet. Ergo Bononienſe Cœ-

nobium illo Anno Prælatus rexit; duobus vero immediate ſequentibus univerſam Provinciam. Quo ex tempore ad extremum uſque vitæ ſuæ, in eo apparuit evidentiſſime, honores revera fugientes inſequi. Sincera, ac vere Chriſtiana cognitione ſui, demiſſe de ſe undequaque ſentiebat, tantum a laude & plauſu abhorrens, quantum imbecillitatis ſuæ intime ſuaſus, nil ſibi deberi ex corde pronuntiabat; ſolitus metiri ſe infra omnes, Fratrum ſuorum abjectiſſimum ſe profitebatur. Univerſa ſtudia ac geſta ſua, quemadmodum a Deo proficiſci, ſic in Deum unice referri aſſiduis precibus exorabat; neve ipſi, quod totum a Deo eſt, quidquam boni homines adjudicarent, eorum oculis, quantum poſſibile erat, ea celabat. Coactus vero Superiorum auctoritate pro Eccleſia Sancta Dei plura in lucem edere, Jeſu Chriſto Salvatori, conceptis litteris, commendata unice voluit: nil ferens moleſtius, quam de his ab hominibus celebrari; nil indignantius, quam ad honores & gradus proclamari. E contra virtutis, ac ſuorum Operum longe lateque perlata fama, veri rerum æſtimatores de ejus merito magnifice loquentes, ampliſſima jam ominabantur præmia. Provinciæ Præſul, dum per univerſam pene Italiam, viſitationis cauſa, huc illucque demigraret; ad eum præclariſſimi doctrina Viri conveniebant, allocuturi hominem de Chriſtiana Republica benemeritum, atque admiraturi. Ab Epiſcopis, a ſummis etiam Principibus, ad quos obſequii cauſa accedebat, ſingulari benignitate exceptus, nonniſi prævia ampliſſimæ exiſtimationis teſtificatione dimittebatur; Victorius vero Amedeus II. Sardiniæ Rex, eximius rectuſque hominum æſtimator, maximo in pretio impoſterum eum ſemper habuit, adeo ut in Profeſſorum Taurinenſis Academiæ delectu ejus conſilio non raro uſus ſit: quod paternæ virtutis Hæres & Filius Carolus Emmanuel eadem ratione faciebat, adhibito inſuper ejus judicio in nonnulla quorundam doctrinæ cenſura. Duobus interfuit generalibus Ordinis Comitiis, Romæ ſcilicet A. MDCCXXI., & Bononiæ A. MDCCXXV. Res in utroque erat de Generali Magiſtro eligendo. In Romanis Comitiis in ipſum, eo nec cogitante, non pauci conſpirabant; ſed in Bononienſibus potiſſimum plurimi ad eum accedebant ſuffragiorum concurſus; quibus noſter reniti & reluctare acriter non deſtitit, donec vota omnia alteri, quem digniorem ex corde prædicabat, unanimiter deferri ab Amicis non impetravit. Scriptum eſt tamen: *Qui ſe humiliat exaltabitur*, & lucernam accenſam ſub modio latitare diu non debere, ſed in candelabro ponendam, ut luceat omnibus qui ſunt in domo Dei. Ergo dum Gottius minor in Ordine ſuo fieri ſatagebat, major in Eccleſia Dei habebatur, parato ipſi gloriæ ſolio, ut in conſpectu Principum prudentiam doceret, & loqueretur ſapientiam.

Per id temporis ſedebat in Cathedra D. Petri Benedictus XIII. Ordi-

Ordinis Prædicatorum, Summi Sacerdotii immortale decus. Hinc de promotione Gottii ad purpuram communis fere apud omnes orta exſpectatio. Conſtans quippe fama erat, quod ſapientiſſimus Pontifex, Inſtituti ſui amantiſſimus, potiſſime vero Provinciæ utriuſque Lombardiæ, cui adſcriptus fuerat, Virum hunc ſibi alias acceptiſſimum, qui ejuſdem familiæ longe ceteris in Italia conſtitutis præcellebat, ob eximia virtutis ac probitatis ſuæ merita, ſplendore Purpuræ illuſtrare, intra ſacrati pectoris ſui ſcrinium ſtatuiſſet. Quanquam autem res aliquantum dilata eſſet; ſpes tamen, & rumor augebatur magis, & confirmabatur: tamque ardens erat Concivium amor erga ipſum, & deſiderium, quod præ gaudio nonnulli eorum impotentes ſe cohibere, intempeſtivis ſane, atque importunis gratulationibus ſecum agebant. Is porro ſuæ demiſſionis memor, nil de ſe ſublime cogitans, ſolam ſuæ privatæ quietis tranquillitatem ſibi deprecabatur; atque ſtudiis ſuis ocius vacans, in ſuburbana Ronzani domo ruſticabatur: cum interea magnis itineribus ex inſperato Roma Nuncius ad ipſum venit quidquam tale nec ſuſpicantem; qui exhibitis Apoſtolicis litteris, atque Cardinalitiis inſignibus, eum Patriarcham Jeroſolymitanum deſignatum, & S.R.E. Presbyterum Cardinalem creatum a Benedicto XIII. in Conſiſtorio ſecreto renuntiat. Id factum pridie Kal. Maii A. MDCCXXVIII. Quaſi qui inſtantis mortis nuntio, vel repentino ictus fulmine, ut ad Amicum ſcribens ipſe teſtatus eſt, ad hæc primo reſtitit; mox intimo doloris ſenſu commotus, meditari, ac verſari mente, qui modus, quæ via paratior occurreret evadendi extremum hoc, ut ſibi videbatur, periculum. Neque id pertentare facto, inaudita quadam ratione, deſtitiſſet, niſi, revera humilis, atque aliorum potius audiens conſiliis, quam in ſuis pertinax, validiſſimis Amicorum ſuaſionibus intellexiſſet, perperam ſe, atque inaniter diſcrimen omne tentaturum. Hujuſmodi victus rationibus, moleſtiſſimam dignitatem adſpexit, ſed ea fronte, qua ſi alius quiſpiam eam dimittere adigeretur. Magna quidem dicimus, quæ cum rariſſima ſint demiſſionis portenta, difficilem obtinent fidem; minora tamen retulimus his, quæ oculares & digniſſimi teſtes certiſſima affirmant. Immo aliquibus ante annis obſervatum eſt in eadem domo ſimile quodam humilitatis exemplum præbuiſſe F. Vincentium Maria Urſinum, qui a Clem. X. S. R. E. Cardinalis renuntiatus, ab excipiendis Cardinalitiis inſignibus illuc ſe ſubduxit. Quare utriuſque rei memoria ibidem hoc monumento conſignata eſt.

HUMI-

HUMILIS DOMUS HÆC

FR. VINCENTII MARIÆ URSINI ROMANI, QUI POSTEA BENEDIC. XIII., QUOD HUC FRUSTRA A SIBI DELATIS CARDINALATUS HONORIBUS DECLINARIT, SECESSU PRIMUM, ET FAMA IN ÆVUM PERILLUSTRIS, DEIN FR. VINCENTII LUDOVICI GOTTI BONONIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORUM LITTERATISSIMI HIC INTER AMICORUM PLAUSUS AB EODEM BENEDICTO SACRA PURPURA DONATI PER NUNCIUM VI. NON. MAII MDCCXXVIII. MODESTIA, GEMITIBUS, ET ANIMI RELUCTANTIA POSTERITATI CELEBRIS, FREQUENTIA DEMUM OMNIUM ET SINGULORUM FELSINÆ ORDINUM OPTIMO VIRO CIVIQUE SUO GRATULANTIUM CLARISSIMA, DUM DUOS PRIVATOS ORDINIS PRÆDICATORUM ALUMNOS VIRTUTE PARES EXCIPIENDO S. R. E. CARDINALES EFFECTOS, ORBI UNIVERSO POSTEA REMITTIT NUSQUAM MAXIMAS VIRTUTES LATERE POSSE, ET UBIQUE VEL ETIAM PER OTIA SUA PRÆDICATORUM ORDINEM AD MAJORES PRO ECCLESIA LABORES EXCITARI, IMMO ET RAPI, QUALICUNQUE H. M. TESTATUR.

Ut primum Bononiæ optatiſſimæ rei fama vulgata eſt, cuncta Civitas extra ſe plenis portis effudit, Ronzani Collem conſcenſura, ut Purpurati Civis ſui manus exoſcularetur, vel plauſibus ſaltim conſpectuque ipſi gratularetur. Is vero eminentiſſimum novæ conditionis ſtatum ratus nulla ratione poſſe a ſe dimovere, ne vel dignitati injurius, neve communis lætitiæ ſignificationi ingratus videretur, ad ingenitam ſibi lenitatem compoſito vultu adventantes comiter modeſteque excipiebat, Concivibus ſuis intimi affectus vices amantiſſime rependens. Georgii S. R. E. Cardinalis Spinulæ, qui tum a latere Legatus Bononiæ agebat, inter ceteros, ut gaudium, ita ſtudium maxime enituit. Namque venerationem illam, qua in privata etiam fortuna noſtrum reſpiciebat, in ejus exaltatione ampliſſimis magnificentiæ, & liberalitatis monumentis maxime teſtatus eſt. Is ſeptimo Idus Maii Cardinalitia inſignia, quæ Pontificis nomine F. Joſeph de Andujar Ord. Præd., Pontificiæ Bibliothecæ tunc Præfectus, poſtea Bobienſis, nunc Dertonenſis Epiſcopus detulerat, publica pompa, ſplendidoque apparatu in Templo D. Dominici ſolemniter ipſi impoſuit. A Jacobo vero S. R. E. Card. Boncompagno in eodem Templo Sacra peragente, Thoma Torello Epiſcopo Forolivienſi, & Thoma Cervioni Epiſcopo Faventino cooperan-

ran-

rantibus, Patriarcha Jeroſolymitanus conſecratus eſt Die XIV. Maii; quæ prima erat Pentecoſtes ſacra.

Poſt hæc, gnarus jam Gottius de optatiſſima quiete ac tranquillitate ſua actum eſſe, totum ſe tradere in Chriſtianæ Reipublicæ commodum inſtituit, cum pietatis exemplo, tum emolumento doctrinæ. In Urbem igitur deductus, a SS. Pontifice humaniſſime exceptus, ſacris, ut vocant, Congregationibus Generalis Inquiſitionis, Epiſcoporum & Regularium, Indicis Librorum expurgatorii, Sacrorum Rituum, Diſciplinæ regularis, Examinis Epiſcoporum, Tridentini Concilii Interpretum, Indulgentiarum ac Reliquiarum, Propagandæ Fidei, & Librorum Orientalium Correctionis adſcriptus eſt. His, ſicut Conſiſtoriis, ceteriſque ſtatis functionibus, niſi morbo impediente, diligentiſſimus, ac primus intererat. Judicia ejus rationum pondere librata, perſpicuitate, ac prudentia prolata, doctiſſima in primis habebantur, atque rectiſſima. Veritatis, ac juſtitiæ tenaciſſimus, non propriæ ſententiæ; cui ſi quempiam aliquando noverat diſſentiri, nuſquam pertinaciter contradicebat, nec acriter obſtabat: tanta erat in omnes reverentia, ac modeſtia. Negotiis expeditis, otii impatiens domum ſolicitus repetebat. Hic vel coram, vel per Epiſtolas ex variis terrarum partibus rogatus in conſiliis dandis, in rebus arduis implexiſque enodandis ad fidem, ad diſciplinam ſpectantibus, tempus impendebat; nullam particulam horæ ſine operæ pretio permittens elabi. In ſecretioribus conſultationibus, graviſſimiſque curis a Summis Pontificibus frequenter adhibitus. A Maria Clementina Sobieski magnæ Britanniæ Regina, innocentia vitæ & excellentia virtutis immortali Principe, magni habebatur: apud quem penitiora conſcientiæ ſuæ arcana deponebat, & in arreptam Chriſtianæ perfectionis ſemitam eo Duce greſſus ſuos dirigebat, rata ſe tanto Duce nonniſi recte, ac tutiſſime progreſſuram. Infimatibus tandem quibuſcunque, qui conſilii, vel cujuſque neceſſitatis cauſa eum conveniſſent, audientiæ, & doctrinæ ſuæ copiam nunquam negavit, ſolitus dicere, ſe in aſſumenda eminentiſſima dignitate, non quæ reputant homines, honores & commoda, in ea reſpexiſſe, ſed quæ ipſi hærent indivulſe onera, labores & curas ſuſcepiſſe: ac fruſtra dici purpuratum Patrem, ſi Chriſtifidelibus prodeſſe, etiam diſcrimine vitæ, paratus non eſſet. Tot autem variiſque diſtractus curis, ſubciſivam tamen partem temporis quotidie fere ſuffurabatur, ut privatis ſtudiis, & Commentariis ſcribendis attenderet. Hinc egregia illa emanarunt Opera. Primum *De eligenda inter diſſidentes* Chriſtianos *ſententia* adverſus Joannem Clericum, e Remoſtrantium ſecta apud Batavos magni nominis Scriptorem, qui ejuſdem tituli libro Catholicæ Religionis principia conatus evertere, a noſtro proſtratus eſt omnino, diſjectis vaniſſimis ejus fundamentis. Hoc Opus prælo datum Romæ A. MDCCXXXIV., cum Ratisbonenſes Typo-

graphi iterum cudiſſent A. MDCCXLI., Germanorum Ephemerides ſequenti judicio commendarunt.

Publice adparuit biſce diebus Liber egregius Auctore celebri Cardinali Gottio, qui in noviſſimis Cardinalium Comitiis parum abſuit ab Apoſtolico Throno, atque Orbi univerſo praeclaris ſuis operibus maxime innotuit. Solide, ac nervoſe Adverſarium refellit. Hujus Eminentiſſimi Auctoris ſtilus purus, perſpicuus, riteque methodicus. Cum iſta refutatio, tum cetera illius opera, magna eruditione, doctrina ſolida, ac ſumma moderatione ſcripta ſunt. Quæ in medium adfert momenta & rationes, ex eorum genere ſunt, quibus Eccleſia Catholica adverſus fidei hoſtes pugnare ſolet; ſed nova methodo & arte exhibentur, & grate adeo legentibus ingeruntur, ut cauſæ vim & fundamentum ſtatim intime aſſequantur. Quare eximii hujus Cardinalis labor & inſtitutum plurimi facienda ſunt.

Alterum deinde pro veritate Chriſtianæ Religionis præclariſſimum ingenii ſui fœtum edidit, quo ſectas omnes adverſus eam pugnantes, Atheos, Polytheos, Idololatras, Mahumedanos, & Judæos de apertiſſima falſitate exacte convincit; Catholicæ vero fidei propagationem, myſteria, dogmata tanta argumentorum vi ac rationum copia vindicat, adſeritque, ut Theologis ad rem feliciter conficiendam contra Chriſtiani nominis hoſtes, validiſsima præſtitiſſe armamenta videatur. Duodecim omnino voluminibus abſolutum Opus A. MDCCXL. e Romanis Typis prodiit. Neque ad extremum uſque ſibi indulgendum cenſuit. Duobus quippe ſupremis vitæ ſuæ Annis, & ſi corpore infirmus, variiſque adflictatus incommodis ſentiens diſſolvi, atque ardentius cupiens eſſe cum Chriſto, in divini verbi contemplatione defixus, ad ſolatium animæ Commentarios in Geneſim ſelectiſsimis Patrum ſententiis ornatos ad Caput uſque quadrageſimumoctavum erudite, nitideque extendit. Morte interciſum extremum tanti Scriptoris Opus in Bibliotheca Bononienſi FF. Prædicatorum aſſervatur, lucem forte, ut ſpero, aliquando adſpecturum.

Jam qua Purpuratus Chriſtianæ Reipublicæ fulſit doctrinæ luce; nunc de pietatis ardore breviſsime dicendum. Quippe cum in eam videns ſe raptum ſphæram, cujus curſu Chriſtiani Orbis motus univerſi reguntur, ſanctiſsime cautum habuit talem ſibi inſtituere vitæ rationem, qualis ſi videretur ab hominibus, glorificarent Patrem qui in Cælis eſt. Inſtituto igitur a quo aſſumptus fuerat addictiſsimus, cum externo habitu regularem omnem, quantum cum ipſa dignitate patibilis erat, ſuarum legum obſervantiam ad mortem uſque conſtanter admiſit. Priſtinæ abſtinentiæ, & frugalitatis cuſtos, uno, vel altero obſonii genere, eoque vulgari, eadem illi erat parabilis, & expedita menſa: Ædes vero nec Purpurato, nec religioſo Viro minus aptæ, non ſplendida, atque eleganti, ſed munda ſu-

ſup-

pelleſtili ornatæ. Non aulicorum, non famulatus ingens caterva, ſed quæ eminentiſſimæ dignitati moderate deberi videretur, erga quam mitiſsime ſe gerebat, non corripiendo acriter, ſed blande monendo, diſcreteque diſſimulans eorum errores; quæque præcipienda occurrebant, rogantis potius, quam imperantis more ſuadebat, jucundam ipſis reddens ſervitii moleſtiam. Sui Ordinis Fratres eadem familiaritate, & affectu ac antea amplectebatur: horum conſuetudine, & convictu ſuaviſsime uſus, tanquam unus ex illis reputari omnino volebat; nuſquam paſſus obſequia quæ Purpuratis Patribus ſolent, ſibi ab ipſis exhiberi; non alio immutatus, quam in eorum commodis auctoritate ſua impenſius promovendis; quibus tanta indulgebat liberalitate, quod ubi noverat cuipiam poſſe, ope ſua, prodeſſe, ipſas ſupplicantis preces collato præibat beneficio; cujus ſummæ beneficentiæ largitatem, inter tot, ipſe expertus ſum frequentiſſime. Ceterum non ſolum erga Fratres ſuos, verum etiam erga privatas, atque infimas perſonas (quæ ejus erat comitas, atque humilitas ſingularis) benignitate & beneficentia effundebatur; pro omnium Patre, ac ſervo magis, quam pro Purpurato ſe gerens. Nec exteriorem modo demiſſionem coluit, indicem interioris, ſed multo magis interiorem illam, quæ ſita eſt in ſui ipſius cognitione, & deſpicientia. Etenim cum propter eximiam doctrinam, dignitatemque, haud ſecus quam vir omnium ornatiſſimus ſuſpiceretur; in ipſo honoris faſtigio, quod eſt difficilius, ſui contemptor unicus, non minus laudem & honorem, invitamenta arrogantiæ, quam ceteri vituperationem & dedecus, horrebat. Quippe honores peroſus, honorantes ita averſabatur, ut jam conſtaret inter omnes veterem illi ſimplicitatem eſſe cordi, fuci omnis & ambitionis expertem. Id quod vel maxime ex omnibus ſcriptis ſuis perſpici licet. Sui igitur victor, honoris etiam & gloriæ alteram retulit difficilem victoriam, adverſus ſcilicet carnem & ſanguinem, quæ vivens omnino non reſpexit: immo ab ipſa Cardinalatus inauguratione Fratres, ac Nepotes ſuos monitos voluit, de ea in qua nati erant, honeſta ſane, ſed tenui fortuna, ſatius contentos eſſe; neve ſperarent quidquam ab ipſo obtenturos unquam, quo propriam conditionem vel immutarent illuſtrius, vel retinerent decentius. Tranſgreſsis autem arctiſsimis gloriæ & naturæ repagulis, quæ magnanimis maxime Viris fortiora eſſe ſolent impedimenta virtutis, facile ipſi fuit omnia infra ſe poſita, fluxa, & caduca deſpicere, non frangi adverſis, proſperis non intumeſcere, divitias ſpernere, pecuniarum ſenſu nec adfici. Reditus propterea nullos, proventuſque a Pontifice petiit; ultra collatos ita accepit, ut rei familiaris Præfecto illorum adminiſtratione tradita, cum ob ejus probitatis, fideique conſcientiam, tum ob rerum ipſarum neglectum, accepti datique rationes nullas exigeret, interdum dumtaxat ſciſcitatus, num ad quotidianos, vel novos ſumptus, atque eleemoſynas

rum in Jeſum Crucifixum oculorum obtutu, fidei, ſpei, charitatis repetitis actibus, ipſi devotiſſime hærebat, lacrymas precibus miſcens, donec linguæ potens fuit. Aderat illi ſupremum tempus. Igitur ſenſibus integer, Sacerdotis monita, ac pias voces oculorum nutibus ad extremum uſque ſpiritum avidiſſime excipiens, ſereno vultu, ac placido agone, inter ſuorum preces & lacrymas mortalis vitæ diem clauſit extremum, annos natus LXXVIII., & tredecim dies. Tanti Cardinalis jactura, cum probos omnes, tum potiſſimum Prædicatorum Ordinis Fratres vehementiſſime afflixit. Namque intelligebant quantum præſidii, & decoris in præclariſſimo Viro ſublatum eſſet; cui vix unquam foret eventurum ulla consolatione poſſe mederi. Sed & Bononienſes ejuſdem familiæ Alumni, Patriæ gloriam, Cœnobii columen, omnium Patrem planctu amariſſimo collacrymati, Patrono beneficentiſſimo, amantiſſimo Patri, in perenne haud mœroris, quam gratitudinis monumentum, anniverſario funere parentare impoſterum decreverunt.

Mox poſt ejus mortem apertis ſupremis tabulis; quæ fuerit erga egenos & pauperes ejus charitas & miſericordia, quodve promovendæ religionis, & ſcientiarum ſtudium & ardor, ex ipſis palam innotuit. Etenim eorum, quæ, non ex dono Principum, ut nonnulli, nondum explorata re, temere imprudenterque blaterabant, minus ex Eccleſiaſticis proventibus, quos fidelis œconomus in manus pauperum adhuc vivens concluſerat; ſed partim ex privati largitoris munificentia, partim ex parſimonia victus, aliiſque obventionibus ſibi ſubtraxerat; fiduciarium hæredem inſtituit Bononienſe Cœnobium, hac ſcilicet ratione, ut annui reditus, æquas in partes diſtributi, tum in nubilium puellarum dotes, & pauperum uſus, tum in Eccleſiæ cultum, & librorum coemptionem univerſi erogarentur. Nepotibus vero ſuis ex Fratre, graviſſimis conſcientiæ ſuæ arbitris auditis, tenuiſſimam bonorum partem ſubſidii cauſa ſemel legavit. Sic pietati, miſericordiæ, Religioni perpetuo indulſit, perenne totius vitæ ſuæ præbens monumentum. Altero ab ejus obitu die, in Minervitano Prædicatorum Templo, a Sacro Cardinalium Collegio, Pontifice ipſo præſentia ſua funus cohoneſtante, juſtis rite, ac ſolemniter perſolutis, ejus cadaver ad S. Xyſti, cujus tituli Cardinalis erat, quemadmodum præfatis tabulis diſpoſuerat, humili deponendum loco translatum eſt, hac ſibi ſepulcrali lapidi inſcriptione deſignata.

HIC

HIC JACET
FR. VINCENTIUS LUDOVICUS GOTTI
BONONIENSIS
ORDINIS PRÆDIC.
S.R.E. HUJUS ECCLESIÆ TITULI
PRESBYTER CARDINALIS
EXSPECTANS CARNIS
RESURRECTIONEM.
VIXIT ANN. LXXVIII. DIES XIII.
OBIIT XIV. KAL. OCTOB. MDCCXLII.

Hic præſtantiſſimi Viri exitus, quem P.M.F. Auguſtinus Ricchinius Caſanatenſis Theologus in eleganti ejus Vitæ commentario hoc ornatiſſimo decoravit elogio.

Vir fuit ſtatura corporis decenti, oris habitu liberali; ad modeſtiam & gravitatem compoſito, colore ſubpallido, ac fere albicante, fronte lata, amplis oculis, acie tranquilla, ac verecunda, ſuperiore labro dextrorſum tumidulo, humero dextro paullo prominentiore, ſed citra deformitatem, ut quidquid hoc eſſet vitii vix deprehenderetur. Emicuit in eo perſpicacitas ingenii ſumma, judicium acre, ac ſolidum, ſtudium pertinax, ampla eruditio, rara dicendi ſcribendique facilitas, cum eximia doctrina & perſpicuitate conjuncta. Ad mores quod attinet mitiſſimo fuit ingenio, facili, atque humaniſſima indole, ad bene de omnibus me-

ren-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rendum prona; moderatus, & humilis, prudens, & candidus, religioſus, ac pius, diſciplinæ tenax, Fidei vindex, Religionis adſertor, dignus omnino, cujus animi ornamenta & virtutes omnis conſecutura ætas miretur, ac celebret, cunctiſque litteratis, atque Eccleſiaſticis viris ad imitandum proponat.



DE-

DEDICATIO AUCTORIS.

DOMINO NOSTRO

JESU CHRISTO

Deo vero, Homini vero, Mundi Redemptori, Eccleſiæ Fundatori.

PEdibus tuis provolutus, Sanctiſſime Jeſu, opus hoc humillimus defero, nonniſi tuo & ſubjiciendum, & publicandum patrocinio. Totum quippe tuum eſt, quod Eccleſiæ, cujus es Caput, doctrinæ, cujus es Auctor, partes ſuſcipit; tum quidquid boni, ſi quidquam eſt, Te ſatore, Te largitore per ſanctiſſimam gratiam tuam in ipſum deſcendit; tum denique Te unum & gloriam tuam, optatiſſimam ſibi metam & finem unice ſtatuit. Eccleſia tua hoſtes ſemper moleſtiſſimos habuit, aggreſſores veritatis, quam in gremio ſuo cuſtodiendam, tanquam in ſacrario arcanæ mentis tuæ collocaveras: his tamen afflicta, oracula tua in ſe probavit impleri, nunquam ſcilicet a Te deſertam iri. Oppugnari eam permiſiſti, nunquam expugnari, concuti, nunquam excuti; crudeliſſimis vero Idololatriæ ictibus quaſi minus attrita, inteſtino plerumque laboravit bello; & ipſi filii facti ſunt ei inimici, veram carnem, & divinitatem tuam labefactare conati. Impiiſſimus omnium Arius, quæ non intentavit mala contra Eccleſiam tuam? Ipſa vero con-

tre-

tremuit tum, trepidavit, & timuit mergi, quaſi *navicula in medio mari*, quæ undique *operiretur fluctibus* (1), viſum Te in tanto periculo dormire. Tempeſtate tamen ingraveſcente, ſurgens imperaſti *ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna* (2); dignatus præterea id facere, quoties Sabellius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, ceteræque hæreticorum peſtes moliebantur doctrinæ ſanctæ tuæ polluere integritatem. Impiorum perſecutio ad tempus permiſſa, facta eſt juſtorum probatio, & debuit aliquando Eccleſia affligi: *Etiam ſic quippe veris illis Catholicis membris Chriſti malo ſuo proſunt, dum Deus utitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum* (3). Lumine tamen vultus tui Eccleſiam reſpiciens, liberaſti eam; fugit diſcordia, errorum nubes tranſierunt, rediit tandem tranquillitas pacis. Te igitur obſecro Redemptor meus; reſpice nunc etiam vineam tuam dilectiſſimam. Duo jam jam volvuntur ſecula, quibus Lutheri, & Calvini Sectarii, vaniſſimo reformationis prætextu, eam male diſcerpunt, conſtruentes adverſus ipſam macerias impietatis, quæ præter vacuum Eccleſiæ nomen nullam tecum partem habent; ac interea veram Eccleſiam tuam, non Apoſtolicam, ſed Apoſtaticam, non ſponſam, ſed adulteram blaſphemant: cujus Sacramenta rejiciunt, Sacrificium, Altaria, Templa demoliuntur, Divorum cultum execrantur: populos vero pelliciunt ſtipendio iniquitatis, cuique conceſſa laxe vivendi immunitate, jejunia ſolventes, proſtituentes Cælibatum; nec veriti ſunt

(1) *Matth.* 8. 26., & 14. 24. (2) *Aug. de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 5. (3) *Lucæ* 10. 16.

ſunt miniſtros tuos ab omni gradu, & auctoritate dejicere. Vicarium quoque tuum contumeliis, fœdiſque gannitibus deridendum propinant: & inani præſumptione te ſolum ſequendi, Apoſtolici Collegii tui ſucceſſores negant audire; non attendentes verbum tuum: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit* (1).

Iſtorum autem mendacia, & fraudes in hac lucubratione mea aperire inſtituo; cui ſi minima lux tua affulgeat, minime dubito, pleroſque lumen fidei ſanctæ tuæ excepturos. Plura quotidie ferme occurrunt volumina errorum pleniſſima: rem tamen meam conficio contra *Apologiam*, & *Triumphum* cujuſdam *Jacobi Picenini*. Is quotquot in Conventiculis ſuis (*Eccleſias Reformatas* ea vocat) errores profitentur, in unum conflavit. Sannis, calumniis contra Eccleſias Romanæ Obedientiæ acervum hunc compoſuit, Italiæ auſus venditare immobiles proponere veritates; antiquam ejus fidem pro niſu ſuo conatus evertere. Porro cum, ut audio, fato ſuo conceſſerit, judicio jam tuo rectiſſimo damnatus eſt, certiſſimus nunc, at ſero nimium, erroris ſui. Tot autem, quæſo, dulciſſime Jeſu, tot qui in tenebris, & umbra perditionis excæcati ſedent, ne permittas in æternum perire: reſpice eos ſplendore gratiæ tuæ, ut illuſtrati, per ſemitas pacis redeant in ſinum Matris Eccleſiæ. Enimvero ſunt *uſque adeo excæcati, ut ſcelus ſuum non intelligant*, & propterea egent *ut aperiantur oculi eorum, & agnoſcant quæ ſit virtus Crucis, quæ efficientia Sanguinis, quæ magnitudo delicti, & doni gratiæ, & peccati* (2). Quod ſi perfidia eorum non meretur veniam;

 pie-

(1) *Lucæ 10. 16.* (2) *Cyprianus Serm. de Paſſ. Chriſti.*

pietatem tamen non demerètur inſons Eccleſia tua, eorum cauſa crudeliſſime vexata: res autem ſua, tua eſt, nec illam perſequuntur, quin te perſequantur; quamobrem Paulo adhuc minarum, & cædis ſpiranti contra Eccleſiam, dixiſti: *Saule, Saule quid me perſequeris?* (1) & merito: fideles quippe membra tua pati nequeunt, quin ſecum compatiatur & Caput. Age modo Omnipotens Jeſu; & illo feliciſſimo ictu, quo proſtratus Saulus Eccleſiæ tuæ ſurrexit Apoſtolus, Proteſtantium contere duritiem, & audaciam, ut ſui triumphatores, & fidei ſanctæ tuæ pugiles reſurgant. Sic una de univerſis Eccleſiis fiat Eccleſia, quæ in Te credat, in Te ſperet, Te unum diligat; ac unum Ovile ſit, unus & Paſtor. Provolutus ante Crucem, in qua, pretioſiſſimi tui Sanguinis effuſione, tremendum Sacrificium Tui æterno Patri obtuliſti, hæc ſupplex humiliter deprecatur, & ardentiſſime obſecrat, inter redemptos tuos indigniſſimus.

(1) *Act.* 9. 4.

Fr. Vincentius Ludovicus Gotti Ordinis Prædicatorum.

PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS.

APologia *falſi nominis* pro Eccleſiis Reformatis *a Jacobo Picenino Cairæ impreſſa* ann. 1706. *ad manus meas non aſcendit ex ante annum* 1715., *cum vigilandæ Catholicæ fidei puritati in una ex præclariſſimis Italiæ Urbibus delegatus, eam habere facile potui, & de ipſa conſiderare. Occurrebat ſtatim muneri meo congruum hujuſmodi Libri calumnias, & mendacia, quæ innumera ſunt, refellere. Dubius tamen ſententiæ, quod & alii hanc Provinciam aſſumpſiſſent, ſcilicet P. Andreas Semery in ſua* Brevi Defenſione veræ Religionis *edita Brixiæ* an. 1710., *& P. Hiacynthus Tonti Auguſtinianæ familiæ Theologus, Scripto* De dogmatibus Eccleſiæ Romanæ *edito Patavii an.* 1713., *nec inde quidquam hac Apologia depromeret, niſi quæ, ſæpiſſime repetita a Proteſtantibus, millies jam a noſtris diluta fuerant; alterum interea ejuſdem Auctoris Opus accepi inſcriptum* Triumphus, *contra* Defenſionem *P. Semery. Tum vero, attentis conviciis, probriſque, quibus Calvinianus ſcriptor & Sacerdotem Jeſuitam, & Catholicos omnes audaciſſime carpit, ſtatui in arenam deſcendere, & quantum in me eſt, novi hujus Philiſtæi Gigantis ſuperbum Caput conterere, & pro Confratribus meis, quam pro univerſo populo Dei, dimicare.*

Quæ ſatis eſſe deberent ad vitandam notam a Picenino per ſummam audaciam inuſtam P. Semery, quod non ſtatim Apologiæ *ſuæ reſponſum adhibuerit: quanquam inſolentiſſimum, & periniquum ſit* quinquenii *moram noſtris in crimen vertere, cum & ipſe, & tota furentium ſuæ miſeræ partis Aſſeclarum turba, pleno ſeculo, & ultra, diſtulerint* Lectionibus *Domini Domini Franciſci Panigarolæ reſponſa reddere; & per dimidium ferme ſeculi* Incredulum inexcuſabilem P. *Pauli Segneri intactum a ſibilo dimiſerint.*

Nec incongruum hic Picenini perſonam agnoſcere; ſiquidem ille totam ſcriptis ſuis commoviſſe Romanam Eccleſiam, & Conventicula ſua in erronea ſuarum partium doctrina perpetuo firmaſſe glorioſus miles jactitabundus oſtentat. Samadeni Engadinæ, alpino loco inter Rhætos, miſerrimis Parentibus genitus, dum non rudis ingenii ſpeciem quandam præſtare viſus ſit, Baſileam ſtudii cauſa miſſus fuit; ubi ſumptibus cujuſdam fundationis ad alendos ægenos adoleſcentes victitabat. Acre ingenium, tenax memoria, & ardor præſertim addiſcendi controverſias omnes Catholicos inter, & hæreticos vertentes, poſtquam Baſilea relicta, cujuſdam loci Solium appellati, Miniſtri, ſive Prædicantis munus ſuſceperat, aditum ipſi

faci-

facilem præſtiterunt ad quorundam nobilium ædes, qui tum opibus eo loci potentes, tum infauſto zelo Calvinianæ Sectæ accenſi, comparata magna librorum copia, ſcientiarum profeſſores colunt, ſtudia promovent; quo Catholicæ Eccleſiæ infeſtior hoſtium numerus, & major accreſcat.

Ergo hi Calviniſmi fautores, nacti Piceninum in Catholicos maxime procacem, & ſophiſmatum technis, falſisque commentis Sanctæ dogmata Romanæ Eccleſiæ frequenter illudere; hujuſmodi hominem audacia ſua opportunum cenſent ad bellum contra Catholicos. Ad conficiendam rem, copiam omnem rerum præſtant, quam in ejus Apologia *diſperſam legimus; quo apparatu vaniſſime ſibi ſuadet P. Panigrolam, & Segneri viciſſe, dogmata autem, & ſigna veræ Eccleſiæ ab his Scriptoribus Operibus ſuis naviter munita debellaſſe: binos vero iſtos unice ſibi hoſtes conſtituit; quanquam propugnatores fidei noſtræ plerique non deſint doctrina pares, iſtis tamen fama longe majores, a quibus callidus miles, pugnæ pavidus, de induſtria declinavit.*

Edita vix Picenini Apologia, *Proteſtantes exceptores ſui eam deferri per Italiam, & diſſeminari curarunt, rati hac eſca incautum vulgus in ſagenam concludere iniquitatis; quanquam autem ſanis mentibus, recteque inſtitutis, nihil ex ea periculi immineret, incautis tamen, & morum diſſolutis decipulam tendi viſum eſt: tot præſertim fallaciis, & mendaciis, quæ grande, & integrum ferme volumen faciunt, genus omne calumniæ, maledicentiæ, contumeliæ complectens. Eadem ſæpius hic ad nauſeam repetita. Stilus rudis, mendicus, obſcurus, figuris reptans puerilibus; ſola arrogantia, & contemptus omnium Ordinum, Sanctam Catholicam Religionem profitentium, ubique dominantur. Sibi per omnia plaudit, & inepta commenta ſua ad ſidera uſque extollit vaniſſimus Thraſo. Hac arte Piceninus ſibi ſuaſit facile poſſe, & puſillos fallere, & improbos pellicere, iſtis inſerendo pravæ fidei ſemina, illis incertæ veritatis argumenta.*

Quo circa Pater Andreas Semery *retundendæ Prædicantis jactantiæ zelo permotus, quantum debebatur adverſæ cauſæ, integre ſatisfecit; at qua erat Piceninus audacia, non ratione, ſed temeritate ſibi præfidens, ſuæ jactantiæ ſupremum ſpecimen exhibuit, edito falſo ſuo* Triumpho veræ Religionis, *priore* Apologia *nihilo modeſtiore, contumeliis, dicteriis, mendaciiſque cumulatiſſimo.*

Porro autem, ne Calviniſmi ſectarii contendant exitioſos errores ſuos ſilentio noſtro comprobari, utrique Picenini libro occurrere tandem aſſentior: & licet pro certo feratur ab hac vita emigraſſe ad reddendam rationem æterno Judici de peſſimis factis ſuis; vigilantiſſimis tamen Epiſcopis zelo impellentibus obtemperandum, & obſequendum duxi, ſummam imponendo manum huic Operi, quod non ad palam edendum, ſed ad privatam ſtudiorum meorum exercitationem inſtitueram.

Tu-

Totum Opus in tria partitur volumina, quorum primum ſigna *continet, quibus vera Eccleſia cognoſcitur; duo reliqua* veritatem dogmatum *tuentur, quæ ab Eccleſia Romana profeſſa, a Panigarola demonſtrata, negantur a Novatoribus, & oppugnantur. Mihi vero ſtatui adverſarii veſtigiis inhærere, & pede, ut ajunt, ſecum congredi; quare quicunque ſit hujus Operis perverſus ordo, Picenino totus adſcribendus. Neque enim quotquot involvitur verborum technis, & rerum ambagibus detegi accuratius, & denudari poterat, quam circuitionibus inſiſtendo ſuis; etiam dum ab re immoderatiſſimis digreſſionibus longe divagatur, quas refellere placuit, ne cæci ejus ſectarii, ut alias, glorientur, inexpugnabiles noſtra diſſimulatione probari.*

Moles etiam Operis excrevit ultra exſpectationem meam Picenini cauſa, qui poſtquam reprehendit P. Semery, quaſi partem tantum ſuæ Apologiæ confutaverit, teſtatur, ſi quis oppoſitioni ſuæ iterum contra obſtare vellet, audientiæ indigniſſimum eum dicturum, niſi minutatim reponat, argumenta ſua diluendo per ſingula Capita, ut quiſque valeat factum facto, cauſam cauſæ, argumentum argumento invicem comparare. *Quamobrem optimum duxi votis ejus annuere. Ut autem factioſi ſui facile ſingula conferre poſſint, deinceps ipſius verba refero, tum* Apologiæ, *tum* Triumphi *paginas ſingulas recenſendo. Quapropter in hac parte, de qua tam ſolicitus erat, ſpero genio ejus ſatisfeciſſe, & concedendum eſſe minutatim, ut expetebat, & gradatim omnibus ineptiis ſuis me reſpondiſſe.*

Materiæ excellentia profecto expoſcebat tum alia phraſi, tum latina lingua tractari. Neceſſitate tamen compulſus, Itala lingua noſtra ſcripſi, ut propinato veneno conformis medicina reſponderet; ſiquidem libri a me oppugnati editi ſunt Italica lingua, barbara quidem, & maxime rudi, propria ſcilicet perſonæ Auctoris: quo tamen illuſtrium Virorum Romanæ Eccleſiæ exemplum imitatus ſum, qui ob eandem rationem, perfidiæ ſcilicet hæreticorum retundendæ, qua per ignarum vulgus vernacula lingua peſſimi errores diſſeminantur, Italica item lingua eos confutarunt, ut ab omnibus Italis facile intelligerentur. Quo profecto idiomate editi fuerunt duo libri, quos Piceninus in ſua Apologia *ſibi refutandos conſtituit,* Lectiones *nempe* Calviniſticæ *Panigarolæ,* & Incredulus inexcuſabilis *Patris Segneri; tum etiam* Triumphus Crucis Chriſti & veritatis Chriſtianæ Fidei *Hieronymi Savonarolæ,* Summa Sacramentorum *Franciſci de Victoria,* duæ Symboli expoſitiones *Cardinalis Seripandi, & Ludovici Lippomani Veronenſis Epiſcopi,* Defenſio Miſſæ & Papatus *contra Viretum,* Vergerianæ, Mendacia Ochiniana, *&* Bullingerus refutatus, *celebres partus Hieronymi Mutii,* Symbolum Fidei *Ludovici Granatæ,* Hiſtoria Concilii Tridentini *Cardinalis Pallavicini,* Defenſio Pontificatus Romani & Catholicæ Eccleſiæ *Patris Nicolai Mariæ Pallavicini, totque alia Opera dogmatica, vel ſcripta, vel mutata in Italicum ſermonem, ad*

dendos idiotas de inconcuſſa veritate dogmatum Catholicę Eccleſię, quam ex ſola perfidia & furore, hæretici gannitibus ſuis immerito laceſſunt.

In hujus Operis ſerie, quemadmodum ad captum populi cui id præſtabam uſus ſum ſtilo demiſſo, & humili, ſic in animo erat connaturali meo indulgere genio, cum Adverſario agendo comiter, & a verbis præcavendo, quæ utcunque ipſi diſplicere poſſent. Ex certa tamen notitia doctior factus, nimia moderatione Doctorum Catholicæ Eccleſiæ Miniſtros hæreticæ pravitatis audaciores fieri; tum animadvertens, libros quos refuto nonniſi conſtanti maledicentia prævaluiſſe, qualemcunque plauſum ſibi comparantes apud ignaros, & improbos, mimicis ſatyris, dicteriis, conviciis, quorum frequentia venerabiliora Sanctæ Eccleſiæ dogmata deridenda ſubjiciuntur, deſpectis etiam melioris notæ Doctoribus ea defendentibus; nec unam haberi paginam ab hujuſmodi fœdiſſimis probris, & ſcurrilitatibus immunem: idcirco acerbum quidpiam inter ſcribendum excidere identidem permiſi, non tam ad velitandum in maledictis adverſus impudentem hominem, quam ad excutiendos miſeros illos, qui in obſcura errorum caligine decepti jacent & excæcati; dum incredibili arrogantia, & inſaniſſimo faſtu jactat velle ſe Catholicum gregem diſpergere, & evertere Romanam Eccleſiam, ille qui nec ipſa ſanctæ & veræ ſcientiæ Dei principia aſſecutus eſt, quo videri poſſit in his quæ tractare prætendit mediocriter verſatus. Hac in parte duos inſignes Sanctos, & Doctores Eccleſiæ ſequutus ſum, Gregorium, & Thomam, quorum primus Hom. 9. ſuper Ezechielem monet: Aliquando linguas detrahentium debemus compeſcere, ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. *Alter vero 2. 2. quæſt. 72 in corp. docet:* Quandoque oportet ut contumeliam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, ſecundum illud Proverb. 26. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur, propter contumelias nobis illatas. *Ceterum tantum abeſt me erga ipſum, & ceteros qui ſecum in inſania errorum verſantur, aliquo livore, & malevolentia tangi, quin potius intimo ex corde de ipſis doleo, cupidus proprio etiam ſanguine eos ab erroribus liberare, & in æternam beatitudinem omnes traducere. Paucis: Hæreſim verum dogma labefactantem deteſtor, hæretico ipſa infecto ex corde ignoſco, Chriſtiana patientia ſuſtinens deriſiones, & noſtrorum injurias, quanquam ſuſtinere nequeam contumeliam veritatis:* Meam injuriam, *loquar cum D. Hieronymo Epiſt. 75. vel 36. ad Vigilantium,* patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui: unde & viſus ſum mordacius in extremo Epiſtolæ (*dicam in hoc Opere meo*) ſcribere quam promiſeram.

Si

Si viribus meis, quæ infirmiſſimæ ſunt, periculum hoc impar, & audax forte videatur, gratia Jeſu Chriſti quam deprecatus ſum, cujus eſt totum quod eſt optimum, omnia poſſe ſpero, dum ipſa me confortat. Non ignoro Adverſarium, qua valet inſolentia, & petulantia, gloriari, noſtrorum quamplures oppugnare ſuam doctrinam tentaſſe, neminem autem viciſſe; pro veritate ſane locutus eſſet, aſſerendo, viciſſe quidem peſſimos errores ſuos, nunquam porro perfidiam, & pertinaciam: quod nec ſcriptis ſuis profecto præſtare valent inſigniores viri, niſi, quæ ſola id poteſt, Spiritus Sancti gratia accedat, cujus eſt hominum corda debellare. Hac fiſus, quanquam minimus in domo Patris mei, *vires colligo, & aggredior Gigantem iſtum* in nomine Domini, *dum ipſe* in haſta, & in clypeo *audet provocare univerſum populum Iſrael.*

Ad hoc prælii genus armamenta ſunt Scripturæ, certa teſtimonia decerpta ex ſacris Conciliis, Sanctis Patribus, & præſertim Sancto Auguſtino, Doctore ab ipſis Proteſtantibus merito magni habito, tum etiam ab ipſo Picenino; qui quantumvis conetur in ſuam partem eum trahere, oſtendam tamen plerumque vel eum non legiſſe, vel non intellexiſſe, vel affectaſſe non intelligere. Si ad manus non habui Auctores omnes ab ipſo citatos, præſertim ſectæ ſuæ, in proceſſu Operis parvi momenti id eſſe conſtabit, porro quod omnes eadem aſſerant, quæ Piceninus refert.

Non hic opportunum cenſeo refellere ineptias in Præfatione ad ſuam Apologiam *diſſeminatas, ubi conditionem noſtram, & nos Catholicos commiſereſcit, quod vetita nobis ſit Scriptura ſacra, proinde clamans:* Miſeræ Eccleſiæ! Scripturarum ignorantia veſtrarum calamitatum cauſa eſt.

De antiqua hac, & jam rancida cantilena ſuo loco dicam, oſtenſurus Catholicis ſacræ Scripturæ lectionem abſolute vetitam non eſſe, ſed verſiones dumtaxat vernacula lingua, a privatis perſonis abſque Eccleſiæ publica auctoritate editas: idcirco non ſacra Scriptura, ſed ſacræ Scripturæ hic, vel ille dialectus prohibetur, quod ſcite prudenterque factum, cum abs re ſit ſublimiora Religionis arcana a mulierculis, & tabernariis inepte ignoranterque tractari, maxime mediis hiſce verſionibus privatis, & mendoſis, ut fit a Proteſtantibus, apud quos propterea graviſſimum illud accidit malum, ex quo quiſque Doctor eſſe vult, & Interpres; ſiquidem ſibi quiſque ut libitum eſt Scripturam facit ſibi imprimi, & loqui, & Religio in tot ſectas diſcinditur, quot ſunt capita, non attentis D. Pauli verbis: Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? *Ceteroqui facili negotio quiſque poteſt ab hac Scripturæ legendæ difficultate ſe liberare; primis quippe grammaticalibus cognitis rudimentis, expedita ipſi erit latinæ Scripturæ lectio.*

Cum autem hic pro univerſa Eccleſia Catholica agendum ſit, &

conje-

Digitized by Google

conſequenter pro omnibus; & ſingulis Auctoribus, pro doctrinis, & opinionibus, quotquot in ipſa admittuntur; ſumma rei poſtulat, adverſus Picenini calumnias plura nec erronea, nec falſa a me probari, quæ inter Catholicos recipiuntur, quædam licet a me ſingillatim non acceptentur: qua ex parte attendenda eſt Catholicæ profeſſionis, non privatæ meæ opinionis ratio.

Monendum etiam reſtat, Opus hoc eorum nutu, quibus obtemperandum erat, loco a me valde diſtanti editum fuiſſe; nec, accurata licet, diligentia ejus, qui mihi favit, impediri potuit, quin, ut fieri ſolet, nonnulli errores irrepſerint.

Unum ſupereſt, ea ſcilicet commemorare, quæ Lactantius ſcripſit in Exordio libri V. divinarum Inſtitutionum: Non eſt apud me dubium, quin hoc Opus noſtrum, quo ſingularis ille rerum conditor, & hujus immenſi rector aſſeritur, ſi quis attigerit ex iſtis ineptæ religionis, inſectetur etiam maledictis, & vix lecto fortaſſe principio, affligat, projiciat, execretur, ſeque inexpiabili ſcelere contaminari, atque adſtringi putet, ſi hæc aut legat patienter, aut audiat; ob hoc tamen, ſi fieri poteſt, humanitatis jure poſtulamus, ut non prius damnet, quam univerſa cognoverit: nam ſi ſacrilegis, & proditoribus, & veneficis poteſtas defendendi ſui datur, nec prædamnari quemquam incognita cauſa licet; non injuſte petere videmur, ut ſi quis erit ille, qui inciderit in hæc, ſi leget, perlegat: ſi audiet, ſententiam differat in extremum. *Si quis Proteſtantium in hoc Opus inciderit, non illud ſtatim rejiciat, ſed legat, rationes ſcrutetur, &, ut Adverſarius ait*, factum facto, cauſam cauſæ, argumentum argumento referat; *tum me damnet, ſi meritus ſim. Quod ſi id non valeam impetrare, cum Lactantio ſubdere cogar:* Novi hominum pertinaciam; nunquam impetrabimus. Timent enim ne a nobis revicti, manus dare aliquando, clamante ipſa veritate, cogantur .... Quid igitur? Operam ne perdemus? Minime. Nam ſi lucrari a morte, ad quam concitatiſſime tendunt, non potuerimus, ſi ab illo itinere devio ad vitam lucemque revocare, quoniam ipſi faluti ſuæ repugnant; noſtros tamen confirmabimus, quorum non eſt ſtabilis, ac ſolidis radicibus fundata ſententia. Nutant enim plurimi, ac maxime qui litterarum aliquid attigerunt... Præterea etiamſi nulli alii, nobis certe proderit: delectabit ſe conſcientia, gaudebitque mens in veritatis ſe luce verſari, quod eſt animæ pabulum, incredibili quadam jucunditate perfuſum.

Verum non eſt deſperandum. Fortaſſe non canimus ſurdis: nec enim tam in malo ſtatu res eſt, ut deſint ſanæ mentes, quibus & veritas placeat, & monſtratum ſibi rectum iter & videant, & frequentent. *Sic nimirum cum Lactantio ego & confido, & ſpero conſecuturum.*

INDEX

I N D E X

Capitum, & Paragraphorum primi hujus Tomi.

CAPUT I.

Vera Eccleſia debet eſſe Catholica, & Sancta.

§. I. *De Signis vera Eccleſia in genere.* pag. 1
§. II. *Vera Eccleſia eſt Catholica.* 8
§. III. *Eccleſia eſt Una.* 13
§. IV. *Eccleſia eſt Sancta.* 15

CAPUT II.

De Miraculis.

§. I. *Efficacia Miraculorum.* 16
§. II. *Miracula quolibet tempore ſunt convenientia.* 22
§. III. *Juſta ratione quærimus miracula a Pſeudoreformatoribus.* 28
§. IV. *Vera miracula edita in Eccleſia Romana.* 36
§. V. *Miracula impetrata, applicatis Reliquiis, Crucibus, Coronis &c.* 56
§. VI. *Inanis facultas edendi miracula oſtentata a Pſeudoreformatoribus.* 60

CAPUT III.

De Martyribus.

§. I. *Numerus Martyrum oſtendit veram Eccleſiam.* 63
§. II. *Antiqui Martyres noſtri ſunt.* 64
§. III. *Nonnullæ Piccenini calumniæ refelluntur.* 66
§. IV. *Aperiuntur aliæ Piccenini calumniæ.* 71
§. V. *Occiſi a Proteſtantibus Religionis cauſa mortem ſuſtinuerunt.* 74
§. VI. *Proteſtantes nec Martyres habent, nec habere poſſunt.* 78

CAPUT IV.

Sapientia Cæleſtis Signum Veræ Eccleſiæ.

§. I. *Pſeudoreformatorum mores & doctrina.* 86
§. II. *Indulgentiæ inique a Luthero oppugnatæ.* 90
§. III. *Qua fuerit Calvini opinio erga Patres.* 96
§. IV. *De temporali dominio Eccleſiæ.* 101
§. V. *Aliæ Piccenini mendacia, & falſitates.* 107

CAPUT V.

Infelix Perſecutorum veræ Fidei exitus ſignum eſt hujus veritatis.

§. I. *Pſeudoreformatorum exitus.* 110

§. II.

§. II. *Num vera ſint, et ad rem præſentem pertineant infauſtę mortes, quas de nonnullis Papis Piceninus narrat.* 113
§. III. *Infauſti exitus Perſecutorum Eccleſiæ.* 119

CAPUT VI.

Firmitas ſignum veræ Eccleſiæ.

§. I. *Num Idololatria et Græca Eccleſia conveniat.* 122
§. II. *Num Firmitas novis Eccleſiis a Catholica ſegregatis competat.* 127
§. III. *Num juſta Proteſtantium querelę de perſecutionibus, de quibus a nobis affligi dolent: et an juſta ſit eorum ab Eccleſia ſeparatio.* 134
§. IV. *Utrum Proteſtantes hæretici ſint, æque ac antiqui.* 138
§. V. *Eccleſia Romana ab omni errore immunis.* 150

CAPUT VII.

De dono Prophetiæ qua ſigno verę Eccleſiæ.

§. I. *Adimpletio Prophetiarum veritatem non confirmat Pſeudoreformationis.* 157
§. II. *Prophetiæ donum ſignum eſt veræ Eccleſiæ.* 159
§. III. *Prophetiæ donum in Eccleſia perpetuum.* 161

CAPUT VIII.

Uniformitas in fide & doctrina, & extenſio, ſunt ſigna veræ Eccleſiæ.

§. I. *Proteſtantes non habent uniformitatem dogmatum.* 171
§. II. *In Eccleſia Romana ſervatur unitas Fidei.* 180
§. III. *De titulo Catholicæ, quo ornatur vera Eccleſia, et de ejus extenſione.* 184

CAPUT IX.

Pſeudoreformationis Novitas, Eccleſiæ Romanæ Vetuſtas, & Epiſcoporum Series.

§. I. *Calumnia adverſus Inſtitutum Jeſuitarum.* 191
§. II. *Novitates Pſeudoreformationis Picenini.* 192
§. III. *Quo lateret Religio recens profeſſa a Proteſtantibus, antequam a ſuis Auctoribus vulgaretur.* 196
§. IV. *Ante primos Pſeudoreformatores Lutherum et Calvinum, eorum Religio reperiri nequit.* 199
§. V. *Vetuſtas Romanæ Eccleſiæ ex ſucceſſione Epiſcoporum probatur.* 206
§. VI. *Comparatur doctrina retenta ab Eccleſia Romana, et pſeudoreformatis, cum doctrina veteris Eccleſiæ.* 218
§. VII. *Vera Eccleſia eſt viſibilis.* 225
§. VIII. *Antiquitas cultus Mariæ Virginis.* 230
§. IX. *Alia catholica dogmata antiquitati vindicata.* 233

CAPUT X.

Contradictiones in Doctrina Proteſtantium.

§. I. *Contradictiones in Doctrina Lutheri.* 241

§. II. *Contradictiones Calvini in ejus dogmate Eccleſię inviſibilis.* 244
§. III. *Alia contradictiones Calvini.* 249
§. IV. *Contradictiones a Piccenino falſo noſtris impoſita.* 253
§. V. *Alia mendacia, et calumnia Piccenini.* 256

CAPUT XI.

Judicium infallibile Romanæ Eccleſiæ.

§. I. *Infallibilitas Summi Pontificis.* 262
§. II. *Papa a Piccenino calumniati.* 266
§. III. *Vindicia Conciliorum, et eorum convocationis.* 274
§. IV. *Conciliorum Auctoritas.* 277
§. V. *De interventu Laicorum ad Concilia.* 290
§. VI. *Interpres Scripturarum.* 295
§. VII. *Eccleſia eſt infallibilis judicando de Libris canonicis.* 302
§. VIII. *Sequitur defenſio infallibilitatis Eccleſię.* 311

CAPUT XII.

Dogmatum Sanctitas veræ Eccleſiæ Signum.

§. I. *Pſeudoreformatorum Religio viam parat Atheiſmo, minime vero Romana Religio.* 321
§. II. *Calvinus Deum facit peccati Auctorem.* 324
§. III. *Examen erronea doctrinę Calvini circa Prędeſtinationem.* 330
§. IV. *Alii putidiſſimi errores in falſa doctrina Calvini peſſime a Piccenino vindicati.* 335

CAPUT XIII.

Sanctitas doctrinæ moralis ſignum veræ Eccleſiæ.

§. I. *Lutheranę Moralis examen.* 337
§. II. *Falſum dogma pſeudoreformatorum de Repudio.* 340
§. III. *Matrimonia ſoluta, et diſpenſata inter Catholicos.* 343
§. IV. *Falſa pſeudoreformatorum doctrina, circa Decalogum, Evangelium, et Conſilia Evangelica.* 351
§. V. *Defenſio doctrinę morum Romanę Eccleſię.* 356

CAPUT XIV.

Sanctitas morum ſignum eſt veræ Eccleſiæ.

§. I. *Extra Eccleſiam degens veram ſanctitatem habere nequit.* 358
§. II. *Eccleſia Romana veram habet Sanctitatem.* 363
§. III. *Sancti chimęrici Pſeudoreformationis.* 369
§. IV. *Piccenini calumnia adverſus univerſam Eccleſiam, ex privatis culpis quorundam Catholicorum.* 371

CAPUT XV.

Ritus ab Eccleſia Romana ſanctificati.

§. I. *Eccleſia poteſtatem habet diſponendi, & ordinandi ritus.* 380

§. II.

Digitized by Google

§. II. *Pſalmodia, preces, flagella, & Proceſſiones ſupplicantium.* 381
§. III. *De Lectione Scripturæ.* 384
§. IV. *Sacramentorum numerus.* 388
§. V. *Inanis, & deceptoria ſpes æternæ ſalutis eorum omnium, qui extra communionem Romanæ Eccleſiæ vivunt.* 391
§. VI. *Honores & tituli Summo Pontifici exhibiti, & ejus auctoritas.* 392
§. VII. *Sola Romana Eccleſia vere ſanctificat.* 399
§. VIII. *Proteſtantes immerito rejiciunt ſacros ritus, illos præſertim Baptiſmi.* 401
§. IX. *De Miniſtro neceſſario ad Baptiſmum.* 404
§. X. *De materia, & forma Baptiſmi.* 406
§. XI. *De Baptiſmo reſpectu peccati originis.* 408
§. XII. *Concupiſcentia peccatum non eſt.* 412
§. XIII. *De natura corrupta.* 415
§. XIV. *Verba Chriſti*, Niſi quis renatus fuerit &c. *intelligenda ſunt de ſolo Baptiſmo, non de ritu.* 417
§. XV. *Materia Eucbariſtiæ.* 419

CAPUT XVI.

Charitas erga proximum veræ Eccleſiæ ſignum.

§. I. *Charitas erga pauperes.* 420
§. II. *De Charitate dilectionis inimicorum, & vita pro amicis ponenda.* 422
§. III. *Pſeudoreformatio fundata non eſt in Charitate.* 423
§. IV. *Punire Hæreticos non contrariatur Chriſtianæ Charitati.* 427
§. V. *De Hæreticorum Libris, & Inquiſitione.* 432
§. VI. *Charitas Romanæ Eccleſiæ, & Summi Pontificis pro converſione Animarum.* 436

CAPUT XVII.

Extra Romanam Eccleſiam nulla ſalus.

§. I. *Sola Eccleſia Romanæ obedientia veram conſtituunt Eccleſiam.* 439
§. II. *Conditiones requiſitæ ad ſalutem.* 443
§. III. *Certitudo ſalutis ſola eſt in Eccleſia Romana.* 447
§. IV. *In Pſeudoreformatione nulla ſalutis certitudo.* 451
§. V. *Quæ ab Eccleſia Romana creduntur, & a Pſeudoreformatis negantur, non ſunt additamenta non neceſſaria.* 456

CAPUT XVIII.

Expenditur Piccenini edita Fides.

§. I. *Articuli de Deo, et Chriſto.* 461
§. II. *Examen Articulorum Piccenini, de gratia, et bonis operibus.* 467
§. III. *Examen ceterorum Articulorum Piccenini.* 472

VERA

VERA JESU CHRISTI ECCLESIA

SIGNIS, ET DOGMATIBUS DEMONSTRATA.

CAPUT I.

Vera Eccleſia debet eſſe Catholica, & Sancta.

§. I.

De Signis veræ Eccleſiæ in genere.

1. Quæ vera ECCLESIA, & ubi illa ſit primo Picenine quæris: Nec perperam. Hæc eadem Auguſtini quæſtio cum Donatiſtis (*lib. de Unit. Eccl. cap. 2.*) *Quæſtio certe inter nos verſatur ubi ſit Eccleſia, utrum apud nos, an apud illos*. Profecto unus Chriſtus, una fides, ſic una Eccleſia. Quamobrem ſi probatum ſit ad unam diſputantium partem veram Eccleſiam pertinere, oppoſitam partem non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Synagogam Satanæ, recta ratione deducitur. Omnium nemo dubitat, veram Eccleſiam intelligi quæ Chriſto jungitur ceu corpus capiti, doctore Paulo (*Coloſſ. 1. 18.*) *Ipſe* (Chriſtus) *eſt caput corporis Eccleſiæ*. Summa porro rei eſt, ubi hoc corpus ſit, quod capiti Chriſto conjunctum, veram repræſentat Eccleſiam, quam ſuo acquiſivit Sanguine, & vivificat Spiritu; Quod & (*ibidem*) Auguſtinus: *Inter nos autem, & Donatiſtas, quæſtio eſt, ubi ſit hoc corpus, ideſt ubi ſit Eccleſia.*

2. Doles quod Patres Panigarola, & Segneri, Romanam commendantes Eccleſiam ceu *veram æterni Patris Filiam, unicam Jeſu Chriſti Sponſam, ſolam Catbolicam, Apoſtolicam, & infallibilem veritatis Magiſtram*, execrentur ceteras Eccleſias, ut hæreticas, *Synagogas Satanæ, & Excommunicatorum Conventicula*; *cum Reformatorum Eccleſiæ* (ut ais Apol. pag. 2.) *habeant Paſtores ſuos, legitimos Apoſtolorum Succeſſores, & veros profiteantur articulos Religionis Chriſtianæ*. Hinc zelo *zelatus honorem Eccleſiæ Reformatæ* decernis (Apolog. pag. 4.) *velle te novum Davidem in arenam deſcendere, de Scripturarum torrente, & exquiſitæ antiquitatis electurus limpidiſſimos lapides, ad conterendos binos Gigantes iſtos, & Religioni, cui das nomen, veritatem tuendam.*

3. *Tutior igitur via* (ais) *ad Catholicam Eccleſiam, & veram Religionem a falſis decernendam, illa plane erit, quam nos Salvator docet.* Hactenus bene, cum D. Auguſt. (lib. de Unit. Eccl. cap. 2.) *Quid ergo facturi ſumus? In verbis noſtris veram* Eccleſiam *quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti? Puto quod in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optime novit corpus ſuum.* Pro re tanta, nec pſeudoreformatæ, nec Ro-

manæ Eccleſiæ profeſſores audiendi, ſed ſolus Dominus, qui fundamentum poſuit. *Non audiamus hæc dico, hæc dicis* (ibid. c. 3.) *ſed audiamus hæc dicit Dominus. Sunt certe libri dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique credimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.*

4. Aſſentior veram Eccleſiam illam eſſe, *quæ obſervat doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum, & confert Sacramenta a Chriſto inſtituta, & ab Apoſtolis adminiſtrata.* Neque diſplicet quod Calvinus aſſerit (lib. 4. Inſt. c. 1. §. 9.) *ubicunque Dei verbum ſincere prædicari, atque audiri, ubi Sacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic aliquam eſſe Dei Eccleſiam nullo modo ambigendum eſt.* Tantum nego ex his certum, & infallibile veræ Eccleſiæ ſignum poſſe deſumi. Omnes quippe chriſtiani nominis Eccleſiæ, & verbi Dei ſinceram prædicationem, & Sacramenta habere ex inſtituto Dei oſtentant; quibus tamen ſingulis non fides eadem eſt, ſed diverſa. Quod, præciſa etiam Eccleſia Romana, ex ſolis pſeudoreformatis facile oſtendi poteſt. Calvini certe, Lutheri, Anabaptiſtarum Eccleſiæ teſtantur verbum Dei ſincere, & vera Sacramenta tueri. Quin Lutherus (*Epiſt. ad Germanos*) ſcribit *in eam uſque diem nunquam germane, & ſincere prædicatum eſt Evangelium, quod multis ſeculis ſub ſcamno latitavit.* O verbum magnificum! Vera igitur erit Eccleſia Luthere tua? Sed & illa Calvini, & Anabaptiſtarum, cum habeant ſincerum doctrinæ magiſterium, & Sacramentorum veritatem. Quæſo nunc qua fieri poſſit has omnes docere verbum Dei ſincere, cum oppoſita doceant? Doctrina Chriſti in ore tuo Calvine non conſentit cum Luthero. Tuum dogma de præſentia Chriſti in Euchariſtia nonne hæreſis eſt apud Lutherum? Duo dumtaxat ex divina inſtitutione ponis Sacramenta, tria vero Lutherus, *Lib. ad Prag. de Inſtit. Miniſt., Lib. de Miſſa privata aſſert. 35. contra Lovanien., Apol. Confeſſ. Auguſt. ar. 13.* Videatur Bellarm. *tom. 3. lib. 2. de Sacr. in gener. cap. 23.* Hæc ſunt enimvero inter ſe contraria apertiſſime. Ubi porro verbi Dei ſinceritas? Ubi Eccleſia Dei? Apud Lutherum? Calvinus negat; ſed neque apud iſtum, qui Luthero eſt hæreticus. Anabaptiſtæ autem ab alterutro quam longe aberrant.

5. Ad hæc. Cum Calvinus loco citato doceat Eccleſiam univerſalem ex illis conſtrui Eccleſiis, quæ locis licet diſſitæ *in unam tamen doctrinæ veritatem conſentiunt*; illam ſane in Eccleſiis Lutheri, & Calvini non habebis, quas oppoſita doctrinæ ratio, & diſpar Sacramentorum numerus divida. Hinc aſſumpturus aliquam Religionem, quam ex alternis hiſce Eccleſiis veram agnoſcerem? Et ſi in Calvinianam tot inter veluti fruſta diſciſſam inciderem, cui ſine periculo erroris me tuto committere poſſe cenſerem? Calvini nempe doctrina oppido diſtat ab ea, quam nuperi ejus diſcipuli tradunt. Te Picenine pudet (*Triumph. pag. 16.*) Calviniſtam dici; vis Evangelicum, Reformatum appellari. Inter tot igitur, quæ veræ Eccleſiæ facies? Quæ doctrinæ Chriſti indolem refert? Diverſum dogma, & diſpar Sacramentorum numerus non ſuperficiem tantum, ſed formam vertit Eccleſiæ. Quocirca Picenine vides adhibitis Calvini criteriis veram nec poſſe inter pſeudoreformatas Eccleſiam diſcerni.

6. Quid ſi pſeudoreformatis Romana, ceteræque ſuæ communionis comparentur Eccleſiæ, doctrina, & Religione ſibi arctius adhærentes, quo ab illis maxime diſtant? Verbi tamen Dei ſinceritatem habere omnes fatentur. Verum ſi Calvini regula uti licet (*lib. 4. Inſtit. c. 1. §. 9.*) *Eccleſiam univerſalem eſſe collectam ex quibuſcunque gentibus multitudinem, quæ intervallis locorum diſſita, & diſperſa, in unam tamen divinæ doctrinæ veritatem conſentit, & ejuſdem religionis vinculo colligata eſt,*

tu eſt, hinc cernens in Eccleſiis Romanæ obedientiæ perfectam fidei unitatem, illinc inter illas Calvini, & Lutheri inſignem deformitatem, illis certe præ iſtis adhærere contendam. Verum de his alibi.

7. Par eſt tecum modo Picenine agere, qui ſtatuis *veram Eccleſiam ibi, ubi vera eſt fides*. O excogitatum bene! quaſi non omnes Eccleſiæ veram ſibi non aſſerant fidem. Vellem ex te modum finiendæ cauſæ, non inſtituendæ. Dum vera Eccleſia quæritur, eadem quæritur, quæ veram habeat fidem. Sicut ſi petenti homo num ſis? reponeres: *Animal ſum rationale*, nil aperires ignotum; ſic dum ais: *Eccleſia mea vera eſt, quia in ea vera eſt fides*, nihil promoves. Incumbit enim probare de tua Eccleſia veram fidem.

8. Quam veritatem ſi doctrinã Chriſti mecum experiri velles, annuerem libentiſſime, tantum mihi aliqua a te diſputandi ratio permitteretur. Enimvero quo conſilio tecum aggrediar, qui doctrinam Chriſti pro tuo vertis ingenio? Apud te doctrina Chriſti ſola ſunt Scripturæ verba. Neque Scripturis ipſis palam ſuadentibus adhuc acquieſceres, etſi partim ſcriptam, partim oretenus Apoſtolis traditam tibi eam oſtenderem, & ſucceſſive per Apoſtolos in Eccleſias ad nos uſque derivatã. Quod etſi tecum vellem agere liberaliter, & arbitrio tuo permitterẽ doctrinam Chriſti in ſola Scriptura totam contineri, neque tum pacatum te, nec minus contentioſum haberem. Contenderes adhuc nullã in Eccleſia legem eſſe, per quam Scripturæ ſenſa finiantur, ſed ſuo cuique ingenio eſſe utendum, nec id ſentire oportere quod alii ſenſerunt, ſed quod ratio propria præſcripſerit. Quæ quidem omnia cum & per ſe ſint falſa perſpicue, & Scripturis ipſis vehementer repugnantia, ſi contendam ego ex adverſo ea refellere, nullus erit controverſiæ modus, finis nullus; ut ex frequentiſſimis comitiis ad hanc finiendam cauſam a Lutheranis, & Calviniſtis fruſtra coactis tu ipſe intelliges. Quocirca hoc unum reſtat, characteres expendere, & notas, quibus apertiſſime Chriſtus in Scripturis dilectam ſuam ſignavit Eccleſiam; ac perſpectis inde ſingulis Eccleſiis, illa tunc vera habeatur, quæ notis ab ipſo impoſitis diſtincta probetur.

9. Nec me movet quod primo opponis (*Apolog. pag. 5.*) *Si integritas doctrinæ, & cetera, quæ Calvinus tradit ſigna, quia a falſi nominis Eccleſiis uſurpata, certa non ſunt veræ Eccleſiæ indicia, pari ratione ea a nobis excogitata, videlicet* UNA, SANCTA, CATHOLICA, ET APOSTOLICA *non erunt veræ Eccleſiæ ſigna, cum eadem habere hæretici aſſerant. Omnes quippe hæretici* (ait Auguſt.) *volunt ſe dici catholicos*. Etenim ſigna noſtra aperta admodum, & perſpicua ſunt, ut male uſurpata vindicari facile poſſint. Ceterum integritas doctrinæ, de qua plures Eccleſiæ contendant, nullo interpoſito Judice præter Scripturas, cui certo debeatur nunquam conſtabit.

10. Nec obſtat quod ſecundo objicis, *in foro humano poſſe aliquando judicialis ſententiæ regulam eſſe legem illam, quam unam favere ſibi actor, & reus contendunt*. Id quippe fiet vel vivo Judice, vel ſaltem circumſtantia, ſive adminiculo aliquo accedente. Quæ ſi deſint, ſola actoris, rei, & legis controverſæ præſentia nil conficiet.

11. Poſtremo inſtas, *circulum, ut ajunt, non committi a Calvino, dum ait veram Eccleſiam illam eſſe, quæ ſincere prædicat verbum Dei; & ubi prædicatur ſincere doctrinã Chriſti, ibi eſſe veram Eccleſiam: ceu dicerem: Omnis homo eſt animal rationale: Omne animal rationale eſt homo. Inſuper Panigarola de Calvino conqueritur, quaſi incertum per incertius probet. Nego* (ſubdis) *doctrinam Chriſti Eccleſia magis dubiam, & obſcuram eſſe. Definitio definito notior eſt. Eccleſia definitur per doctrinam Chriſti; ergo hæc eſt notior illa*.

12. Nugæ hæ ſunt Picenine tuæ. Calvinum quippe non reprehendimus quod dixerit *veram Eccleſiam illam, quæ prædicat ſincere verbum Dei*. Quin amplector hanc ut definitionem veræ Eccleſiæ. Sed Eccleſiam per doctrinam, definitum ſcilicet per definitionem probare velle, id reprehendo. Omnes dialectici docent definiti naturam per definitionem explicari quidem; eſſe autem medium demonſtrativum rei definitæ tu novus duntaxat dialecticus doces. Ceterum mea dialectica docet, ad probandum ex. gr. quempiam eſſe hominem, ſi aſſumerem definitionem, dicendo ſic: *Animal eſt rationale, ergo eſt homo*, nil conficerem, atque idem per idem, & ignotum per ignotum oſtenderem. Veritas igitur doctrinæ cum definitio ſit veræ Eccleſiæ, fruſtra vera Eccleſia per veritatem doctrinæ contenditur probari; cui enim ſuſpecta eſt veritas Eccleſiæ, æque ſuſpecta erit veritas doctrinæ. Porro qua via quempiam eſſe hominem per ſenſibiles, & notas naturæ humanæ proprietates ſuadere ſtuderem, ſic per characteres, & ſigna a Chriſto Eccleſiæ impreſſa iſtius veritatem ſuadendam puto.

13. *Verbum Dei* (inſtas *pag. 7.*), *& Eccleſiam unam, & ſigna oſtendit quibus cognoſcatur: notius igitur erit ipſa Eccleſia.* Verum vides quod ſi verbum Dei Eccleſiæ ſigna oſtendit, ipſum ſane non erit ejuſdem Eccleſiæ ſignum. Do itaque verbum Dei tum unam Eccleſiam, tum ejus ſigna proferre; mihi tamen nec unam Eccleſiam, nec ejus ſigna indicaret, niſi verbi Dei veritatem ipſius Eccleſiæ ſuaderet auctoritas. *Hic plane* (ſubdis pag. *6.*) *difficilis, & gordianus nodus, Scripturam Eccleſiæ auctoritate, & Eccleſiam auctoritate Scripturæ probare. Quis teſtatur Scripturam infallibilem? Eccleſia. Quis Eccleſiam infallibilem? Scriptura.* Eadem Picenine vehimur cymba, eodemque abſorbemur vortice. Enimvero ſi ex te petam: Quis te docuit Scripturæ libros eſſe canonicos? profecto reponeſ: Quia hujuſmodi eos Eccleſia ſemper habuit. Tum repetam: Unde habes in judicandis canonicis Scripturis Eccleſiam non erraſſe? Nonniſi ex Scriptura certe te didiciſſe probas. En ex te Scriptura per Eccleſiæ judicium, & Eccleſia per judicium Scripturæ comprobata. Scriptura itaque teſtis eſt Eccleſiæ, & Eccleſia Scripturæ, quo pacto Chriſtus de Joanne, & Joannes de Chriſto teſtimonium perhibet. Scriptura fons eſt, & origo fidei noſtræ, Eccleſia eſt aquæductus, per quem fidei puritatem haurimus; quod & Pappus ex proteſtantium grege aſſerebat *per Eccleſiam credi poſſe, non propter Eccleſiam*. Sic nodum expendit D. Auguſtinus, qui de hæreticis non rebaptizandis (lib. p. c. Creſc. cap. 33.) ait: *Quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur auctoritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat.*

14. Nec poſtulo, nulla diſcuſſione doctrinæ temere te mea religione conſtringi, ſed abſtineas duntaxat tuo te privato judicio committi, aſſumens Scripturæ judicium probatum veræ Eccleſiæ criterio. Veram inde Eccleſiam, non quamcunque, ſed illam, ejuſque doctrinam, accipias velim, quam ex Scripturæ ſignis veram, optimamque perſpexeris. Doctrina Chriſti in ſeipſa quidem præclara eſt, & præclarior Eccleſia: apud nos autem, vel ſaltem apud omnes, non ita. Principia cujuſque artis, de ſe notiſſima, indigent magiſterio, quo a nobis addiſcantur. Doctrina Criſti, tibi Picenine adeo perſpicua, eadem eſt, de qua Chriſtus ipſe teſtatur: *Non omnes capiunt verbum illud, ſed quibus datum.* (*Matt.* 10. 11.) Ipſi Apoſtoli nec omnia ca-

pere,

pere, nec portare poterant; immo aliqui, quia durus ipſis videbatur ſermo, abibant retro (*Jo. 6. 62.*) & oportuit explicare verbum. Princeps Apoſtolorum Petrus ipſe de Paulinis literis fatetur (2. *Petri* 3. 16.) *Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*. Doctrina igitur Chriſti, & Apoſtolorum plurima habet, ex quorum pravo intellectu erroris occaſio accidere poteſt, & revera accidit multis.

15. Quid ergo pro aſſequenda veritate facturi ſumus? Num e cælis Paulum, num iterum expectabimus Chriſtum? Venerunt ſæpe ad nos multi falſi Prophetæ, dicentes: hic eſt Chriſtus, hæc ſua doctrina. Monet nos Chriſtus (Matt. 24. 23.) *Si quis vobis dixerit ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere*. Hujuſmodi falſis prophetis qua ratione Picenine occurres? Eadem puto, quam (*in Triumph. pag.* 28.) tradis ultimum, & infallibile criterium judicandi de verbo Dei, videlicet *explicando Scripturam per Scripturam, textum obſcurum per clariorem, ſic prophetizando juxta analogiam fidei*. Optime. Verum ſi falſus Propheta idem tentet, & per textus, & contextus ſaltem apparentes verum probet ſuum Chriſtum? Certe Ariani Filium minorem Patre, textibus, & contextibus Scripturæ, adverſus Catholicos contendebant. Certe Lutherus præſentiam Chriſti in Euchariſtia præclariſſimis Scripturis commendabat. Si regulæ jam traditæ nil adjicias, dubia adhuc res eſt veruſne tuus, an ille Propheta ſit; tuuſne Chriſtus, an illius verus ſit. Ego equidem cauſam meam promoverem, appellans Eccleſiæ Tribunal, cui potiori jure, quam tibi, vel privato cuilibet, novi conceſſum divini Spiritus afflatum, & revelationem, quam vocas *ordinariam*, pro interpretandis Scripturis. *Standum quidem Scriptura eſt, ſed curandum ne ejus interpretatio pugnet cum ſententiis per omnes Eccleſiae antiquitus receptis. Scripturas pro ſe eſſe jactabant & Arius, & Macedonius, & Neſtorius, & Eutyches. Nec periclitor dicere* (ait Tertullia. præſcript. c. hæreticos) *ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, ut hæreticis materias ſubminiſtrarent*. Hæc, non ex noſtris, Grotius. Mirum! In Eccleſiis Proteſtantium prophetia ordinaria, & revelationes certæ pro interpretandis Scripturis Eccleſiæ denegantur; quæ inde late conceduntur privato cuilibet, contra Divum Paulum (1. *Cor.* 12. 14.) *Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes interpretantur?*

16. Forenſes cauſæ ut rite finiantur, præter textus legis, & contextus, admittuntur juriſperiti, gloſſatores, & nonniſi per ſententiam Judicis lex uni parti adjudicatur; controverſiæ autem fidei ita finientur, ut quiſque Chriſtum, & veritatem aſſequatur, qui privato arbitrio faventem ſibi legem aſſerere audeat, actor ſimul, & Judex? Non equidem ſic antiquitus traditum. Orta contentione circa legalia (*Act.* 15.) *convenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus* ſententiam tulit. In Concilio Nicæno contra Arium, in Conſtantinopolitano 1. contra Macedonium, in Epheſino contra Neſtorium, conteſtatæ ſunt cauſæ, auditi teſtes, latæ ſententiæ, viſibilis Eccleſiæ capitis auctoritate probatæ. Sic controverſiæ ceſſant, amodo nullo fine duraturæ, ſi deſit ſuprema forma judicii, quod Picenine negare non potes. Cauſa quippe de præſentia Chriſti in Euchariſtia, licet tot conventiculis acta a Lutheranis, & Calviniſtis, integra adhuc pendet; quia nullo Præſide partes concurrebant inſtructæ audacia ad diſputandum, non æquitate ad judicandum. Recta igitur, & certa regula eſt (ait Vincent. Lirin. commonit. n. 1. 2.) *munire fidem*

ſuam

ſuam. ... primum ſcilicet divina legis auctoritate, tum deinde Eccleſia Catholica traditione. (Scriptura non ſufficit?) *Hic forſitan requirat aliquis: Cum ſit perfectus canon Scripturarum, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei eccleſiaſtica intelligentia jungatur auctoritas?* (Hæc objectio Picenine tua. Audi ſolutionem.) *Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu omnes univerſi accipiunt, ſed ejuſdem eloquia aliter, atque aliter, alius, atque alius interpretatur; ut pene quot homines ſunt, tot illinc ſententia erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit. Aliter Aetius, Eunomius, Macedonius .... Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica, & Apoſtolica interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici, & catholici ſenſus normam dirigatur.* Hæc quinti ſeculi doctrina. Hæc veriſſima ratio, cur Scripturæ apponenda eſt Eccleſiæ auctoritas, fidelis illius interpres, ad ſecernendum ab hæretico catholicum.

17. Fingis fore te ſuſcepturum judicium Eccleſiæ, dummodo vera Eccleſia ſit *Apoſtolica*, non *Apoſtatica*, doctrinam Chriſti in veritate docens, non in falſitate. Taceam hoc fuiſſe Donatiſtarum effugium; ne ſicut Patri Semery, qui primus dixerat, mihi pariter ſuccenſeas. Rationes ſaltem audiamus tuas. *Aſſecla Donati* (ais in Triumph. pag. 17.) *defecerunt ab Eccleſia univerſali nulla juſta cauſa.* Cur non juſta? Ex ore Donatiſtarum æque juſta ipſis cauſa ſchiſmatis videbatur, ac ipſis pſeudoreformatis. *Sectariis illis* (ſubdis) *Eccleſia erat orthodoxa, ſine errore docens, ſine ſuperſtitione religioſa, ſine tyrannide mater.* Orthodoxam ponis apud Donatiſtas Eccleſiam, eorum ſententia apoſtaticam? Donatiſtæ, referente D. *Auguſt. lib. de hæreſ. hæreſ. 69., & de agone chriſt. c. 29.*, jactabant, quod & Proteſtantes faciunt, veram Eccleſiam periiſſe, & in ſuis dumtaxat partibus ſtetiſſe. Donatiſtæ nefanda delicta imponebant catholicis; vos eadem impingitis. Illi (*Auguſt. Epiſt. 66.*) tyrannide carpebant catholicos in ipſos commoventes Imperatores; vos eadem muſſitatis. Occaſionem ſchiſmatis acceperunt illi (*Auguſt. hæreſ. 69.*) ex promotione Cæciliani ad Epiſcopatum Carthaginenſem, ſecluſo Donato; Lutherus ex præcedentia conceſſa FF. Ordininis S. Dominici in publicandis Indulgentiis. Eccleſia clementer indulſit Donatiſtis delinquentibus, inde contumaces anathematizavit; ſic (ut notum eſt) benigne monuit, & vocavit Lutherum inſolentem, quem pertinacem hæreſiarcham proſcripſit. Reformationis prætextu illi, & vos ſchiſma excitatis. Quid conferimus? Ineptum commentum de novitate rerum, & reformationis neceſſitate, ſuo loco exploderur.

18. Stadium repetamus. Jam dixi (quod infra conficiam) notas veræ Eccleſiæ me quæſiturum cum D. Auguſtino in Scripturis. Modo ſcire lubet cauſas, quibus tibi ſuaderi nequit Eccleſiam noſtram veram eſſe. Ais itaque (Apol. pag. 8.) *Eccleſia Romana de ſe clamat: vera ſum Eccleſia. Poteſtne pars de ſeipſa teſtimonium perhibere?* Inſto. Eccleſiæ pſeudoreformatæ de ſe clamant: ſumus vera Eccleſia. Poteſtne pars de ſeipſa teſtimonium perhibere? Eccleſia Romana ſibi vindicat quod antiquitus poſſidet, ut ex Auguſtino, & aliis patebit, quam poſſeſſionem pſeudoreformatæ Eccleſiæ nec tenent, nec tenere poſſunt. Chriſtus de ſeipſo affirmabat (Joan. 8.) *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Cui Phariſæi: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes? Teſtimonium tuum non eſt verum.* Ad hæc Chriſtus: *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ego ſcio unde veni, & quo vado.* Hæc eadem pro Eccleſia Romana ratio valebit. Vera Eccleſia ſum, ait illa; & propterea verum dicit, quia ſcit unde venit, & quo mittat fideles ſuos. A Chriſto venit.

nit, a quo concredita Petro, per rectam Paſtorum ſeriem, ut ex Auguſtino, & aliis probabitur, ad nos uſque pervenit; univerſis effecta certa ſalutis ſemita. Hanc autem prærogativam pſeudoreformati licet ipſi contendere, & rapere tentent, nequeunt tamen ſatis conari, nihil habentes ad faciendam fidem virium. Contra, Eccleſiæ pſeudoreformatæ nec unde veniant, nec quo vadant, ſcimus. Immo attentius inquirentes, ex ambitione, avaritia, vel ex impotenti alio affectu fluxiſſe deprehendemus; dum propria nonnulli quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, reformationis prætextu, novitates & turbas excitarunt.

19. *Habeatur Eccleſia Romana* (ſic Piceninus) *& ſupponatur vera; tum potior emergit dubitandi ratio. Quærendum nempe occurrit num univerſalis iſta ſit, an particularis? Num particularis Eccleſia expers omnino ſit erroris?* Facilis mihi crede erit ingentis hujus difficultatis evaſio. Sive nomine Eccleſiæ Romanæ omnium Eccleſiarum ubique degentium, & cum Eccleſia Romana communicantium collectionem intelligas, tunc certe Eccleſiæ univerſalis notionem habebis, quæ definiri poteſt cœtus omnium Eccleſiarum in eadem fide, iiſdemque Sacramentis communicantium; ſive nomine Eccleſiæ Romanæ Eccleſiam Romæ collectam accipias, tunc in ſeipſa quidem particularem habebis Eccleſiam, quæ tamen, cum Paſtorem habeat in Cathedra (ut probabitur) & jure regendi omnes Eccleſias S. Petri Succeſſorem, tum etiam univerſalis omnium Eccleſiarum Rectrix, & Gubernatrix dicenda erit, quo modo in humano corpore caput in ſeipſo ſumptum pars eſt una corporis; quia vero membra univerſa movet, & dirigit, prima, & univerſalis dicitur regula corporis: ex quo facile conſtat primatus Eccleſiæ Romanæ ſuper omnes Eccleſias, ſicut primatus capitis in ſua membra, ut ſuo loco videbitur. Interim ratum habeo quod in Triumpho aſſeris, *quempiam curare, & quærere membrum fieri alicujus particularis Eccleſiæ*; ſed non negabis qui particularis Eccleſiæ membrum ſit, hanc ad Eccleſiam univerſalem pertinere ſuaſurum nunquam ſibi, niſi certa, & vera univerſalis Eccleſiæ idea ipſi conſtet; ſicut quem video equum eſſe judicare nequeo, ſi quæ ſit forma, & figura equi non innoteſcat.

20. Adhuc urges: *Habita Romana Eccleſia, & dato velle me veram ipſam credere, mille occurrent dubia.* Non occurrent, quoties æquis animis dijudicare velis. Occurrent ſane, & graviſſima, quoties vel alteri cuique chriſtianæ ſectæ nomen dederis, vel ejus articulos fidei diſcutere, & cum verbo Dei pro tuo ingenio experiri ſategeris; cum ex varietate interpretum, & difficultate verſionum, aut ſero, aut nunquam veritatem, nec ſine periculo erroris aſſequeris. Dura nimium eſſet veritas chriſtianæ Religionis, difficili hac una, & incerta patens via. Immo, attenta humanæ mentis infirmitate, impoſſibilem nobis Chriſtus poſuiſſet ſui Evangelii indagationem, quam hoc uno periculoſo examine deprehendendam inſtituiſſet.

21. Ad Eccleſiam igitur Chriſti indagandam duo ex Scripturis certo ſunt præmittenda. Primum. Veram Chriſti Eccleſiam perpetuam, & firmam eſſe in doctrinis ſuis, quæ nec errare, nec deficere poteſt. Hoc principio inſtabat Divus Auguſtinus contra Donatiſtas; ſecus fallerent divina oracula. (Matth. 16. 14.) *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* (Matth. ult.) *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Eccleſia quippe ſi aut deficere, aut errare, vel id ſaltem dubitari poſſet, quis unquam certo ſe ipſi crederet? Alterum eſt. Neminem debere privato ſpiritu infallibilem Scripturæ intelligentiam ſibi tribuere; ſed hanc certo credere viſibili Eccleſiæ dumtaxat fuiſſe conceſſam, in qua, teſte Apoſtolo Paulo (ad Epheſ. 4. 12.) *Poſuit Deus Doctores, Paſtores, Prophetas, & Apoſtolos,*

los, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei. Propterea ab eodem Apoſtolo Eccleſia dicitur *Columna, & firmamentum veritatis*. Quod ſi poſthabito Eccleſiæ judicio audeas Judicis perſonam ſumere, ſcrutinium inſtituens, & inquiſitionem num Eccleſia recte judicaverit, & ſecundum Scripturas; ſtatim a foro competenti, & divino jure ſtatuto, me cogis ad forum ineptiſſimum a te confictum; in quo partibus cauſam ſibi utrinque adjudicantibus, nullus erit controverſiæ finis.

22. His præmiſſis, humanæ rationi tandem permittitur indagare quæ ex tot ſit vera hæc Eccleſia Chriſti. Cujus notitia facillima erit, attentis notis, & ſignis, quæ veram Eccleſiam a falſis tanta perſpicuitate diſcernunt, ut quiſpiam mediocris etiam ingenii rem de ſe valeat expedire. Hæc illa eadem ſunt quæ a Patre Segneri propoſita pertinaciter negas admittere; licet his inſpectis Chriſtianus quilibet hunc efformet diſcurſum „ Certus ſum „ ex verbo Dei veram Eccleſiam per„ petuam eſſe, nec errare, nec do„ cere poſſe contra verbum Dei: ex „ ſignis hanc afficientibus Eccleſiam „ ſenſu conſtat veram iſtam eſſe: hanc „ igitur amplector, certus me falli „ non poſſe „. Quid ad hæc Picenine? Profecto ſigna & notæ, non opportuna modo, ſed neceſſaria ſunt pro diſcernenda, agnoſcendaque Chriſtiana Religione ab aliis, & ejus veritatis excellentia ceteris præferenda; quod nedum noſtri, ſed Hugo Grotius juſto Opuſculo *de veritate Religionis Chriſtianæ* diſerte probat. Pro diſcernenda vero inter chriſtianas vera Eccleſia, cur cenſentur vana, & inepta? Forte quia Doctores noſtri nunc plura, nunc pauciora recenſent? Aſt quotquot ſunt quæ proponuntur, ad quatuor illa univerſim referuntur, quibus Concilium Nicænum, & Conſtantinopolitanum commendavit Eccleſiam *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*, nec illorum multiplicatione obtenditur, ſed illuſtratur veritas Eccleſiæ. „ Faciunt enim (ait „ P. Segneri) omnia ſimul conge„ riem quandam firmiſſimam teſti„ um, quæ in unam nunquam con„ venirent fidem, quæ vera non eſſet: „ hinc ſi mens ſerio recogitet re„ ctum, hoc fert judicium: Hanc u„ nam tot ſignis a Deo commenda„ tam, certum eſſe, & infallibile ar„ gumentum, ab eo traditam nobis, „ ut eam impenſe ſequamur „.

§. II.

Vera Eccleſia eſt Catholica.

23. Paratus contendere hæc prælaudata propria non eſſe, & diſcretiva ſigna veræ Eccleſiæ a falſis, primo negas *Catholicum* eſſe certum veræ Eccleſiæ ſignum. Id tamen non negavit Concilium Nicænum, nec Conſtantinopolitanum I., ſicut nec antiqui Patres, qui ex hoc ſigno veram Eccleſiam Chriſti agnoverunt. Unum audi Auguſtinum, Manichæum ſic alloquentem (*lib. v. Epiſt. fundam. c. 4.*) Scire vis quis me in hac Eccleſia teneat? *Tenet conſenſio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata*, (en ſigna perlege) *ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet* (attende) *ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Tenet poſtremo* (hæc præſens quæſtio) *ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Miror quod Auguſtinus cauſas differens, quibus in Eccleſia tenetur, eaſdem, quas nos, recenſet, nullam vero puritatis doctrinæ mentionem faciat, quæ ſola pſeudoreformatis videtur certiſſima ratio! Aſt caute noverat perſpicaciſſimus Doctor, apud

apud Manichæum puritate doctrinæ nil promotiorum, qui eadem pro ſua Eccleſia poterat ratione muniri: hinc alias ponit cauſas, & poſtremo illam *Catholici*, quæ a Manichæo nullo poterat prætextu deludi.

24. Preſſus S. Auguſtini auctoritate, Patri Semery, qui hunc textum protulit, & nobiſcum Picenine iraſceris (in Triumph. pag. 19.) hiſce ferme verbis contendens, *nos quidem etiam a Reformatis dici Catholicos, non ideo tamen ſequi revera tales eſſe:.quo pacto Proteſtantes, Evangelici, & Reformati a nobis appellantur, quin revera tales a nobis reputentur*. Inde concludis: *Catholicus ego ſum Pater Semery*. Pace tua Picenine, non ſola pſeudoreformatorum nuncupatione catholici dicimur, ſed catholici ſumus, illam componentes Eccleſiam, quæ Auguſtini ſententia catholica eſt. Negabis adhuc nos veros eſſe catholicos? Agnoſcis igitur *catholicum* eſſe characterem veræ Eccleſiæ; atque ideo times id nobis cedendo tuæ obeſſe cauſæ, quaſi veram Eccleſiam noſtram eſſe, tuam falſam fatearis imprudens. Bene habes. Sic Tertullianus Montaniſta factus (*de jejun. adverſus Pſychicos*) veros Chriſtianos nequaquam Catholicos, ſed Pſychicos appellabat. Sic Donatiſtæ (*Pacean. Epiſt. 2. ad Simpl.*) *Apoſtaticos, & Capitolinos*. Sic Julianus Apoſtata (*Nazianz. orat. 1. in Jul.*) *Galilæos*. Sic tandem Proteſtantes *Papiſtas* nos vocant. Falleris a nobis *Evangelicos, & Reformatos* vos appellari; hanc quidem nomenclaturam veſtro arbitrio vos ipſi aſſumitis: qua vero injuſta tanti nominis uſurpatione, videri poteſt apud Lindanum *in ſuo Dubitantio Dialogo* 3., & apud Oſium *lib. 1. de hæreſ.* Proteſtantes ſe, & te affectare cum ipſis *Catholici* nomen, nec novum, nec inuſitatum; idque ſupponit Divus Auguſtinus illis verbis *cum omnes hæretici ſe catholicos dici velint*; quod & gentile fuit antiquis hæreticis apud Nicephorum. Imperator Conſtantius Arianam Eccleſiam appellabat *Catholicam*; & Donatiſtæ hoc nomine gloriabantur apud Optatum Milevitanum *lib. 1. cir. fin.* Frequens tamen apud te, & ceteros hæreticos *Catholici* nominis uſurpatio, validum præſtat argumentum nomen *Catholicum* proprium characterem eſſe diſcretivum veræ Eccleſiæ a falſis; niſi enim ita eſſet, in eo ſervando nec hæretici tot artes adhiberent, nec tu clamares. *Ego ſum Catholicus*.

25. Difficultatem excutere tentas. Hinc (*in Triumph. pag. 19.*) ſubdis *Patres inter cetera appoſuiſſe illa documenta &c. Verumtamen apud ipſos vera fides. proprium, et verum erat Eccleſia ſignum. Sic Divus Hieronymus in Pſ. 133. D. Auguſtinus ad calcem citati capitis ait: Cum veritas adeo manifeſta appareat, præponenda eſt omnibus illis rebus, quibus in Eccleſia teneor*. Hieronymum appellas? ipſum (ibidem) audiamus: *Eccleſia non parietibus conſiſtit, ſed in dogmatum veritate. Eccleſia ibi eſt, ubi vera fides eſt*. Hæc, quæ fertur Hieronymi ſententia, vera a nobis admittitur; ſed præſentis non eſt hæc rei ſumma. Quæſtio inter me & te nunc non eſt, an *vera Eccleſia illa ſit, ubi vera fides eſt*, ſed an *diligens fidei inveſtigatio neceſſaria ſit ad veritatem alicujus Eccleſiæ percipiendam*, ut tu contendis, non Divus Hieronymus. Ut autem ea qua par eſt claritate hic procedamus, obſervo quemadmodum Deus, ita Eccleſia duplici cognitione attingi poteſt, nempe, ut ſchola loquitur, quo ad *quid eſt*, & quo ad *an eſt*. Qualitatem igitur veræ Eccleſiæ nonniſi per ejus fidei ſcrutinium cognoſci certo poſſe concedimus; quemadmodum Dei natura & quidditas per ejus attributa unice manifeſtantur. Veram autem Eccleſiam hanc, vel illam eſſe, nonniſi fidei ſcrutinio probari debere, id negamus; cum vix pauci, magno ingenio præditi, doctriniſque ſubtiliſſimis eruditi, ejus notitiam hac via aſſequi poſſent. Quocirca, qua ratione rerum creatarum apparatu mirum in modum unius veri Dei

exiſtentia demonſtratur, quatenus ex earum contemplatione humana ratio veri Dei præſentiam infert, ita propriis ſignis, & characteribus veræ Eccleſiæ exiſtentia facile apparebit, quatenus in ipſis, ceu neceſſariis ipſius effectibus, digito ferme, & ſine periculo erroris veram illam eſſe deprehendimus. Hæc gratis accipias liberaliter dicta in gratiam tui, qui ſcire deberes commentaria in *Pſal.*, quæ S. Hieronymi nomine mox citaſti, tanti Doctoris minime ab eruditis haberi, attentis rationibus a Sixto Senenſi ſuæ Bibliothecæ *lib.* 4. congeſtis. Et quoniam me ad S. Hieronymum provocaſti, audi verum Hieronymum (*lib.* 2. *cont. Ruffin.*) Ruffinum interrogantem tecum, qui ex vera fide *Catholici* nomen adoptas: *Fidem ſuam quam vocat? Eam ne, qua Romana pollet Eccleſia? an illam, quæ in Origenis* (Calvini) *voluminibus continetur? Si Romanam reſponderit; ergo Catholici ſumus, qui nihil de Origenis* (Calvini) *errore tranſtulimus. Sin autem Origenis* (Calvini) *blaſphemia fides illius eſt; dum mihi inconſtantiæ fidem impingit, ſe hæreticum probat.* Tanta eſt *Catholici* nominis convenientia cum fide Romanæ Eccleſiæ, ut qui hanc non habeat, Maximi Doctoris ſententia, non catholicum, ſed hæreticum ſe ſatis prodat. Hem Picenine: Fidem Romanæ Eccleſiæ amplectere; tum vere catholicus. Sin reſpuas, *Catholici* characterem depone, & hæreticus eſto.

26. Animadverſiones vero a te factas in prælaudatum S. Auguſtini caput (pace tua) pura puta ſunt cavilla; & quia cauſa poſtulat, caput illud expendamus. S. Doctor datis rationibus, quibus in *Catholica* tenetur, ſubdit: *Iſta ergo tot & tanta chriſtiani nominis chariſſima vincula, recte hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia, etiamſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum ſe apertiſſime oſtendat.* Ergo licet veritas fidei nondum ſe apertiſſime oſtendat, vincula illa ſatis tenent credentem in Eccleſia. His præmiſſis S. Doctor Manichæum ſic aggreditur: *Apud vos autem, ubi nihil eorum eſt, quod me invitet, ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio, quæ quidem ſi tam manifeſta monſtretur, ut in dubium venire non poſſit, præponenda eſt omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum, tot, & tantis nexibus, Chriſtianæ Religioni aſtringit.* Hæc Auguſtinus. Reſponde nunc Picenine, ſed ſincere. Nonne videre tibi videtur S. Doctorem cum Manichæo Proteſtantes redarguentem? Detrectant iſti ſigna, quia cum Manichæis non habent unde exhibeant. Sola perſonat in teſtimonium ſuæ Eccleſiæ verbi Dei pollicitatio, quæ quidem præponenda erit omnibus meis ſignis, *ſi tam manifeſta monſtretur, ut in dubium venire non poſſit.* Aſt quis tam præclare oſtendet veritatem? Lutherus ne? Calvinus? Piceninus? Bene. Ne tamen imprudens & temere credam: *Jam cum bona patientia, ſi placet, attendite quid* (iterum cum D. Auguſt. c. 5.) *quæram. Non credo iſtum eſſe Apoſtolum Chriſti. Quæſo ne ſuccenſeatis, & maledicere incipiatis. Noſtis enim me ſtatuiſſe nihil a vobis prolatum temere credere.* Quæro ergo: Qui ſunt hi qui exhibere mihi audent veritatem? „ Vocantur paſſim Lu„ therus Apoſtolus Evangeliſta Dei; „ Calvinus Inſtaurator Eccleſiæ; Pi„ ceninus Miniſter Jeſu Chriſti. „ Heu, clamat Auguſtinus. *Manichæus Apoſtolus Chriſti?* „ Lutherus, Calvi„ nus, Piceninus Miniſtri Jeſu Chriſti? *Non credo, non credo.* Pater Sancte hi docent Evangelium in puritate. *Evangelium forte mihi lecturus es, & inde Manichæi perſonam tentabis aſſumere .... Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret autoritas. Quibus ego obtemperavi dicentibus credite Evangelio; cur non obtemperem dicentibus mihi noli credere Manichæo?* (Luthero, Calvino &c.) Reliquum hujus capitis ſi

qui

qui leget, facile intelliget pejori conſilio te in mala cauſa S. Doctorem appellaſſe.

27. Suppetitum *Catholici* nomen jam Picenine capis, tibi, & tuis accomodari minime poſſe; plura idcirco ad illud labefactandum congeris, tum in Apologia, tum in Triumpho. *Apol.* igitur *pag.* 9. ſic ais: *Catholicum Fratri* (Panigarolæ) *eſt toto orbe eſſe diffuſum. Non erat autem per orbem diffuſa primitiva Ecclesia mœniis Jeroſolymæ arcta; neque Arii ſeculo, qui ſui falſi dogmatis labe univerſum infecerat orbem. Hujus hæreſiarchæ ſeculo quærenti per orbem Eccleſiam, ſynagoga Satanæ, non Eccleſia Chriſti occurrebat. Neque Eccleſia Romana; quarum particularis Eccleſia ſit, repugnat dici per univerſum orbem diffuſa.* Catholicum intelligi per univerſum orbem diffuſum, nec Frater ille ſolus, nec primus aſſeruit; ſed Auguſtinus prior illo (*Epiſ.* 48., *Epiſt.* 170., *in Pſ.* 65.) *Ipſa eſt enim Eccleſia Catholica, unde* καθολική *græce appellatur, quod per totum terrarum orbem diffunditur.* Idem habet *lib.* 2. *c. lit. Petilian. c.* 38., & *lib.* 1. *c. Gaudent. c.* 2., quod S. Cypriani teſtimonio comprobat *lib. de Unit. Eccleſiæ*, ubi S. Martyr ait: *Eccleſia Domini luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur*; idque confirmat ex etymologia *catholici* nominis constructi ex græco καθ *cath* ſignificantis *ſecundum*, & ὅλον *olon totum*, vel *univerſum*. En verba D. Auguſtini, qui præmiſſis illis Cypriani urget Donatiſtas: *Si hujus Martyris teſtimonio veſtra eſt Eccleſia catholica, oſtendite illam per orbem totum radios ſuos porrigere... Hinc enim & græco vocabulo Catholica nominatur. Quod enim græce* ὅλον *dicitur, latine totum, vel univerſum interpretatur. Per totum ergo, ſive ſecundum totum eſt* καθόλον, *unde Catholica nuncupatur.* Et poſt pauca: *Id ni placeat, recede a teſtimonio Cypriani; ille namque contra te loquitur, qui vides quid dicat. Per orbem totum dicit, & per univerſam terram porrigi, extendique Catholicam, græco ejus nomini, ac definitioni conſentiens. Tu aliud tenere, ſentire, dicere reperiris, & dum Cypriano teſte inniteris, Cypriano teſte mentiris.* Sic Cypriano Eccleſia catholica erat, ejus licet temporibus anguſta, & a Tyrannis oppreſſa. Primitiva vero Eccleſia, Jeroſolymæ licet inter mœnia quaſi infans arcta vagiret, catholica adhuc erat, utpote heres totius orbis effecta, per univerſum orbem diffundi debebat; ut oſtendit D. Auguſtinus Epiſt. 48., & alibi. Arii ſeculum prævium fuit hujus S. Doctoris ſeculo; in quo præter Arianos, Manichæi, Donatiſtæ, Pelagiani graſſabantur, adverſus quos S. Doctor ſcribebat, nec verebatur his omnibus oſtendere prælaudatis locis Eccleſiam eſſe catholicam. Diſcas tamen, Picenine, cupio ab hoc eximio Doctore (*Epiſt.* 80. nunc 199. *ad Heſychium*) fas non eſſe ubique ſemper per omnes gentes Eccleſiam eſſe diffuſam, ut catholica habeatur; dummodo illa ſit, quæ ex oraculo Chriſti ubique gentium diffundi ſtato tempore debeat: ideſt in aliquos omnium, non in ſingulos gentium: *In quibus ergo gentibus nondum eſt Eccleſia, oportet ut ſit, non ut omnes, qui ibi fuerint credant; omnes enim gentes promiſſa ſunt, non omnes homines omnium gentium. Non enim omnium eſt fides.* Semper, & ubique gentium futuri ſunt teſtes; & hoſtes nominis Chriſti. *Matth.* 24. 14. promiſit Chriſtus Apoſtolis ſuis: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* Sed ſolis ipſis non erat datum conſummare hoc verbum; univerſæ Eccleſiæ deſtinabatur, quod ipſis vaticinabatur, *quæ aliis morientibus, aliis naſcentibus, hic uſque in ſeculi conſummationem, futura eſt.* Quibus ſatis, meo videri, ex Scripturis, & Auguſtino explicatur quo ſenſu Eccleſia ſit catholica. Reliqua

autem legenti, conſtabit hallucinationes Picenini nec novas eſſe, nec ſui ingenii fetus, ſed e veternoſis jam proſcriptis hæreticis fuiſſe male venatas. Eccleſia igitur Chriſti fuit, eſt, atque futura erit catholica, quoniam in exordio, anguſta licet, illa tamen erat, cui univerſus orbis promittebatur; non quod ab omnibus omnium gentium ſuſcipiatur: ex oraculo quippe Chriſti futura eſt ſemper aliis dilecta, aliis invisa. Hanc, Picenine, doctrinam confer cum Eccleſia Romana, non qua particularis, ſed qua caput eſt omnium in eadem fide communicantium; & ſtatim intelliges, hanc ipſam eſſe, quam Auguſtinus probabat catholicam: tum quia non aliam ipſe agnoſcebat catholicam, niſi quæ Romanam Cathedram Apoſtolicam fatebatur *tenet ab ipſa Sede Petri &c.*, tum quia hanc Jeruſalem ortam, & per Sacerdotum ſucceſſionem ubique diffuſam eſſe oſtendebat; tum denique quia cum S. Doctor illam teneret catholicam, quæ ubique gentium cultores habet, & hoſtes, id Romanæ Eccleſiæ maxime convenit, quæ mittens per omnes gentes Legatos ſuos, a quibuſdam odio, ab aliis honore ſuſcipitur.

28. In Triumpho pag. 18. commodam tibi *Catholici* interpretationem exhibes, dicens: *Ad Eccleſiam aliquam catholicam agnoſcendam, fas eſt inquirere num credat quod ſemper creditum eſt. Eccleſia enim aliquando Apoſtolica, fieri poteſt Apoſtatica.* Hæc (ſi neſcis) ipſiſſima erat Donatiſtarum *Catholici* interpretatio apud D. Auguſtinum (*Collat. 3. diei c. 3.*) & Rogatiſtarum, Donatiſtarum fruſtum. Si placet, horum unum ceteris loquaciorem apud D. Auguſtinum audiamus (Ep. 93. c. 7. n. 23.): *Acutum aliquid tibi videris dicere, cum Catholicæ Eccleſiæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris, ſed ex obſervatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium Sacramentorum; quaſi nos, etiam ſi forte hinc ſit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cujus veritatis particulæ nonnullæ etiam in diverſis inveniuntur hæreſibus, hujus nominis teſtimonio nitamur, ad demonſtrandum Eccleſiam in omnibus gentibus, & non promiſſis Dei tam multis, tamque manifeſtis oraculis ipſius veritatis. Sed nempe hoc eſt totum, quod nobis perſuadere conaris, ſolos remanſiſſe Rogatiſtas, qui catholici recte appellandi ſint ex obſervatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium Sacramentorum; & vos eſſe ſolos, in quibus inveniat fidem cum venerit Filius hominis. Da veniam, non credimus.* Nonne palam vides Amice Lector, eandem quam Auguſtinus detexit in Rogatiſta calliditatem, eam Picenini eſſe, dum *Catholici* nomen adhibet illi Eccleſiæ credenti *quod ſemper creditum eſt*; quaſi ſimplicibus ſuadeat, in Proteſtantibus ſolam integram manſiſſe fidei puritatem, Eccleſiam vero aliquando *Apoſtolicam* in *Apoſtaticam* defeciſſe? Cum Auguſtino tamen una voce repetamus: *Da veniam, non credimus.. Quomodo autem confidimus ex divinis litteris accepiſſe nos Chriſtum manifeſtum, ſi non inde accepimus & Eccleſiam manifeſtam? .... Sicut anathema erit, qui annuntiaverit Chriſtum neque paſſum eſſe, neque tertia die reſurrexiſſe, quoniam in veritate evangelica accepimus*: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die; *ſic erit anathema quiſquis annuntiaverit Eccleſiam præter communionem omnium gentium, quia eadem veritate conſequenter accepimus*: Et prædicare in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jeruſalem. = Habes nunc Picenine quod a me poſtulabas, Eccleſiam, Auguſtino duce, ex verbo Dei probatam. Amabo te ſi de Eccleſia tua idipſum probes, quod repoſco; ſecus cum Auguſtino de Rogatiſtis, ſic ridebo de te: *Infeliciores vos Donatiſtis eſtis*, qui ad probandum veram Eccleſiam Africæ ſtetiſſe, illud ex Canticis ſibi accommodabant *Ubi paſcis, ubi cubas in meridie*; vos autem *breviſſimum fruſtum de fruſto majore præciſum* neque

id

id fingere poteſtis? Profer ex Scripturis Eccleſiæ apoſtaſiam, & inſignem illam pſeudoreformationem, de qua præcisa eſt illa Calvini, *tanquam fruſtum de fruſto majore*, ſin minus Eccleſia Romana jam cum Auguſtino ex Scripturis commendata nequit ſuo jure privari. Porro adhuc dato Eccleſiam dici ex eo catholicam, *quia credit quod ſemper creditum eſt*, quo ſenſu *Catholicum* nomen ſumit Vincentius Lirinenſis (*Commonit. n. 2.*) *In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim vere proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis, ratioque declarat, quod omnia fere univerſaliter comprehendit*, non capio qua ratione de tua Eccleſia oſtendere valeas idem credere, quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus creditum eſt, quemadmodum de mea facili negotio conficiam. Enimvero ante pſeudoreformationem ab omnibus, ubique; & ſemper credebatur præſentia realis Corporis Chriſti in Euchariſtia, Purgatorium, Papæ Primatus, Confeſſionis peccatorum neceſſitas, pius, & licitus Sanctorum, & Imaginum cultus, Miſſæ Sacrificium, & hujuſmodi. Totum id in mea Eccleſia adhuc integre creditur: quid autem in tua? Cauſa certe cadis, ſi in hac quæſtione perſiſtis. Catholicus inſuper Lirinenſi ille eſt, qui ſervat univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem: *Hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequimur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia*. Aſſeris tu univerſum orbem poſt Eccleſiam Romanam apoſtataſſe: non ſecueris igitur univerſitatem. *Antiquitatem vero ita, ſi ab his ſenſibus nullatenus recedamus, quos Sanctos Majores & Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt*. Tu oppoſita doces, & facis his, quæ antiquitus ſunt tradita: antiquitatem igitur abjicis. *Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur*. Tu qui cum pſeudoreformatis tuis dignioribus Patribus, qui tecum non ſunt, detrahis, conſenſionem ſectaris? Paucis igitur: Quovis ſenſu accipias *Catholicum* nomen, *Catholicus* Picenine non es. Indigitaſſe nunc ſatis. Suſtine modicum, & univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem te nullatenus ſequi evidenter infra oſtendam.

§. III.

Eccleſia eſt Una.

29. Unitas eſt veræ Eccleſiæ character certus, & infallibilis. Te id negaturum nec ſuſpicabar, Calvino, ut vidimus, id aſſerente (*lib. 4. Inſt. cap. 1. §. 9.*) Magiſtro tamen non parcis, ut Panigarolæ ſuccenſeas. Hinc in *Apolog. pag. 10.* hæc habes: *Unitas nequit eſſe ſignum veræ Eccleſiæ. Nonne Eccleſia poteſt & unam eſſe, & falſam eſſe? Ariani, Donatiſtæ, Luciferiani, jurati Eccleſiæ hoſtes, nonne hanc unitatem ſervabant? Ariani inter ſe, & cum Liberio unionem habere oſtentabant. Monothelitæ cum Honorio*. Hæc tamen non impediunt, quin *unitas*, & *unio*, ſi recte intelligantur, ſint propria veræ Eccleſiæ ſigna a falſis diſcretiva; eo ſenſu, quo D. Paulus (*1. Cor. 12. & Eph. 4. & 5.*) explicat: nimirum, Eccleſiam *unam* eſſe, ſicut multa membra ſunt unum corpus. Quemadmodum enim corpus unum eſt, licet habeat diverſa membra, quia hæc tam capiti, & corpori, quam invicem uniuntur; ſic hac triplici unione vera Eccleſia *una* eſt, quia licet ſua habeat membra tum locis diſſita, tum temporum varietate diſcreta, vinculo tamen ejuſdem fidei & charitatis uniuntur, tam inter ſe, tam corpori Eccleſiæ, quam capiti Chriſto; qua *unitate* nulla falſa Eccleſia gaudere potuit. Non enim corporis, neque capitis unitatem habet, quoniam in hæreſim lapſa,

pſa, a corpore Eccleſiæ, & a capite Chriſto deceſſit, aliud ſibi corpus conſtituens, & caput; corpus meretricis, & ſatanicum caput. Cujus proſtitutionis membra aliqualem inter ſe viſa ſunt ſervare unitatem: ſed unitatem contra unitatem, ait Divus Auguſtinus (*ſerm. 7. de Verbo Domini.*) *Hæretici, Judæi, Pagani fecerunt unitatem contra unitatem*. Ariani, & Donatiſtæ hanc inter ſe fecerunt unitatem, breviſſime tamen duravit; ſola vero invidia, & odium in veram Eccleſiam, & Chriſtum, concors in ipſis, & perpetuum fuit. Falſum eſt autem, ut ſuo loco probabitur, cum Arianis Liberium, cum Monothelitis Honorium communicaſſe; quamvis de Liberio gloriarentur illi, de Honorio indicaſſe videatur Concilium Conſtantinopolitanum. Factum quidem brevi inter illos apertum ſchiſma, Arianis in Acacianos, Macedonianos, & Eunomianos diviſis, ut teſtatur Ruffinus (*lib. 10. hiſt. cap. 5.*) Et D. Hilarius *lib. adverſus Conſtantium* ſcribit Arianos annuam habuiſſe fidem; immo hujuſmodi pertæſus levitatis, Conſtantium in eodem lib. n. 23. ſic carpit: *Modo unum, modo alterum cogis Concilium, & in unoquoque varias fidem. Accidit tibi quod imperitis ædificatoribus, quibus ſua ſemper diſplicent accidere ſolet, ut ſemper deſtruas quod ſemper ædifices*. De Donatiſtis vero S. Auguſtinus hæc habet (*lib. de hæreſ. hæreſ. 69.*) *Multa inter ipſos facta ſunt ſchiſmata, & ab iis ſe diverſis cœtibus alii, atque alii ſepararunt*. Poſtremo tot ſubdiviſæ ſunt ſectæ, ut idem S. Doctor ſcripſerit partem Donati in breviſſima fruſta fuiſſe diſciſſam. Idem de Eccleſiis pſeudoreformatis horum temporum hìc adamuſſim oſtenderem, niſi ad id commode peragendum alibi me provocares.

30. Nec indicavi uſque modo, quod nec facere cogitabam, unionem ad unum viſibile caput, certum eſſe ſignum veræ Eccleſiæ; quia tamen in Triumph. pag. 22. audes pronunciare *Patres non crediḍiſſe omnes Eccleſias ſicut inter ſe, ita uni viſibili capiti uniendas eſſe*, mendacem te unus redarguet Cyprianus tertii ſeculi Pater, qui *lib. de Unit. Eccl.* probat Chriſtum ſuper uno, nempe *Petro*, Eccleſiam ædificaſſe, ipſi claves tradidiſſe, & dixiſſe *paſce oves meas*, quia diſpoſuit ab unitate nedum unius inviſibilis, ſed etiam viſibilis capitis exordium inſtitui: alias ad quid uni Apoſtolorum Primatum contulit, dicendo *ſuper te ædificabo Eccleſiam meam*, ſi in ipſo ſolo, & non in alio capite, Eccleſiæ, & Apoſtolorum unitas ſervanda erat? *Ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit &c. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur ..... Et infra. Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Et concludit: *Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum, atque indiviſum probemus*. Jam audio vociferantem te librum illum ſuſpectum habere, depravatum, interpolatum verbis plurimis, quæ in antiquiſſimis manuſcriptis deſiderantur. Cui quæſo ſuſpectus liber ille? Nobis? Neutiquam. Proteſtantibus igitur, quibus religio eſt quemlibet veterum Patrum, eorum doctrinis aperte contrarium, ſuſpectum referre. Hujus ſaltem malæ fidei cauſas exhibe. S. Cyprianus librum illum adverſus Novatianum inſtituit, qui Romanam ſedem invaſerat; loquens propterea de unitate ab omnibus Eccleſiis tenenda, de ipſa profecto unitate in ea Eccleſia ſermonem habebat, quam Nebulo ille turbaverat, & eodem communionis vinculo reſpicere omnes Epiſcopi debebant. Dicis illa intruſa verba. Peto quando? A quo? Si aliqui ſunt codices, in quibus quædam ex prælaudatis verbis deſiderentur

tur, in aliis tamen leguntur; præſertim in illo, quo utebatur Manutius præ nongentis annis ſcripto, illa referente verba *unam Cathedram conſtituit*. Pelagius ſexti ſeculi Pontifex in Epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Hiſtriæ ipſiſſima verba habet, quæ dicis intruſa. Hæc noſtri fundi calamitas Amice Lector, quam univerſo hoc Opere cogeris ſuſtinere. In collatione, & diſcrepantia veterum codicum depravati ſemper erunt qui nobis favent, authentici vero & integri qui Adverſario arrident. Age ſit. Demus liberaliter in editione Manutii, & Pamelii intruſa fuiſſe nonnulla verba a S. Cypriano non ſcripta; & illa præſertim adeo tibi, Picenine, odioſa *unam Cathedram*. Inficiari tamen nequibis a S. Cypriano *unitatem* ſtatui veræ Eccleſiæ characterem. Id tibi ſuadebunt verba Sancti Martyris; ea maxime exarata in editione Joannis Epiſcopi Oxfold nullius apud te ſuſpectæ fidei, quæ ſic habet: Chriſtus *ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur .... Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit?* Alterutrum igitur Picenine cogeris admittere; aut *unitatem* veræ Eccleſiæ characterem; aut veram fidem te non habere: ſicque dum unitati Eccleſiæ reſiſtis, in vera Eccleſia te non eſſe concedis, S. Cypriano judice: *Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?*

§. I V.

Eccleſia eſt Sancta.

31. S. Petrus de Chriſtianis loquens id affirmavit (Epiſt. 1. c. 2.) *Gens ſancta*; & D. Joannes de Eccleſia (cap. 21. 19.) *Civitatem ſanctam*. Quoniam Apoſtolis reniti non audes, Patrem Panigarolam aggrederis, vocem *Sanctam* a verbo *ſancio* ſumptam, quaſi *firmam*, & *ſtabilem* inepte interpretantem. *Vanum* (ais) *hoc eſt commentum, menti Apoſtolorum oppoſitum &c.* Si ideo inſipiens Panigarola, inſipiens etiam erit Divus Thomas vocem *Sanctam* in eandem trahens ſignificationem (2. 2. q. 81. ar. 8.) Non igitur vocem *Sanctam* reſpondere verbo græco Αγιος, quod interpretatur *abſque terra*, ideſt *mundum*: aſt neque ignotum apud latinos *ſanctum* a *ſancio* derivari, quod explicat *firmitatem*. *Nomen ſanctitatis* (D. Thomas) *duo videtur importare. Uno quidem modo munditiam, & huic ſignificationi competit nomen græcum αγιος, quaſi ſine terra; alio modo importat firmitatem. Unde apud antiquos ſancta dicebantur, quæ legibus erant munita, ut violari non deberent: unde & dicitur aliquid eſſe ſancitum, quia eſt lege firmatum.* Videatur Voſſius Etymol. verbo *ſanctum*. Quocirca Panigarola explicans *Eccleſiam Sanctam*, ideſt *firmam*, & *ſtabilem*, non eluſit propriam ſignificationem, ſed amplificavit Eccleſiæ Sanctitatem; quaſi diceret: Sanctitas Eccleſiæ non eſt qua hominum Sanctitas, mobilis, fluxa, & amiſſibilis, ſed firma, & ſtabilis; ut quemadmodum vera Eccleſia eſſe nequit niſi ſit in fide *ſtabilis*, ita niſi ſit *ſtabilis & firma in ſanctitate legum, & morum*. Hæc tamen alibi. Pſalmi vero 11. vel 12., applicationem *Hæreſi Ugonottica Galliis orta* factam a prælaudato Prælato, hic nec tuendam aſſumo, nec refellendam retorſionem tuam vindicta aſtu concinnatam; id enim præſens cauſa nec flagitat, nec poſtulat.

CAPUT II.

De Miraculis.

§. I.

Efficacia Miraculorum.

1. Miracula in teſtimonium edita dicti alicujus, vel doctrinæ; divina quædam ſigilla ſunt, quibus Deus doctrinam illam, vel dictum ratum facit. Id Picenine detrectas admittere, nullumque cernens incenſum tuæ pſeudoreformationis editum ex Deo miraculum, internecinum bellum adverſus miracula paras, tum in Apologia, tum in Triumpho, „ negans eſſe certa veritatis Eccle„ ſiæ ſigna, & neceſſaria, fabulas „ venditans, & commenta quæque „ in Eccleſia noſtra a Deo feruntur „ patrata. „ Qua poterimus moderatione procax bellum ſuſtinebimus.

2. *Miracula* (ais *pag.* 12.) *veræ Religionis ſigna ponuntur; quanquam a falſo Propheta ſictæ Religionis, immo falſi cultus præcone viſa ſint miracula fieri: quanquam monuerit Chriſtus quod pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ miracula, & ſigna dabunt. Si Jeſuitæ credimus, falſa doctrina vera eſſet; utpote eam docentes miracula faciunt. D. Paulus, & D. Joannes Antichriſto, & magnæ beſtiæ ingentia tribuunt miracula. Hæc oſtentabant Donatiſtæ, dicti Mirabiliarii. Hæc patrabant Pagani. Veſtales Virgines, Veſpaſianus, qui tactu ſalivæ oculos cæci aperuit. Tacto Adriani cadavere cæcus vidit. Artene medica erat & iſte ſanabilis? Turcæ habent miracula factu non inferiora illis Fratrum. Quid ad hæc Segneri?* Hoc primum Picenini ſcomma.

3. Miracula igitur nec veræ religionis, nec doctrinæ ſigna ſunt, quatenus falſa docentes miracula faciunt. Cur porro Deus miraculorum poteſtatem Moyſi contulit unicum ſignum ſuæ miſſionis, *ut credant quod apparuerit tibi Dominus?* Vanum igitur, & inane ſignum a Deo ipſi collatum, eo vel maxime quod æqualia prodigia patraturi erant Magi Pharaonis. *Miracula non ſunt ſigna veræ doctrinæ?* Cur porro Chriſtus diſcipulis Joannis ad interrogandum miſſis *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* ſolis miraculis occurrit, dicens: *Ite* (*Matth.* 11. 4.) *renuntiate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Cæci vident &c.* Ineptum igitur ſuæ miſſionis teſtimonium præbuit, ſi paria miracula Pagani, Veſpaſianus, Adrianus facturi erant? Si pſeudoprophetæ, Antichriſtus, beſtia magna, Hæretici, Turcæ daturi erant ſua miracula; idque de pſeudochriſtis, & pſeudoprophetis ipſe enunciabat (*Matth.* 24. 24.), incaſſum ſuadebat Hebræis credere doctrinæ ſuæ, quia cæco lumen dederat? *Si non facio* (*Joan.* 10. 37. 38.) *opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio. & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Ac immerito illos redarguebat: *Si opera* (*Joan.* 15. 24.) *non feciſſem in eis. quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt. & oderunt & me. & Patrem meum.* Hebræi quippe cum Picenino poterant recte inſtare: hujuſmodi prodigia, quæ te feciſſe aſſeris, pſeudoprophetæ etiam faciunt, & Pagani. falſa licet prædicantes. Si miracula certa veræ fidei ſigna non ſunt, nuſquam qua talia proponere Chriſtus cunctis debuerat credentibus (*Marci* 16. v. 17.) *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent &c.* Minus recte Evangeliſta (*ibidem*) ſubdidit: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*; & extra aleam Divus Paulus miracula retulit inter ſigna ſui Apoſtolatus: *Signa* (2. *Corint.* 12. v. 2.) *Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Demum ſi miracula non ſunt veræ Religionis ſigna, aberrarunt omnes antiqui id reputantes argumentum omnium validiſſimum ad ſuadendam Religionis chriſtianæ veritatem: aber-

ravit

mavit & ipſe Ugo Grotius, qui (*de Verit. Relig. Chriſt. lib.* 2. §. 4.) probat homines ſapientes ideo ſe cultores Chriſto addixiſſe, ex certa fama, quæ de miraculis ab eo editis percrebuerat. Tu qui tibi ſapientum es ſapientiſſimus, hac certe de cauſa Chriſto te non addixiſſes.

4. Errorem tuum compertum jam habere deberes, maxime ratus, dum miracula facis erronea veræ doctrinæ ſigna, te non Jeſum, ut gloriaris, & Apoſtolos ſequi, ſed Hebræos, qui miracula Chriſti dicebant opera Satanæ; & Paganos, qui vel figmenta a Chriſtianis conficta, vel quæ perſpicua erant præſtigias eſſe calumniabantur. Perſiſtis tamen flagitans *non doctrinam per miracula, ſed miracula per doctrinam probari*. Attende. Quemadmodum Pagani, Hæretici, Pſeudoprophetæ ſua miracula, ita ſuam doctrinam veram eſſe prædicant. Qua ratione ſi miracula ſunt erronea ſigna doctrinæ, erroneum pariter miraculorum ſignium erit ipſa doctrina. Ad hæc. Sicut miracula alia ſunt vera, alia falſa, a viris ſanctis, & impiis edita; ita aliæ doctrinæ veræ, aliæ falſæ, a Prophetis, & Pſeudoprophetis prædicatæ. Si per te igitur non licet doctrinam probare ex miraculis; neque licitum erit ex doctrina probare miracula. Exemplum Chriſti, doctrinam miraculis comprobantis, primum nos docet. Inſania tua ſola docet te doctrinis miracula experiri. Quis porro ex nobis ſequitur Jeſum Chriſtum?

5. Cominus nunc occurram objectis. *Pagani, Pſeudoprophetæ miracula dabant?* Miror hominem, qui Chriſti ſe diſcipulum facit, inſtructum videre armis Infidelium ad oppugnandam veritatem miraculorum; nec pudeat eadem verſare figmenta, quibus Pagani conabantur evertere miracula a Chriſto, & Apoſtolis edita in teſtimonium veritatis, & fidei. His tamen fruſtra niteris, niſi ea ſcilicet infidelium portenta oſtendas potius vera fuiſſe miracula, *Opera nempe naturæ totius vires præpollentia*, quam illuſiones, & præſtigias natura conante confictas, Dæmone præſertim opem ferente; quæ circa videatur D. Auguſt. de Civit. Dei *lib.* 10. *cap.* 16., & *lib.* 20. *cap.* 6. Neque enim dicendum miraculum ſpectrum quoddam, cujus naturam neſciens ignarum vulgus quaſi miraculum laudat, ſed miraculum dumtaxat illud habendum, quod univerſam vincit naturam, & ſuper illam altius eminet. (D. Th. p. p. q. 110. ar. 4. in corp., & ad 2. ar. 4.) Enimvero qui Ægyptiorum Magos vidiſſet eadem jactitantes Moyſis prodigia, tam iſta, quam illa vera crediſſet miracula, cum Moyſis iſta ſola vera eſſent teſtimonia ſuæ legationis, cetera vero Dæmonum ſpectra ad indurandum cor Pharaonis, ne Deo obtemperaret, ut videri poteſt apud *Tertul. in Apologet. c.* 22., & *Lactant. Lib.* 2. *de Orig. erroris cap.* 15. 16. Iſtiuſmodi furfuris erant monſtra paganica. Sanatio cæci Veſpaſiano, & Adriani cadaveri adſcripta, vanum fuit aſſentatorum commentum. Cæci fingebantur, qui veri cæci non erant. Tacitus ipſe teſtatur a Veſpaſiano ficte ſanatum, arte ſua ſanabilem Medicos judicaſſe: qua facilius igitur per Dæmonum artes ſanari potuit, quorum intererat Gentilibus, & etiam Hebræis illudere, qui Veſpaſiano aſſentabantur, promiſſum Meſſiam ipſum aſſerentes? Videatur Joſephus *lib.* 3. *de Bello Judaico c.* 28. & *lib.* 7, c. 31. ejuſdem particeps aſſentationis. Alterum quod attinet, non ad contactum cadaveris, ſed ipſius Adriani ægrotantis, viſum dicitur recepiſſe. Videatur Spartianus, qui factum narrans, ait quod Marius Maximus *hac per ſimulationem facta commemorat*; ideſt vel arte magica, ut Dioni placet, vel ex condicto, ut Salmaſio (*Hiſt. Auguſt. in Spartian. nota.*) Idipſum de Veſtalibus. Cur ars Dæmonis non poterat in cribro, quin dilaberentur, aquas concludere? Cur non apparenter fingere puellam oneroſam ad littus trahere navim, quam occulta vi Dæmon ipſe

ipſe impulerat? Sic Lactant. *lib.* 2. *Inſtit. c.* 17. S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* 10. *cap.* 16. Sed de his infra. Porro etiamſi Pagani vera ediſſent miracula, adhuc nil contra nos evinceres. Nobis quippe miracula non ſemper ſunt credibilitatis argumentum, ſed dumtaxat cum aſſumuntur in teſtimonium doctrinæ, & in illis circumſtantiis, in quibus ejuſdem veritas experiri contenditur.

6. Non itaque recte infertur: *Miracula facit; ergo Sanctus eſt; ergo habet, ergo docet veram fidem.* Ita plane. Poteſt Deus ad opus miraculi hominem ſive impium, ſive infidelem aſſumere, quatenus providentiæ ſuæ id decernat expedire. Miraculorum virtus *gratia eſt gratis data*, quam largitur Deus *dividens ſingulis prout vult*, ut docet S. Paulus 1. Cor. 12. 11., nulla prævia in nobis attenta diſpoſitione. Sic contulit prophetiæ ſpiritum duobus impiis, Balaam, & Caiphæ. Hinc recte Sancti a te citati aſſerunt (*Auguſt. lib.* 2. *ſerm. Dom. in monte c.* 25., *de Unit. Eccleſ. c.* 19.) Hæreticis miracula licet patrantibus nolite credere: immo ab illis cavete, quia miraculum non eſt certum teſtimonium vitæ & fidei perpetrantis. Recta quidem eſt hæc illatio „ Hic miraculum facit ad „ aſtruendam fidem propriæ Sanctitati, „ ergo eſt vere Sanctus: vel facit „ ad aſtruendam fidem Sanctitati alte„ rius, ergo iſte alter, cujus Sancti„ tas teſtificatur, eſt Sanctus. Hic „ enunciat ſuam fidem veram, & in „ ſignum hujus veritatis facit verum „ miraculum, ergo ejus fides vera „ eſt. Audiatur *D. Thomas p. p. q.* 110. *art.* 4. *in corp.*, *&* 2. 2. *q.* 178. *art.* 2., ubi inquirens *Utrum mali poſſint facere miracula*, hæc habet: *Vera miracula non poſſunt fieri niſi virtute divina; operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem, & hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem, alio modo ad demonſtrationem Sanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula poſſunt fieri per quemcunque, qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti invocat, quod etiam interdum per malos fit . . . . unde ſuper illud (Matt. 7.)* Nonne in nomine tuo prophetavimus? *Hieronymus dicit: Prophetare, vel virtutes facere, & Dæmonia ejicere, interdum non eſt ejus meriti qui operatur, ſed invocatio nominis Chriſti hoc agit, ut homines Deum honorent, ad cujus invocationem fiunt tanta miracula. Secundo autem modo non fiunt miracula niſi a Sanctis, ad quorum Sanctitatem demonſtrandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam poſt mortem, ſive per eos, ſive per alios; legitur enim (Act. 19.) quod Deus faciebat virtutes per manus Pauli, & etiam ſuper languidos deferebantur a corpore ejus ſudaria, & recedebant ab eis languores. Et ſic etiam nihil prohiberet per aliquem peccatorem miracula fieri ad invocationem alicujus Sancti, quæ tamen miracula non dicitur facere ille, ſed ille ad cujus Sanctitatem demonſtrandam hæc fierent.* Verum igitur affirmatur id cujus gratia miraculum fit: ſi doctrinæ gratia, vera doctrina; & vera Sanctitas ſi Sanctitatis gratia fiat. Nec verum miraculum eſſe poteſt teſtis falſitatis: primus enim, & præcipuus auctor miraculorum Deus eſt, agens ſupra facultatem, & vires totius naturæ: quia, ut Auguſtinus advertit (*in lib. Mirac. Epiſt.* 40. *qu.* 6.) *divina potentia etiam factis loquitur.* Prophetarum voce docet nos voluntatem ſuam; miraculorum ſignis ex ore Prophetæ loqui nobis teſtatur, & verum eſſe quod loquitur miraculo ſtatuit. Cumque impoſſibile ſit Deum nec per alienam mentiri linguam, impoſſibile etiam ſit miraculo falſitatem probare. Hac ratione inſtabat Chriſtus „ Dico vobis me eſſe Filium „ Dei, quod oſtendo miraculis; Ergo „ veritatem dico vobis; Credere er„ go debetis, & ſi non creditis, nul„ lam excuſationem habetis. „ Ex quibus apparet hallucinatio tua, dum

dum putas nos ita diſſerere: *Miracula verum probant Religionem; in falſa Religione vera habentur miracula; falſa igitur Religio vera erit.* Non ita. Sic autem procedimus:
,, Miracula edita pro ſancienda ve-
,, ritate alicujus Religionis, vel do-
,, ctrinæ, hujus veritatem certiſſime
,, probant. Religio Catholica Ro-
,, mana in teſtimonium ſuæ verita-
,, tis plurima exhibet vera miracu-
,, la: hæc igitur eſt vera Chriſti Re-
,, ligio, cum impoſſibile ſit miracu-
,, lum verum teſtem fieri falſæ Re-
,, ligionis.

7. Subdis (*Apolog. pag. 12. & 14.*) *Gentiles vera miracula dabant ad faciendam fidem ſua Idololatria; aliàs Tertull.* (Apologet. 23.) *non aſſereret illa miracula celebrem feciſſe Idololatriam. Quot miracula Donatiſtæ jactabant! Et D. Paulus* (2. *ad Theſſalon.* 2. 8.) *& D. Joannes* (*Apoc.* 13. 13.) *nonne teſtantur Antichriſtum mira facturum in teſtimonium ſuæ falſæ doctrinæ? Statui nequit igitur miraculum, poſitum etiam in teſtimonium doctrinæ, hujus veritatis eſſe certiſſimum ſignum.* Non inficior gentiles, vel melius Dæmones per ipſos, feciſſe prodigia, & ſigna ad commendandam Idololatriam. Id tamen non impedit quin miracula ſint ſigna veræ doctrinæ: alias Deus virtute miraculorum incertum Moyſi præſtitiſſet ſuæ legationis ſignum, maxime cum Magi Ægyptiorum paria ſpecie ſigna coram ipſo daturi eſſent. Neceſſe eſt oſtendere portenta gentilium & hæreticorum, tum illa Antichriſti in proteſtationem falſæ doctrinæ vel peracta vel peragenda, vera fuiſſe miracula potius, quam præſtigias, & quatenus vera conſtarent, probandum adhuc remanet edita ne ſint in teſtimonium falſæ doctrinæ, an potius in favorem alicujus veritatis, quam miraculis commendare Deo placuerit etiam apud gentiles. Id tuum erat probare; ſed negligis facere. *Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali. Magi per privatos contractus cum Dæmonibus, boni Chriſtiani per publicam juſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ.* Sic Divus Auguſt. *lib.* 83. *quæſt. quæſt.* 79. relatus a D. *Th.* 2. 2. *q.* 178. *ar.* 2. *ad* 3. Tertullianus teſtatur portenta gentilium celebrem feciſſe Idololatriam, ſed non ideo quaſi vera eſſent miracula, cum (*ibidem*) moneat circulatoria præſtigia fuiſſe a Dæmonibus, ut Dii crederentur, inducta, ſed quia his decepti ſimplices, vera ea reputantes, Idololatriæ impenſius addicebantur. Nec fraus diu latuit, cum nato Chriſto conticuere oracula, receſſerunt miracula, & a quolibet Chriſtiano cogebantur tam ſe Dæmones confiteri de vero, quam ſe alibi Deos ſe mentiebantur de falſo. Legatur *Tertull. apologet. cap.* 23. Ex quibus ſic. Portenta gentilium, quia illuſoria erant doctrinæ falſæ teſtimonia, adventu Chriſti, & puritatis veræ fidei, comperta fraude, defecerunt. Adventu Lutheranæ, & Calvinianæ pſeudoreformationis in Eccleſia Romana nedum deceſſere miracula, ſed in dies vigent, magis, magiſque dilatantur, ad incrementum ſuæ veritatis; pſeudoreformatio vero nec unum habet miraculum, quod in cenſum ſui valeat exhibere: Veritas igitur fidei qua ex parte ſtabit? Ad hæc. Veritas chriſtianæ fidei a Tertulliano demonſtratur ex poteſtate quam Chriſtianus in Dæmones habet, a corporibus eos abigendo, & veritatem ab illis extorquendo: quæ poteſtas a noſtris Sacerdotibus, fuga Dæmonum ab obſeſſis, paſſim exercetur, a Prædicantibus vero & Miniſtris pſeudoreformationis adhuc incaſſum deſideratur: Queis porro favet Tertullianus?

8. Donatiſtarum autem miracula erant vera mendacia in fraudem ſimplicium compoſita, a quibus propterea Catholicos præcavere hortabatur D. Auguſtinus (Tract. 13. in Joan.) inquiens: *Falluntur, aut fallunt*, ut mox inde compertum eſt. De Antichriſto, ejuſque prodigiis D. Paulus (2. *Theſſal.* 2. *v.* 9.) ſic loquitur:

Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus. Ludibria porro ſola ſenſuum futura ne ſint, an ſolida figmenta, Dæmonum ope, Deo permittente compoſita, *tunc apparebit*, ait D. Auguſtinus *lib. 20. de Civit. Dei cap. 19.* Hoc plane certum, quamquam aliqui, nempe reprobi, illis ſeducentur, alii tamen, nempe electi, non patientur illudi; nil quippe facilius quam vera miracula a falſis decernere: de quo D. Auguſtinus nonnullas tradit regulas, apud ipſum videndas *in lib. 83. quæſt. qu. 79.* Sat mihi advertere inter illas deſiderari, quam tu Picenine omnino certam habes, *veritate nempe doctrinæ miraculum eſſe comprobandum.* Dico igitur accidere aliquando poſſe falſam doctrinam falſo probari miraculo, nunquam tamen vero. Hinc Pater Segneri recte aſſerit „ unum verum miraculum in „ teſtimonium veritatis alicujus Re„ ligionis editum, infallibile eſſe ve„ ritatis illius Religionis ſufficiens „ argumentum. „ Hæc eadem eſt Martini Delrio ſententia (*Diſq. Mag. lib. 2. q. 7.*) a te vel non lecta, vel non intellecta, ſive demum diſſimulata. Auctor iſte hoc ſtatuit effatum, nullum Magum poſſe miraculum facere proprie tale; opus nempe naturæ vires excedens. Id probat, quia ad id infinita virtus requiritur, quæ a nulla creatura haberi poteſt: ſecus deeſſet nobis argumentum efficax ad probandam veritatem fidei, quam Eccleſia ex miraculis frequentiſſime oſtendit, exemplo Chriſti, qui hoc argumento uſus eſt ad incredulitatem Judæorum redarguendam: *Si opera non feciſſem* (Jo. 15. 14.) *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Objectis inde his quæ opponis, ſcilicet *ab impiis quoque, & infidelibus interdum miracula facta, & propterea iſta non eſſe efficacia fidei argumenta*, ſubdit cuipiam iſtorum virtutem miraculorum fuiſſe aliquando a Deo conceſſam, in favorem tamen veræ fidei, ſicut donum prophetiæ Balaamo, & Caiphæ; ſed *in falſæ fidei confirmationem nec dediſſe unquam, nec dare poſſe &c.* Advertit attente diſtinguendum inter duas ſequentes illationes: *Fecit miracula, ergo vera ſua fides;* & hanc: *Fecit verum miraculum in confirmationem fidei, quam profitetur, ergo ejus fides vera.* Falſa prima eſſe poteſt, quia per infidelem poteſt Deus miraculum facere; ſecunda ſemper vera eſt, cum nequeat Deus aliquem movere ad miraculum conteſtativum falſæ fidei: idcirco Nicodemus de miraculis Chriſti dicebat (Joan. 3. 2.) *Nemo poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum eo.* Ita Delrius, id ſtatuens nedum ex ſententia omnium Theologorum, ſed etiam Origenis *lib. 2. contra Celſum*, Iſidori *cap. Non mirum 26. qu. 2.* Quare etſi Deus (ut cenſent plurimi) conceſſerit Sibyllis prophetiæ donum, per id non ſuam quam profitebantur falſam fidem, ſed illam veram, quam enunciabant, commendatam voluit. Si Veſtalibus dolo malo incontinentiæ arceſſitis conceſſit oneroſam navim tenui cingulo ad littora trahere, ſi penſilem aquam cribro ſuſpendere, non id datum quaſi Paganiſmi Religio ſancta admiraretur, ſed ut ab illis aſſerta innocentia, & puritas vera agnoſceretur. *Ita D. Th. de poten. qu. 6. ar. 5. ad. 5., & 2. 2. quæſt. 178. ar. 2.*

9. D. Auguſtinus (*lib. de Unit. Eccl. cap. 19.*) prohibebat Donatiſtarum miris attendere: *Aut ideo verum eſt quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, aut quilibet alius, & ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus.* Non ideo tamen negabat S. Doctor miracula eſſe ſigna certa illius fidei, cujus gratia fiunt. Immo agens adverſus Manichæos (*lib. cont. Epiſt. fundam. cap. 4.*) veram Eccleſiam miraculis comprobat: *Tenet auctoritas miraculis inchoata.* Adverſus vero Donatiſtas, qui miracula jactabant, miraculorum auctoritate abſtinebat contendere: quanquam enim falſa illa, & ſimplicium fallacias eſſe cognoſceret, ne de quæſtione in quæſtionem

de-

deſcendere cogeretur, breviori Scripturarum via illos aggrediebatur; non ex illis articulorum fidei ſcrutinium inſtituens, ut tu inepte contendis; ſed ipſis Scripturis oſtendens veram Eccleſiam illam habendam eſſe, quæ per univerſum orbem diffunditur, non quæ Africæ finibus continebatur, ut Donatiſtæ commentabantur. Miracula veram Eccleſiam probant, qua effectus ſuam cauſam: Scripturæ vero qua cauſa ſuum effectum. Auguſtinus igitur in ea qua verſabatur anguſtia, ſatius cenſuit ex cauſa, quæ a Donatiſtis inficiari non poterat, veram demonſtrare Eccleſiam, quam ex effectibus; ex miraculis ſcilicet, quibus & illi abutebantur. Nos Proteſtantes utrinque aggredimur. Miraculis nempe, quibus miſericors Deus Romanæ Eccleſiæ dogmata illuſtravit, hanc veram eſſe Eccleſiam deducimus, adverſus pſeudoreformationem, quæ, ut videbimus, nec unum in ſui tutelam habet miraculum; deinde Scripturis, cum D. Auguſtino prælaudato *cap.* 10., idem inferimus, oſtendentes Romanam Eccleſiam illam eſſe, de qua S. Doctor ait: *Cœpiſſe enim Eccleſiam ab Jeruſalem, atque inde circum Judæam, & Samariam, & ceteras gentes, conſequentia geſta teſtantur, canonicis firmata documentis.* Si autem repetas Eccleſiam illam ab Apoſtolis fundatam, & Jeruſalem ortam, jam collapſam fuiſſe a vobis reformatam; cum D. Auguſtino iterum Scripturas appello: *Neque enim tot teſtimoniis commendatur quod erat cito periturum: & ſic taceretur aut quod ſolum erat relinquendum, aut ex quo ſolo totum eſſet reparandum, & implendum.* Hæc pro nunc ſufficere arbitror; quibus taceas, & pudeat tuæ vanitatis, & mendacii fautorem D. Auguſtinum protuliſſe.

10. Poſtremo efficaciam miraculorum in favorem doctrinæ oſtendam ab ipſo Calvino conceſſam. Is loquens de Moyſis prodigiis hæc habet (lib. Inſt. cap. 8. §. 5.) *Tot ac tam inſignia quæ refert miracula, totidem ſunt legis ab ipſo latæ, proditæque doctrinæ ſanctiones ...... Nonne hinc Deus ipſum cœlitus commendabat, tanquam indubium Prophetam?* Addit miracula illa, cum manifeſtiſſima eſſent, quæ negari non poſſent, non defuiſſent detractores, qui ea dicerent malis artibus excitata. Ad hæc. Si Calvino Moyſis miracula ſanctiones erant veritatis ſuæ doctrinæ, & legis; cur miracula in gratiam doctrinæ catholicæ a Deo edita non. merentur eſſe authentica ſigna ſuæ veritatis? Non unum dumtaxat, clanculum, nullo teſte editum, exhibemus miraculum; ſed mille, palam, coram ocularibus teſtibus facta, & Eccleſiæ criterio probata. Qua porro ratione a Proteſtantibus irridentur, & Fratrum commenta venditantur? Inter tot, ac tam inſignia, quæ referuntur miracula, nec unum hercle verum erit? Falleris Picenine, dum (*Apolog. pag.* 4.) ais: *Evidentiſſimum eſt quia ſequentes nos Jeſum Chriſtum, miracula per doctrinam experimur.* Immo falſiſſimum ajo. Jeſus Chriſtus, ut oſtenſum eſt, miraculis doctrinam, non miracula doctrinis commendabat: alias Hebræi reprobantes ejus doctrinam, reprobaſſent etiam miracula; & Chriſtus rem magis certam, quia viſibilem, ex minus certa, quia inviſibili probaſſet. Nos itaque Chriſtum ſequimur, non in, cum ex viſibilibus miraculis, ut fecit Chriſtus, procedimus ad inviſibilem fidem percipiendam. Sed placet tecum ſic alloqui. Tu miracula criterio doctrinæ experiris; quiſquis igitur veram mihi præbebit doctrinam, vera eſſe ejus miracula me coget credere. Porro doctrina quæ vera fertur, unde vera conſtabit mihi? Donatiſtæ ſuam, Ariani ſuam veram eſſe contendebant: vera igitur etiam ſua miracula? Dices iſtorum doctrinam minime veram. En hinc dubia & dubia; nam cur non vera? Scripturas certe, & Evangelia ipſi proferebant. Cur ergo præ illis tibi adhibenda fides, tuam doctrinam veram, illorum reputans falſam? Profecto

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

fecto ſi ad ſuadendum me nil virium habet miraculum, quia de falſitate ſuſpectum; minus valebit doctrinæ criterium, de veritate prorſus incertum.

§. II.

Miracula quolibet tempore ſunt convenientia.

11. Pater Segneri miracula cenſet noſtra etiam ætate neceſſaria. Hunc Picenine reprehendis (Apolog. *pag.* 15.) quaſi loquatur adverſus etiam noſtræ communionis Scriptores, *præſertim Stellam, Maldonatum, Acoſtam, Ferrum; quodque gravius eſt, contra D. Gregorium, & D. Auguſtinum, ut videbimus, qui una aſſerunt miracula nunc minime neceſſaria, ut in primitiva Eccleſia, cum novum enunciabatur Evangelium.* Primum peto: Cur Chriſti, & Apoſtolorum ævo neceſſaria erant miracula? Non alia ſane ratione, niſi quia nova promovebatur Religio, quam oderat univerſus orbis. At ſi omni ætate, etiam in præſenti heu noſtra, non deſint chriſtianæ Religionis perſecutores? Si pſeudoreformatæ Eccleſiæ inſurgant adverſus Chriſti præſentiam in Euchariſtia, Sanctorum invocationem, Purgatorium, cultum Imaginum, mentientes pugnare pro integritate doctrinæ Chriſti, ſuorum dogmatum falſitatis pene ſenſu evincendæ cauſa, & manifeſtandæ veritatis gratia; cur opportuna non erit miraculorum perpetratio? Religio noſtra perantiqua eſt, non nova. Novi tamen dum inſiliant hoſtes, immo profani detractores, *dæmoniacam* eam, & *apoſtaticam* calumniantes, ad providentiam Chriſti id maxime pertinet, miraculorum cenſu *apoſtolicam* eam, non *apoſtaticam* vindicare, qui nunquam illam deſerturum ipſe ſpopondit. Ulla tamen ne ſit in hac quæſtione æquivocatio, adverto non idem eſſe miracula omni tempore non eſſe neceſſaria ad conteſtandam, & decernendam veram Eccleſiam a falſis: & miracula non eſſe omni tempore neceſſaria ea prorſus ratione, & modo, ac in prima naſcentis Eccleſiæ ætate. Poſtremum hoc ſi petas, facile damus. Tunc enim virtus miraculorum comes erat Apoſtolatus. Tunc quilibet Apoſtolus ſecum ferebat hanc poteſtatem; nova quippe ſuadendæ doctrinæ ratio. quæ naturæ ſenſibus adverſa videbatur, id expetebat: tum etiam ut non hominum illud, ſed ſolius Dei opus Mundus agnoſceret. Succeſſu autem temporum, doctrina Chriſti jam ſatis dilatata, & Evangelio tanquam Dei verbo jam credito, neceſſe non eſt apoſtolicos homines novis ſemper commendari miraculis, cum ad Evangelii prædicationem illa ſufficiant prodigia primis acta temporibus, & ſacris litteris exarata; quibus qui detrectat credere, novo etiam patenti miraculo fidem ſuam negabit. Hoc ſenſu prælaudati auctores excludunt miraculorum neceſſitatem. Verum ſi perſiſtas nullo titulo neceſſaria eſſe in Eccleſia miracula; nec ceu ſigna diſcretiva veræ Eccleſiæ a falſis, oppido erras, neque id unquam evinces. Quoniam vero cum tuo Calvino ratum habes nil niſi canone Scripturarum ſtatui de Religionis ſumma deberi: unam, quæſo, Sacræ Scripturæ indica lineam, quæ in Eccleſia Chriſti, fide jam per Apoſtolos ſtatuta, non eſſe duratura miracula, immo ceſſatura undequaque decernat. Ego quidem ex D. Paulo (1. *Cor.* 12. 6. &c.) certus ſum virtutem miraculorum inter illa recenſeri dona, quæ Spiritus Sanctus ſempiternus Eccleſiæ Rector ſingulis diſtribuit membris prout vult, non omnia omnibus, ſed unicuique ſecundum propriam menſuram, & modum, quemadmodum in humano corpore non omnia membra unum actum habent, ſed unumquodque ſibi proprium. Neque de ſuæ ætatis Eccleſia D. Paulum locutum dici poteſt; quo enim Scripturæ textu id valebis eruere? Ex annalibus ſane, & centuriis ipſorum hæreticorum facile erit oſtendere in hanc uſque diem

apud

apud aliquem in Eccleſia donum miraculornm perſeveraſſe. Præterquamquod ſi Eccleſia Chriſti idem ſemper fuit corpus, eadem membra fas eſt ſemper habuiſſe eiſdem actibus inſtructa. Quod ſi Deus parvulos ſuos ſub lege, ſive naturali, ſive ſcripta, ex ancilla natos, miraculis fovere nunquam prætermiſit, poſſibile ne dilectos ſuos ſub libertate gratiæ redemptos hujus prærogativæ vacuos dimiſiſſe? Synagogam in ſervitute generantem mirabilibus in finem uſque auxit, ornavit, & dilectam Eccleſiam in libertate parientem, vix puerperam, miraculorum dote privavit? Illam, cui unigenitum ſuum dedit, qui cum ipſo Creator, Omnipotens, miraculo factus homo, miraculo natus, miraculorum Dominus, qui mirabiliora fecit, quam antea facta fuiſſent, ſuiſque filiis promiſit in nomine & virtute ſua majora facturis, tot & tam inſignia ſuæ dilectionis chariſmata primis temporibus dumtaxat coarctatam dicemus? Noviſſimis diebus inſurgent impii, falſis prodigiis falſam doctrinam collaudantes: inter juſtos vero tunc non erit, qui gratia veræ doctrinæ vero miraculo tot præſtigiis reſiſtere valeat, nec unus quidem? Contra Magos Ægypti Deus ſtetit cum Moyſe mirabilibus multis: adverſus aſſeclas Antichriſti cum filiis ſuis non ſtabit Deus, quibus adeſſe promiſit uſque ad conſummationem ſeculi? Vah impoſſibile! Etenim quouſque ſtabit Eccleſiæ corpus, ipſi non deerit Spiritus Jeſu Chriſti vivificantis ejus membra virtute miraculorum.

12. Ex his adverſus pſeudoreſormationem moleſta hac iſto ratione, ex Maldonato *in Matt. cap. 7. n. 22.* „ Quanquam hæc illatio non ſit neceſſaria: Miracula facit, ergo veram habet fidem; iſta tamen neceſſaria eſt: Eccleſia, in qua crebro „ & ferme uſu fiunt miracula, vera „ eſt Eccleſia; quia interdum licet „ Deus extra ſuam Eccleſiam alicui „ privato concedat miraculum, ſicut „ per Aſinam Balaam, quæ certe in „ Eccleſia non erat, ipſe diſpoſuit; attento tamen conſueto ordine rerum, „ nulli hominum cœtui extra ſuam Eccleſiam ordinariam miraculorum poteſtatem unquam indulſit „. Verum in hac re argumentum a privatione deſumptum, videlicet Eccleſiam nullo miraculo dotatam veram non eſſe, Eccleſiam fortius urget, & cogit. Porro ſi in cœtu Romanæ obedientiæ perſeverat virtus miraculorum, in ceteris vero conventiculis ab illa disjunctis nullum uſque modo viſum fuit miraculum; evidenter ſequitur ergo iſtarum nulla vera eſt Eccleſia.

13. Deſcendam modo ad ea, quæ *Apol. pag. 15. ex D. Greg. homil. 29.* deſumis, videlicet: *Nunquidnam fratres mei quia iſta ſigna non facitis minime creditis? Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda.* Mens D. Gregorii non erat his ſuadere miraculorum virtutem ab Eccleſia undequaque fuiſſe ſublatam; ſed in eo frequenti uſu non eſſe, ſicut in exordio Eccleſiæ, in quo infedelitas erat excutienda, cujus cauſa miracula maxime fiunt. Quod D. ipſe Greg. expreſſe innuit *cap. 37. in Job lib. 27. cap. 14*, ubi habet: *Tum quippe S. Eccleſia miraculorum adjutoriis indiguit, cum eam tribulatio perſecutionis preſſit. Nam poſtquam ſuperbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum ſigna, ſed ſola merita operum requirit, quamvis & illa per multos, cum opportunitas exigit, oſtendit.* Et infra: *Quid eſt ergo mirum, ſi propagata fide crebro miracula non fiunt?* Virtus igitur miraculorum a D. Gregorio ſublata a cœtu fidelium non dicitur, ſed diminuta ejus frequentia, quæ in exordio Eccleſiæ crebrius pollebat, quam tribulatio perſecutionis atrocius premebat. Quocirca nil mirum ſi hac ætate, dum a proteſtantibus Eccleſiæ veritas oppugnatur, miraculorum frequentia hanc divinitus tueatur. Dialogi D. Gregorii, non ea, qua audes in Triumpho pag. 83. facilitate expungi

de-

debent. Plura, quæ in his referuntur miracula, alibi etiam ab eodem Sancto relata leguntur, ut inter ceteros notat Alexander Natalis *Hiſt. Eccl. ſec. 6. c. 4. ar. 16.* Phraſim diverſam redolere non inficior: verum conſtat Patres interdum, pro differentia perſonarum, & rerum, uti ſtilo vario, & inæquali. Ipſe D. Greg. *lib. 11. Moral.* fatetur diverſa ſcripſiſſe phraſi. Scio in Dialogis aſſeri *ignem Inferni corporeum*; ſed debet probari id eſſe a doctrina S. Gregorii alienum. Etenim licet in aliquibus editionibus *lib. 15. Moral.* legatur *cum ſit incorporeus*, in perantiquis tamen codicibus, Romano, Gallicano, Anglicano legitur *cum ſit corporeus*; reputandi propterea ſunt depravati illi primi, ait Sixtus Senenſis in *Biblioth. lib. 5. annot.* 143. In Dialogis autem narrari miracula *ridicula*, & *mimica*, id tu dicis tuo tumidus judicio, parvipendens Dei potentiam, & meritum fidei. Quod etſi S. Pontifex ductus fama vulgi circa res facti quædam ſcripſiſſet cerebro tuo minus accommoda, non illico univerſum Opus proſcribendum foret. Canum autem, quem *lib. 1. loc. Theol. cap. 6.* citas, attentius legere debebas, quam dicere *motivum habuiſſe dubitandi de illis dialogis*, cum ipſis potius faveat, aſſerens: *Omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo.* Quid tandem de *Epiſt.* 50. *lib.* 2. *Indict.* 11. dices, in qua ipſe S. Doctor teſtatur: *Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audimus, ſub brevitate ſcribere.* Hæc certe referuntur ad ea in Dialogis ſcripta. Num & hæc Epiſtola apocrypha? Addo. Si Gregorius fatetur ſcribere miracula, quæ audivit Italiæ facta, Gregorii ſeculo miracula minime ceſſerant. Quod inde S. Pontifex *Homil.* 29. in Evangel. hortaretur populum: *Nolite fratres chariſſimi amare ſigna, quæ poſſunt cum reprobis haberi communia*, hoc ſuadet miracula teſtimonia non eſſe certa pietatis, & fidei perpetrantis, non autem miracula veritatis doctrinæ, vel fidei, cujus gratia fiunt negat eſſe certa argumenta. Miracula duplici ratione fieri poſſunt, *uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem, alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo modo miracula poſſunt fieri per quemcunque, qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti invocat, quod etiam interdum per malos fit.... Secundo autem modo non fiunt miracula niſi a Sanctis.* (D. Th. 2. 2. q. 178. ar. 2. in corp.) Sed de his ſatis jam ſupra.

24. P. Semery inique in rem tuam vocaſſe te D. Auguſtinum oſtendit ex iis quæ S. Doctor habet *in libris de Civit. Dei cap.* 8. & 9., ubi plurima narrat miracula ſuis temporibus edita ad Martyrum memorias. Hæc inficiari dum neſcis, fidem demere quæris, inquiens (*in Triumph. pag.* 81.) *alibi D. Auguſtinum aliter locutum; quocirca ne videatur S. Pater ſibi contradici, fas eſt aſſerere in libris de Civit. Dei nonnulla eſſe interpolata ab aliquo ſuperſtitioſo, quæ in manuſcriptis non habentur, nec in editionibus Colonienſibus.* Rem ſerio agamus, collatis invicem his, quæ ex D. Auguſtino contraria feruntur. In lib. de vera Religione *cap.* 25. habet: *Nec miracula illa* (a principio facta) *in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret.* Lib. 1. Retract. cap. 13. ait: *Nec enim nunc uſque, cum manus imponitur baptizatis ſic accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium: aut nunc uſque ad umbram tranſeuntium prædicatorum Chriſti, ſanantur infirmi, & ſi quæ talia tunc facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt.* Peto ex te Picenine num alia loco citato præter a te mox commemorata habeantur? enimvero hæc immediate ſequuntur: *Sed non ſic accipiendum quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam & ego*

ipſe

ipſe quando iſtum ipſum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum eſſe jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus enumerare poſſimus. Hæc Auguſtinus. Siccine retractat ea, quæ in libris de Civit. Dei ſcripſerat? Tantæ Picenine tibi molis erat mutilum hunc tradere textum? Enimvero ſatis mirari nequeo tuam ſocordiam, an impudentiam dicam, qua Italiæ finibus eroſum venditare audes Auguſtinum; quaſi oculis careamus ad rimandas fraudes. Age nunc: larva detracta S. Auguſtinum affer tecum negantem noſtræ ætatis miracula. Carpe ſi vales ipſum ſibi contradicentem. Hujuſmodi miracula temporibus Auguſtini non videbantur; videlicet, baptizatos omnium gentium linguis loqui; infirmos umbra tranſeuntium prædicatorum Chriſti ſanari: ergo temporibus Auguſtini nulla erant miracula? Inepta illatio, & tui propria; ferme ac ſi diceres: Egregii priſcorum temporum homines hac noſtra ætate non ſunt; ergo hac ætate nulli ſunt homines. Sic ſic diſſeris, dum ais: hucuſque non ſunt miracula illa Apoſtolorum temporibus facta; ergo hucuſque nulla ſunt miracula. Auguſtinus vero ſcite ait: *Non ſic accipiendum eſt quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur.* Miracula autem quæ Carthagine, & Hipponæ narrat accidiſſe ad Martyrum memorias, non diſtant, ſed conveniunt cum his quæ ſcribit in *Epiſt.* 137. nunc 78. ad Clerum Hipponæ; in qua Epiſtola non negat, immo fatetur Hipponæ miracula fieri; tantumve ſupponit Africæ ejus generis miracula non accidiſſe, quæ Italiæ facta ſciebat. Res erat. Sacerdos quidam ſuæ Diœceſis nefaſti criminis reus dicebatur. Actor affirmabat, negabat reus; neuter convinci poterat. Has inter anguſtias, ad Hipponenſem Eccleſiam Auguſtinus ſcribit hoc captaſſe conſilium, ut ambo ex condicto Nolam peregre proficiſcerentur ad memoriam S. Felicis, ubi fama ferebatur miraculo alias contigiſſe, unius innocentiam, & alterius fraudem fuiſſe deprehenſam: ſicut & Mediolani fur, qui dejerabat alienam rem non accepiſſe, poſitus ad memorias Martyrum, omnipotenti vi, & perjurium prodere, & alienum reddere adactus fuit; quoniam Deus, licet ubique ſit, & ubique adorandus in ſpiritu & veritate, circa hæc tamen *quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis vero non fiant?* Et infra ... *Nunquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri.* Novimus nunc quam Picenine merearis fidem. S. Auguſtinus ſcribit non fieri Africæ miracula, quæ a pejeratoribus extorqueant veritatem (& revera quæ *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. narrat Africæ ſecuta, ad ſanitates quidem, non ad delictorum prodigioſam manifeſtationem attinent) tu vero nullum Africæ haberi miraculum vis illum ſcripſiſſe; neve ſibi contradixiſſe videatur, libros de Civitate Dei interpolatos componis. Bone Deus! Quæ contrarietas; Africæ fiunt miracula ſanitatum; Africæ non fiunt miracula excutiendæ veritatis? Nullus librorum de Civitate Dei tam auſterus cenſor, quam Ludovicus Vives, hac de cauſa ab Eccleſia proſcriptus, nec tamen is falſitatis *caput* 8. redarguit; tantumque notat: *In hoc capite non dubium quin multa ſint addita velut declarandi gratia, ab iis, qui omnia magnorum Sanctorum ſcripta ſpuriis ſuis manibus contaminabant &c.* Qui ſunt igitur iſti eruditi, laudatos libros accuſantes falſitatis? Probatum itaque perſpicue Epiſtolam 137. nunc 78. nil habere contrarium libris de Civitate Dei; multis vero aſſertis. Picenine, tuis opponi. Seculo Auguſtini tu negas miracula: hæc in illa Epiſtola Auguſtinus ſupponit. Tu peregrinationes

noſtras ad Sanctorum memorias, hujus potius, quam alterius gratiæ obtinendæ cauſa (ut videbimus) irrides, quaſi Deus ubique non ſit: e contra Auguſtinus duos illos peregrinari hortatur, ſuaſus illinc potius, quam iſtinc miracula impetrari; quia Deus, licet ubique ſit, imperſcrutabili judicio in aliis locis vult hæc miracula fieri, quæ in aliis non fiant. Ita Picenine ex Auguſtino proficis. Sed de his commodius ſuo loco.

25. Novas tamen inſtruis in Triumpho fraudes, & *pag.* 84. ais: *Quinto, et ſexto ſeculo nullius miraculi neceſſitas urgebat, vel realis præſentia Chriſti comprobandæ, vel gloria Sancti promovendæ cauſa, cum illis ſeculis hæc non crederentur.* Annalium hic indaginem inſtituere nolo, exploraturus, pro illis veritatibus, habita ne ſint tunc temporis miracula. Unum quæro; ſi primis ſeculis nulla præſentiæ realis fides erat, cur primo hac negata, commota eſt universa Eccleſia? Si ſcandalum Eccleſiæ de Ario primo negante Filium conſubſtantialem Patri, validum eſt hujus jam creditæ veritatis argumentum; cur ſcandalum Eccleſiæ de Berengario, primo hanc negante præſentiam realem, hujus veritatis jam diu creditæ non erit infallibile teſtimonium? Qua vero fronte negandum aſſumis, quinto & ſexto ſeculo Sanctos non fuiſſe miraculis glorificatos, dum miracula a D. Auguſtino ſupra laudata, quæ ad Martyrum memorias, in illius fidei incrementum, quam ſtrenue propugnarunt, quarto uſque ſeculo fiebant, mentiri te apertiſſime oſtendant? Quibus etiam infertur qua injuria repetas, D. Auguſtinum, & D. Gregorium *nolle miraculis decernendam eſſe Eccleſiam;* quoniam ſi a D. Auguſtino teſtimonia veræ fidei habebantur miracula edita ad Martyrum memorias, conſequens fit per eadem veram Eccleſiam velle decerni, ſicut ex effectibus cauſa decernitur. De hac re quidquam dicere amplius nolebam, ſed provocatus diſſimulare non debeo. Magnificas textum D. Auguſtini deſumptum ex *libro de Unit. Eccl. cap.* 18., non 16., ut mendoſe ſcribis; in quo videtur S. Doctor ad probandam veram Eccleſiam non miracula, ſed Scripturas dumtaxat quærere: *Utrum ipſi Eccleſiam teneant, nonniſi divinarum Scripturarum canonicis libris oſtendant &c.* Putabam ſatis me ſupra num. 9. dixiſſe cur D. Auguſtinus adverſus Donatiſtas, Scripturis, quam miraculis potius Eccleſiam quæreret; veruntamen, quia cauſa poſtulat, ferat hac vice lector iterum me jam acta agere. Eædem erant Donatiſtarum, ac Proteſtantium querelæ: veram Eccleſiam Chriſti periiſſe; orbem univerſum apoſtataſſe; ſolam in Africa Donati communionem ſtetiſſe. S. Doctor librum inſtituit de *Unitate Eccleſiæ*, & oſtendit veram Eccleſiam nonniſi illam eſſe, quæ *Catholica*; illa nempe a Jeruſalem per univerſum orbem diffuſa: quod probat tum novi, tum veteris Teſtamenti Scripturis; quibus ſic arguit „ Vera Eccleſia, juxta Scripturas, eſt „ per univerſum orbem diffuſa: Eccleſia Donati non eſt per univerſum orbem diffuſa, ſed in una parte Africæ abſcondita; non eſt „ igitur vera Eccleſia. „ Ad hæc. Cum Donatiſtæ adhuc veram Eccleſiam apoſtataſſe, & in partibus Donati ſolam integram manſiſſe quibuſdam miraculis oſtendere conarentur; tum Auguſtinus c. 19. *Omiſſis iſtis moranum tendiculis, oſtendat Eccleſiam vel in ſola Africa perditis tot gentibus retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam, atque adimplendam, & ſic oſtendat, ut non dicat, verum eſt, quia hoc ego dico, aut quia hoc dixit ille collega meus, aut illi collega mei, aut illi Epiſcopi, Clerici, vel Laici noſtri: aut ideo verum eſt, quia illa, & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius ..... ſed utrum ipſi veram Eccleſiam teneant, nonniſi de divinarum Scripturarum canonicis libris oſtendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere quod in Eccleſia Chriſti ſumus, quia ipſam*

quam

quam tenemus commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanenſis Ambroſius, vel alii innumerabiles noſtra communionis Epiſcopi ... aut quia per totum orbem in locis ſanctis, qua frequentat noſtra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel ſanitatum fiunt ... Quacunque talia in catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in catholica fiunt; non ideo ipſa manifeſtatur catholica, quia hac in ea fiunt .... Scrutamini Scripturas, *& eruite aliquod manifeſtum ... ſed aliquod proferte quod non egeat interprete ... ſicut non eget interprete, cœpiſſe Eccleſiam ab Jeruſalem, & inde iſſe circum Judæam, & Samariam, & ceteras gentes*. Cetera hujus capitis percurrat lector ut mentem S. Doctoris perfecte calleat, quam tu Picenine vel ignoras, vel ignorare ſimulas; unde tecum aggredior ſic. Auguſtinus veritatem ſuæ Eccleſiæ defendit adverſus Donatiſtas, non ex veritate, quam habet doctrinæ Chriſti, ſed quia *Catholica* eſt, ideſt ab Jeruſalem, quo cœpit, diffuſa & dilatata per totum orbem; nec ex miraculis patitur illam oſtendi, niſi primum ex Scripturis conſtet eſſe *Catholicam*. Id revera nos. Primum oſtendimus Eccleſiam noſtram *Catholicam*, ut prævio capite præſtitimus; inde ad miracula deſcendimus, quæ vera probamus, quia in *Catholica* fiunt. Paucis. Miracula non probant Eccleſiam eſſe *Catholicam*; id quippe probatur ex Scripturis. Quo probato, miraculis confirmatur. Sic Chriſtus veritatem ſuæ doctrinæ oſtendebat teſtimonio Prophetarum, inde miraculis comprobabat. Donatiſtæ autem, poſthabitis Scripturis, prætendebant miracula; quos propterea Auguſtinus merito redarguebat. Hucuſque dicta ſi te non moveant, moveat ipſius Auguſtini ratio, quam ſic inſtituo. Aſſero meam Eccleſiam, quæ Romano Pontifici capiti adhæret, veram eſſe Eccleſiam, quia *Catholica* eſt; & ex Scripturis probo veram, & *Catholicam* Eccleſiam illam eſſe, quæ ab Jeruſalem orta, diffuſa eſt per univerſum orbem. Aliquo Scripturæ textu mihi oſtende, hanc Eccleſiam Jeruſalem ortam, & per univerſum orbem dilatatam, periiſſe, & in paucis ſtetiſſe, ac poſtremis hiſce ſeculis abſconditam fuiſſe, vel Germaniæ cum Luthero, vel Genevæ cum Calvino. Oſtende quod jam collapſa per vos fuerat reparanda. Ecquis ſibi ſuadebit Eccleſiam, quam Chriſtus ipſe erexit, & tot Martyrum ſanguine illuſtravit, dejectam tot ſeculis, & deſolatam iri? Quod ſi portento id factum, enunciate nobis, & legite ex Scripturis, ſicut legitur de Henoch, de Noe, de Abraham, de Iſaac, de Jacob, & de duabus Tribubus a decem ſegregatis, ſicut de duodecim Apoſtolis, qui aliis recedentibus ipſi in fide ſteterunt. Enunciate ex canone Scripturarum, & victi tacebimus. Mea hucuſque dicta (ut forte putas) non ſunt, ſed prælaudati Sancti Auguſtini. In ſumma. D. Auguſtinus (*lib. de Unit. Eccleſia cap.* 13.) Eccleſiam periiſſe, & in partibus Donati ſtetiſſe, quamvis miraculorum ſpecie id conarentur evincere, Donatiſtis tamen credere detrectabat, quia id nullo Scripturarum canone valebant oſtendere. Tu eadem blateras, nempe Eccleſiam apoſtataſſe, & in partibus Proteſtantium ſtetiſſe, neque id, non dicam Scripturis, ſed nec uno, uno tantum miraculo probas, & integram petis tibi præſtari fidem?

16. Poſtremo occurram objectioni, quam in Triumph. *pag.* 85. tuum Achillem facis, ad excludenda miracula ut certa veræ Eccleſiæ ſigna, quia (ais) *noviſſimis diebus ſurgent pſeudopropheta, facientes ſigna & prodigia, ad ſeducendos, ſi fieri poſſet, etiam electos. Ecce ego pradixi vobis. Cautos ergo nos voluit ſponſus, ne miraculis fallamur*. Ita cum D. Auguſtino Tract. 13. in Joan., & Tertull. lib. 3. cont. Marcionem c. 1. concludis. Verum pſeudoprophetæ, de quibus loquitur Chriſtus, nedum falſa miracula, quam erroneam doctrinam pro doctrina Chriſti

oſtentabunt, dicentes hic eſt Chriſtus, aut illic. Quemadmodum igitur miracula ſigna certa non ſunt ex falſitatis periculo; doctrina pariter ut ſignum ſuſcipienda non erit ex metu erroris, tum maxime cum utrumque cavere moneat Chriſtus. Hærendum forte dices primo diligenti doctrinæ ſcrutinio, quo facilius agnoſcantur miracula: aſt a quo debet examen iſtud inſtitui? A te? Verum te quis facit erroris prorſus expertem, quin veram pro falſa, falſam pro vera doctrina accipias? Ego equidem cautus, & tutus incedo, qui nullam de veritate, ſive doctrinæ, ſive miraculi fero ſententiam, niſi motus Eccleſiæ judicio; quam ex Scripturis nec falli, nec fallere poſſe, certiſſime teneo.

§. III.

Juſta ratione quærimus miracula a Pſeudoreformatoribus.

27. Iraſceris, Picenine, in Apologia, & Triumpho Patribus *Segneri*, & *Semery*, quaſi inique a pſeudoreformatoribus tuis poſcant teſſeram miraculorum, ceu patentes litteras ſuæ miſſionis. Iraſci plane deberes Tertulliano, qui idipſum a Nigidio, & Hermogene quærebat (*lib. de Præſcript. cap. 30.*) *Cupio oſtendant mihi ex qua auctoritate prodierunt... Probent ſe novos Apoſtolos eſſe, dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe ... ſic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea virtutem eadem ſigna edendi, quæ & ipſe.* Hobbes etiam, qui ex grege licet Proteſtantium (*de Civitat. Chriſtiana c. 37. pag. 204.*) ait: *Ad naturam miraculi etiam pertinet, ut eo fine factum ſit; ut Nunciis, Miniſtris, & Prophetis Dei fides apud populum habeatur, ſciatque inde populus miſſos illos eſſe a Deo:* quod Moyſis, & ipſius Chriſti exemplo confirmat. Porro cum inter ceteros Lutherus primus pſeudoreformationis artifex ſe laudet Apoſtolum, qua injuria petimus, ut tam inſignis miſſionis, quatenus a Deo ſit, ſignum aliquod exhibeat? Neque enim plus quid ex eo petimus, quam ipſe a Munſtero. Is neque ſagax, nec Luthero minus audax, nactus hunc ſuo Evangelio proficere, Evangelium ad normam Anabaptiſtarum compoſuit, quod *Milhuſæ*, vel *Mulhauſen* civibus, Lutherano Evangelio jam imbutis, exhibuit. Senatores illius civitatis, rati minime expedire in dies mutare Evangelium, Lutherum primum Apoſtolum conſulunt; quid facturi ſint ipſe decernat. Reſponſum refert Lutheri Joannes Sleidanus, apud Proteſtantes minime ſuſpectus (*lib. 5. Comment.*) *Lutherus cenſuit Senatum Mulhuſii recte facturum, ſi roget ex Thoma Munſtero (Anabaptiſtarum Principe) quis docendi munus ipſi commiſerit; qui & ſi Deum nominet auctorem, tum jubeant aliquo evidenti ſigno comprobare. Quod ſi repræſentare non poſſit, hoc tum repudietur. Hoc enim eſſe Deo proprium, ac familiare, quoties formulam conſuetam, & rationem ordinariam vellit immutari, ut tum aliquo ſigno voluntatem ſuam declaret.* Porro ſi Lutherus in teſtimonium doctrinæ ſigna quærit a Munſtero, quia contra conſuetam Eccleſiæ formam docebat: cur nobis iraſceris, quod a Luthero, & pſeudoreformatoribus id poſtulemus, qui ceu Dei verbum proponere audent doctrinam, antiquæ communi omnibus Chriſtifidelibus oppoſitam? S. Paulus (ad *Hebræ. 5. 4.*) ait: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron;* item quod Chriſtus *non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Tu vero doles, quod a pſeudoreformatoribus ſignum quæratur divinæ miſſionis? Parcatur tamen tibi; morderis nimis. Verum Patres Segneri, & Semery merito inferunt doctrinam pſeudoreformatorum non eſſe Jeſu Chriſti, dum miraculis careat. Quæ enim hujus commendandæ miſſionis potior divinæ Omnipotentiæ ratio eſſe poterat?

terat? Res quippe erat Eccleſiam Christi, *proſtitutam*, & *apoſtaticam* (ſi Nebulonibus aures præſtemus) ad thalamum ſponſi reſtituere. Doctrina Lutheri, Zuinglii, Calvini, veternoſis (apud vos) impiis dura nimium, & peregrina videbatur. Illos propterea horrere, perſequi facile movebantur; ſicut gentes Apoſtolos, dum nova dogmata, & inuſitatos mores ſuadebant. Qua ratione igitur Evangelium augeri miraculis æquum, & neceſſarium aſſeritis, ut divinum opus illud eſſe Paganiſmus agnoſceret, ita congruum, immo neceſſarium fuit miraculis, vel alio ſigno, veſtram pſeudoreformationem ornari, ut Dei voluntas in opere, & in miniſterio vereretur: uſitatus certe divinæ Providentiæ mos fuit, Legatos ſuos ad aliquod inſigne bonum promovendum ab ipſa publice deſtinatos, miraculorum, vel prophetiæ chariſmate mandatum munus commendare. Moyſes a temporali Ægyptiaca captivitate populum electum liberaturus, in ſignis mirabilibus, & portentis Deus Pharaonis conſtituitur. Lutherus, Zuinglius, Calvinus, a ſpirituali Babylonica ſervitute (ut blaſphemas) filios Dei iterum redempturi, neglecti mittebantur, ſine miraculis, ſine linguis, ſine prophetia, omni penitus divino vacui ſigno? Quid ad hæc? Vel quod divina Providentia (quod impoſſibile) ſibi non conſtitit; vel certe pſeudoreformatio opus Dei non fuit. Videatur citatus Hobbes.

18. Fateor non omnibus ſuæ legis reformatoribus Deum conceſſiſſe gratiam miraculorum; quos tamen ad ſingulare munus elegit, inſigni aliquo charactere honeſtavit. De Jehu legitur (3. Regum 16.) *Factus eſt ſermo Domini ad Jehu*; & in ſignum obtinuit ſpiritum prophetiæ contra Regem Baaſa, quæ ſtatim impleta eſt, percuſſa omni domo Baaſa. Joſias nullum ſignum fecit; hunc tamen naſciturum per Prophetam Jeroboamo prædixit Deus (3. Regum 13. v. 2.) *Ecce filius naſcetur domui David, Joſias nomine*, & contra Idololatriam zelaturum. Porro Joſias, qua Iſrael Rex, poteſtate regia tenebatur ſub introductas procerum abominationes evertere. Hæreſis Ariana pluribus Conciliis ordinaria Eccleſiæ poteſtate proſcripta fuit; & Theodoſius nonniſi Arianam audaciam manu regia compeſcuit (quanquam ſi Victorem Vitenſem legiſſes *lib. de Perſecut. Afric.*, & alios, plurima ibi, & alibi perſpexiſſes miracula in confirmationem Catholicæ veritatis adverſus Arianam pravitatem.) Eccleſia autem a Chriſto abſoluta poteſtate delegata, in proſcribendis, & abigendis erroribus non eget miraculis, nec patentibus litteris, quibus concreditum ſibi munus ratum exhibeat; de qua ſancitum eſt (Matt. 18. v. 17.) *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus &c.* Hinc ſi pſeudoreformatio, Eccleſiæ legitima proles eſſet, temere ejus doctrina prodigiis commendata deſideraretur. At audire Lutherum, Zuinglium, Calvinum, pleroſque alios, non animarum Paſtores, non ab iſtis miſſos, privatos homines, nulla divina auctoritate munitos, falſum prædicantes prope id omne uſque tum integra fide ubique retentum, & Eccleſiam plorantes multis ab hinc ſeculis in apoſtaſiam defeciſſe: profecto ſi a Deo mittebantur, ſigno aliquo commendari debuerant, quo ſaltem inexcuſabiles haberentur nolentes ipſis credere; tum maxime quod neque Eliæ, aut Eliſei, ſicut nec Baptiſtæ in deſerto converſantis, vitæ auſteritatem, nec mores æmulabantur: quo ſaltem ſtipendio virtutis apud gentes mererentur audiri; quinimmo ambitione, odio, invidia, aliiſque vitiis irretiti æſtuabant. Non in utero ſanctificati, ut Jeremias. Non probatis prophetiis celebres, ut Michæas, & Zacharias. Non de ipſis, ſicut de Joanne Baptiſta, pronunciatum a Chriſto: *Non ſurrexit major*. Eorum natalia obſcura, nullis illuſtrata prodigiis: vulgaris vita, nullo charactere inſignita, quo ea quæ oſten-

oſtentabant dignoſcerentur habere. Merito igitur chriſtianus orbis Novatores illos habuit, & qua hæreticos jure proſcripſit. Etenim ſi in enormi illa Eccleſiæ defectione illorum quilibet gloriari poterat *Ego remanſi propheta Domini ſolus* (3. Regum 18. 22.) cur ad lucrandam ipſis, ſicut Eliæ, fidem, orbe univerſo hæſitante, non immiſit Deus ignem de cælo?

19. Nec quærendo a vobis ſignum imitamur Hebræos, qui a Redemptore petebant (Matt. 21. 23.) *In qua poteſtate hæc facis*? Enimvero tot poſt miracula coram illis edita, poſt Prophetarum vaticinia adamuſſim impleta, iniquum erat adhuc quærere *In qua poteſtate hoc facis?* unde bene habetur v. 24. *Reſpondens Jeſus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum ſermonem .... Baptiſmus Joannis unde erat? e cælo, an ex hominibus*? Iniquum quoque foret a vobis petere *in qua poteſtate hæc facitis*? ſi miſſio veſtra ut miſſio Chriſti foret oraculis prænunciata, & miraculis comprobata. Verum omni ſigno vacuos audire vos a Deo miſſos, ſtultitiſſimum eſſet clauſis oculis ſequi, & amplecti; nec ſaltem interrogare in qua poteſtate hoc dicitis? Id a te enixe poſtulo, nec juvat te fugam quærere inepta hac inſtantia: *Quis unum Papam inſtituit? Quis Cardinales ordinavit?* His proprio loco ſatisfaciam. Modo mihi reſponde: In qua poteſtate patriarchæ tui auſi ſunt fieri reformatores Eccleſiæ? Inane eſt jactare: *A Chriſto habemus vocationem noſtram*; hoc profecto probandum. Chriſtus Judæis accedentibus calumniaturis, ullum dare ſignum negavit; ſimplicibus tamen coram turbis ſigna multa fecit, quorum admiratione captæ illæ, frequentiores poſt ipſum ibant. Eja. Mitto Lutherum, Calvinum, ceteroſque, inſtantibus Romæ Doctoribus, nullum (ad normam Chriſti) dare ſignum debuiſſe. Accedebant hi nempe male affecti, invidi, (qua Phariſæi) ut caperent illos in ſermone. Verum tot cordati ſimplices, hæſitantes, ad credendum parati, vix comperta veritate miſſionis, cur in errore verſari patiebantur; cum mille, & mille, uno miraculo, (ut olim Chriſtus) lucrari poterant, abſque diſcrimine Principum, & vi armorum? Puto Deum nullum forte dediſſe miraculum, ne ſumma ſua veracitas duo contradictoria ſanxiſſe videretur, Chriſtum nempe realiter eſſe in Euchariſtia, juxta Lutherum, ibi non eſſe, juxta Zuinglium. Age nunc: neque miracula ad veritatem eorum miſſionis expectemus, ſolaque ipſis valeat Dei verbi prædicatio. Quod autem erat hoc verbum Dei? Quis intelligentiæ donum habebat? Lutherus, an Zuinglius, doctrinæ Lutheri averſus? Hoc plane eſt Chriſtum hìc, & illic oſtendere. Prudentiſſime igitur abſtinuerunt Catholici neutri credere, ex præcepto Chriſti (*Matt.* 24. *v.* 23.) *Nolite credere*. D. Hieronymus (*Epiſt. ad Galat. c.* 1.) docet: *Quatuor genera Apoſtolorum ſunt. Unum, quod neque ab hominibus eſt, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem. Aliud, quod a Deo quidem eſt, ſed per hominem. Tertium, quod ab homine, non a Deo. Quartum, quod neque a Deo, neque per hominem, neque ab homine, ſed a ſemetipſo. De primo genere poteſt eſſe Eſaias, cetérique Propheta, & ipſe Apoſtolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, ſed a Deo Patre, & Chriſto miſſus eſt. De ſecundo Jeſus filius Nave, qui a Deo quidem eſt Apoſtolus conſtitutus, ſed per hominem Moyſen. Tertium genus eſt cum hominum favore, & ſtudio aliquis ordinatur, ut nunc vidimus plurimos, non Dei judicio, ſed redempto favore vulgi in Sacerdotium ſubrogari. Quartum eſt Pſeudoprophetarum, & Pſeudoapoſtolorum, de quibus Apoſtolus, iſtiuſmodi (inquit) Pſeudoapoſtoli operarii iniquitatis, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, qui dicunt: Hæc dicit Dominus; & Dominus non miſit eos*. Si Apoſtolatus Lutheri, ceterorumque pſeudoreformatorum, poſtre-

ſtremum non tenet locum, monſtretur quem teneat, ut credamus.

20. *Neceſſitas* (ais Apolog. pag. 10.) *commendabat vocationem noſtram. Eccleſi proſtituta erat. Speculatores dormiebant. Potentes conſilium faciebant adverſus Chriſtum. Canes muti erant. Prælati facti tot Pilati. In tanto diſcrimine nonne a quopp amclamandum?* Vide amice lector noſtri novi Eliæ zelum. O infelix Eccleſia tot ſeculis in errore verſata, ſola miſeria zelo hujus piæ animæ! Hæc eædem Donatiſtarum lacrymæ; queis medendis valeni ſupra jam ex Auguſtino dicta, quæ ibi lector habebis. Hìc Tertullianus reſponſa dabit. (*Lib. de praſcript. c.* 27. 28. 29.) Omnes itaque Eccleſiæ erraruni, perierunt: *Si ergo incredibile eſt vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe; videamus ne forte Apoſtoli quidem ſimpliciter, & plene, Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint, quam Apoſtoli proferebant.* Id plane anxie timent pii pſeudoreformatores noſtri, Eccleſias ſuo vitio aliter accepiſſe, quam Apoſtoli proferebant. At Tertullianus monet: *Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta invenias prætendi ab hæreticis .... Age nunc: omnes erraverint; deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddendo quibuſdam; nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus a Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre ut eſſet Doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus ...* Sit, uti vis Picenine, totum corruptum; *Et quid* (audi Africanum) *veriſimile eſt, ut tot, ac tanta, in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos erraſſe, qui tradiderunt? Quoquomodo ſit erratum, tandiu utique regnavit error, quandiu hæreſes non erant.* Quid tu Picenine? Tertulliani, non meus ſermo iſte, ſecundi ſeculi auctoris, adverſus ævi ſui hæreticos, ex quorum ore vos ipſi loquimini. Hæc cordi lector habe, queis pſeudoreformationis obtentus facile reſpuas. Ratio autem Tertulliani ut pateat latius, te Picenine poſco. Accedat ad te impius Atheus, qui *Deum eſſe* negans, id fabulam vulgo excogitatam, commentum vanum, aliquorum placitis confictum, de ore in os præjudicata ſuperſtitione traditum blaſphemus aſſerat; ſe tamen veniſſe Mundum univerſum errore liberaturum. Quid ſecum ageres Picenine? Scripturis, quas ille negat, nil puto ſuaderes. Qua ratione igitur hunc tentares? Non alia certe, quam iſta: *Deum eſſe* commentum aliquorum placitis confictum dicis? *Quid veriſimile eſt, ut tot, tantaque in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error*; quia, ut ex tuis Grotius advertit, *quæ ex hominum arbitratu veniunt, nec eadem ſunt apud omnes, & ſæpe mutantur*. Fabula de ore in os præjudicata ſuperſtitione tradita? Incredibile vel primævos illos homines in re tanti momenti ſuo vitio falſum docuiſſe; vel id invaluiſſe apud omnes homines, præſertim ſapientes, ingenio perſpicuos, tam firma contentione ſententiæ, ut ſi pauci in multis ſeculis Deum eſſe aut non crederent, aut non credere ſe profiterentur, vix intellectis argumentis, tanquam impii, & inſipientes ab omnibus rejicerentur. Sic tu traditionis argumento cum Grotio Atheum perſtringeres. Cur porro non licet mihi cum Tertulliano illos qui univerſam Eccleſiam traditionibus corruptam effutiunt, redarguere: *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*; immo ſi pauci in multis ſeculis oppoſitum ſenſerint, id accidiſſe *non ex uſu rectæ rationis, ſed aut ſtudio novitatis .... aut ex mente corrupta ...... aut ex pravo ingenio?* Hanc rationem lector recogita.

21. Tecum interea Picenine ſic. Corruptis igitur Eccleſiis, ad eas reparan-

parandas vos zelus accendit. Omnes ne corruptæ? Eja, omnes; omnes enim Sanctos invocabant, Chriſtum in Eucharistia præſentem credebant omnes, & adorabant, Imaginibus cultum deferebant; omnes in ſumma a recta fidei regula longe aberrabant; illæ etiam ipſæ, quæ cum Romana non communicabant; hæ quippe doctrinis ſuis, ut probabitur, multis, Romanæ adhærebant Eccleſiæ. Quandiu vero omnes errabant? Multis quidem ſeculis, totque ut prima erroris certa non habeatur origo. Immo ſi pauci in multis ſeculis veritatem docere præſumpſiſſent, a Conciliis ſtatim, ſilentio impoſito, hæretici dicebantur. Sic Vigilantio, Iconomachis, Berengario, ceteriſque contigit. Tandiu itaque, & in omnibus regnavit error? Heu Picenine: *& quid veriſimile eſt, ut tot tantaque in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error doctrina Eccleſiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* His patet quam inique P. Segneri redarguas, qui fidei veritatem ex antiqua poſſeſſione commendat; tum quam perverſe tibi Tertullianum aſſumas, qui, ut probatum eſt, erratum eſſe non poſſe tradit, quod tandiu apud omnes invaluit. Nec ad rem facit quod opponis; nempe ſi pſeudoreformati adverſus Romanam Eccleſiam inſurgere nequeunt, quia hæc antiquitus poſſidet, neque eadem ratione Apoſtoli prædicare potuiſſent contra Paganos, qui ab annis bis mille ſuos tuebantur errores. Etenim Tertulliani ratio & noſtra urget, poſita veritate doctrinæ Chriſti, & prædicatione Apoſtolorum annuntiante Mundo veritatem, & ſic proponitur. Tandiu tot Eccleſiæ conſenſerunt, credentes doctrinam Chriſti illam, quæ falſa & erronea a vobis rejicitur: Veriſimile non eſt tandiu apud tot fuiſſe erratum; ergo quod erratum dicitis, hujuſmodi non eſt, ſed traditum: cum neque credibile ſit Spiritum Sanctum tandiu nullam ex tot reſpexiſſe, uti eam in veritatem deduceret, ac omnes permiſiſſe in errore tandiu verſari, abſque legitimis Paſtoribus, & veris Sacramentis, quaſi paucos Calviniſtas, Lutheranos, Zuinglianos veritatis liberandæ cauſa expectaret. Veritatis igitur præſumptio nobis adhæret. Tertullianus iterum audiatur (*lib. de Præſcript. cap. 29.*) & pſeudoreformatis dicta accipiantur, quæ Marcionitis, & Valentinianis ironice ipſe dicebat: *Aliquot Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat. Interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur; tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.* Ad hæc. Etiamſi illa a pſeudoreformatoribus conficta flagitia redundaſſent; quis iterum reformandæ Eccleſiæ cauſa eos vocaverat? Lutherus ipſe (*Com. 2. in cap. 1. ad Galat.*) advertit: *Expedit nos eſſe certos de vocatione, ut unuſquiſque poſſit gloriari cum Joanne Baptiſta: factum eſt verbum Domini ſuper me.* Si vocationis certus non ſim, *mihi non licet* (ſequitur ille) *extra hanc formam meam in aliam civitatem, ubi non ſum vocatus verbi miniſter . . . . . etiamſi audiam falſa doceri, ſeduci, & damnari animas, et ego eripere poſſem ex errore & damnatione mea ſana doctrina. Sed rem Deo committere debeo, qui ſuo tempore inveniet occaſionem legitime vocandi miniſtros, & dandi verbum.* Qua doctrina præmiſſa, repoſco quis ipſum vocaverat? ibidem quippe adhuc monet: *Eſt itaque divina vocatio duplex, altera mediata, altera immediata. Deus vocat nos hodie omnes ad miniſterium verbi vocatione mediata, hoc eſt vocatione, quæ fit per medium, ideſt per hominem. Apoſtoli vero immediate vocati ſunt ab ipſo Chriſto, ſicut Propheta in veteri Teſtamento ab ipſo Deo. Apoſtoli poſtea vocaverunt ſuos diſcipulos, ut Paulus Timotheum &c. Qui deinde Epiſcopos, ut Tit. 1., Epiſcopi ſuos ſucceſſores vocave-*

ave-

ixverunt, ea vocatio duravit uſque ad noſtra tempora, & durabit uſque ad finem Mundi. Quibus ſic. Lutherus, Calvinus, omneſque pſeudoreformationis patriarchæ a quo vocati? A Deo immediate? Probent, ut Paulus. Mediate, per homines ſcilicet jam a Deo vocatos? Hi, annuente Luthero, ſunt ipſi Epiſcopi. Quis porro Epiſcoporum eos accerſivit ad miniſterium? Magiſtratus, & Principes, a quibus gloriantur fuiſſe vocatos, nullam miſſionis gaudent juriſdictione. Scripturæ tradunt Apoſtolos fuiſſe immediate vocatos, per iſtos mediate Epiſcopos; quod Lutherus ipſe teſtatur uſque ad ſua tempora duraſſe, & duraturum uſque ad finem Mundi. Lutherus igitur ſeipſum damnat, & vocationem ſuam extra regulam agnoſcit. Satius ſane illi fuiſſet ſuſtinere, & rem Deo committere, quam fœdiſſimo ſchiſmate matris Eccleſiæ viſcera diſcerpere; immo ipſi, ceterique (ut Dionyſius Alexandrinus Novato, ſive Novatiano *Lib. 6. hiſt. c. 45.* apud Euſebium ſcribebat) *Satius quidem fuerit quidvis pati, ne Eccleſia Dei diſcinderetur. nec minus glorioſum fuiſſet idcirco ſubire martyrium, ne Eccleſiam ſcinderes, quam ut ne idolis ſacrificares. Immo illud quidem meo judicio, illuſtrius fuiſſet. Hic enim pro ſua unius anima; illic pro omni Eccleſia martyrium quis ſuſtinet.*

22. Plura in Apologia, & Triumpho perperam adſtruis, quaſi miracula & miſſio pſeudoreformatoribus tuis neceſſaria non eſſent. *Apolog. pag.* 10. ais: *Quot veteri Eccleſia, neceſſitate compulſi, nulla miſſione enunciabant Evangelium? Indis Edeſſius, & Frumentius; Iberis una muliercula. Hæc Reginam ad Chriſti fidem duxit. Regina Regem. Hic ſubditos, factus ſuæ gentis Apoſtolus.* Perverſe de more hiſtorias recenſes. Frumentius quippe, non Edeſſius, evangelizavit; quod ſic contigit. Frumentius Alexandriam venit, Epiſcopum monens Indos fidem Chriſti ſciſcitari. Alexandriæ Epiſcopus tum Athanaſius; qui nactus Frumentium ad hoc opus præ ceteris idoneum, illo ordinato, ad Indos miſit. Ita Rufinus, & Theodoretus (*Lib. 1. hiſt. c.* 23.) Siccine evangelizatum ſine miſſione? Muliercula autem illa, quam aſſeris Iberos convertiſſe, ipſa primo auſa non eſt palam evangelizare; clam dumtaxat fidem Chriſti docuit; dumque palam prædicandum erat, abſtinuit, ac Regem monuit *ut ad Imperatorem* (ibidem cap. 24.) *Romanum legationem mitteret, peteretque ab eo ut pietatis Doctorem ad ipſos mitteret.* Iterum Theodoretus. Secundo hæc mulier Iberos ad fidem Chriſti illexit duplici curationum miraculo, quorum uno Reginam ſanavit. Id & nos in ſignum *Miſſionis* extraordinariæ a Proteſtantibus exſpectamus. Ceterum laudata exempla ad præſentem quæſtionem nil faciunt. Enimvero idem non eſt infidelibus evangelizare, & reformationem Eccleſiæ ſibi aſſumere. Etſi primum nulla ſpeciali delegatione fieri poſſe concedam, quatenus Baptiſmi charactere Chriſtianus quilibet ad evangelizandum infidelibus miſſus intelligatur; reformatio tamen Eccleſiæ, niſi a legitimis Paſtoribus, vel per ipſos promoveatur, privato nemini a Deo conceſſa conſtabit, niſi prævio miraculo, vel alio cæleſti ſigno reveletur: queis omnibus cum pſeudoreformati careant, merito a cœtu fidelium rejiciuntur. Subdis in Triumph. *pag.* 106. *ſuperflua illis fuiſſe miracula, quibus certa regula erat vetus, & novum Teſtamentum. quod a Chriſtifidelibus nullo diſcrimine ſuſcipitur.* Primum id falſum. Libros quidem omnes veteris Teſtamenti quos recipitis, nos vobiſcum recipimus; non ſic tamen vos noſtros omnes nobiſcum recipitis. Verum id tranſeat. Pſeudoreformatores tamen in novo, & veteri Teſtamento doctrinam ſuam adſtruere aſſerebant, ſed pravo ſuo ingenio a ſenſu Eccleſiæ antiquitus recepto Scripturas verſabant. Ex ipſis extorquebant dogmata longe diverſa ab eo, quod multis ſeculis fuerat cre-

creditum. Ad captandam igitur fidem fas illis erat oſtendere a quo mittebantur, ſi non ab Eccleſia, ſaltem immediate a Deo. Doctrinam, quam prædicabant, non novam, quin Apoſtolicam eſſe aſſerebant; a Catholicis tamen Romanis non exaudiebantur. Cur non uno ſaltem miraculo, periclitanti non ferebant ſuppetias veritati? Scripturas profitebantur etiam Judæi, ex quibus oracula Prophetarum de ſeipſo impleta Chriſtus illis probabat; horum tamen incredulitas miraculorum evidentia debuit convinci. Et pſeudoreformatores, quo verba Dei, eorum placita obſequio a nobis ſuſcipi expetebant nullo dato ſigno? Quis Picenine te tuoſque facis; majores ne Chriſto? Neque a quovis fideli, ut in primitiva Eccleſia, miracula quæro; tantum poſco, ſi pſeudoreformatio a Deo erat, uno aliquo ſigno quo credam monſtretur. Nec iniquum peto, neque indebitum; tantæ quippe molis erat Eccleſiam corruptam reparare, quantæ fuerat illam primo condere. Porro ſi in ea condenda opportuna fuere miracula; in ea reparanda videntur oppido neceſſaria. Immo magis; cum Romana Eccleſia ſua dogmata nec paucis, nec vulgaribus amplificet ſignis, debuerant certe nuperrimi Moyſes in mirabilibus, & portentis dejicere miracula a Fratribus, ut ais, promulgata. Quocirca cum in Eccleſia Romana miracula vigeant, quorum nec unum pſeudoreformatio exhibet, merito aſſerere poſſum hanc uno neceſſario teſte privari.

23. Id aut non capis, aut velle capere negas, cum in Triumph. pag. 107. nos carpere audeas in errore idcirco verſari, quia miracula habere contendimus; ſic quippe hariolaris: *Noviſſimis diebus falſi Doctores miracula daturi ſunt. Vos miracula facitis; ergo falſi eſtis Doctores*. Quaſi vero hac ratione de cauſa noſtra actum ſit, tibi plaudens ſubdis: *Propoſitio ex Scripturis late patet; aſſumptio veſtra eſt; illatio evidens*. Mi Domine Jacobe, ſi Dialecticæ quam Sophiſticæ ſtuduiſſes, nil hac ratione concludere intelligeres. Videres argumentum tuum, quia in ſecunda figura concinnatum propoſitionibus affirmativis, quatuor circumagi terminis, quibus nil infertur; quo pacto ſi dicerem: Falſi Doctores oſtendent nobis Chriſtum: Reformati oſtendunt nobis Chriſtum: Sunt igitur falſi Doctores & Antichriſti. Inepta illatio: neque enim qui oſtendit Chriſtum falſus Doctor, ſed qui Chriſtum ibi oſtendere tentat, ubi non eſt: ſic non qui miracula, ſed qui falſa facit, falſus eſt Doctor. Cum igitur propoſitio tua ſubintelligere faciat falſa miracula: aſſumptio autem miracula vera; idcirco tota ratio ruit. Staret autem ſi diceres: Omnes miracula facientes ſunt falſi Doctores: Vos illa facitis: falſi igitur Doctores eſtis. Aſt tum propoſitio non ex Scripturis, ſed ex tuo vano cerebro prodiret. E contra ſyllogiſmus Patris Semery, nempe: Poteſtas miraculorum in vera Eccleſia perſeverat: Poteſtas hæc in veſtra Eccleſia non eſt: Veſtra Eccleſia igitur vera non eſt; recte concludit, & bene habet, quouſque potiori non occurras ratione. Enimvero miracula noſtra improbabilitatis inceſſere, temeritatem ſapit in Deum, *cui non eſt impoſſibile omne verbum*. Hariolari Chriſtianam Religionem ab Apoſtolis dilatatam, & miraculis nutritam, novis non egere miraculis, pati poſſet veriſimile, ſi primigenia Apoſtolica puritate illa pacifice frueretur. Verum accuſata a pſeudoreformatoribus de pravitate, & ſuperſtitione in cultu Sanctorum, veneratione Imaginum, & in novis dogmatibus a doctrina Chriſti, & verbo Dei alienis; æquum erat hanc enormem defectionem non ſolo ore Proteſtantium, ſed miraculis comprobari. Miracula autem Apoſtolorum confirmant quidem Chriſtum Deum eſſe; in ejus nomine ſalutem conſequi; ejus doctrinam veritatem habere; minime vero Sanctos non eſſe colendos, Imagines non venerandas

das, Purgatorium non eſſe credendum: immo videns hæc tenentes in eorum penſum miracula facere, hæc negantes nullum dare ſignum; primis certe, quam ſecundis aſſentiri, prudenti conſilio ſuadeor: & quamvis hujuſmodi miracula a pſeudoreformatoribus negentur, cum tamen ab omnibus Romanæ obedientiæ Eccleſiis aſſeri, & teneri cognoſcam, vehementi præſumptione compellor credere iſtas præ illis veritati adhærere.

24. Preſſius agamus. Fateris in Triumph. pag. 110. *non quo dumtaxat tempore lex Moyſi data fuit edita fuiſſe miracula, ſed pone etiam, ad convertendos, & exprobrandos incredulos, & retractatores divinæ legis.* Immo, addo, nedum quo tempore lex a Moyſe promulgabatur, ſed pone, cum lex ipſa a Judæis Idololatria, pleriſque vitiis offendebatur. Elias, qui in univerſali apoſtaſia Judaiſmi clamabat: Ego remanſi cultor Domini ſolus, & Propheta, miſſus ad ſalutem populi; quot prodigiis adauxit miſſionem ſuam coram illis, Scripturis licet credentibus? Non ſola miracula per Moyſen a Deo edita protulit; ſed ad expugnandum Achab tribus annis cælum impluvium continuit, a corvis victum miraculo accepit, viduæ auxit farinam, & oleum, filium mortuum vitæ reſtituit. Accuſatus novis doctrinis Iſraelem pervertere, non ad ſolas Scripturas provocavit calumniatores, ſed tentatis Prophetis Baal, victima in ara ſua cæleſti igne conſumpta, teſtimonium præbuit veritati; ſicut igne e cælo labente Nuntii Regis Samariæ incinerati ſunt. Taceo Eliſei portenta. Sic Deus miraculis reformationem Iſraelis ſancivit. Modo tecum Domine Jacobe. Pſeudoreformatores tui paranymphi a Deo veniebant ad inſtaurandum Chriſti thalamum ſuperſtitionibus corruptum, ad revocandam adulteram ſponſam, quæ tandiu ibat poſt amaſios ſuos; Eliæ zelo videbantur accenſi. O quam bonum ipſis, & ſuæ miſſioni fauſtum, uno illius Prophetæ miraculo manifeſtari! Immo neceſſarium, cum Lutherus Romam ad diſputandum a Doctoribus provocatus, cum ad illic ſiſtendum ſe fuit a Papa citatus, tum vel aggreſſores compeſcere, vel cæleſti igne Papæ nuntios abſumere. Id nunquam a Deo factum, nec quidquam ſigni datum; a Deo igitur hujuſmodi pſeudoreformationem non eſſe gravi perſuaſione contendo. Abſtineo a reliquis in tuo Triumpho hic congeſtis nugis, quarum aliquæ ad hanc quæſtionem non pertinent, nec contra me faciunt, ceteræ vero ex mox dictis facile corruunt.

25. Præterire tamen reſponſum illud minime debeo, quod in Triumpho pag. 112. adverſus Patrem Semery adhibes; ubi ad illa Jeſu Chriſti (Joan. 15. 24.) verba: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem.....(v.23.) excuſationem non habent de peccato ſuo*, ais *opportuna tum fuiſſe miracula, quia Hebræi licet præ manibus Scripturas haberent, interpretationem tamen falſam a Redemptore reprehenſam illis accomodabant. Poterant etiam Hebræi cum Scripturis comparare quæ a Chriſto facta videbantur. At cæci erant a cæcis ducti, adeo ut prophetias torto ſenſu intelligerent.* Porro in hoc miſero ſtatu Proteſtantium judicio verſabatur Eccleſia imminente pſeudoreformatione. Chriſtiani tum Scripturas habebant, tum eas intelligebant: at cum Romanis Doctoribus falſas interpretationes a pſeudoreformatoribus reprehenſas apponebant. Poterant textum cum textu comparare; cæci tamen erant a cæcis ducti, adeo ut pravo ſenſu Evangelium intelligerent. Quade cauſa igitur aſſeris opus fuiſſe Chriſto præter Scripturas miracula adhibere, quibus infallibilem ſibi captaret fidem, ac nullam excuſationem incredulis Hebræis permitteret; eadem cauſa neceſſarium fuerat pſeudoreformatoribus præter Evangelium proferre miracula; ne Romani Catholici ulla tergiverſatione dilaberentur.

tur. Ad hæc. Chriſtus (ut ais) Prophetarum licet vaticiniis prænunciatus, adhuc mirabilibus ſignis ſe Meſſiam debuit & ſuam doctrinam commendare. Quo magis igitur pſeudoreformatores tenebantur prodigiis multis manifeſtari, quorum ignota miſſio, doctrina penitus obſcura, nulla Scripturæ linea pollicebatur? Quod ſi Chriſtus, quia *Circumciſionem tollere venerat*, ſigna & virtutes præmittere debuit, eædem neceſſariæ erant pſeudoreformatoribus, qui *Imaginum cultum*, *Miſſæ Sacrificium*, *Purgatorium*, *ceteraque* evertere venerant tenacius hærentia (ex prava tua opinione) apud Catholicos, quam inanes ritus apud Judæos. Poſtremo procax os tuum obſtruat ex tuis Thomas Hobbes, qui admonens de facili non eſſe admittenda miracula, ut vulgus facit, *lib. de Civit. Chriſt. c.* 37. *pag.* 206. habet: *In tali generis humani proclivitate fidem miraculis temere adhibendi, cautela melior eſſe non poteſt, quam quæ a Deo per Moyſen (ut ante dictum eſt) docetur in cap.* 18 *Deuteronomii initio, & fine: nempe, ne pro Prophetis habeamus illos, qui Religionem aliam docent, quam quæ ab eo, qui perſonam Dei in civitate gerit, legibus permittitur; neque etiam illos, ſi novum aliquem articulum obtrudere conentur, pro Prophetis habeamus, ſine miraculo indubitato* ,, idcirco (in ,, hunc ſenſum proſequitur) ſicut ,, Moyſes & Aaron in diebus ſuis, ſic ,, omnibus diebus conſulendi ſunt ,, Primates populi Chriſtiani, videli- ,, cet ſummi Eccleſiæ Rectores, qui ,, doceant quæ doctrinæ ab ipſis per- ,, mittantur, priuſquam miraculis, ,, ignotis Prophetis fidem adhibea- ,, mus. Inſuper nos ipſi quantum poſ- ,, ſumus ſcrutari debemus, & inqui- ,, rere miracula, quibus ſuadere ni- ,, tuntur nova dogmata; & de eorum ,, veritate ferre ſententiam, ad nor- ,, mam publici judicii, illius videli- ,, cet, qui in civitate ſummam po- ,, teſtatem gerit ,, quod declarat hoc exemplo: *Si quis dicat, quod poſt certa verba ab ipſo prolata ſuper buccam panis, non ſit amplius panis, ſed Deus, vel homo, etſi oculis, ut ante, panis videatur; cauſa nulla eſt, cur quis ita factum realiter eſſe putet, neque illum timeat, donec a Deo per illum, qui locum ejus in civitate tenet, utrum realiter factum ſit, nec ne, inquiſierit; & ſi quidem ille negat, tunc ſequitur id quod a Moyſe dictum eſt Deuteron.* 18. 22. *Temere locutus eſt, non timebis illum. Sin factum eſſe realiter dicat, acquieſcendum eſt.* Porro ſi Propheta ille habendus non eſt, qui doctrinam aliam docet, quam quæ ab eo qui perſonam Dei in civitate gerit, etiamſi eam miraculo confirmaret, niſi ſit indubitatum, & evidens; Lutherus ne, ceterique pſeudoreformatores habendi erant Prophetæ, qui pro doctrina Dei docebant novam admodum doctrinam, aliam prorſus ab ea, quæ docetur ab his qui perſonam Dei in Eccleſia tenent, nullo neque infirmo, & dubio exhibito miraculo? Jure Catholici Lutherum Novatorem aſpernati ſunt; etenim *temere locutus eſt, non timebis illum.*

§. IV.

Vera miracula edita in Eccleſia Romana.

26. AGnoſcas me velim non omnia miracula vera hic aſſerere, quæ vel antiquis, vel recentibus chronicis habentur. Unum curo, proferre palam audaciam Picenine tuam, & paralogiſmum, quo uno, vel altero deprehenſo miraculo minus certo, indiſcrete infers commenta omnia, & fabulas, exemplo Numiſmatum, quo ſic arguis (Triumph. pag. 96.) *Adulterini impendantur nummi in aliquo regno nec niſi poſt diu fraus deprehendatur. Falſarii autem illi primi, vel alii ab ipſis malas artes edocti, in alias partes & gentes ipſoſmet nummos impendant ejuſdem notæ, & qualitatis, ad eundem finem. Quis ipſis fidet?* Poſitio hæc primum probabi-

babilitate caret. Adulterinos nummos, diu latente dolo, in aliquo regno impendi, non probabile, & pene impoſſibile. Pene igitur impoſſibile miracula omnia falſa vulgatæ fuiſſe in Eccleſia, quin fraus comperta ſit niſi multa poſt ſecula. Secundo: pecuniæ manent, miracula ceſſant; idcirco extantes pecuniæ, diu licet abhinc cuſæ, cum præ manibus habeantur, probatæ, necne ſint, dignoſci facile poſſunt: quæ tamen fuerunt, nec amplius extant, adulterinæ, necne fuerint, non meo judicio, ſed nonniſi illorum relatione, ad quorum manus tunc temporum venerant, probari queunt: temerarium enimvero foret nunc aſſerere velle, Romanorum temporibus nonniſi adulterinos nummos fuiſſe impenſos, quos legitimos & probatos traderent omnes ſinchroni illorum temporum hiſtorici. Id de miraculis, quæ facta jam dudum fuerunt, falſa, necne fuerint, non eſt tuum, qui non vides, ſed illorum, qui viderant judicare. Cum autem ab antiquis ocularibus etiam teſtibus, illorum plurima vera fuiſſe tradantur, ut ſupra cum D. Auguſt. (*Lib. 22. de Civit. Dei*) oſtenſum fuit, non capio cur tu falſa ea omnia nunc carpere audeas. Poſtremo. Inter varios nummos, quanquam unus, vel alter adulterinus a te deprehendatur, non equidem omnes idcirco adulterinos judicabis, nec omnes ſtatim projicies. Cur porro id facis de miraculis, quorum uno, vel altero falſo habito, omnia falſa temere condemnas? Doctorum plurimi falſas tradiderunt doctrinas; falſæ ne ideo omnes doctrinæ?

27. Cuncta licet miracula Eccleſiæ Romanæ iudicio probata vera habeam; graviſſimi tamen penſi, hoc Opere non ferendi, eſſet, velle me ſingula vindicare. Satis vero muneri meo erga te feciſſe reor, cum probaverim donum miraculorum quolibet ſeculo in noſtra Eccleſia fuiſſe retentum. Miſſis itaque quæ de Catharina, Lucia, Dorothea feruntur, negari poſſe non credo quod a Tertulliano (*lib. de Anim. cap. 51.*) miraculum narratur de muliere illa, quæ vita jam functa, vix inchoatis a Sacerdote ſuper eam precibus, ſupplicantis more manus porrexit, junxit, quibus peractis, in priſtinum compoſuit. Id ſane confirmat fide digna mirabilia, quæ accidiſſe feruntur in precibus pro defunctis, ſi ſeculo uſque ſecundo extat exemplum. Neque vera refellentur a S. Cypriano (*lib. de lapſis*) relata; de infantula, quæ ex aſperitate doloris Sanguinem Chriſti evomere adacta fuit, quia Idolothyta deguſtaverat; de muliere, quæ ſcrinium, ubi ſervatum habebat Corpus Chriſti, ſacrilega manu aperire tentans, flamma ignis illinc erumpente, abſterrita deſtitit; de illo, qui peccati obnoxius, accepta cum aliis ſacroſancti Sacrificii parte, manibus ſe detinere ſolos cineres reſpexit. Quæ certe tam antiquitus tradita, fidem aſtruunt portentis, vel effuſi Sanguinis, vel mirabilium mutationum, quæ in azymis conſecratis facta narrantur. Verum non inficiaberis illud Euſebii lib. 6. hiſt. cap. 9. de Narciſſo Epiſcopo Jeroſolymitano. Deficiente oleo, lampades Eccleſiæ aqua ille impleri juſſit; & oratione facta, aquam vidit mutatam in oleum: quod, in hujus miraculi perenne monumentum, partim a circumſtantibus ſervatum, ætate uſque Euſebii aliquantulum ſupererat. Cur porro falſæ excipientur mirabiles converſiones aquæ in vinum, vel hujuſmodi, aliorum recentioris temporis Sanctorum precibus impetratæ? Divus Gregorius Neocæſarienſis, ex miraculis cognomento Thaumaturgus, verbo ſanavit ægrotos, litteris abegit Dæmones, precibus e loco montem tranſtulit, ad ſedandas inter duos fratres rixas lacum exantlavit aquis; quæ omnia vera eſſe fidem faciunt Rufinus, Gregorius Nyſſenus, Socrates, & Nicephorus: & fabulæ erunt quæ noſtris chronicis traduntur? Romanus Martyr, abſciſſa a Tyranno lingua, verba dedit. Sic Prudentius in ſuo Hymno, Chryſo-

ſto-

ſtomus *in encomio Romani*. Infantulus autem quod locutus ſit apage fabula? Albanus Verulamienſis, millie ſtipatus hominibus, ſiccis pedibus Tameſim tranſnatavit. Sic Gilda *de excidio Britanniæ*, & Beda *Lib.* 1. *cap.* 7. *hiſt. Angliæ.* Idem vero accidiſſe proximis ſeculis, ſomnium, & commentum *Fratrum?* Legatur Jodocus Coccius *tom.* 1. *Lib.* 8. *de ſignis Eccleſ.*, apud quem conſtat quovis ſeculo facta miracula.

28. Ais *inter tot Martyres a Diocletiano mactatos nullum viſum eſt miraculum præter quod feræ, quamvis irritatæ a perſecutoribus, Confeſſores Chriſti non lædebant.* Parum ne tibi feras irritatas non lædere? Euſebio tamen ipſi id narranti, divino viſum eſt factum portento; & Scriptura Danielem in lacu leonum ſervatum incolumem, miraculo tribuit. Hoc unum licet apud Euſebium feratur miraculum de Martyribus ſub Diocletiano; ſi tamen Uſuardum in Martyrologio, Adonem Viennenſem, & alios legiſſes, accepiſſes de Victore Maſſilienſi in carceribus ab Angelis viſitato, in moletrinam rotam intruſo, illico machinam diruptam fuiſſe, minuto ipſi capite factam fuiſſe vocem: *Viciſti, Victor Beate, viciſti*; de Martyribus ad marmora damnatis, qui muniti ſigno Crucis operam ſuam feliciter navabant: e contra Pagani, ſcalpris, ferisque infectis. opus egre exigebant; de muliere nomine Zoa, de Tranquillino de Chromatio, articulari morbo repente ſanatis, ſola ſuſceptione Baptiſmi. Seculo Diocletiani ais non invaluiſſe miracula? Hoc ſeculo vigebat Paphnutius, & Hilarion. Primus, teſte Ruſino (*Lib.* 1. *cap.* 4.) ſola voce excutiebat Dæmones, ſanabat ægrotos, cæcos illuminabat, paralyticos conſolidabat. Alter (referente S. Hieronymo *in Vita S. Hilarionis*) tres pueros nulla ſpe vitæ decumbentes ad integram revocavit ſanitatem, cæco lumen dedit, paralyticum reſtrinxit, & eodem temporis momento bis centum obſeſſos a Dæmonibus liberavit. Vivebat tum Pictavienſis Hilarius, de quo narrat Fortunatus in ejus vita, ſolo ſigno Crucis innumeros ſerpentes abegiſſe, infantulum mortuum ad vitam revocaſſe, proxime moriturum ſanaſſe, plurimaque poſt mortem ſigna feciſſe. Hæc non miracula? Aberras dum in *Triumph. pag.* 89. ais: *In ſeculo nono non ſunt viſa miracula.* Vivebat hoc ſeculo Jovannicius Abbas, qui ſigno Crucis draconem occidit, infectam ſerpentibus inſulam repurgavit, orans e terra elevabatur. In translatione Reliquiarum S. Marcellini, eodem ſeculo celebrata, refert Eginardus cæcos illuminatos, claudis, ſurdis, mutis, paralyticis, aliiſque infirmis collatam ſanitatem. Angerii concionibus, plurimi Gentiles Baptiſmo tincti, animæ una, & corporis ſalutem aſſequebantur. Prætereo miracula Remberti Amburgenſis, Danorum, & Svevorum Apoſtoli, Rumoldi Regis Scotiæ filii; lectorem mittens ad Annales Eccleſiaſticos.

29. Novum mendacium. *In Hiſpania* (ais in Triumph. pag. 89.) *vexata a Saracenis non ſunt audita miracula.* Si vix illius Regni hiſtorias delibaſſes, in illam mirabilem illico offendiſſes victoriam a Pelagio Rege de Saracenis obtentam, cum Rex mille vix hominum comitatu in ſpelunca recluſus a Saracenis vexaretur ſagittarum nimbis; quæ miraculo retrorſum in ipſos ſagittarios referiebant: quo prodigio exterriti aggreſſores, & in fugam verſi, vicies mille gladio cæſi perierunt. Hoc an non miraculum, cum tale habeatur ab omnibus hiſtoricis? Circa vero Martyres ignoraſſe te prodis Martyrologia: hæc quippe plurima referunt prodigia, quibus Deus pugilibus ſuis opem tulit, & gloriam. Volvantur libri ab Eulogio martyre Cordubenſi inſcripti *Memoriale Sanctorum*, & Martyrologium hiſtoricum Salazar. Cur vero ea frequentia facta non ſint, ac in primitiva Eccleſia, ſolus eorum auctor Deus novit, cujus inveſtigare judicia, nefas. Neque in veteri lege,

eadem

eadem quoquo tempore ſignorum frequentia. Ante Moyſen quam rara; pone ipſum pauca numerantur, uſque ad Eliam, & Eliſeum, qui portentis multis claruerunt. Dona ſunt, quæ Spiritus Sanctus qnando, quibuſque vult diſtribuit. D. Auguſtinus (Lib. 1. *Retractat. cap.* 14.) rationem dat cur ſuis temporibus ſicut illis Apoſtolorum tot tantaque prodigia non fierent. his verbis: *Cur, inquit, iſta modo non fiunt? Atqui reſpondi, qnia non moverent, niſi mira eſſent: ſi autem ſolita eſſent, mira non eſſent. Hoc autem dixi, quia non tanta, nec omnia modo; non quia nulla fiant etiam modo.*

30. Quibus Auguſtini verbis perit objectio tua in Apologia, & in Triumpho repoſita; cur nempe Ariana graſſante hæreſi vix unum in ſuffragium Myſterii Trinitatis, & Redemptionis colligi poſſit miraculum? Hæc Myſteria plane jam fuerant comprobata. Miracula Chriſti & Apoſtolorum has cuncta inſerendas reſpiciebant veritates: ſi alia facta eſſent, ſolita eſſent. *ſi autem ſolita eſſent, mira non eſſent.* Qui auditis miraculis horum dogmatum gratia olim editis adhuc veritati reſiſtebat, neque eiſdem ob oculos poſitis fidem præſtaſſet: *Hoc antem dixi, qnia non tanta, nec omnia, non quia nulla facta ſint.* Neque enim tunc deſierant miracula. Monſtrum ingens fuit Arii fœdiſſimus exitus, cujus circumſtantiæ ſatis notæ. Hic Arianæ ſectæ famam imminuit, auxitque Catholicis, ut teſte Socrate (Lib. 1. c. 38.) *Ingens terror ac mæſtitia animos eorum qui cum Euſebio Nicomedienſi erant occupavit.... Imperator vero chriſtianæ Religioni eo magis adhæſit, cum Nicanæ fidei veritatem Dei ipſius teſtimonio confirmatam eſſe intelligeret.* Inſigne portentum fuit, quod de ſeipſo Athanaſius refert in Apologia *pro fuga ſua defenſione*, ut teſtatur Theodoretus lib. 2. hiſt. cap. 13. cum ne fugeret, a plus quinis mille Arianis in Eccleſia obſeſſus, inter illos medius, nullo vidente, exivit; ſicut Chriſtus, quum viderent, per medium Hebræorum ibat. Nec minus Miraculum, quod *Lib. 4. hiſt. cap.* 19. a Theodoreto, aliiſque fertur de Divo Baſilio magno; qui a Valente Imperatore rogatus pro ſanitate filii, hanc impetraturam promiſit, dummodo a Catholicis baptizaretur. Verum clam filius, Imperatoris juſſu, baptizatus ab Arianis, illico mortuus; quo facto motus Valens, adhærere Baſilio cœpit; donec ab Arianis iterum ſeductus, perperam tentata Baſilii conſtantia, exilium ipſi intentavit. Verum facturus decretum, & ſella, in qua ſedere volebat, confracta eſt, & tribus calamis ad ſcribendum adhibitis, nullus eorum reddidit atramentum: & cum nihilominus perſiſteret, ipſius dextera diſſolutis nervis tota contremuit; quibus commotus, chartam utraque manu conſcidit. Tot miracula in ægris curandis, & Dæmonibus excutiendis a Monacis Egypti fiebant, ut Ariani livore perciti alios exilio: alios variis ſuppliciis diſperdere Valenti ſuaſerunt. Inter exules aderant duo Macarii, Ægyptius ſcilicet, & Alexandrinus. Deportati in inſulam, in qua Chriſtianus nemo, fremere Dæmones, quæ ibi colebantur, & horrere cœperunt & Sacerdotis filia, a Dæmone obſeſſa, furiis invecta clamabat: *Cur huc veniſtis, ad nos abigendos?* Redempta autem per ſanctos illos homines a Dæmonibus virgine illa, & patri incolumi reſtituta, inſulani omnes in Chriſtum crediderunt: unde concludit Socrates (*Lib. 4. cap.* 24.) *Ad hunc modum admirabiles illi viri ob conſubſtantialis fidem perſecutionem paſſi, tum ipſi probatiores evaſerunt, tum aliis ſalutem attulerunt, tum fidem illam multo magis confirmarunt.* An non miraculum illud a Nicephoro relatum (*Lib.* 16. *cap.* 35.) cum Deuterius Arianus Epiſcopus verbis ſuę blaſphemiæ paratus quemdam baptiſmalibus aquis tingere, aquas vidit uno inſtanti evaneſcere? An non illud a Sozomeno laudatum (*Lib.* 8. *hiſt. c.* 5.) de muliere, ſecta Macedoniana,

niana,

Digitized by Google

ſtiana, quæ coacta a marito ſermonibus S. Joannis Chryſoſtomi recenter converſo, ut in Sancta Euchariſtia ſecum communicaret, vice Panis Euchariſtici præſtitum ſibi clanculum per juratam ancillam vulgaris panis fruſtum, *cum mulier dentibus admoviſſet, inſtar lapidis induruit. Tum mulier verita ne quid ſibi gravius eveniret, tanto erga ſe patrato miraculo, confeſtim ad Epiſcopum pergens, ſeipſam accuſavit. Simulque lapidem oſtendit, qui morſus veſtigia retinebat, materia quadam prorſus ignota, & colore inuſitato præditum... Quod ſi cui forte hæc minus credibilia videntur, teſtis eſt lapis ipſe, qui in theſauro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ etiam nunc ſervatur.* Hæc Sozomenus. Nunquam finis, ſi ſingula vellem recenſere miracula in honorem Myſterii Trinitatis a Deo edita adverſus Arianam perfidiam. Hæc ſatis, quibus pravam fidem Picenine tuam lector agnoſcat.

31. Mendaciis tuis contumelias componis in Apologia & Triumph. pag. oo., irridens miracula noſtra ceu *fabuloſa, Deo injurioſa, & Virgini, Romanæ Eccleſiæ turpiſſima*. Pagani etiam mimici præcurſores tui in ſcenam ducebant Chriſtianorum miracula (ut refert D. Auguſt. *Epiſt.* 102. ali. 40. *ad Deogratias de miraculis qu. 6.*); eaque dicebant ridicula, *contumelioſa; & turpia* Chriſtianæ fidei. Quid refert (inquiebant) fidei veſtræ aſtruendæ, homo, nempe Jonas, ingurgitatus a piſce? Magnum hoc plane Cete. Voratus ne ille nudus, vel pallio cinctus? Quid vero myſterii habet hedera illa ad caput rejecti a piſce naufragi orta, & dilatata, quæ mox inde aruit? Quibus S. Doctor: *Ad hoc reſpondetur, quod aut omnia divina miracula credenda non ſint, aut cur hoc credatur cauſa nulla ſit ..... Neque enim debent unum aliquid tanquam incredibile proponere, & in quæſtionem vocare, ſed omnia, quæ vel talia, vel etiam mirabiliora narrentur. Et tamen* ſi de Tyanæo, Apulejo, vel quovis alio magni nominis apud ipſos; *ſi de iſtis ut dixi, quos magos, aut philoſophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non jam in buccis creparet riſus, ſed typhus.* Sic cum Paganis Auguſtinus. Sic vero ego tecum, qui crepante riſu excipis noſtra miracula. Peto; dum *Monachorum & Fratrum* fabubulas, & commenta dicis miracula noſtris chronicis edita; omnia ne talia tibi videntur, nullo excepto, an aliqua tantum; cetera autem probas? Non credam, omnia, ea præſertim antiquitus tradita: alias periret univerſa hiſtoriarum fides; in quibus cum adjuncta miraculis cetera geſta narrentur, nulla eſſet ratio, cur in ejuſdem Auctoris hiſtoria, illa falſa, iſta vera reciperentur. Ea igitur falſa tantum apud te, quæ de noſtris Sanctis referuntur. Tunc ſic. Primum, quo ſeculo (cum ſingulis, ut oſtendi viſa ſint) adulterari miracula cœperunt? Secundum, cur miracula hæc noſtra, fabulæ? Forte quia quos rejicitis articulos, ipſa confirmant? Verum & Pagani, Chriſti & Apoſtolorum irridebant miracula, quia ea fieri videbant in obſequium fidei, quam deteſtabantur. Præterea negas quod contenditur, & tibi probandum incumbit. Oſtende igitur quos adverſus vos profitemur articulos falſos eſſe; tum noſtra miracula inter fabulas ſcite amandabis. Forte ea negas, quia tibi *ridicula* videntur? At cur ridicula? Ridiculum aliis etiam viſum, ad obumbrandum Prophetæ caput, hederam gigni, quod tamen verum. Hominem a Cete ingurgitatum, & egeſtum in littore, fabula habebatur, & tamen verum; Aſinam, hominis ſermone loqui; Dæmonem tentandi Job patientiam, a Deo licentiam petere, & obtinere; Satanam a Raphaele in deſerto conſtringi, torque alia: quæ tamen veriſſima. Cur ergo ridendum, infantem prævia ætate locutum? Divum Antonium, accerſitis ad littora, piſcibus prædicaſſe? D. Dominicum reluctantem, & iratum Diabolum tenere facem adegiſſe? a D. Dunſtano Diabolum vapulaſſe? & ſimilia.

Si

Si Chriſtus permiſit Dæmonibus in porcos intrare, & hæc veritas; cur vaccam obſeſſam a Dæmone, fuiſse a D. Martino liberatam fabula erit?

32. Novi in Triumph. pag. 89. ad hæc te reſpondere: Si Scripturis ſacris hæc haberentur, a Proteſtantibus reciperentur: *Verum quædam miracula in legendariis exarata, ridicula non tam Proteſtantibus, quam ipſis Catholicis fiunt; ut Vives lib. 2. de cauſis corrupt. artium pag. 371. 372., Gerſoni, Vallæ, & præſertim Cano lib. 11. de locis Theolog. c. 6.* Age ſit quod Canus cum prælaudatis viris aſſerit, inter miracula irrepſiſſe aliqua falſa: & dolendum eſſe, quod ſive aliquorum ineptia, ſive aliorum forte malitia, in id fuerit aliquando peccatum. Verum cur omnia propterea evertere? Cur fabulas omnia obloqui? Profecto nonniſi in contemptum, & contumeliam Romanæ Eccleſiæ, ne victus ſtatim, & confuſus videaris. Nec quidem ego veros jurarem eventus omnes, qui fantur mirabiles; qui ſi interdum deprehendantur muliercularum deliramenta, vel hypocritarum mendacia, ab Eccleſia, & ejus Paſtoribus illico reprobantur. Quæ tamen ſeveriſſimo Eccleſiæ judicio probantur ut vera miracula, & quæ talia a contemporaneis hiſtoricis non raro teſtibus etiam ocularibus proponuntur: hæc inficiari velle, idem eſt, ac hiſtoriæ fidem omnem tollere, traditionem univerſam abrogare, nulla media ratione, quam effreni refragandi temeritate. Quoniam Canum tanti merito æſtimas *lib. 11. de locis Theol. cap. 6.*, cur ejus regulæ non acquieſcis? Diſertus hic, quam eruditus Antiſtes querelam Ludovici Vives juſtam approbat de quibuſdam Eccleſiaſticis hiſtoriis, quæ vanitatem, & ineptiam redolent, nec porro negat Sanctos noſtros vera edidiſſe miracula; quin ait: *Heroum porro noſtrorum res vere geſtæ, ſicut ego exiſtimo, non ſolum amplæ, magnificæque fuerunt, verum multo etiam majores, quam famâ feruntur.* Prudenter ille ſane, ac graviter arguit quoſdam, qui dum affectui ſuo nimium indulgent, & ea ſcribunt, quæ animus ſcribentis dictat, non veritas, *tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipſi, & ſi poſſent, eſſe tamen noluiſſent.* Idcirco non ſpernendas, ſed explorandas tradit hujuſmodi hiſtorias humano ſenſu editas, illis regulis, quarum Gelaſius auctor eſt. Prima eſt *Ut eas hiſtorias nullo modo amplectamur, quæ ſine certo auctoris nomine præferuntur.* Secunda *Ut eos hiſtoricos reliquis anteferamus, qui ingenii ſeveritate quandam prudentiam adjunxerunt ad eligendum & judicandum: quæ lex in iis rebus locum habet, quas res nec ſcriptores ipſi ſunt intuiti, nec a viris fide dignis, qui viderint, audierunt.* Tertia *Si cui hiſtorico auctoritatem Eccleſia tribuit; hic procul dubio dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adjungamus. Contra vero, cui Eccleſia derogavit fidem, ei quoque nos jure, & merito fidem derogabimus.* Scito tamen cum liber aliquis *Epiſcopi, vel Inquiſitoris licentia imprimitur,* non ſtatim ejus auctori Eccleſiæ auctoritas adjungitur, elapſis præſertim ſeculis (modo enim ſolertior cautela adhibetur) ſed illis dumtaxat auctoribus, qui ab Eccleſia fide digni cenſentur, quorum gravitas, & prudentia interdum laudatur. Sic loquitur Canus. Non rejicit falſum quidquid miraculo adſcriptum legitur, ſed credulitati modum imponit, juxta D. Pauli monitum (1. Theſſalon. 5. 21.) *Prophetias nolite ſpernere, omnia autem probate, quod bonum eſt tenete.* Veterum Romanorum res geſtæ, mirabileſque etiam illorum temporum caſus, cum ſive ab omnibus, ſive a quibuſdam gravioris notæ auctoribus referantur, dubios nemo eos, vel ſuſpectos habet. Cur autem Eccleſiæ Romanæ miracula nedum dubia, ſed falſa funditus omnia rejicientur, auctores licet habeant fide dignos, qui ea vel ipſi intuiti ſunt, vel a viris fide dignis, qui viderint, audierunt, vel nonniſi poſt grave Eccleſiæ judi-

eium ea ſcripſerunt? Quotquot vivebant illa ætate, qua ea fiebant, omnes ita accidiſſe teſtantur; quoniam vero Lutherus, Calvinus, & eorum Sectarii multa poſt ſecula nati contendere ea audent, abroganda eſt integra fides, quæ illis tandiu pacifice habebatur? Me cohibere non valeo, quin cum D. Auguſtino repetam: Si apud Proteſtantes vel minimum quid *de ipſis, vel tale aliquid narraretur, non jam in buccis creparet riſus, ſed typhus.* Si indignabundus reponas, nil faceſſendum tibi de noſtris miraculis; Tum ego: Sic plane Vulpecula apud Æſopum, dum tentatis omnibus aſtutiæ artibus uvas carpere non valuit: nolebam, inquit; acerbas quippe eas nimium video, & agreſtes.

33. Licet autem non omnia miſtim recipienda, ſed quæ tenenda ſint probanda pariter eſſe conceſſerim; contentus tamen eſſe debes illo probandi genere, quo uti poteſt, ubi facti quæſtio eſt. Fateor noſtræ ætatis miracula nec tam manifeſta, nec tanta fide digna eſſe, ac illa, quæ ab Apoſtolis fiebant. Verum (inquiebat Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8.) *Etiam nunc fiunt miracula in ejus* (Chriſti) *nomine, ſive per Sacramenta ejus, ſive per orationes, ac memoriam Sanctorum ejus.* (Attende miracula fieri per orationes, ac memoriam Sanctorum, Auguſtini uſque temporibus; nova itaque non ſunt). *Sed non eadem claritate* (proſequitur ille) *illuſtrantur, ut tanta, quanta illa, gloria diffamentur.* (Rationem aſſignat) *Canon quippe ſacrarum litterarum, quem diffamatum eſſe oportebat, illa facit ubique recitari, & memoria cunctorum inhærere populorum. Hæc autem ubicunque fiunt, ibi ſciuntur, vix a tota ipſa civitate, vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi pauciſſimi ſciunt, ignorantibus ceteris, maxime ſi magna ſit civitas; & quando alibi aliiſque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, ut ſine difficultate, vel dubitatione credantur.* Refert inde exemplum de „ cæco illuminato ad corpora Martyrum Protaſii, & Gervaſii; quod miraculum Mediolani factum, cum illic ille eſſet, ad multorum notitiam potuit pervenire: quia & grandis eſt civitas, & ibi erat Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt „. Eadem habet *lib. de Unit. Eccleſ. cap.* 19. *& lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 7. *D. Ambroſ. ep.* 85. *& ſerm.* 91. Alia proinde narrat, quæ cum paucorum præſentia privatis domibus fierent, tantam fidei auctoritatem non obtinebant, haud tamen illis minus vera erant. Porro intellige ex his juſtam tibi non ſuppetere cauſam vera negandi ea miracula, quæ, cum in frequenti conventu populi fiant, *non tanta ea commendat auctoritas.* Chriſtum e cruce D. Thomæ Aquinati dixiſſe: *Bene ſcripſiſti de me Thoma;* B. Virginem D. Hyacintho per iconem fuiſſe locutam; & D. Bernardo *vale* dixiſſe: miracula hæc ſunt, quæ facta vel paucis, vel ſolis illis forte adſtantibus, ſolemni probatione carent. In eorum tamen actis ab omnibus narrantur. Dictum a Chriſto D. Thomæ: *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, præter ejus vitæ commentatores omnes id aſſerentes, nempe Guglielmum Toccum, Bernardum Guidonem, Joannem Garzonium, Antonium Flaminium, Leandrum Albertum; idipſum confirmat qua indubitatum, & in Breviario Romano ab Eccleſia ſancitum, Clemens VIII. in Bullis Neapolitanis datis, quarum prima hæc habet: *Cujus doctrinæ fuit tantum tributum, ut chriſtiana eruditionis ſua divinum etiam habeat teſtimonium: Bene de me Thoma ſcripſiſti.* Secunda vero tractans de ejus libris, habet: *Quos deinde conſcriptos expreſſa Chriſti Domini voce comprobatos audivit.* Hæcne Clemens VIII. tanta conſtantia ſcripſiſſet, ſi fabulæ indicio quoquo modo tradita fuiſſent? Deiparam per iconem expreſſis verbis ſuaſiſſe D. Hyacintho in cella degenti, quod a devaſtantibus Tartaris ſubduceret Sanctiſſimam Euchariſtiam, & ſuum ſimulacrum; quo audi-

Digitized by Google

audito mora impatiens Hyacinthus, & alacer, ſacratiſſimam pyxidem dextera, & ſimulacrum, alabaſtrinum licet, ſiniſtro brachio com plexum tenens, petierit Boryſthenem, ſiccis pedibus tranſfretaverit, atque incolumis cum pretioſa ſupellectili evaſerit; fuſſe id traditur in actis ſuæ canonizationis, additis plurimis aliis mirabilibus portentis, quæ legi poſſunt apud Bzovium (*in Vita S. Hyac.*) & S. Antoninum, alioſque. Certum necne ſit Deiparam (quod nunc diſputare abſtineo) vale dixiſſe D. Bernardo; certum tamen eſt Chriſtum e cruce ad ejus amplexum brachia porrexiſſe, ſicut veriſſima ſunt tot, totque alia miracula ab ipſo patrata, quæ leguntur in actis ejus vitæ *tom.2.* ad calcem ſuorum Operum (*edit. P. Mabillon*) ab auctoribus coævis exaratis, quorum plurimi de viſu teſtantur mirabilia quæ per ipſum a Deo fiebant. Nihilominus apud Proteſtantes hæc omnia fabulæ? Hæcne forte impoſſibilia? Si Deus e rubo Moyſi, cur Chriſtus e cruce, Deipara e ſuis iconibus verba reddere non potuerunt? Res facti de falſitate accuſari nequit, niſi vel non omnino facta, vel omnino impoſſibilis demonſtretur. Unde hoc, vel illud probas?

34. Ea præſertim inceſſere miracula ſtudes, quæ de B. Virgine narrantur, & venenum animi linguæ melle tegens, injuria magna Virgini eſſe, vel fabulas ais in Triumph. pag. 80., his verbis: *Fertur Virginem labia Joannis Chryſoſtomi aurea feciſſe; quo prodigio nuncupatum Chryſoſtomum: pariter reciſam manum S. Joanni Damaſceno per ipſam reaptatam. Hæ porro fabulæ.* Jam dictum non omnia, quæ narrantur me vera recipere; vera interdum miſcentur falſis, ut nummi legitimi adulterinis. Hujus generis habeo dictum de Chryſoſtomi labiis a Virgine inauratis. Socrates *lib. 6. cap. 3.*, *&* Sozomenus *lib. 13. cap. 2.* ejus vitam referunt: de hoc autem miraculo nec verbum. Ejus quidem in dicendo facultas ab ipſis commendatur, unde primo appellatus Chryſoſtomus *propter aureum eloquentiæ flumen*; tametſi nonniſi ſeptimo vertente ſeculo hac nomenclatura cohoneſtatus ſit, ut notat *Erneſtus Salomon Cyprianus Bibl. Eccleſ. Fabritii in Hieron. de Script. Eccleſ. pag. 217.*, antea quippe ſolo Joannis nomine ſcriptus legitur. Damaſceni factum a te expoſitum, apocrypha continet, & vera. Joanni Damaſceno dexteram impie abſciſſam interceſſione Virginis fuiſſe reſtitutam omnes tradunt ſcriptores. Vixiſſe autem Theodoſii ætate nonnulli ferunt, additis aliis improbabilibus narratiunculis. Joannes tamen Patriarcha Jeroſolymitanus, in fronte Operum Sancti Joannis Damaſceni, Genebrardus *Lib. 3. Chronologiæ*, Nicephorus *Lib. 20.*, aliique, quos legere debebas, teſtantur Damaſcenum Leonis Iſauri ævo floruiſſe, cujus fraude illi abſciſſa manus in odium Imaginum, quarum cultus a Damaſceno promovebatur. Veræ hiſtoriæ attendendæ, non apocryphæ. Tibi ſane refert hujuſmodi prodigium dubiis involvere; cujus veritas Religioni, cui inſimulas, ſacratum imaginum, nimium defert auctoritatis. Rei tamen veritatem aperire optimum mihi & juſtum. Joannes igitur Conſtantinopolitanus ex actis D. Joannis Damaſceni vetuſtioribus arabice ſcripiis, & ab auctore quodam coævo, integram miraculi ſeriem, & modum deſcribit, expreſſis infra referendis verbis. Saracenus Califa Damaſceno dexteram truncari juſſerat. Quo facto ſupplex Damaſcenus eam ſibi truncam reſtitui enixe rogabat. *Ceſſit confeſtim precibus Tyrannus, & manus juſto conceditur. Qua is accepta, in ſacellum domeſticum ingreditur, totoque corpore pronus ante divinam quandam Dei Genitricis imaginem provolvitur; admotaque dextera, qua abſciſſa fuerat, ad priſtinam ejus commiſſuram, imo de pectore miſericordiſſimam illam gemitibus, & lacrymis interpellabat..... Hac Joannes cum lacrymis recitans ſomno corripitur, & ſacram Dei Genitricis imaginem videt oculos commiſeratione, & hilari-*

tate plenos in ſe convertere, atque affari: En tibi manus ſanata eſt. De cetero ne ceſſa, ſed ſicut modo pollicitus es, fac eam calamum eſſe ſcribæ velociter ſcribentis. Evigilans igitur, & ſanatus, tum manum abſciſſam, reſtitutamque curioſe contemplans, exultavit ſpiritu .... Hæc non occulte, neque ſilentio geſta ſunt, verum admirabilis ille ſonus, concinnaque jubilatio ad totam circumviciniam diffundebatur. Mox ex Saracenis .... nonnulli Principem ſuum adeunt, affirmantes Joanni dexteram minime amputatam fuiſſe &c. His renunciatis, Joannes accerſitur, qui cum veniſſet, refectam manum jubetur proferre. Hanc cum oſtenderet, lineola quadam, Dei Matre ita comparante, ſubapparebat, qua manifeſtum eſſet veriſſima exciſionis indicium. Marianæ protectionis, & cultus Imaginum perenne monumentum. Neque hoc, nec cetera a te recenſita miracula, ullam, ut inique opponis, injuriam faciunt magnæ Virgini; quin ejus efficaciæ apud Deum, patrocinii, & charitatis erga nos ſigna ſunt præclariſſima. Impium ſane & injurium eſt omni cultu & honore eam privare. Ceterum cum Deus nec turpe ſibi, nec indignum reputaverit e cælis in terram deſcendere, factus homo, ut peccatores ſalvos faceret, & a delictorum reatu, & pœna ipſe mediator redimeret; immo id in honorem, & gloriam immenſæ ſuæ charitatis retulerit: cur peccatores ipſos a Filio ſuo redemptos patrocinio tueri, precibus, & interceſſione juvare, ne divinæ paſſionis, ac pretioſiſſimi Sanguinis Filii ſui fructus propria culpa ſibi lucrari negligant, Virgini Matri indecorum erit & turpe? Matrem Filium deprecari pro peccatoribus ne pereant, ſed ut ejus meritis juſtificati, beatitudinem aſſequantur, & per clientes ſuos Chriſto Jeſu cultus accreſcat: id aſſerendo, *arrogantiæ, ambitionis, rebellionis, ſacrilegii*, Virginem Matrem crimine offendimus? Non hæc (mihi crede) *arrogantia, & ſacrilegium*, ſed illa (ut tu audes) Virgini denegare. De cultu autem Duliæ, qui Deo immediate debeatur, non eſt hujus, ſed alterius loci quæſtio. Liber vero Herculis Vincemalæ, ex quo miracula retuliſti, quæ tibi videntur injuria, tanta non pollet auctoritate, quaſi ex ipſo de veritate, vel falſitate miraculorum certum deſumi poſſit argumentum. Miror equidem te præſertim indignari, in illo libro plurimos proponi ſceleſtos homines, ex fiducia in patrocinium Virginis a temporali, vel æterna pœna liberatos; cum Theologia tua doceat ſola fiducia impetrandæ veniæ ſceleſtiſſimum quempiam, juſtum & ſanctum fieri.

35. Reſtat modo videre num per miracula noſtra, Romana fides ignominiam patiatur. Triplici de cauſa id aſtrui contendis. Primo: quia in verbo Dei eorum nulla habetur ratio. Secundo: propter exceſſum in numero. Poſtremo: quia temere recipiuntur. Gradatim Ariſtarchum audiamus. Apol. pag. 27. primo ais: *Veſtra miracula, vel Apoſtolorum doctrina, vel alteri ab illa fidem faciunt. Si primum, offendunt præcedentia miracula, quaſi iſta de ſe ſatis non profuiſſent veritati; immo hanc denuo in quæſtionem revocant. Si alteram commendant doctrinam, vos profecto Novatores eſtis.* Ad hæc, in Triumph. pag. 91. *Veſtra miracula Romanam fidem falſitatis evincunt: teſtantur quippe in Paradiſum recipi fures, latrones, magos. Theophilum, ceteroſque, quibus facile fuit, nedum bonis operibus, ſed graviſſimis criminibus irretitis, Paradiſum ingredi.* Bene. Verum quid prædicabat Elias? Quid Chriſtus? Elias Achabum non redarguebat, niſi de tranſgreſſione legis, quam tradiderat Moyſes. Chriſtus certe (ut & tu fateris) non prædicabat, niſi quod a Prophetis fuerat in Scripturis prænunciatum. Nihilominus tum Chriſtus, tum Elias ſigna multa faciebant. Nunc tuo dilemmate Chriſtum, & Eliam aggrediar ſic: *Veſtra miracula, vel Moyſis, & Prophetarum doctrinæ, vel alteri ab illa fidem faciunt. Si primum, veſtra miracula offendunt præceden-*

dentia, quaſi ſatis non profuiſſent veritati. Si ſecundum, Novatores eſtis. Si Sacerdotes Baal cum Elia, & Phariſæi cum Chriſto hac ratione contendiſſent, rectene oppoſuiſſent? Noſtra igitur miracula doctrinam commendant Apoſtolorum, nulla injuria præcedentium. Etenim non eam in ſeipſa confirmant, quaſi, ut vera ſit, miraculis egeat: ſed eam nobis fide infirmis confirmant, ut miraculis nutriti, robuſtiores in fide renovemur. Sicut cum iterata potione reparatur infirmus, non medicinæ vitium corrigitur, ſed morbi diuturna vis repellitur. Sicut etiam ipſa doctrina ab Apoſtolis prædicata, abſque illorum injuria a veſtris Miniſtris in dies prædicatur. De novitate doctrinæ ex noſtris miraculis deducta agendum alibi. Quod autem noſtra miracula oſtendant *in Paradiſum recipi latrones &c.*, vel id intelligis de latronibus per pœnitentiam juſtificatis; atque id veriſſimum: de quo infallibile monumentum nobis tradidit Chriſtus e Cruce latroni promittens Paradiſum (*Luca* 23. 43.), & (*Mat. b. c.* 13.) dicens: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*: cum quibus frequentius victitabat, & coram ipſis operabatur miracula; quia male habentes medico indigebant. Quo exemplo nil ſane tibi mirum eſſe deberet, quod ad eos alliciendos, & convertendos, dignatus ſit, vel B. Virginis, vel alterius Sancti interceſſione, miracula interdum facere. Hæ tamen, extraordinariæ converſiones ſunt, præter ſtatutum ordinem, & ideo non attendendæ, quia mirabiles. Quapropter integra viget ſemper ſtatuta bonorum operum neceſſitas ad ſalutem conſequendam; quam pſeudoreformatores negant, irridentes jejunia, abſtinentias &c., ut videbimus.

36. Secunda tua ratio: miracula fidei *turpia propter exceſſum in numero.* Papæ! turpia ex numero dicis? Immo honeſtiſſima, & decora fidei; cum Religionis decus ſit ejus fidem tot tantiſque ſignis a Deo commendari; ſicut de Moſaica lege, & de Evangelio late patet. Tot ſunt; quid inde? Habeſne tu Chriſtum coarctaſſe potentiam ſuam, & mirabilibus ſuis modum poſuiſſe? Ego Evangelium habeo, in quo lego: *Habete fidem Dei, quia quicunque dixerit huic monti tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei.* Profecto aſpiciens tot miracula in ſuffragium meæ fidei, nullum autem in cenſum tuæ, inferam fidem Dei veram meam eſſe, non tuam. Chriſtine forte honori detrahit major miraculorum numerus de noſtris Sanctis, quam de ſeipſo? Sane id videtur tibi videri, dum Apol. pag. 26. murmuras: *Dominicus, ne Chriſto cedat, panem multiplicat. Oh quot miracula! Quid mirabilius reſurrectione mortui? A Chriſto tres tantum ſuſcitati. A Sanctis vero heu quot!* 38. *a S. Vincentio.* 52. *a S. Hyacintho. Nonnulli quemdam morti tradiderunt, ut ad vitam ipſum revocarent.* Major de noſtris Sanctis miraculorum numerus ſi derogat Chriſti dignitati non minoris profecto ipſi damni erit major fidelium numerus, quem præ ſua, Apoſtolorum auxit prædicatio. In Triumph. *pag.* 106. reprehendis P. Semery, quaſi male interpretetur de operibus miraculorum verba illa Chriſti Joan. 14. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet. & majora horum faciet.* Vis quippe D. Auguſtinum (*Tract.* 72. in *Jo.*) *opera majora* illa ſcilicet juſtificationis intellexiſſe, quæ majora futura erant, ac illa Chriſti. Verum ſi per te majora juſtificationis opera non derogant Chriſto; non capio id factum per majora miracula, maxime cum (S. Auguſtino teſte *Pſalm.* 110.) inter divina opera *Quid magnificentius, quam juſtificare impium?* Umbra ſanare infirmos quid majus eſt, quam tactu fimbriæ. Hoc Chriſtus: illud fecit Petrus. Major igitur Magiſtro erit Diſcipulus? Nunquam, reſpondet Auguſtinus, qui conſiderat quod Chriſtus poſtquam dixit *& majora horum faciet*, ſubdit: *Quæcunque petieritis in nomine meo,*

hæc faciam ; unde ait: *Qui dixerat faciet, poſt ait faciam, tanquam diceret: non vobis impoſſibile hoc videatur; non enim poterit eſſe major me, qui credit in me, ſed ego facturus ſum, & tunc majora, quam nunc; majora per eum, qui credit in me, quam præter eum per me. Ego tamen ipſe præter eum; ego ipſe per eum.* Si autem aveas Auguſtinum audire explicantem illud: *Majora horum faciet*, vide *Enarrat. in Pſ.* 130., & accipies *ad vocem Domini ſurrexerunt mortui, ad umbram tranſeuntis Petri ſurrexit mortuus. Majus hoc videtur, quam illud. Sed Chriſtus facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat.* Si Vincentius itaque, ſi Hyacinthus, plures quam Chriſtus mortuos excitarunt ad vitam, non in ipſis prodigiis diminuta Chriſti gloria, ſed magis clarificata; quoniam Chriſtus facere ſine Vincentio, & Hyacintho potuit, Vincentius, & Hyacinthus niſi in Chriſto non potuit. Nec officit quod miracula noſtra de minimis quibuſdam, & infimis rebus edita ferantur; quaſi in his non eluceat divina gloria. Quippe repeto indubiæ fidei non eſſe omnia miracula, cum non omnia referantur a ſcriptoribus indubiæ auctoritatis. Verum etſi vera ſint, quæ niſi bucca crepante riſu (ut ais) legere neſcis, adhuc in ipſis nitet Dei potentia, quæ in infimis, & abjectis hiſce præclarior interdum apparet, ut cum fecit quod Aſina loqueretur, ſive Pernix, vel alia animalia reviviſcerent. Siquidem in divinis operibus non res facta, ſed cauſa cur facta ſint attendi debet: *Tamen ſi comprehendere omnia non poſſumus, tamen omnia inconcuſſe credere, & tenere debemus.* (*Auguſt. in Pſ.* 134 & *lib.* 10. *de Geneſ. ad lit. c.* 17. & 18.). Cave dum humano ſenſu omnia tentas, ne umbram illam fidei quæ tibi adhuc reſtat penitus amittas. Sic monet Auguſtinus (*Serm.* 247.) *Si cœperis humano ſenſu miraculorum diſcutere rationem, timeo ne perdas fidem.* Diſce igitur ab ipſo S. Doctore, primo: *Revera ſunt* (aliqua miracula) *de quibus ratio reddi non poteſt, non tamen non eſt.* (*Epiſt.* 222. *nunc* 120.) Secundo (*Lib.* 21. *de Civit. Dei c.* 5.) *Non ideo aliquid non fuiſſe, vel futurum non eſſe, quia ratio inde non poteſt reddi;* ſed *tota ratio facti eſt potentia facientis.* (*Epiſt.* jam 3. *nunc* 137. *c.* 2.) Si Auguſtini conſiliis muniti Proteſtantes accederent ad examen miraculorum, quæ vel in ſuffragium alicujus catholicæ veritatis, vel in aliquorum ſalutis beneficium leguntur conceſſa; non ita facile ab ipſis velut fabulæ, & commenta traducerentur.

37. Tertia denique ratio erat, qua ſuſpecta habes noſtra miracula, quia facile a nobis, ac temere recipiuntur. Jam peto. Qui ſunt hi tam faciles & creduli? Imperiti, & ſimplices? Mitto. Sed non acquieſcis in his: immo Apol. pag. 28. habes: *Dico quod Romæ promptiſſime acceptantur miracula, præſertim illa, quæ vulgantur facta auctoritatis Pontificiæ gratia. Sanctum & incorruptum Romanum tribunal prævio reformationis tempore ratum habebat quodlibet miraculum, dummodo factum vulgaretur in confirmationem novi dogmatis.* Probationes ſingulas audiamus. *Creditum e ſuperis D. Petrum ſcripſiſſe Pipino Regi, præcipiendo ut Italiam veniret ad expellendos Longobardos. Jam uſque tunc Romæ Epiſcopi Romanum affectabant Imperium.* Quæſo. A quibus creditum? A Romana Eccleſia? Proba. Pipinus Italiam venit zelo, ac pietate ductus, ut Romanam Eccleſiam ab invaſionibus Aſtulphi Longobardorum Regis redimeret, huncque armis adigeret, quæ inique uſurpaverat Eccleſiæ bona, reſtituere. His an ullus deprehendatur Romani Imperii ambitus, ſit qui judicet. *Creditum D. Gregorium memorem integræ juſtitiæ Trajani Cæſaris fuſis precibus impetraſſe, hujus animam a gehennalibus flammis liberari. Hæc fabula, ut ipſe Baronius cenſet.* Age, ſit fabula. Aſt a quibus ſuſcepta ut vera? A Papis? Profer monumentum. Si Baronius hoc commentum inter fabulas rejicit, ut alii plures faciunt; agnoſce noſtro-

ſtrorum ingenuitatem, & moderationem, dum non indiſcrete omnia, ſed quæ veritati innituntur ea recipiunt, rejicientes quæ falſa ſuſpicantur. Porro etſi vera hæc narratio haberetur, nil ſuffragii ferret Papæ auctoritati, tantumque precum Gregorii efficacia, & ſanctitas illuſtraretur. *Creditum Thomam Bechet (vulgo S. Thomas de Conturberi) inſignia patraſſe miracula. Id vero Romæ probatum, abſque diligentis examinis ſolemnitate.* *Romæ probatum*, verum; *probatum* autem *abſque diligentis examinis ſolemnitate*, & miracula illa falſa eſſe, non verum; & tibi incumbit non modo aſſerere, ſed probare. Oppoſitum quippe conſtat ex Epiſtola Alexandri III. ad univerſos Eccleſiæ Antiſtites, quæ hæc refert: *Auditis innumeris, & magnis miraculis, quæ jugiter per ſancti viri illius merita fieri univerſitas narrat fidelium, & ſuper his non ſine magno gaudio per dilectos fratres noſtros Albertum tituli S. Laurentii in Lucina, & Theoduinum tituli S. Vitalis Presbyteros Cardinales, atque Apoſtolicæ Sedis Legatos (qui eadem miracula tanto perſpicacius didicerunt, quanto amplius loco vicini fuerunt, præcipue certiores effecti) & plurium aliarum perſonarum teſtimonio fidem, ſicut debuimus, adhibentes &c.* Idne probare miracula abſque diligentia examinis, cum præter teſtimonium univerſitatis fidelium adhibiti ſunt teſtes duo Legati Presbyteri Cardinales, aliique graves viri? Laudata Epiſtola legitur in vita hujus S. Martyris relata a Chriſtiano Lupo *pag.* 171. *de geſtis poſt martyrium*, ac ibidem *inter Epiſt. S. Thomæ* habetur Epiſtola, quæ eſt 96. gratulatoria a prælaudatis Cardinalibus ad Capitulum Conturberienſe ſcripta de qualitate miraculorum, quæ ad ſepulcrum S. Martyris Deus facere dignabatur. Nec dixiſſe ſat eſt; ſed probandum ultro tibi incumbit *Urbanum IV. facile præſtaſſe fidem mulierculæ, novum feſtum inſtituendo.* Revelatio habita a S. Juliana Virgine Leodienſi, Eccleſiæ quidem Leodienſi occaſionem præbuit, conſultis tamen graviſſimis Theologis, inſtituendi ſolemne feſtum *Corporis Chriſti*: non ea porro unica ratio fuit, qua Urbanus illud univerſæ Eccleſiæ proponere diſpoſuerit. Hæc autem vera ratio. Sacerdos quidam in Urbevetana Diœceſi ſacrum faciens, peracta conſecratione, de reali præſentia Chriſti in hoſtia a ſe conſecrata anxius dubitabat; cum repente ex eadem hoſtia vivus emanavit ſanguis, quo corporale, ſive linteum altaris maduit, & ſanguine tinctum purpuravit. Urbanus eo tum Urbeveti aderat; qui miraculi fama jam percrebreſcente, linteum viſendum ſibi juſſit deferri. Pompa delatum. Totum oculis luſtravit; factum a teſtibus conteſtatum audivit: quibus compertis, myſterii *Corporis Chriſti* ſicut de ceteris memoriam perennem haberi, & per univerſam Eccleſiam feſtum ſolemniter celebrari ſtatuit. Conſtitutio habetur (*Clement. Si Dominus: de Reliqu. & vener. SS.*) quod a Concilio Viennenſi paulo poſt fuit comprobatum. Scio te negaturum miraculi veritatem. Parum id tamen officit contra tot teſtes; & linteum tinctum, quod in Eccleſia Urbevetana in hodiernam uſque diem ſervatur, factum probat. Quare Sozomeni ſupra laudati verbis (*Lib. 8. Hiſt. c. 5.*) incredulitati tuæ occurram: *Si cui forte hæc minus credibilia videntur, teſtis eſt lapis ipſe, qui in theſauro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ* (Urbevetanæ) *etiamnum ſervatur.* P. Segneri (*Incredul. p. 2. cap. 8. n. 9.*) aſſerit *Germaniam olim rata habuiſſe innumera miracula edita a quodam Bonifacio.* Ad hæc in *Triumph. pag.* 94. reſpondes *miracula Bonifacii nullo habito examine probata fuiſſe. Hunc cultum obtinuiſſe, & inter civitatis patronos cooptatum, antequam in canonem Sanctorum aſſumptus eſſet. Denique ejus vitam non eſſe abſque piaculo ignorantia, & violentia.* Tuum autem citas *Baſnagen tom. 2. hiſt. pag.* 1282. 1283.

Legi

Legi Baſnagen Annalibus Politico-Eccleſiaſticis, nec quidquam de Bonifacio recolo. Ut ut ſit, vehementer ſuſpicor te, ut ſoles, hallucinari, & unum in alium Bonifacium miraſſe. Duos ſcio Bonifacios Germanis prædicaſſe Evangelium; Anglum unum, Moguntinum Epiſcopum, qui octavo ſeculo florebat, Germaniæ Apoſtolus, ab idololatris Phrygiæ martyrio coronatus; cujus acta commemorant Beda, Uſuardus, Ado, & Baronius; in Martyrologio poſitus ſub die 5. Junii. Alterum vero Bonifacium ſcio Othonis III. Imperatoris propinquum, Apoſtolum Ruſſiæ, martyrio confectum ſeculo undecimo incohante; cujus geſta ſcribit Petrus Damiani (*In Vita Romualdi cap.* 29. & 30.), & Lippomanus *tom.* 8. cum Surio *tom.* 6., & habetur Martyrologio 20. Junii. Hic Ruſſiæ Regem adiit, ipſi ſuadens eam fidem ſuſcipere, quam ipſe prædicabat. Cui Rex tum ipſum ſe exauditurum, cum medium inter duos ardentes rogos prætereuntem illum, & revertentem videret illæſum. Conditione ſtatuta, Bonifacius ſacerdotali amictus veſte, thure primum, & luſtralibus aquis flammas aſperſit; intrepidus inde ignis ardentis ſemitam ingreſſus, tranſivit, & rediit incolumis. Quo miraculo attoniti Rex & populus baptiſmum poſcebant, tanta alacritate, & numero, ut ad eos tingendos accedere ad multas aquas oportuit. Regis autem frater indignans Regis converſione, coram multitudine Bonifacium decollari juſſit. Nec mora; cæcitate quippe eodem momento ille punitus; & cum eo ſtantes, nullo membrorum officio, nullo ſenſu, ad corpus S. Martyris immobiles hærebant: donec fuſis lacrymis, & precibus, per interceſſionem S. Martyris corporis valetudinem & chriſtianæ fidei donum impetrarunt; erecta inde in Buſto Martyris Eccleſia. Hæc Petrus Damiani, qui teſtatur his, quæ tum facta ſunt minora ſcripſiſſe. Hic ille Bonifacius, de quo Pater Segneri, cujus miracula Germaniæ olim probata fuerunt. Verum quo probationis adminiculo egebant tria prælaudata miracula, quæ tanta teſtium frequentia commendaverat? Quæ ſi a te rejiciantur, quod viciniori ſeculo edita fidem apud te non mereantur: habe reſponſum Chriſti Caiphæ (Jo. 18. 21.) *Interroga eos, qui audierunt*: addam, *qui viderunt*. Noſtra autem miracula fieri novitatis dogmatum ſanciendæ gratia; jam dixi dato loco oſtenſurum qua antiquitatis prærogativa excellant quæque adverſus pſeudoreformatos defendimus. De induſtria prætereo cetera, quæ vel in *Triumph.*, vel in *Apolog.* vaniſſime blateras, quia ad rem non pertinent, aut ineptiſſima ſunt, de ſe perſpicue falſa, quod nulla ratione mereantur refelli; ne lectori fiam tua procacitate moleſtus.

38. Parthenopem peto, ubi inſigne illud miraculum ſanguinis S. Januarii, perſpicuum licet omnium intuentium oculis, cum concretus ſanguis ipſius Martyris capiti appoſitus fervet, adhuc tamen ſuſpectum, & fictum habes; & primo in *Apolog. pag.* 24. dubitans illum non eſſe S. Januarii ſanguinem: *Quia hujus Sancti temporibus non aſportabantur reliquiæ. Oſſa Martyrum in loculis ſuis quieſcere permittebantur*; ſubdis: *Capitis & ſanguinis S. Januarii fors eadem erit, ac de capite S. Joannis Baptiſtæ: de quo cuidam Abbati oſtenſa fuerunt diverſis locis ſex calvaria.* Caput & ſanguis quæ venerantur Neapoli revera S. Januarii eſſe ab omnibus ſemper aſſertum: unde vero tu neges, unum ſaltim præbe documentum. Annalia ferunt corpus S. Januarii Neapolim fuiſſe translatum, & in Eccleſia majori collocatum. Id vel non omnino factum; vel aliud vice illius corpus illuc translatum oſtende aliqua vel probabili ratione: ea quippe, quod oſſa Martyrum e ſuis nunquam removebantur monumentis, nedum probabilis, ſed falſiſſima evincitur ex translatione corporum SS. Gervaſii & Protaſii deſcripta a D. Auguſtino (*Confeſſ. lib.* 9. *cap.* 7.) & a D. Ambroſio (*Epiſt.* 85.) qui ſecu-

ſeculo immediate ſequenti florebant: & ea narrant miracula illo tempore patrata, præſertim revelationem Ambroſio factam, quo poſiti eſſent Sanctorum Martyrum loculi. Tum etiam ex D. Auguſtino (*Lib. 22. de Civ. Dei cap. 8.*) deſcribitur ſolemnis translatio Reliquiarum S. Protomartyris Stephani: *Epiſcopo afferente Projecto reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magna multitudinis concurſus, & occurſus.* Hic etiam plurima feruntur miracula. Forte dubitas ſanguinem S. Martyris Januarii colligi eo tum non potuiſſe, & reſervari? Verum jejunus nimis, & mendicus videreris SS. Martyrum actis, quaſi neſcires devotos fideles conſueviſſe Martyrum ſanguinem diſperſum colligere, & vitro repoſitum ad ipſorum corpora recondere. Septem mulieres S. Blaſii ſanguinem dum recolligerent deprehenſæ, martyrio coronatæ ſunt. Omnis denique dubitandi ratio de S. Januarii reliquiis abigenda a te eſſet, perſpicua granditate prodigii. Sed portentoſum negas? Naturalem igitur (ſi vales) explica cauſam cur ſanguis ille, 1400. ab hinc annis effuſus, & maxime concretus; & ſolidus fluat, & ebulliat, nec niſi capiti appoſitum. Cogi ex te nollem inter Hebræos te recenſere, qui ob oculos habentes miracula, hæc nihilominus aut negabant, aut contendebant. In *Apolog. pag.* 531. inquis: *Ocularis unius teſtis judicio, fertur fieri poſſe præter miraculum illius ſanguinis liquationem, vel manuum quibus tenetur, vel calore loci ubi exponitur.* Quis teſtis iſte? *Presbyter quidam, qui recenſitis tot, quæ per Italiam venditantur, mentitis miraculis, ad Proteſtantium partes profugus, juſto volumine edidit deceptorias nundinas Reliquiarum.* Nec te pudet perfidum apoſtatam teſtem adhibere? Quæ hercle habenda fides ei, qui totam ſuam negavit? Aliquo ſane titulo palliare apoſtaſiæ crimen quærebat; nec alius fermo ab apoſtata expectandus erat. Meo judicio minorem apud homines meretur fidem, quam apud te Bolſecus. Inepta autem Presbyterculi hujus apoſtatæ animadvertatur illatio: *Poteſt præter miraculum fieri illius ſanguinis liquatio, ſive manuum, quibus tenetur calore, ſive loci quo exponitur. Revera ergo ita fit.* O illatum belle! Ecquo de poſſibili factum valet deduci? Sanguis S. Januarii fervet oppoſitus capiti, non contrectatione manuum; in vaſto templo in altari collocatum, non occluſum in clibano. Vidi ipſe, & perſpexi e loco extrahi ſuæ cuſtodiæ concretum, & ſpiſſum; exinde ad altare delatum, eo loci, a cornu nempe Epiſtolæ poſitum contra caput cornu Evangelii ſitum, paucis inſtantibus temporis ſenſim liqueſcere, & fervere, ferme ac ſi e ſecta vena recens flueret. Si ſympathica naturæ vi id fieret, nunquam non fieret; quod non ita: interdum quippe non fervet, quod in infauſtum Urbis & Regni Neapolitani omen experimento ſumitur. Ad hæc. Si ſympathica vi capiti oppoſitus ſanguis iſte fervet, cur non ſanguis quilibet ſuo capiti oppoſitus fervet? Quæ ſanguinis Sancti Januarii cum ſuo capite aptior convenientia, quam alterius Martyris ſanguinis cum ſuo capite? Cur revolutis tot ſeculis vigent adhuc, hærentque illi capiti, aridæ calvariæ, ſympathici ſpiritus, vel ſibi adhærentes atomi? Horum ſolutionem jure poſco, & expecto. Nec futilis minus illatio illius Presbyterculi de liquore manante ex oſſibus S. Nicolai Barienſis: *Facili negotio infundi poteſt oleum in ſepulcro, ut illuc ſtateat; ergo revera infunditur.* Vidiſtin mime oleum non de ſe, ſed fraude infuſum, e ſepulcro manare? Quomodo probas, ſcenice cenſor, aliquorum Sanctorum corpora libero aere, & humido, abſque miraculo, per ſecula, integra, & incorrupta ſervari? Tum etiam hic dicendum: *Poteſt eſſe; ergo revera fit.* Apage te cum tuis nugis. Incaſſum quippe tempus fugit.

39. *De capite S. Joannis Baptiſtæ fabulæ narrantur. Tractatus, cui titulus de Revelatione capitis S. Joannis Baptiſtæ, S. Cypriano adſcriptus, fert quod primum ab Herodiade occultatum, inde duobus fratribus ab Angelo revelatum, Jeruſalem tranſtulerunt. Poſtea e ſpelunca ereptum, ubi illud abſconderant quidam latrones, nutu ipſius S. Martyris delatum fuit Alexandriam a quodam Sacerdote Marcello. Denique Felix quidam ſacrum pignus Pipino Regi reſignavit.* Hæc habes *Apol. pag.* 24. Tractatum illum tanquam Cypriani fœtum nec ego recipio; de quo legi poſſunt Baronii Annales *Tom. 4. ad ann.* 391., & Notæ ad Martyrologium die 29. Auguſti. Idem cenſent omnes eruditi. Cur porro nos quaſi nimium credulos irrides, cum narrationem illam inter fabulas, præ te, amandavimus? Caput itaque S. Joannis Baptiſtæ Jeroſolymæ primo a quibuſdam Macedonianis Monachis habitum, e Jeruſalem in Ciliciam, quo habitare venerant, aſportatum fuit. Valens Imperator illud habere, & ſibi deportari curavit. Ventum *Pantichii*, muli trahentes rhedam, qua ſacrum caput vehebatur, ſteterunt; nec e loco dimoveri ſtimulis, nec fuſtibus potuerunt. *Cunctis, ipſique adeo Imperatori ea res ſtupenda, ac prorſus divina videretur;* hinc ſtatutum *Coſilai* ſacrum pignus deponere. Paulo poſt, anno ſcilicet 391., cum Theodoſius Imperator illuc adveniſſet, *ſive Dei, ſive Prophetæ ipſius impulſu*, ſacrum petiit caput, nec abſque difficultate, & contentione obtinuit: quo impetrato tranſtulit Byzantium, ad locum *Ebdomo* dictum; ubi in honorem S. Præcurſoris amplum, ac magnificum excitavit templum. Ita Sozomenus (*Lib. 7. cap. 21.*), auctor ferme coævus, dum viveret ſeculo quinto, degens Conſtantinopoli. Hiſtoria ſic exarata ab auctoribus melioris notæ recipitur, & ab ipſo Baronio: qui unice improbabiles cenſet difficultates, & contentiones, quibus fertur remoratus Theodoſius, ne ſacratiſſimum caput reportaret. Mirabile in laudata hiſtoria fuit, quod muli ultro progredi impedirentur, ex teſtimonio auctoris quinti ſeculi: & hoc apud te fabula? Ubinam in præſens habeatur caput S. Joannis Baptiſtæ nec quærere modo volo, nec aſſerere. Aſſeram equidem, defendi poſſe caput Joannis Baptiſtæ variis Europæ partibus venerari, non quaſi locis illis ſingulis integrum reſervetur, ſed quod in illis ejuſdem ſit inſignis pars aliqua. Nec vero inficior reliquias corporis Sanctiſſimi Præcurſoris aliis in locis haberi. D. Gaudentius quinti ſeculi ſcriptor refert (*Serm.* 17. in *Biblioth. SS. PP.*) in una Brixienſi Baſilica, inter ceteras, reliquiam S. Joannis Baptiſtæ aſſervatam (argumentum quinto ſeculo reliquias venerari). Palladius ejuſdem ſeculi ſcriptor (*in Hiſt. Lauſiaca c.* 103.) narrat in monte Oliveti Sacellum poſitum, & ejuſdem Præcurſoris reliquiis dotatum: ad quas orans Innocentius Abbas pro puero paralytico, confeſtim is ſalutem accepit. Inſuper Sigbertus in Chronico *ad ann.* 613. refert quod Mariennæ quædam mulier devota S. Præcurſoris aliquam ejus reliquiam anxie obtinere cupiens, poſt multas preces mirifici candoris digitum pollicem vidit ſuper altare expoſitum. Lætabunda ſuſcepit; tres vero Epiſcopi, qui inſignem reliquiam adorare venerant, aliquam ſibi partem donari cupientes, ſumma ipſorum admiratione, & gaudio, a digito in linteum tres manare ſanguinis guttas conſpexerunt, & *ſinguli ſingulas ſe meruiſſe lætati ſunt.* Tum etiam hæ fabulæ, ab auctoribus licet tam antiquis, & gravibus referantur? De hujus Sancti ſanguine, qui Neapoli liqueſcit, quoties ejus martyrii Evangelium in Miſſa recitatur, non alios invoco teſtes, niſi Sacerdotes illos, qui in illo altari ſacra facientes, ipſorum ſub oculis prodigium fieri admirati ſunt.

40. P. Semery commemorat mirabiles quaſdam circumſtantias, quæ

in

in martyrio S. Cypriani viſæ ſunt: mortem nempe ſuam ante annum prænunciatam: Chriſtifideles catervatim ad ejus martyrium convenientes: Carnificem uſu gladii tremore impeditum. Hæc omnia *illuſiones* appellas (*Triumph. pag.* 92.) *Paſſio S. Cypriani* (ais) *qua ſub nomine Pontii Diaconi fertur, non eſt tam vetuſti ſcriptoris; præterea larvatus ille Pontius nec verbum habet de tremore carnificis, nec de recenſitis a Semery.* Non P. Semery, ſed tu falleris, confundens S. Cypriani *Vitam* cum ejus *Paſſione*. Quæ fertur ſub titulo *Paſſionis Cypriani*, quamvis in editione Eraſmi ponatur ſub nomine *Pontii Diaconi*, ut optime notat Pamelius, non *Pontii*, ſed *Pauli Diaconi* eſt; cui in Chronicis *ad ann.* 807. Carolus Imperator juſſit a ſcriptis Patrum captare ſelectiora: ex quibus *lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in Eccleſia legendas compilari fecit*. Propterea narrationem his verbis claudit: *Nos ergo fratres oremus Omnipotentem Deum pro Sereniſſimo Imperatore Carolo*. Neque hæc de qua P. Semery. Vita autem S. Cypriani revera ſcripta fuit a Pontio Diacono, & D. Hieronymus Catalogo Scriptorum id teſtatur: *Pontius Diaconus Cypriani, uſque ad diem paſſionis ejus cum ipſo exilium ſuſtinens, egregium volumen vitæ & paſſionis Cypriani reliquit*. Hanc (quæ in editione Pameliana in fronte Operum Cypriani ponitur) legit P. Semery, cum ait: *Id habeo a Pontio ejus Diacono*. Hìc facile tibi conſtabit revelatio, quam de martyrio ſuo Cyprianus accepit ab Angelo: hìc Chriſtifidelium concurſus, & occurſus: hìc carnificis labentem manum leges, elegantiſſimis hiſce verbis deſcriptam: *Labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat; donec ad perpetrandam pretioſi viri mortem, clarificationis hora matura, Centurionis manum, conceſſo deſuper vigore, firmatam permiſſis tandem viribus expediret*. Qui hanc vitam legerit, audaciam deprehendet tuam.

41. *Inſtante conflictu cultus imaginum, quo tempore opportuna videbantur miracula ad confirmandam infirmorum fidem, ſimulacra non lacrymabantur; icones nec græce, nec latine fabantur. Verum eſt in Nicæna Synodo Act. IV. nonnulla narrari, ſed adeo luſoria, & mimica, ut noſcens Tharaſius illius Conventus Antiſtes bis nil poſſe proficere, pronunciavit: Nemo quærat cur miracula a noſtris imaginibus nunc non edantur.* Sic *Triumph. pag.* 93. tibi plaudis tuis ipſe mendaciis. Verum tametſi in conflictu cultus imaginum nulla viſa eſſent miracula, id minime probat quæ ſive ante, ſive poſt facta ſunt, *fabulæ* dici debeant, & commenta. Miracula quid divinum ſunt, quod ubi, & quando ipſe vult Deus largitur. Tu ipſe fateris Ariana graſſante hæreſi in teſtimonium Trinitatis pauca occurriſſe miracula; neque porro negabis ſupra laudata miracula, in monumentum tanti Myſterii edita, vera fuiſſe. Si tum temporis *non lacrymabantur ſimulacra, non fabantur imagines*, vera ratio eſt quia rei ſumma agebatur in Eccleſiæ tribunali, quod miraculis non eget ad ſancienda ſua dogmata. Quæſtio erat: cultus ille conformis, necne eſſet Scripturis, quas ipſi Iconomachi recipiebant; ex quibus a Tharaſio, ceteriſque Patribus, uſus, & cultus imaginum utilis, & pius inferebatur. Neque Tharaſius excipiebat miracula jam peracta, quaſi fabulæ haberentur; quin eadem Actione & de imagine Chriſti ab Hebræis cæſa, a qua ſanguis manavit, & alia tria recitata fuere miracula, quæ Concilium rata habuit; ſed ut ſe opponeret eis, qui auderent quærere: cur imagines veſtræ non excellunt miraculis? advertit Tharaſius Syn. Nic. 2. cap. 103. *Sed quiſpiam dixerit quam ob rem miracula a noſtris imaginibus non eduntur? Cui ſane ita ſit cum Apoſtolo reſponſum: Miracula non credentibus data ſunt, ſed illis, qui in incredulitate verſantur.* Et opportune dictum. Narratum quippe fuerat miraculum quod Beryti contigerat, ubi

Chriſti Crucifixi imago ab Hebræo lancea vulnerata ſanguinis ingentem copiam verſavit; qua de cauſa Tharaſius ſubdidit: *Sed quiſpiam dixerit quamobrem miracula a noſtris imaginibus non eduntur?* Et reſpondit: quoniam miracula non credentibus Hebræis data ſunt; nobis vero credentibus ad commendandum imaginum cultum minime ſunt neceſſaria. Præterquamquod mei inſtituti nunquam fuit pro veritate alicujus dogmatis ſtatuenda eo uſque neceſſaria aſſerere miracula, ut ſine ipſis ſtatutum dogma falſum habeatur: ſed quod dogma a Deo miraculis comprobatum, habeat ex ipſis ſuæ veritatis argumentum.

42. Ad Indos uſque migrare me cogis, inter quos nulla facta fuiſſe miracula in Evangelii promulgatione (*Apolog. pag. 31.*) deducis ex his quæ Franciſcus de Victoria (*Relect. p. Sect. 2. Conc. 5. n. 24.*) ait: *Miracula nulla audio ..... quibus haſtenus fides Chriſtiana fuerit Barbaris annuntiata*, & Joſeph a Coſta (*de Ind. ſal. procur. lib. 2. cap. 9. 10.*) qui attonitus quærit *cur Deus liberam miraculorum virtutem non largiatur ſui Evangelii prædicatoribus apud Indos*. Inſuper petis *cur mirabilium ſuorum Xaverius nullam mentionem faceret, cum ex Japonia ſcriberet quæ per ipſum ibi agebantur*. O bone vir, non capis te a Franciſco Victoria diſtare, quantum diſtat Ortus ab Occidente? Ille *de Occidentalibus Indis* Hiſpaniarum Regi ſubditis ſermonem habet: Tu vero de Orientalibus a Portugalliæ Regibus ſubactis, dum ais: *Si Xaverius tot miraculis Japonia claruit, cur pontificius Doctor aſſerit: non audio &c.* Perverſe itaque arguis: *Victoria non audivit miracula in Indis Occidentalibus edita; ergo ex Indis Orientalibus non ſunt audita miracula.* Verum ſit ut placet. Occaſus in gratiam tui vertatur ad Orientem; Franciſcum tamen de Victoria non patronum, ſed moleſtum tuæ cauſæ adverſarium habebis: eodem quippe *num. 24.* loco ſupra citato hæc habet: *Non ſatis liquet mihi, an fides Chriſtiana fuerit Barbaris haſtenus ita propoſita, & annuntiata, ut teneantur credere ſub novo peccato. Hoc dico, quia (ut patet ex ſecunda propoſitione). non tenentur credere, niſi proponatur eis fides cum probabili perſuaſione. Sed miracula, & ſigna nulla audio, nec exempla vitæ adeo religioſa: immo contra, multa ſcandala, ſeu facinora &c. Unde non videtur quod religio Chriſtiana ſatis commode, & pie ſit illis prædicata, ut illi teneren tur acquieſcere: quanquam videantur multi Religioſi, & alii Eccleſiaſtici viri, & vita, & exemplis, & diligenti prædicatione ſufficienter operam, & induſtriam adhibuiſſe.* Hic itaque Auctor, cui tum in Apol. pag. 31., tum in Triumph. pag. 113. adeo inniteris, ſentit miracula, & ſigna ad ſuadendam fidem neceſſaria quodammodo, ut ſine ipſis fides non intelligatur commode prædicata: qua poſitione inferri legitime patet, miracula eſſe certa ſigna veræ fidei, quo hujus controverſiæ adverſum te univerſa ſumma concluditur. Vides quam male tibi acciderit ad Victoriam me provocare? A Coſta & ipſe de *Occidentalibus Indis* tractat, & *lib. 2. de promulgat. Evang. apud Indos cap. 9.* animadvertit in converſione illius barbaræ gentis ſi facta non ſint ſigna, quæ olim inter gentes, id forte evenit quia illos interioris gratiæ motibus vocare Deo placuit, quam externis ſignis: unde cum D. Auguſtino *lib. 83. quæſt. qu. 68.* fatetur quod vocatio, qua Deus ad fidem trahit, *alta & profunda admirationis eſt &c.*

43. Cur vero Xaverius ex Japonia ſcribens non referat miracula, quæ ex Dei gratia ab ipſo patrabantur; optima ratio eſt illa P. Semery, nempe tuendæ modeſtiæ cauſa Sanctum iſtum dona a Deo ſibi elargita pro viribus occultaſſe. Quod confirmat P. Maffei (*Hiſt. Ind. lib. 14.*) qui recenſitis miraculis de ſanitatibus, Dæmonibus exactis, mortuis exſuſci-

ſuſcitatis, ceteriſque, quibus S. Apoſtolus Japonius, aliiſque populis Jeſu Chriſti fidem comprobavit, ſubdit: *Quod tamen ut poſtea fateretur ipſe, quanquam graviſſimorum hominum prece fatigatus, adduci non potuit.* Ineptiſſime autem in *Triumph. pag.* 16. opponis: *Moyſes mirabilia ſua patefecit, immo Spiritus Sancti afflatu ea ſcripſit, Chriſtus ſigna ſua palam exhibuit. Cur porro Xaverius ſine jactantia periculo ſua ſcribere non poterat? Num Moyſes thraſo? Num oſtentator Chriſtus?* Ineptiſſime inquam. Poterat quippe (quis negat?) etiam Xaverius manifeſtare mirabilia Dei; documentum tamen Chriſti, ne faceret, amplecti ipſi placuit: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Ad quæ D. Auguſtinus (in Expoſit. in Epiſt. ad Galat.) *Non ait tollite jugum meum,* & *diſcite a me, quoniam quatriduana e ſepulcris cadavera exſuſcito, atque omnia Dæmonia de corporibus hominum, morboſque depello, & cetera hujuſmodi. Sed tollite, inquit, jugum meum, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Illa enim ſigna ſunt rerum ſpiritualium; mitem autem eſſe, & humilem, charitatis conſervatio eſt.* Non ea profitebat Xaverius, immo celabat. Verum quo exactius abſcondebantur, ea Deus manifeſtari impenſius volebat: & bene habet Pater Semery, quod ejus prodigia millia millium linguis teſtium per univerſum orbem volitabant. Quorum nomina, non unius dumtaxat, (ut ludicre petis) ſed innumerabilia pene, leges in Actis authenticis quæ de prælaudatis miraculis, & individuis eorum perſpicuis circumſtantiis, ſeveriſſimo judicio edita ſunt. Enimvero loqui me non inficior de competenti meo tribunali, quod æquiſſima lance librat Acta quæcunque minima ſervorum Dei. Quid porro muſſitas? Nonne ſatius jam ſcommata tua deterſi? Recole jam dicta. Quibus unice addam: meum judiciale tribunal, Romæ erectum ad Sanctorum geſta & miracula ſerio diſtricteque inquirenda, tuo certiſſime eſt magis juſtum, atque integrum. Meum juratæ plurium fidei teſtium innititur, qui rem ipſis videntibus certam conteſtantur. Tuum audaci pertinaciæ illa tua refragandi avida totum componitur. Uno verbo. Meum tribunal ſanctius, & pium magis eſt tuis Genevæ, Cariæ, & Bernæ: quocirca ſi hæc tua autumant jure ſe poſſe damnare reum; potiori, & æquiori jure meum tribunal poteſt miraculum approbare, & præclaros virtute viros inter Sanctos adſcribere.

44. Audio jam te *Apol. pag.* 547. 548., *& Triumph. pag.* 116. excipere *millia millium teſtimonia ceu fabulas referentia: videlicet,* Xaverium *Deo bene juvante locis pluribus ſimul una ſtetiſſe. Linguarum dono dotatum; Socotora tamen idioma ignoraſſe. Propria ſui lingua loquente barbaras diverſarum nationum gentes ſua uniuſcujuſque lingua loquentem audiviſſe; nutibus tamen Socotora plurimos convertiſſe; quæ talia nec Chriſtus, nec Apoſtoli fecerunt, atque invicem cum maxime repugnant. Si linguarum dono excellebat, Socotora idioma quam ob rem ſe neſcire ipſe affirmabat? Cur quaſi repueraſcere cogebatur, ut ſuis litteris conqueritur, barbaras illas linguas* balbutiendo? *Qui in primæva Eccleſia linguarum dono ditabantur, nullo diſcrimine, nulla induſtria, indito idiomate præpollebant. Novis & variis linguis loquebantur Apoſtoli* (juxta illud Marci 16. 17.) *Xaverius non habitu indito, ſed improbo ſtudio linguas comparabat. Hæc ipſemet ſcribebat* (Epiſt. Japon. pag. 164.) *Cum linguæ ſubſidium nobis, ut ſperamus, acceſſerit; tum res multo melius Deo bene juvante procedet. Nam nunc quidem veluti quædam ſimulacra inter eos verſamur. Multa illi de nobis loquuntur, & conferunt inter ſe. Nos videlicet obmuteſcimus, dumque illius linguæ elementa percipimus, cogimur quaſi repueraſcere. Xaverius itaque linguarum dono vacuus erat.* Hucuſque tuo cenſorio calamo: quem infringere ſingula ſingulis referiendo curabimus.

De Xaverio prodigia feruntur Apoſtolis nunquam a Chriſto conceſſa; pluribus videlicet replicari locis, & hujuſmodi. Bene. Quid tum? Num fabulæ? Plura, quæ non Chriſtus, Apoſtoli fecerunt: quam ob rem, quæ non Apoſtoli, a poſteris Sanctis fieri non potuerunt? Non rupes, non ſaxa de loco in locum ab Apoſtolis tranſlata; ſaltim id non legitur. A D. tamen Gregorio Neocæſarienſi id factum: nec *fabula*. Gregorius quippe Nyſſenus, & veteres alii ſic tradunt. Porro quanquam Apoſtolos diverſis conſtitiſſe locis nulla traditione feratur, id Xaverio, ſicut & D. Antonio a Deo conceſſum, nec fabuloſum, nec impoſſibile dici valet. Donum autem linguarum a Deo donatum fuiſſe Xaverio, cui idioma Socotoræ ignotum erat; immo ſuis ipſe litteris fatebatur: *nunc quidem veluti quadam ſimulacra inter eos verſamur.... dumque illius linguæ elementa percipimus, cogimur quaſi repueraſcere*; ratione facta circumſtantiarum & temporum omnino non repugnant. Neque Apoſtoli, pene ac ad Apoſtolatum aſſumpti, illico linguis fuerunt, & myſteriorum intellectu donati; a Chriſto prius edoceri, & cunctanter debuerunt; quinimmo, teſtantibus Evangeliſtis, nonniſi deſcenſu Spiritus Sancti in ipſos, hæc duo dona acceperunt. Quidni pariter Xaverius poterat primo acceſſu tum Socotoræ idioma ignorare, tum velut ſimulacrum inter illos verſari, pone vero linguis donari? Neque ex me quærendum *ubi & quando donum illud a Deo ipſi communicatum?* Siquidem bene habet P. Semery eo temporis & loci conceſſum, cum ad animarum ſalutem concedendum Deo placuit. Linguarum quippe donum infunditur, non vero ſemper quaſi habitus, quo uti ad libitum Apoſtolus valeat. Immo D. Th. (*Quod. 12. quæ. 17. ar. 26. ad 1.*) docet: *Gratiæ gratis datæ* (quas inter linguarum donum ab Apoſtolo recenſetur) *non ſunt habitus, ſed ſunt quidam motus a Spiritu Sancto, alias ſi eſſent habitus, Propheta quando vellet, per donum prophetiæ revelationem haberet; quod falſum eſt: & ideo de aliquibus occultis revelandis aliquando tangitur mens a Spiritu Sancto, & aliquando non; ſed aliqua eis occultantur, & ideo dixit Eliſeus* (4. Reg. 3.) *& Dominus celavit a me. Aliquando etiam aliqua dicunt a ſeipſis, ſicut patet de Nathan, qui conſuluit David quod ædificaret templum: poſtea autem a Domino reprehenſus, & quaſi retractus, prohibuit hoc ipſi David ex parte Dei &c.* Propheta igitur prophetandi donum, nec jugiter, nec quorumcumque eventuum habet; ſed eorum ſcilicet, quæ Deus illi revelare ſibi libere complacet. Xaverius itaque linguarum donum obtinuiſſe poterat, nec vero ſemper, ſed illis dumtaxat circumſtantiis, quibus fore ipſi communicandum opportunum Deo videbatur. Poterat Socotoræ linguam, quam ſtudio didicit, motu Spiritus Sancti non accepiſſe; bene vero cetera barbarica idiomata, quibus ſe non applicuerat. Nec ipſe ſolus hoc donum, ſed & auditores ſui interdum acquiſiviſſe poterant: quoniam non ſolum variis linguis ipſe loquebatur; ſed primigenia lingua verba ipſo faciente, diverſis nationum populis ſermonum interpretatio a Deo diſtribuebatur, quaſi propria uniuſcujuſque lingua ipſum audirent. Scriptura teſtatur Apoſtolos variis locutos linguis; verum id eorum placito, & ſemper factum; Scriptura non habetur. Collata Apoſtolis fuit certa in docendo veritas; viſum eſt tamen Petrum in uſu Legalium ſemel defeciſſe; quem reprehenſibilem credidit Paulus, quaſi alios offenderet, *quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii* (*ad Galat.* 2. 14.). Idem Paulus (*ad Galat.* 2. 2.) Evangelium, quod prædicabat, cum Apoſtolis contulit, pene timens poſſe falli: *Contuli cum illis Evangelium... ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Corruunt igitur, Picenine, criticæ animadverſiones tuæ, nil veritati officientes gratiæ linguarum, quas a Deo Xaverius obtinuit. Vel a te negandum hujuſmodi dona Apoſtolis,

ſtolis, & Prophetis fuiſſe largita; vel, velis, nolis, concedendum Xaverio & aliis Sanctis fuiſſe poſſibilia.

45. Probata igitur, quæ de Xaverio feruntur, rerum poſſibilitate nulla contradictione involuta, facti nunc veritas tuenda proponitur; quam evertere pluribus in Triumph. pag. 117. contendis. Primo *Xaverii miraculis fidem negas, quia facta feruntur in quarundam veritatum ſuffragium, quas catholicas non agnoſcis, & execraris*. Paganis quoque idem erat negandi Apoſtolorum miracula offendiculum; quia in nomine hominis Crucifixi, quem ſtultitiam reputabant, facta enunciabantur. Quamobrem veritates a Xaverio prædicatæ, non perperam aſſerendo, ſed ſerio probando, non catholicæ a te prius evinci debent (ad hanc quippe rimam te expecto), quam negari miracula. Secundo ais *ad extorquendam tuam fidem incaſſum mitti ad millia Hollandios Piſcarias oras incolentes*. Verum ubi facti quæſtio eſt, non video ad ejus veritatem poſſe niſi teſtes adhiberi. Subdis: *Ex Hollandiis nemo, lepidum licet caput, tam venuſta, quod ſciam, ſcripſit commenta*. Tranſeat. Ex Hollandiis tamen nemo tam venuſta proſcripſit facta; quæ tot teſtium conſenſione, nullo refragante, comprobata, vera eſſe recta ratione inferuntur. Nec ad eorum labefactandam fidem quidquam habet virium ſive tua, ſive tuorum Proteſtantium negandi pertinacia coram tot teſtibus, qui illas noverunt regiones, incoluerunt, & in actis Xaverii agnoſcendis omnem navarunt operam. Xaverii miraculorum tam late patet per orbem catholicum notitia, quam Indorum. Tota igitur ea negandi ſola tibi ratio eſſe poteſt illa tua: *nolo ea credere*. Huic reſiſtere neſcio, niſi ea ratione qua Paganos miracula a Moyſe relata negantes urgebat D. Aug. (*Lib. 10. de Civit. Dei c. 18.*) *An dicet aliquis iſta falſa eſſe miracula, nec fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta?* Nonne de miraculis Xaverii hæc Picenine dicis? Audi nunc Auguſtinum: *Quiſquis hoc dicit, ſi de his rebus negat omnino ullis litteris eſſe credendum, poteſt etiam dicere nec Deos ullos curare mortalia. Non enim ſe aliter colendos eſſe perſuaſerunt, niſi mirabilium operum effectibus, quorum & hiſtoria gentium teſtis eſt*. E contra tecum. Tu credenda autumas Deorum gentium prodigia, immo ea ſupra commendabas; quæ tamen nonniſi gentium litteris traduntur. Xaverii autem, & aliorum Sanctorum miracula negas credenda, quia catholicorum litteris ſcripta? Si iſta non credis, nec illa, nec quidquam eorum erit a te credendum, quorum hiſtoria teſtis eſt. Tertio urges: *Si penes Indos tot ſunt a Xaverio perpetrata miracula, cur ejus ſocii nullum penes nos ſignum faciunt? Noſtras petunt regiones Miſſionarii, ſpeciem ſanctitatis illi Xaverii non abſimilem præſeferentes; quam ob rem ad converſionem noſtram nullum edunt miraculum, ex tot, quæ Italia faciunt?* Videris profecto Judæos imitari Chriſtum interrogantes (*Matth. 12. 38 30.*) *Magiſter volumus a te ſignum videre*. Quibus acriter Chriſtus: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei*. Necnon ea te implere, quæ Chriſtus præviderat dicturum fore populum Nazareth (*Luc. 4. 23.*) *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*. Quorum reſponſum habetur (*Matth. 13. 58.*, & *Marci 6. 5.*) *Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum*. Miracula tamen etiam coram Proteſtantibus edita ſunt. Quæ ſi pauca viſa ſint: *Non fecit ibi* (Deus) *virtutes multas, propter incredulitatem* veſtram. Si huic reſponſo non acquieſcis, illud habe D. Auguſtini (*Serm. 22. de verbis Apoſtoli*) videlicet, poteſtatem miraculorum non æque omnibus fuiſſe collatam: *Hanc enim dedit quibuſdam diſcipulis ſuis, quibuſdam non dedit*. Si a Miſſionariis, qui ad vos veniunt, ſigna non habetis, quæ mirari poſſitis,

tis; attendite eorum vitam, morum auſteritatem, exempla virtutum. Hoc certum patrimonium omnium diſcipulorum Chriſti. Neque is ſum, qui velim omnibus Miſſionariis donum miraculorum diſtribui; dumtaxat id aſſero: quibus datur in teſtimonium doctrinæ, quam enunciant, hos certum habere ſignum de eorum doctrina, quæ ſit a Deo, ut cæcus ille dicebat (Joannis 9. 33.) *Niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quidquam.*

§. V.

Miracula impetrata, applicatis Reliquiis, Crucibus, Coronis &c.

46. NEque hic diu immorabor, certus jam, de hac re, te alibi me tentaturum. Idcirco breviſſime tantum expediam ea, quæ hic de miraculis opponis. Apolog. pag. 32. de P. Segneri jam triumphaſſe tibi plaudis, ex eo quod ille aſſerat *Sanctos operari miracula adhibitis rebus ſacris, reliquiis, imaginibus &c. Hoc ſolum* (inquis) *prodit Fratrum miracula a miraculis vere Sanctorum differre: Apoſtoli utebantur ne crucibus, coronis, reliquiis? D. Petrus claudum erigens dixit: Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In Nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Ubi cruces? Ubi coronæ? Ubi reliquiæ?* Pedetentim quæſo, & collato (ut ajunt) aggrediamur pede. Nunc de Reliquiis. Legiſtin Apoſtolorum Acta (*cap.* 19. 12.)? Quid ſibi vult quod ibi legitur de fidelibus Aſiæ, qui mirabilia Pauli audientes confluebant, *ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur?* & Apoſtolorum ætate nullus Reliqniarum uſus? Delatio illa ſudariorum Pauli ſuper infirmos recta ne, an mala? Si non ſuperſtitioſa illis, cur vero nobis? Si mala, cur non reprehenſa a Paulo, vel ab Apoſtolis? Cur Deus eam miraculis commendabat? Inepte occurris Triumph. pag. 122., aſſerens *ſudaria, & ſemicinctia illa vivi hominis ſpolia, non mortui reliquias fuiſſe;* quippe ſi Deus Pauli vivi ſudariis curationis donum præſtabat, cur Pauli mortui non præſtitiſſet? Illorum fidelium pietas & fiducia, quæ tam grata Deo erat erga Paulum vivum, meritum ne perdidiſſet erga Paulum mortuum? Apage. Nugæ iſtæ. Ad hæc quæſo: Oſſa Eliſei (4. *Reg.* 13. 21.) ſepulcro recondita nonne mortui hominis reliquiæ? Cadaver tamen excitarunt ad vitam. Mortui igitur reliquiæ poſſunt eſſe inſtrumenta miraculi. Neque ad rem facit quod *Triumph. pag.* 121. objicis, *exemplum id unicum eſſe ineptum ad regulam. Tum maxime cum Hebræorum nullus, oſſibus Eliſei mortuos, vel infirmos tangere impoſterum auſus ſit.* Etenim quæſtio non eſt, quid factum ſit, vel fieri debeat; ſed quid fieri poſſit, & liceat. Enimvero dum habeam Deum oſſibus Prophetæ perpetraſſe miraculum; profecto habeo uſum reliquiarum alicujus Sancti ad ſanitatem impetrandam nec novum, nec ſuperſtitioſum. Cur autem lege veteri nullus eſſet reliquiarum uſus, Divus Baſilius (*Hom. in Pſal.* 115.) expreſſis verbis cauſam aſſignat: *Cum Judæi interirent, abominanda erant cadavera: ubi contigit mors pro Chriſto, reliquiæ Sanctorum ejus ſunt pretioſæ. Antea dicebatur Sacerdotibus, & Nazaræis: Non contaminabimini ſuper ullo mortuo .... Nunc autem qui Martyris oſſa tetigerit, ex inſidente in corpore gratia quandam ſanctitatis participationem accepit.* Videatur Jeroſolymitanus Cyrillus *Catecheſi* 18.

47. Non te pudet Triumph. pag. 122. tam audacter mentiri, *in Hiſtoriis Eccleſiaſticis nullum ferri miraculum Joannis Baptiſtæ reliquiis, Stephani, Jacobi, Petri, & Pauli impetratum; nec ullum ab Euſebio indicium haberi de miraculis martyrum?* De Joanne Baptiſta jam ſatis ſupra

num.

num. 39. De Stephano fuſe Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. De ceteris Apoſtolis miracula narrat S. Dorotheus in ſua *Synopſi*, ubi aſſerit ſuis uſque temporibus clarum miraculis fuiſſe ſepulcrum Eunuchi Reginæ Candacis, qui martyrio deceſſerat. Euſebius in ſua Hiſtoria non habet miracula de Martyrum reliquiis; habet tamen qua veneratione a Chriſtianis ſervarentur, illæ videlicet S. Polycarpi, S. Martini Martyris (*lib.* 4. *cap.* 15.) & S. Jacobi Cathedra, de qua alibi ſermo erit. *Lib.* vero 8. *cap.* 14. velut mirandum refert de Appiano Martyre, cujus cadavere in mare projecto, facta eſt tempeſtas valida, nunquam ſedata, donec ſacrum depoſitum in litore non reſedit. Non inficiar reliquias Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii aliquo ſeculo latitaſſe. Verum nonne inſigne portentum ipſas indicaſſe ſui nomen, & loculum? Præterea tot miracula, quæ in earum inventione, & uſu, à D. Auguſtino, & D. Ambroſio ocularibus teſtibus ſupra laudatis num. 38. narrantur, qualemcunque præter tuam nonne valerent audaciam infringere?

48. Conſtantium Arianum reliquias diſcipulorum primum de loco in locum admoviſſe non certum, quo cum tuo Baſnage tradis (*Triumph. pag.* 123.). Conſtantium præceſſit Conſtantinus pater. Hujus ævo Crux Domini inventa, & Jeroſolymam tranſlata; quæque facta tum ſint miracula, a Socrate (*lib.* 7. *cap.* 10.), & Sozomeno (*lib.* 2. *cap.* 1.) referuntur. Euſebius vero (*Chron. ad ann.* 325. *& Orat. de laud. Conſtant.*) tradit in ejus cultum regia magnificentia templum a Conſtantino fuiſſe erectum. Præterea (ſi Socrati fides *lib. primo cap. ultimo*) Sancti Andreæ, Lucæ, Timothei oſſa ante Conſtantium Conſtantinus, extructo ipſis templo, deportari curavit; *ut Imperatores, & Pontifices ab Apoſtolorum reliquiis haud procul abeſſent*; quod confirmat D. Hieronymus, hac ironia ſuggillans Vigilantium: *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, & Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim; apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur?* Non itaque Conſtantius primus reliquiarum traductor. Verum quoniam (teſte Ammiano Marcellino *lib.* 7.) Conſtantius, ſubactis Sarmatis, Duci Artemio juſſit ex Achaja Conſtantinopolim Sanctorum Andreæ, & Lucæ reliquias transferre: huic teſtimonio acquieſco, permittens a Conſtantio hanc translationem ſuſceptam fuiſſe. Aſt quid tum? Num quia ab Ariano promotus, idcirco ſuperſtitioſus, & impius reliquiarum cultus, & tranſlatio? Sic profecto ſuperſtitioni adhæſiſſent Auguſtinus, & Ambroſius, translationes SS. Gervaſii & Protaſii, nec non S. Stephani, ipſorum temporibus habitas, laudibus extollentes. Immo Deus ipſe ſuperſtitioni faviſſet, revelationibus illas promovendo, & miraculis (*num.* 38.) relatis adaugendo. Sane ſi (ut cum Baſnage commentaris) ex fœdiſſimis Gentilium lacunis reliquiarum cultus cœpiſſet, promotorem Conſtantium non habuiſſet. Is quippe quo impenſius Arianiſmo addicebatur, eo infeſtius idololatriæ, & ſuperſtitioni averſabatur; adverſus quam, teſtante Ammiano *lib.* 19., leges ſanxit: & cum delatum ipſi fuerit aliquos ſacrificia frequentare, ab Idolis oracula præſtolari, ſepulcra circuire, & icunculas, præſtigiaque ad remedium quartanæ collo tenere; in delinquentes animadvertit, & ultimo ſupplicio eos damnavit. Quamobrem ſi reliquiarum tranſlatio Gentilitatis fæcem redoleret, non eam proſequi, ſed perſequi inſtituiſſet. Profecto non reliquiarum cultus, ſed earum profanatio, ex fœdiſſima profluit idololatria: in cujus ſignum Julianus Apoſtata, (ut refert Ado *Chron. ann.* 361.) idololatriæ reſtaurator, extra Pomerium diſperſit oſſa Jacobi Epiſcopi Niſibeni in Meſopotamia; quod certe nunquam permiſiſſet, ſi reliquiarum cultus idolo-

latriæ faviſſet. Si quis tui ſimilis reſpondeat id attentaſſe Julianum, pertæſum miracula, quæ per ipſa fiebant; jam cauſam obtinui; ex quo uſque tum reliquiarum interceſſione miracula fierent. De hac re videatur Baronius *ad an.* 336. *&* 348., & in notis ad Martyrologium *ad diem* 9. *Maji*. Ad hæc. Si translatio reliquiarum Arianæ perfidiæ ſacrilegium fuiſſet, id nunquam probaſſent antiqui Patres, præſertim Athanaſius. Refert tamen Ado ad *ann.* 361., quod diſperſis a Paganis apud Sebaſten oſſibus Baptiſtæ, inde combuſtis, & a quibuſdam Monachis reverenter in unum collectis, Athanaſio delata ſunt, qui ea accepit, *& ſub cavato ſacrarii pariete incluſa, profutura generationi poſtera conſervavit*. Vel ergo reliquiarum cultus non eſt paganicum, nec Arianum ſacrilegium, etſi ab Ariano fuerit primo promotus; vel ſacrilegi fuerunt priſcorum ſeculorum Patres, qui cum illum tenerentur impedire, nedum neglexerunt, quin & uſum commendarunt. Hoc prorſus dilemmate D. Hieronymus urget Vigilantium (ſententia tibi concordem) re habita de translatione reliquiarum Sancti Andreæ, Lucæ &c. a Conſtantino procurata, vel ſi placet a Conſtantio: *Ergo .... ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim: apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa Beati Samuelis longa poſt tempora de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutas, in ſerico vaſe, & aureo portaverunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis: & tanta lætitia, quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt? &c.* Si id aſſerendo Picenine inſiſtis; ergo ſacrilegus Hieronymus, qui adverſus Vigilantium earum cultum tuebatur? Sacrilegi Auguſtinus, & Ambroſius, qui tot laudibus præfatas translationes commendarunt? Sacrilegus Chryſoſtomus, qui in ſermone S. Babylæ translationem hujus S. Martyris a Gallo Imperatore promotam laudat, miracula memorat, lætitiæ ac pietatis fidelium ea occatione [illegible]. illis explicans ingentium bonorum copiam, quæ ex Martyrum reliquiis adfluit; & Julianum Apoſtatam, ac Paganos, eas incinerantes, & conculcantes, execratur? Stulti, & fatui Dæmones, qui coram reliquiis Martyrum vel ab obſeſſis territi diſcedebant, vel in Idolis attoniti obmuteſcebant, vel rugientes fremebant, illarum præſentiam timentes ſuſtinere? Theodoretus, & omnes denique Patres nedum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui de laudibus Martyrum, & reliquiarum, in contemptum Gentilitatis ſcripſerunt? eo uſque auſi in templa Gentilium eas collocare ad muta reddenda Idolorum oracula, quod & factum eſt: ut de reliquiis S. Babylæ refert Chryſoſtomus, & Beda, (*hiſt. lib.* 1. *cap.* 30. *lib.* 2. *cap.* 4. *&* 12. *lib.* 5. *cap.* 12. *&c.*). Hæc profecto tu, & Proteſtantes tui coguntur inſerre, ſi veſtræ blaſphemiæ verbum tenere, ac tueri contenditis; qui ſi extremum illud impietatis barathrum non attingunt blaſphemandi Deum ipſum ferme hujuſmodi ſacrilegii obnoxium, utpote qui miraculis & ipſe reliquiarum cultum commendat, una eos protegit contumax negandi pertinacia, qua omnia miracula de medio tollere moliuntur. Id tamen eſt univerſæ hiſtoriæ derogare fidem. Nec juvat Apoſtolorum coæva, vel proxima tempora revolvere, in quibus nulla legitur reliquiarum pompa, vel uſus; & Martyrum cadavera loculis ſuis quieſcere permittebantur, ut dicebas cum tuo Baſnage *tom.* 2. *annal. ad ann.* 356. *num.* 12. *&* 13. Siquidem non iſte quæſtionis nodus. Sit tribus primis ſeculis nullus reliquiarum uſus, qua temporum anguſtia, nedum mortui, ſed ipſimet vivi propter inſtantes perſecutiones

co-

cogebantur in ſepulcris occludi: ſeculo tamen quarto Martyrum reliquiæ, ſedatis perſecutionibus, tam celebri pompa colebantur, ut Pagani ipſi, teſte Baſnage, Chriſtianos de violata religione exprobrarent. Quamobrem iterum poſco: Si hujuſmodi cultu Chriſtianæ religionis candor torpebat, illius ſeculi Patres, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus, ceterique, ad evitandum etiam Gentilium ſcandalum, inceſſere, damnare illum debuerant, velut idololatriæ veſtigium, nefandum ſacrilegium, quod & poſteri Patres facere tenebantur; nec revera tamen fecerunt: quin hujuſmodi cultum plauſibus receperunt, miracula commendarunt, & ex reliquiarum præſidio quid petere fideles, quid ſperare poterant, atque impetrare docuerunt. Imperatoribus ad Martyrum ſepulcra procumbentibus plaudebant; & Paganis, qui in his offendebantur, rationibus ſuadebant, quam impar, & alienus eſſet Martyrum cultus a profana Idolorum ſuperſtitione: quod & hucuſque, & ſuo loco oſtendam. Ergo vel omnes illi impii, & ſacrilegi, vel cultus iſte pius, & religioſius; ſacrilegi vero qui illum ſubvertunt. Reſponſum exſpecto.

49. Uſus Crucis, ad impetranda miracula, vetuſtiſſimus. Contactu Crucis Jeſu Chriſti, ætate Conſtantini, mortuus revixit; referente inter ceteros Sozomeno *lib.* 2. *cap.* 1. Non credis? Ergo ſic: Credis virgam Moyſis vix elatam ſigna dediſſe? Credis aſpectum ſigni Thau erecti a Moyſe in deſerto Iſraelitas a ſerpentum morſibus ſanaſſe? Hæc ſcito Crucis Chriſti ſymbola fuiſſe. Porro miraculorum virtutem in ſymbolo confiteris, negas in prototypo? Ita Lactantius redarguebat Paganos (*lib.* 4. *cap.* 26.). Si Crucis Chriſti portenta quæris, lege apud Euſebium (*Orat. de Laud. Conſtant.*) & audies: *Porro Imperator triumphale illud ſignum colit, utpote latentem in eo vim divinitatis expertus. Etenim hoſtium agmina ab hoc ſigno in fugam coacta, & inviſibilium Dæmonum exercitus profligati.* Neve obtendas Euſebium *de Cruce prædicata* loquutum, non *de Cruce venerata*; ita proſequitur: *Huic denique .... Imperator quaſi debitum quoddam perſolvens, ubique terrarum arcus triumphales erexit. Templa item, ac delubra in ejus honorem conſtituit ... & Oratoria conſtrui omnibus præcepit. pag.* 519. *a.* 3. En ex ore Euſebii Conſtantino in argumentum laudis relatum, quod apud tuos pietatis ſimulatores, ignominiæ, ſuperſtitionis, idololatriæ monumentum foret. *Triumph. pag.* 120. *Non legitur* (inquis) *Apoſtolos ad ægros ſanandos Crucem adhibuiſſe.* Eja. *Non legitur.* Neque porro legitur non adhibuiſſe. Legitur ſuper ægros manus impoſuiſſe; nec ne in modum Crucis non legitur. Tu neutiquam factum inſers. Quæ hæc tua ratiocinandi ratio? Scriptura non aſſerente, nec negante, negatum inſers? Etſi vero Apoſtoli nullatenus adhibuiſſent, probandum incumbit uſum illos damnaſſe. Permittebant fidelibus ad abjiciendos morbos ſudaria Pauli ſuper ægros imponi: & ſuſpicari poterit uſum Crucis Jeſu Chriſti ad eundem finem ipſis prohibuiſſe? Si autem prohibuiſſent; credibile ne, cum primo uſus iſte in Eccleſiam irrepſit, quod nullus doctrinæ Apoſtolicæ tenax cuſtos ſuperſtitioni reſtitiſſet? Eo cum Conſtantinus in triumphali ſigno honorabat divinitatem, & templa ipſi erigebat, tum Athanaſii, ceterique illorum temporum Patres monere, & de profanata religione reprehendere debuiſſent. Aſt conticuere omnes; conformem igitur doctrinæ Apoſtolorum hunc ritum reputabant. Unde enimvero, quam ex doctrina Apoſtolorum, edoceri poterant primi fideles ſigno Crucis ſignatam gerere frontem: quo ſigno adeo formidabiles fiebant, ut in templis Idolorum unius ex illis præſentia oraculi reſponſa impediret? Sacrificuli vero (ſequitur Lactantius, lib. 4. cap. 27.) *cum Diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo*

ditant. Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates. Cum enim quidam noſtrorum ſacrificantibus dominis aſſiſterent, impoſito frontibus ſigno, Deos eorum fugaverunt, ne poſſent in viſceribus hoſtiarum futura depingere. Quod cum intelligerent Aruſpices, inſtingantibus eiſdem Dæmonibus, quibus proſecrant, conquerentes profanos homines ſacris intereſſe, adegerunt principes ſuos in furorem, ut expurgarent Dei templum, ſeque vero ſacrilegio contaminarent, quod graviſſimis perſequentium pœnis expiaretur. Quod ſi Apoſtoli roſaria, & coronas apud ſe non habuerunt; hoc ideo, quia illorum nondum invaluerat uſus. Neque propterea inferendum: ergo ſuperſtitioſa, ſubintroducta conſuetudo. Id quippe a te probandum; æque ac probandum Apoſtolos quælibet præſcripſiſſe, nedum quo ad dogma, quam ad ritus pertinentia, ut nil adjici ab Eccleſia poſſit: quo pacto omnium temporum Eccleſiam una ratione damnabis; quæ (ut notum eſt) pro varietate temporum varios ritus adornavit. Vel ſi id præſumere nec valeas, nec audeas, minus roſarii, & coronæ uſum valebis proſcribere. Reliquiarum vero, quæ venerantur, quaſdam haberi doloſas, & falſas, id alterius loci quæſtio. Pro nunc ratum, ac firmum habeatur, reliquiarum Sanctorum uſu plura a Deo perpetrata fuiſſe miracula. Alibi vero de hac re fuſius.

§. VI.

Inanis facultas edendi miracula oſtentata a Pſeudoreformatoribus.

50. QUæſtionem hanc præterire mecum ipſe volvebam, utpote qui tecum Picenine non jurgiis, ſed rationibus agere inſtitueram. Tua tamen procedendi ratio, qua nova fingis arcana perpetrandi miracula a noſtris (ut ais) excogitata, tuorum vero ſagacitate retecta, movet me, ac ferme cogit prodere ea, quæ diſſimulare malebam. „ Pater Segneri refert, quod ambis pſeudoreformatoribus, Luthero ſcilicet & Calvino, miracula factitare geſtientibus, res adeo male ceſſit, ut primus a Dæmone, quem fugare tentabat, verberibus fuit duriſſime cæſus: alter vero mentitum mortuum, dum ad novam vitam revocare oſtentabat, certa illum morte periiſſe deprehendit. „ Væ Patri Segneri qui hæc ſcripſit; adverſus quem tam vehementer iraſceris, nullis parcens maledictis in ipſum, & in Auctores illa nova prodigia referentes. Auctores tamen hi, vel iſtorum quilibet, ſi quidquam ſive contra nos retuliſſent, ſive in favorem tui, tum fide digniſſimi; nec, ut ais, eſſent *Lupus, Vultur, & Milvus*: quoniam vero ſuis hiſtoriis tibi diſplicent, fabulas narrant. Fideliſſimus tamen erit tuus Wolfius, qui uni ex noſtris mentitum tribuit miraculum. Integerrimi pariter *Burnetus, Paulus Langius, Drelinch*, ejuſdemque furfuris Moriones, quia imponunt Catholicis finxiſſe miracula, ad fallendum vulgus. Affabre. Nefaſta de nobis oppido vera; de te oppido falſa. Inſtantium mos iſte temporum; falſa miracula, quæ noſtris opponuntur, certiſſima eſſe debent, quia ex ore Proteſtantium edita: mendaciſſima vero quæ de veſtris narrat P. Segneri, quia ex atro catholicorum calamo deprompta. Quidquid tamen garrias, miraculum a Luthero intentatum narratur a *Staſilo (In abſoluta reſponſione contra Jacob. Smidelinum)* teſtimonio oculari; cui de viſu aſſerenti, non capio cur credendum non ſit. Equidem capio, Lutherum hoc tentamento, ambitione excæcatum, Evangelio non attendiſſe. Chriſtus inceſſitus a ſuis detractoribus, quod in Beelzebub ejiceret Dæmonia, ſic illos redarguit: *Si Satanas* (Matth. 12. 26.) *Satanam ejicit, adverſum ſe diviſus eſt; quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Lutherus, ut ipſe fatetur (*Tom. 2. fol. 77. in Colloq. fol. 27. & 275.*) cum Diabolo intime, ac familiariter agebat. Hic ſuus Rector; ſecum tractabat

bat

bat dificillimas ſuæ doctrinæ quæſtiones; ſuum præceptorem illum habebat. Nunquam porro id audere debuerat, & Dæmonem ſibi familiarem, ad ejiciendum alium Dæmonem inſtigare. Uſque dum miniſtrum Dæmonem adhibebat ad inſultandum Papam, ad oppugnanda dogmata Romanæ Eccleſiæ, officii ſedulitatem impenſius ſibi promittere poterat; Romanæ quippe Eccleſiæ labefactatio tartarei imperii incrementum erat, deſolatio vero Dæmonem in Dæmonem impellere. Quamobrem conqueri minime debuit, ſi id ipſi accidit, quod in Actibus Apoſtolorum ſui non abſimilibus eveniſſe legitur (cap. 19. 16.) *Et inſiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Aliud etiam referre poſſem miraculum perperam a Luthero tentatum, exſuſcitandi ſuffocatum in flumine; ſed & hoc forte ceu falſum exciperetur, quanquam a *Joanne Cocleo* narratum ſub anno 1523., indicato ſuffocati nomine, nempe *Neſeni.*

51. Nunc de Calvino, eximio Magiſtro tuo, cujus honori adeo ſtudes, ut factum tot corroboratum teſtibus obtundere, & technis involvere audeas. Bolſecus factum narrat: ſed iſti nulla fides, utpote tuæ pſeudoreformationis deſertor. Nihilominus tamen ſi attente Bolſecum leges, quædam ibi aperiuntur circumſtantiæ, ex quibus, heu nimium, facti veritas innoteſcit. Enimvero Bolſecus refert, mentitum mortuum nomine *Bruleum*, patria ex *Avojen* inde commigraſſe *Genevam*, initaque familiaritate cum uxore Calvini, ab iſta ſuæ paupertati ſuffragium traxiſſe. Factum non in templo (ut cenſet Surius) ſed propriæ domi accidit. Inſuper narrat conflictus & jurgia uxoris contra Calvinum, dum maritum revera demortuum parentabat; ſed placata inde fautorum Calvini opera, res eo tum ſilentio præteriit. Concludit tamen Bolſecus (in vita Calvini cap. 13.) *Negent hoc quantum velint Calvini mancipia, exploratum, & cognitum ſatis fuit, veritaſque rei probata, immo per ipſammet uxorem confirmata.* Repetis nullam Bolſeco adibendam eſſe fidem, utpote ex diſcipulo Calvini factus eſt apoſtata, & reconciliatus Romanæ Eccleſiæ; quippe ſi in ejus clientela pertinax fuiſſet, hujus dicta ceu oracula habenda forent. Si res ita ſe habeat, neque credenda inſanæ gentilitatis deliria, quoniam vel a Gentilibus converſis ad fidem, vel a Chriſtianis juratis idololatriæ hoſtibus traduntur. Subdis Apolog. pag. 19. *incredibile videri a Calvino hoc tentatum fuiſſe experimentum; cum negaret ad confirmationem fidei requiri miracula.* Utique, Calvinus miraculorum neceſſitatem negabat; a ſuis tamen adverſariis urgebatur, nullum ab ipſo in columen ſuæ doctrinæ præſtari divinum ſignum, ex tot, quæ Romana Eccleſia pro ſuis veritatibus proferebat. Quamobrem quilibet cordatus vir, nullo læſus prejudicio, facile videt, ab humano ſenſu alienum non eſſe, Calvinum indolis ſuperbiſſimum, hoc etiam medium tentaſſe ad aucupandam ſuæ doctrinæ fidem, ut ejus adverſarii obmuteſcerent. Neque vero ſuus ille miniſter in finibus Poloniæ, & Hungariæ miracula fore neceſſaria reputabat. Lindanus tamen, Linguarda, & Alanus Copus (*Lib. 6. de Dialog.*) referunt anno 1558. hunc pariter exſuſcitare quendam nomine *Matthæum*, mentientem ſe mortuum, tentaſſe; verum, ut Calvino accidit, revera extinctum illum comperiſſe. Hæc ſatis, ne atrocius indigneris. Dè viſione Zuinglii alibi redibit ſermo. Hic certe deberem, & facile poſſem demonſtrare, mentita miracula a te noſtris impoſita, meras eſſe calumnias, a Miniſtris tuis confictas; dum nonniſi ab iſtis referantur, nec niſi in partibus hæreſi infectis edita. Hoc tamen prætermiſſo, preſſius ſic diſſeram. Fuerit, ut falſo imponitur, ex noſtris aliquis Pſeudopropheta ad fabulas converſus, qui ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, dolo malo falſis gloriaretur miraculis;

culis: tot tamen, & ferme innumera in Eccleſia noſtra proferuntur miracula, quæ noſtræ fidei veritates ampliſſime commendant. Contra in veſtris partibus aut nullum viſum eſt miraculum, aut ſi fuit aliquando tentatum, infauſto exitu oppoſitum fieri contigit. Enimvero animadverte, nec Luthero, nec Calvino, nec tuorum cuipiam unquam conceſſum Dæmones ſibi ſubjicere, vel ab obſeſſis excutere: quod frequentiſſime, & ferme uſu fit a noſtris Sacerdotibus; qui vel Exorciſmis, vel adhibitis Crucibus, Roſariis, & Coronis, Dæmones a corporibus exterminant, eos cogentes quædam præſtare ſigna humanis viribus impoſſibilia; videlicet ignotis, & exteris linguis loqui; locis valde diſſitis agere, extinguendo lampades, ingentia & graviſſima aſportando pondera, & hujuſmodi. Quæ cum Exorciſta Catholicus, anno 1709., in una Italiæ urbe in duobus obſeſſis experiretur coram multis ſectæ Proteſtantis centurionibus, & generali militiæ Duce; hic admiratione captus ait: *Talia minime faciunt noſtri Prædicantes & Miniſtri*; impoſuitque ſuæ Legionis militibus pergere ea videre quæ perpetrabat Exorciſta Catholicus: cujus rei, præter publicam famam, authentica apud me teneo monumenta. Quæ omnia Eraſmi dictum confirmant, qui de Lutheranis loquens (*Collat. de lib. arb. contra Luth.*) inquit: *Nullus eorum adhuc extitit, qui vel equum claudum ſanare potuerit*. Argumentum potiſſimum, quo veteres ſcriptores pro veritate Chriſtianæ religionis certabant contra Paganos, & Hebræos, erat de poteſtate, & dominio, quod Chriſtiani in Dæmones exercebant, quibus famulabantur Pagani. Sic Juſtinus Martyr (*dial. cum Triphone*). *Et nunc nos qui in Crucifixum... credimus. Dæmonia cuncta, Spirituſque malignos adjurantes, ſub poteſtate eos noſtra ſubditos habemus* pag. 302. 4. Sic Tertul. (in *Apolog.* c. 23. & *ad Scapulam* cap. 2. & 4.) *Dæmones non tantum reſpuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus .... & ipſi* (nempe Gentiles) *beneficia habent Chriſtianorum... Nam & cujuſdam Advocati Notarius cum a Dæmone præcipitaretur liberatus eſt, & quorundam propinquus, & puerulus.* Sic Cyprianus ad Demetrian. *num. 6. & de Idol. vanit. num. 4.* Sic Lactantius lib. 1. cap. 16. lib. 4. c. 27. *Nam ſicut ipſe* (Chriſtus) *cum inter homines ageret, univerſos Dæmones verbo fugabat: ita nunc ſectatores ejus, eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis* (ideſt ſigno Crucis) *excludunt.* Paganos inde hoc urget dilemmate. Hucuſque dicta, conceduntur, vel negantur? Si concedantur: *Vicimus; neceſſe eſt enim hanc eſſe veram religionem, quæ & rationem Dæmonum novit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, & eos ſpiritualibus armis domitas, ac ſubactas cedere ſibi cogit.* Si vero negentur, ſuorum partium teſtimoniis ipſos convincimus. Porro eodem ratiocinio ſic diſſero: Virtus abigendi Dæmonia a Chriſto collata in ſignum ſuis fidelibus (*Matth. 10. 1. Lucæ 10. 17. Marci 16. 17.*) *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient &c.*, manſit, & perſeveravit in vera Eccleſia omnibus diebus; cujus intuitu in ipſa ſervatur Ordo Exorciſtatus, Exorciſmorum uſus, & Signi Crucis, ut ex Patribus probavi. In mea Eccleſia hæc virtus perſeverat, & exercetur Exorciſmorum ritus, quorum effectus in dies conſpiciuntur: in Proteſtantium autem Eccleſiis nil ſimile unquam viſum. Exorciſtæ, Exorciſmi, Signum Crucis apud ipſos vaniſſimæ ſuperſtitiones. Quæ igitur vera Eccleſia? Vel id mihi conceditur, vel negatur. Si concedatur; cum Lactantio: *Vicimus; neceſſe eſt enim hanc eſſe veram religionem, quæ & rationem Dæmonum novit, & aſtutiam intelligit &c.* Si negetur; cum Lactantio & Tertulliano id oſtendam ex ipſis beneficiis a Proteſtantibus acceptis, vel ad ipſorum oculos perpetratis; atque inter cetera de Adoleſcentula illa, ſecta Lutherana, quæ poſ-

ſeſſa

feſſa a Dæmone, ad eam liberandam a Miniſtris Lutheranis omnibus artibus perperam adhibitis, cum inde a Sacerdote Catholico conſuetis Exorciſmis adjuraretur coram Sanctiſſima Euchariſtia; a vinculis Dæmonum plane ſoluta incolumis evaſit. Unde Surius (*Commen. ad an.* 1563.) [illegible] *cero perlegit animo, ſtatim quiſquis ſincero Sectarios nullam eſſe Dæmonum expellendorum poteſtatem, eamque apud Catholicos in hanc uſque diem permanere*. Potiſſimum igitur vobis (ut huc uſque probavi) deeſt ſignum, ad oſtendendam veritatem veſtræ Eccleſiæ: miraculorum quippe virtus efficax eſt veritatis teſtimonium, cum hoc donum in vera Eccleſia perſeverare debeat; & veſtræ pſeudoreformationi neceſſarium fuerit, ut eam eſſe a Deo conſtaret. Quapropter, cum nullum a vobis proferatur miraculum, ſequitur nec veſtram pſeudoreformationem a Deo fuiſſe, nec vos habere veram Eccleſiam.

CAPUT III.

De Martyribus.

§. I.

Numerus Martyrum oſtendit veram Eccleſiam.

1. INter ſigna veræ Eccleſiæ eminet caterva illa nobilis Martyrum, qui ſanguinem ſuum pro fidei veritate fuderunt. Religio quippe, cujus fidem clientes ſui voce, & ſanguine profitentur, quandam formam, & venuſtatem habet, quibus vera credatur, necnon cœtus ille Fidelium eam tenentium vera Eccleſia habeatur. Lutherus ipſe hanc veritatem confiteri viſus eſt in illo celebri libro *Conciliorum* & *Eccleſiæ*, recenſens inter notas veræ Eccleſiæ *tribulationes intus, & extra*, quas vocat Myſterium Crucis. Et clarius a Centuriatoribus (*Centuria* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *columna* 380. & 381.) appellatur *Conſtantia in confeſſione fidei*. Nihilominus tamen Picenine negas; nec te piget a tuo doctore Calvino recedere, qui Martyrium recenſet inter rationes legis Chriſti, his verbis: *Jam quanta ſecuritate nos ei doctrinæ nomen dare par eſt, quam tot ſanctorum virorum ſanguine ſancitam, & teſtificatam videmus? Illi pro ſemel ſuſcepta non dubitarunt mortem animoſe, & intrepide, atque adeo magna alacritate oppetere: nos cum tali arrhabone ad nos tranſmiſſam, qui non certemus? Non etiam perſuaſione ſuſcepta approbatio, tot teſtium ſubſcriptione fuiſſe obſignatam; præſertim dum reputamus eos mortem ad reddendum fidei teſtimonium oppetiiſſe, non fanatica intemperie, qualiter interdum erratici ſpiritus ſolent: ſed firmo, conſtantique, ſobrio tamen Dei zelo*. (Lib. 1. Inſtit. *cap.* 8. *§.* 13.)

2. Hæc tamen te non movent; immo Apolog. pag. 34. ais: Martyrium non eſt ſignum veræ Eccleſiæ, *quia nec perenne, nec continuum, nec proprium*. Non continuum: *Vera quippe Eccleſia poteſt carere Martyribus, eo cum non ſit a Tyrannis oppreſſa*. Non proprium: *Falſa quippe Eccleſia poteſt ſuos habere Martyres*. Ad primum. Miles non pugnat, nec moritur ſemper pro Republica; bella quippe nec ſemper urgent: pugna igitur, & ſanguis fuſus non ſunt notæ veri militis, nec potentis Reipublicæ. Non ita, inquies; character enim veri militis, & potentis Reipublicæ id non exigit, quod & miles ſemper in ſanguine, & Reſpublica ſemper in armis verſetur; ſed verus miles, & fortis Reſpublica illa, quæ urgente bello fortiter bella gerit. Optime. Vera igitur (inferam & ego) Eccleſia illa, quæ inſtante perſecutione fortes habet pugiles, ſanguine vincentes tyrannos. Semper equidem (ut advertit *S. Th.* 2. 2. *q.* 124. *a.* 1. *ad* 3.) habere debet paratos fideles ad eam, ejuſque doctrinam tuendam ſanguine; paſſio tamen martyrii non eſt ſuſtinenda, niſi inſtante diſcrimine fidei adverſus tyrannum. Sic porro præſens inſtituenda ratio: „ Inter Eccle-

ſias

,, ſias Chriſti illa vera habenda, cujus
,, fides in gravi periculo poſita in-
,, numeros habuit commilitones, non
,, in una Provincia, ſed in Orbe u-
,, niverſo; qui ſanguine ſtrenue de-
,, certarunt, & varia ac diuturna
,, cruciatuum acerbitate, ad eam tu-
,, endam, mortem oppetierunt. Qui
,, ſint cujuſcunque generis, conditio-
,, nis, & ſtatus; Principes, gregales,
,, divites, pauperes, fortes. & qua-
,, les, cujuſcumque ſexus, & conſtantia
,, ſiorti ſe tradiderint, prævius ſignis,
,, prodigiis, cæleſtibus viſionibus,
,, quibus recreabantur. Qui denique
,, moribus integri, virtutibus ſancti,
,, doctrinis præditi, ſola religionis,
,, & fidei cauſa martyrium anhela-
,, verint. Eccleſia igitur, quæ tot,
,, ac tales habuit Martyres, vera eſt
,, Eccleſia; cum imperceptibile ſit
,, hæc omnia convenire in non ve-
,, ram fidem, & Eccleſiam. Chriſti-
,, fideles Eccleſiæ Catholicæ, illius
,, nempe, quæ Romanum Epiſcopum
,, veneratur ceu legitimum Eccleſiæ
,, caput, ſemper parati fuere hæc ſuſti-
,, nere & pati. Ergo hæc Eccleſia habet
,, characterem veritatis proprium, &
,, diſcretivum ſui ab aliis Eccleſiis. ,,
Qua ratione utraque tua ratio corruit.

3. Hæc ſi valeant, *quod* (ais pag. 35.) *reſpondendum Synagogæ? Enimvero & ipſa dicet: Eſaiam, Jeremiam. ſeptem habeo* (non duodecim) *Fratres Machabæos. ac alios plurimos, qui intrepide pro mea fide decertarunt. Quid Eccleſia Græca, cum & ipſa in medium profert Ignatium, Polycarpum, Theclam Juſtinum, aliosque tot ſua fidei pugiles?* Quid reponam? Synagogæ dicam: Tu quondam vera Eccleſia, cujus illuſtre monumentum ſunt heroes illi, qui ſteterunt contra perſecutores tuos. Nunc vero cecidit corona de capite tuo; qua cincta regnat Eccleſia Chriſti, tot Martyres habens pro ſua fide, nunquam pro tua decertantes. Eccleſiæ vero Grecæ iterum dicam: Cum ad dexteram Cathedræ Petri ſtabas, ejus ſucceſſoribus primatum concedens, primogenita tum, & illuſtris eras Matris Eccleſiæ filia; & a perſecutoribus aggreſſa, tuorum Martyrum ſanguine ipſis occurrebas. At nunc e ſinu Catholicæ Matris avulſa, miſera ancilla barbaro jugo mancipata, ubi antiquum decus, ubi tuorum magnanimitas? Quibus privata, veræ Eccleſiæ ſignaculo cares, non ſponſa Chriſti, ſed vile mancipium. Ergo, in-Hæc &.. hu ſieri *mater erroris Eccleſia olim mater heroum?* Quis dubitat? Cum particularis aliqua Eccleſia in ſchiſma corruat: cum priſcam majorum fidem deſerat, ut Græcæ accidit. Animadverte tamen, quod alienata ab Eccleſia Romana, & amiſſa majorum fide, itidem ceſſit ſuorum magnanimitas, & Martyrum cohors.

§. I I.

Antiqui Martyres noſtri ſunt.

4. NOvum cauſæ genus de *meo*, & *tuo*: num *tui* ſcilicet, an *mei* dicendi ſint antiqui Martyres diſputare me cogis. *Mei ſunt* (aſſeris Apolog. *pag.* 35.) *quia meam profeſſi ſunt religionem, non veſtram. Veſtrum eſt oſtendere inclytos illos Martyres oppetiiſſe pro articulis a me negatis. Illuſtris ne ille ſanguis tam liberaliter effundebatur in ſuffragium purgatorii, invocationis Sanctorum, cultus imaginum, primatus Papæ?* Audiſtin lector ranam ſcandentem arborem, & vociferantem? Audiar & ego. *Illuſtris ille ſanguis tum effundebatur* in teſtimonium nominis Chriſti, quod tunc a gentilibus adoriebatur. Non equidem expreſſe *in ſuffragium purgatorii*, ac ceterorum dogmatum, quæ nos profitemur, tu vero negas. quia de his *expreſſe* non affligebatur Eccleſia. Verum ſi id proſit, quo tui dici debeant primorum temporum Martyres: profecto Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Pelagiani illos Martyres ceu ſuos ſibi aſſerere debuerant. Enimvero Arius inſtare poterat: Primi Martyres oppetiere ne pro *conſubſtantialitate* Patris cum Filio, quam contendo? Neſtorius vero: Num pro *unitate Perſonæ Chriſti*, cui reſiſto? Item Eutyches: Num pro *di-*

ſtin-

ſtinctione naturarum in Chriſto, quas miſceo? Denique Pelagius: Num *pro neceſſitate gratiæ*, quam rejicio? Illuſtris illorum ſanguis effuſus eſt pro nomine Chriſti, quod una confitemur omnes. Noſtri itaque ſunt Martyres illi. Quid tum illis tu Picenine? Reor diceres: Non id ſat vobis. Neque enim ad eos aucupandos Martyres multum refert non obſignaſſe ſanguine articulos quos rejicitis; ſed maxime intereſt probare, quæ vos negatis, pari ratione illos negaſſe, videlicet conſubſtantialitatem Patris cum Filio, unitatem Perſonæ, naturarum diſtinctionem in Chriſto, neceſſitatem Gratiæ. Sic, inquam, reor te illis reſtiturum: ſecus ſi hac ratione primi Martyres non mei; neque tui eſſent. Quocirca peto: Martyres illi, quos pro ſanciendis noſtræ fidei dogmatibus mortem non oppetiiſſe jactas, oppetiere ne ad ea neganda? Hæc rei ſumma. Si pro Purgatorio non ſubiere martyrium; forte ne ad hoc excludendum? Sive ad evacuandam Sanctorum invocationem? Ad Imaginum cultum abrogandum? Nunquam plane evinces Martyres illos tibi, non mihi deberi; niſi ſuadeas, aut ad oppoſita meæ fidei dogmata tuenda ſanguinem dediſſe, aut oppoſita ſaltem meæ fidei dogmata crediſſe. Id ſuadebis nunquam; tantumve negabis illis temporibus creditum fuiſſe, quod nunc credendum a nobis aſſeritur. Hæc autem eſt præſens quæſtio, videlicet: creditum, necne antiquitus fuerit, quod nunc a nobis creditur, & a te id negante probandum eſſet, quod nunquam fiet; quoniam mendacia mendaciis componendo nil probatur.

5. En autem mendacium omnium mendaciſſimum, dum recenſitis pag. 36. *tribus ſupra terdenos Epiſcopos, quos tot ſucceſſive Martyres babuiſſe Eccleſia Romana gloriatur*, hos ipſos in albo tuorum Martyrum adſcribendos audes aſſerere. Picenine, ludis, an inſanis? Hi Romani Epiſcopi, omnes Papæ; & omnes tui? Hos etiam vis nobis ſuffurari? Heu nimium! Tanta aviditate niteris Martyres tibi adſciſcere, quod vereor ſi in hanc uſque diem omnes Papæ martyrio ceſſiſſent, omnes raperes; nullum vero Eccleſiæ Romanæ permitteres. Apage hinc: Omnes Papæ ad veſtram Eccleſiam non pertinent, quæ iſtos non recipit, ſed deteſtatur. Si ante paſſionem martyrii Papatum abjuraſſent, forte ſic tibi deberentur. Aſt in Papatu confecti, extra tuam falſam Eccleſiam, quam veram tibi adularis; cum nuncupari veri Martyres digni non ſint, cur porro illos aucuparis? *Pro Papatu* quidem *non oppetiere*. Papatum tamen aſſerebant, exercebant, & adverſus aggreſſores ſanguine etiam, urgente neceſſitate, propugnaſſent; cum juxta Calvinum (*lib. 4. Inſt. cap. 7. §. 5.*) *Nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Eccleſias appetierit*. Id unum tibi ad eos abigendos ſat eſſe debuerat, *quod hi etiam* (ut ſubdis) *jam meditabantur fieri Eccleſiæ caput*. Porro ſic arguo. Antiqua Eccleſia Martyres cenſuit Papas, qui etſi pro Papatu non oppetierint, Papatum tamen tuebantur regentes alias Eccleſias, cum per Calvinum *nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Eccleſias appetierit*. Veſtra autem Eccleſia ceu Martyrem non agnoſceret Papam, qui primatum tenere vellet ſuper alias Eccleſias; ergo antiqua Eccleſia non veſtra, ſed *noſtra* erat, & ejus Martyres *mei*, non *tui*. Quod vero Papæ illi, & Martyres *duodenas illas veritates* profiterentur, quas P. Segneri *oſtentat omnibus ſeculis creditas fuiſſe*, non ſemel tibi oſtenſurum ſpero. Sufficiat modo indicare Martyres primorum temporum inhæſiſſe veſtigiis noſtræ religionis, nullatenus vero Proteſtantium, immo huic oppoſita obſervaſſe. Quod erudite tractat Richardus Briſtoi Scriptor Anglus in ſuo Libro *Motiva catholicæ doctrinæ*, *tom. 2. motiv. 20.*, ubi & perſecutionum tempora, & ſequentia diſcutit: & quanquam inſtantibus perſecutionibus, utpote a tyrannis impediti, non poſſent Chri-

ſtifideles palam fidem ſuam, & religionem profiteri; illis tamen ſedatis ſtatim innotuit illorum fides, pro qua tot calamitates perpeſſi fuerant. Sedata Diocletiani, & Maximiani perſecutione ſcribit Beda (hiſt. Angl. *lib.* 1. *cap.* 8.) quod Chriſtifideles e ſilvis, & antris quibus latitaverant in apertum regreſſi, *renovant Eccleſias ad ſolum uſque deſtructas, Baſilicas Sanctorum Martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac veluti victricia ſigna paſſim propalantes, dies feſtos celebrant, ſacra mundo corde atque ore conficiunt.* Id Angliæ factum, ubi ad memoriam S. Albani Martyris erexerunt *Eccleſiam admirandi operis, atque ejus martyrio condignam.* Cujus intereeſſione, Bedæ uſque temporibus, frequentia impetrabantur miracula. Euſebius vero fidelium feſta Maximiano mortuo recenſens (*lib.* 10. *cap.* 3.) hæc habet: *Poſt hac votivum nobis, ac deſideratum ſpectaculum prabebatur, dedicationum ſcilicet feſtivitas per ſingulas urbes, & oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes: ad hac Epiſcoporum conventus, peregrinorum ab externis, & procul diſſitis regionibus concurſus. .... Jam vero Antiſtitum abſolutiſſima caremonia, & accurata ſacrificia Sacerdotum, & divini quidam, auguſtique Eccleſia ritus ... myſtica quoque ſalutaris Paſſionis ſymbola eredebantur.* Et lib. 6. cap. 9. miracula referens Sancti Narciſſi Epiſcopi Jeroſolymitani ſub Severo, ſubdit deficiente miniſtris in pervigilio Paſchatis oleo pro Lampadibus Eccleſiæ *juſſiſſe, dicitur, ſincera in Chriſtum fide, ut eam* (aquam) *lucernis infunderent. Quo itidem peracto, ajunt aquam contra morem natura ſua ... in olei pinguedinem eſſe converſam &c.* Videatur Victor Vitenſis (*lib.* 1. *de perſecutione Africana*) & conſtabit, quod quidam nomine Proculus a Geiſerico miſſus, *de palliis Altaris camiſias ſibi, ac femoralia faciebat*: qui inde morſibus ſibi linguam in fruſta diſcerpens, ſacrilegii pœnas dedit. De Diacono, qui paſchali tempore, dum Alleluja caneret, ab Arianis ſaucio gutture, interiit. Duas etiam refert conſtructas Eccleſias in memoriam S. Cypriani; unam ſcilicet in loco ſuæ paſſionis, alteram in loco ſuæ depoſitionis. Sacerdotes pariter nominat, & alia multa, quæ a nobis celebrantur, a Proteſtantibus deteſtantur. Inter cetera vero Serapionis factum a D. Dionyſio Alexandrino ſcriptum, & ab Euſebio (*lib.* 6. *hiſt. cap.* 44.) relatum evidentiſſime evincit, ſub Deciana perſecutione uſum invaluiſſe Euchariſtiam reſervandi, & adminiſtrandi infirmis Viaticum, tum uni perſonæ, tum ſub una tantum ſpecie; item, data opportunitate, neceſſariam fuiſſe ſacerdotalem abſolutionem a peccatis. Etenim Serapion infirmus, & morti proximus, de abſolutione ſollicitus, adoleſcentem nepotem ſuum ad Sacerdotem miſit, qui accederet ad eum reconciliandum. Verum Sacerdos, cum & ipſe infirmus decumberet, venienti puero Euchariſtiæ particulam tradidit, quam aqua intinctam in os ſenis infunderet: *mox puer buccellam intinxit, & in os ſenis infudit; qui, ea paulatim abſorpta, continuo animam exhalavit.* Hucuſque dicta ingenuum lectorem certiorem faciunt quam Religionem perſecutionum tempore Eccleſia Chriſti profiteretur; quo inferatur num antiqui Martyres tuam Picenine fidem tenerent, quæ nihil eorum habet, quæ illis temporibus fiebant: an meam fidem, in qua quidquid antiquitus traditum fuit integre cuſtoditur. Picenine ne doleas, ſi repetitum dum venio mea Martyrum jura, moveas ut cornicula riſum, furtivis nudata coloribus.

§. III.

Nonnulla Picenini calumnia refelluntur.

6. Cum hucuſque perperam tentaveris primæ Eccleſiæ Martyres tibi adſciſcere, niteris modo illos noſtri temporis Eccleſiæ adimere

mere, quam ab antiqua fingis longe aberrare. Incipis pag. 36. mimica hac deriſione in P. Segneri: *Jeſuita valet dicere nos habemus, ſi de quibuſdam recentibus Japonia Martyribus intelligatur, qui Papa Martyres inſcribi poſſunt*. Conſertis inde mendaciis, & calumniis, illos quos recens veneramur Martyres, revera non eſſe Martyres fingis. Tuæ dementiæ ſcopus Jeſuitæ, & Dominicani. Horum duo in tua ſcena primi *pag.*37., videlicet *Vincentius*, & *Clemens*, ambo a te Martyres appellati; *primus, quia inſtigavit Chriſtianos, qui occiderent Attabalipam Indorum Regem: alter, quia HenricumIII. Galliarum Regem occidit; in pœnam inde merito necatus*. Hos tuo mendacio Martyres facis, qui non Martyres a noſtris; quinimmo improbi perduelles habiti ſunt. Porro quo ad Jacobum Clementem, quem Regicidio ſontem invidi faciunt, ab inuſta infamia ipſum atque Ordinem meum detergere facile poſſem. Neque enim graves me fugiunt rationes ad demonſtrandum *Henricum III.* non a Clemente interfectum, ſed a quopiam ex conjuratis, qui primi Præſidentis literis Regi traditis, nacta occaſione, ut Tuanus ſcribit, *dum Rex chartam ab eo porrectam attentis oculis percurrit*, ipſum interimit. Ad mentiendum inde facinus, habitu Dominicanæ familiæ quemdam militem regiæ cohortis, facie, ne agnoſceretur, repetitis ictibus deturpata, conjurati veſtierunt; perſuadentes plebi F. Clementem, cui Præſes literas commiſerat, Regicidam fuiſſe: quem antea furtim occiderant, detractis ipſi veſtibus & literis, ad occultandum horrendum ſcelus. Viri tamen prudentes compoſitæ calumniæ aures non dederunt; tum quia Jacobus Clemens homo quidam erat expers tantæ animoſitatis; tum quia nullum illorum temporum commentarium inſinuat F. Clementem tanti nefas reum; tum denique quia nulla pœna intentata fuit in Fratres ejuſdem Ordinis: cum alias levioribus de cauſis familiæ integræ aliorum Ordinum nedum Pariſiis, ſed e toto Regno exactæ fuerint; contra Dominicanus Ordo Lutetiæ & Galliis ſemper bene audivit. Negotii mei non eſt hic vindicias mei Ordinis inſtruere: verum dictorum uſque probatam veritatem qui deſiderat, Varillas legat de actis Henrici III., & libellum inſcriptum *Fatalitè de S. Cloud pres Paris*, cujus auctor, licet ibi ignotus, fuit tamen P. Bernardus Gujat Doctor Sorbonicus, Regius Prædicator, & in celeberrimo Collegio S. Jacobi Pariſiorum primus Thæologiæ Profeſſor.

7. De illo autem *Vincentio*, qui necis Indorum Regis incitator fertur, ut aliqua dicam, animadverto tuam impotentem inſaniam, qua ut illi gravius detrahas, S. Dominicum ejus Ordinis inſtitutorem convicio laceſſis *pag.* 36., ſic illum deſcribens: *Vere aſſecla illius, qui ipſius Ordinem inſtituerat, & Chriſtianos crudeles docebat ſententias*; ac repetitum vulnus, patri ſcilicet, & filio, uno ictu tentas infligere. Nec remorari volo quærendo hic factum ab Acoſta relatum (*lib. 6. de Indor. ſalut. cap.* 2.) ſit necne bona fide a te exſcriptum; an potius auri fames, quam *Vincentii* inſtigatio, milites incitaverit ad necem Attabalipæ; neque inſano hujuſmodi zelo, ſi res ita ſe habeat, aſſentior. Id porro, ut videbimus, ad præſentem non attinet quæſtionem. Mea tamen valde intereſt, qua devotum filium, Sanctiſſimi Patris honorem a te læſum vindicare; tuamque nedum impudentiam, ſed improbitatem retundere, qua S. Dominicum traducis *crudelium, ac trucium ſententiarum auctorem*. Id a te impoſitum puto ex illa expeditione, quam S. Dominicus adverſus Albigenſes promovit; cui præſens ipſe adſtitit, ſupplicationibus quidem, & precibus apud Deum, non armis adverſus hoſtes, qui uno prælio omnes fracti ſunt. Par forte non erat horum arrogantiam armis infringere? Albigenſes falſis doctrinis pervertebant Catholicos; percutiendi itaque erant in ore gladii, ut Deuteronomii præcipitur (*cap.* 13.

23.15.). Blaſphemabant Deum. & ſervos ejus: retundenda igitur armis injuria, exemplo Davidis (2. *Reg.* 10 7.) qui opprobrium ſervorum ſuorum ab Ammonitarum Rege intentatum armis vindicavit. Albigenſes, Toloſani Comitis favore, & violentia protecti, inſoleſcebant: vim vi repellere cur non licuit? Verum nil mirum, quod tanto odio in D. Dominicum, pietate vero erga Albigenſes commovearis. Iſti quippe (opinione tua) veram componebant Eccleſiam, quam proinde apud ipſos expiſcatus eſt Lutherus, & Calvinus. Te docuerunt in Euchariſtia merum panem haberi. Ab ipſis didiciſti contemnere, velut ſuperſtitioſam, Confeſſionem, Ordinem Sacerdotum, Miſſæ Sacrificium. Deteſtabantur & ipſi ſacrarum Imaginum cultum, ceu idololatriam; & Purgatorium, ceu fabulam. Quamobrem illos quanquam odiſſe debuiſſes, utpote qui variis erroribus cum Manichæis ſentirent, & Sacras Scripturas rejicerent; nullatenus tamen docentes te præfata dogmata eos proſequeris, *barbarum* appellans qui illos afflixit. Bene habes. Parentibus, & Magiſtris nunquam ſatis.

8. Veniam ſpero, ſi extra ſtadium divertere quadantenus mihi fas fuit, ut a calumnia Sanctum redimerem, cujus Ordini adſcribi mihi ſummum decus, & gloria. Erat igitur de *Martyribus* ſermo. Dominicus profecto *Martyr* non fuit, niſi animo, & deſiderio. Ejus aſſecla, qui Attabalipæ necis incitator fertur, nuſquam catalogo *Martyrum* adauctus fuit. Ad quid igitur iſtum hic referre? Putas Eccleſiam noſtram inter *Martyres* recenſere milites, qui barbaro gladio in Indiis cæſi ſunt, aut juſto prælio adverſus Albigenſes? Te melius novimus milites cadentes in bello Infidelium gladio, nec eſſe, nec appellandos Martyres. Novimus paſſionem martyrii non eſſe aut aggredi, aut provocare tyrannum; bene vero pro fide Chriſti ſuſtinere, & pati mortem: nec Martyrem facit aut aggrediendi, aut ſuſtinendi ardor, ſed in paſſione animi fortitudo. Hinc Chriſtus Apoſtolos mittens ad agonem martyrii, non eos quaſi leones miſit, ſed quaſi oves ad lupos: (Matth. 16.) *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Si Martyres inter aſſeclas D. Dominici Picenine quærebas, Fontanam legere debebas (*Theat. Dominic. Monumenta Dominic.*) Bzovium, Piò, Caſtillum &c. Mille hic recepiſſes ob fidem Chriſti cæſos ante pſeudoreformationem. Præſto tibi fuiſſet Petrus de Verona in odium catholicæ fidei a Manichæis interemptus *ann.* 1268. Plures centum Antiochiæ diſcerpti Saladina perſecutione adverſus Chriſtianos *ann.* 1261. Nonageni ſupra centum amputati venis a Tartaris Boſniæ. Hungariæ. Dalmatiæ, *an.* 1262. Occurriſſent Andreas Peruſienſis *an.* 1300., Antonius Pavoni *an.* 1374. ab Infidelibus occiſi; Bernardus de Traverſara *an.* 1260., Boninſignius de Florentia *an.* 1248., ambo medii ſecti, ut Eſajas, unus ab Hæreticis, alter ab Idololatris; Conradus de Marpurg *ann.* 1233., Leonardus de Chio Epiſcopus Lesbius Turcarum victima *an.* 1458. Revolve & perlege, & quoquo ſeculo habebis aſſeclas D. Dominici hoſtias Chriſti effectos, vexillum fidei deferentes ad remotiſſimas partes inter barbaricas nationes. Nec hucuſque eos retuli, qui vel Japoniæ ab Idololatris, vel a Proteſtantibus mactati fuere; dum alibi de his ſermonem habere tua importunitate compellar. Dicta ſufficiant, quo ſcias Dominicanos Martyres unde repetere debeas. Hos autem, quos *Papæ Martyres* appellas, revera ſunt veri Martyres, qui paſſi ſunt pro Eccleſiæ unitate, quam ſi paſſi eſſent nolentes Idolis ſacrificare. Sic Dionyſius Alexandrinus ſupra laudatus apud Euſebium (*Lib. 6. hiſt. cap.* 26.) & infra repetendus.

9. Dum autem quæris Eccleſiæ Romanæ Martyres, non qualemcunque pagellam excurrere, nec omnium dictis attendere debes, aut commentariolis vel ſimplicium, vel inſipientium, vel quandoque nimio affectu

fectu laborantium. Non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia. *Martyres* non habemus præter illos, quos ſuis Martyrologiis Eccleſia Martyres commendat. Inter quos ſi quempiam deprehendas vel non Martyrem, vel *turpiſſimæ vitæ hominem*, cedo cauſæ. Ævo Divi Martini deprehendes præſtitum latroni religioſum cultum, quem Martyrem reputabant nonnulli ſimplices. Verum enimvero accipies, cognita fraude a S. illo Epiſcopo, demolitum Altare, & vetitum cultum. Porro ſi oculos habes ad captandum, & detegendum errorem; cur non itidem illos aperis ad ſuſpiciendam divinam providentiam, non permittentem pro Martyre non Martyrem venerari? Cur non laudas Paſtorum vigilantiam in abſtergendis erroribus, dum irrepſerint? Cur non infers, quos colimus Martyres, niſi tales eſſent, neque Dei providentiam, neque Paſtorum vigilantiam unquam conceſſuras hujuſmodi haberi? Deus qui miraculo, ut refert Sulpitius Severus (*in Vita S. Martini cap. 8.*) fraudem detexit S. Epiſcopo, quomodo permitteret nunc de tot Martyribus falli? Hic tamen error, quem incaute carpis, certos nos facit, eo uſque tempore & Martyribus cultum, & Altaria erecta fuiſſe. Animadvertes nonnullos ceu Martyrem coluiſſe *ebrioſum hominem in ebrietate occiſum*, ſimulque advertes, comperta re, ab Alexandro III. ſancitum (*cap.* Audivimus *de Reliq. & Venerat. Sanctorum*) *Illum ergo non præſumatis de cetero colere: cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret ipſum pro Sancto abſque auctoritate Romana Eccleſiæ venerari.* Apolog. pag. 40. opponis: *Georgius Cappadox, olim jam Angliæ Protector, inter Sanctos colitur ab Eccleſia. Templa iſti in urbe Chriſtiano erecta. Hic autem Georgius Arianus erat, impius, & Catholicorum inſectator. Quod referunt Athanaſius* (in Lib. de fuga ſua), *& Epiphanius* (*hæreſ. 76.*) *Et Gelaſius ipſe* (*can. 5.* Romana *diſt. 15.*) *apocrypham notat Georgii paſſionem.* Quem Georgium memoras? Duos nempe comperio hujus nominis, ambos Cappadoces; Alexandriæ Epiſcopum unum, alterum profeſſione militem, utrumque occiſum, non utrumque Martyrem. Georgius Epiſcopus, Arianus fuit, impius Catholicorum inſectator, interemptus, immo in fruſta a Gentilibus diſcerptus. Ariani Martyrem hunc habendum contendebant; ſed a Catholicis ſemper, tanquam impius & ſacrilegus, proſcriptus fuit. Georgius autem miles, nec fuit, nec potuit Arianus eſſe; quippe cum ipſe floruit, Arius vel nondum natus, vel certe tum blaſphemia ſua non infecerat Orbem. Chriſtianus ille, & Catholicus, ſub Diocletiano a Paganis interfectus. Hic ſane *Martyr*, quem colit Eccleſia, quem Anglia catholica protectorem habuit; & ſexto uſque ſeculo in Occidente cultum obtinuit; de quo mentionem facit S. Gregorius Turonenſis (*Lib. 1. de Glor. mart. cap. 101.*) & D. Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario, in quo ſub die 23. Aprilis legitur Miſſa S. Georgii, & in Antiphonario Officium inſcriptum *Natalis S.Georgii*. Immo illo ineunte ſeculo Romæ Templum inerat tituli *S. Georgii ad Sedem*, caducum, & neceſſario reparandum, ut patet ex Divo Gregorio *Lib. 11. Epiſt. 73.*, qua Mariano Abbati injungit illius reſtaurationem; quibus veriſimile fit, ipſo ſeculo ſuæ paſſionis fuiſſe conſtructum. In Oriente etiam maxima veneratione habebitur; quod teſtantur vetuſtiſſima monumenta apud Procopium *Lib. 3. de ædificiis Juſtiniani, cap. 4. Vita S. Joannis Silentiarii, Vita S. Theodori Siceotæ*. De hoc Martyre Bollandiſtæ *ad diem 23. Aprilis*, & *Tillemont. tom. 5. Eccleſ. hiſt. pag.* 185. Quæ igitur tua diligentia, tua Picenine fides, qui duos miſces Georgios, nec etiam coævos; cum Martyr iſte paſſus ſit III. ſeculo ſub Diocletiano, Arianus ille IV. ſeculo ſub Juliano ceciderit? O ignorantiam tanto antiquario indignam; nonniſi loris, & ferula puniendam!

Sulpi-

Suſpicor tamen non inſcitiæ, verum malitiæ tuæ malam artem eſſe ad illudendum ſimplicibus. Conſueta quippe hoſtibus Eccleſiæ arma, fraudes; quibus, ut ſua uſque ætate dolebat Arnobius (*lib.* 1. *adv. Gent.*) acta Sanctorum Martyrum mendaciis implent, ut veritas vel pereat, vel irrideatur. Quod de actis S. Georgii Martyris factum ſcite Gelaſius quæ ſua ætate vulgabantur proſcripſit, ſarta tecta ejus martyrii veritate. Videatur Baronius ad diem 23. Aprilis.

10. Stomachum ſane movet calumnia, quam impingis inclyto Martyri, & Epiſcopo Cantuarienſi S. Thomæ; quem Thomam Bechet contemptu appellas, ſic de eo verba faciens pag. 37. *Hic ſuo naturali Principi Henrico II. Anglo inſidus, ejus auctoritati inceſſebat, ut Papa uſurpationibus faveret. Illuſtris tamen Martyr habetur, paſſus pro momentoſo fidei articulo auctoritatis pontificiæ.* Heu quot una periodo mendacia! Thomas pro auctoritate Papæ mortem non ſuſtinuit: eam quippe Rex non contendebat. Paſſus ille pro ſervandis juribus ſuæ Eccleſiæ, quæ Henricus, ſeu potius hujus miniſtri invaſerant. Validum ſane argumentum, ad commendandam Orbi univerſo illuſtrem Thomæ mortem, & ad obſtruenda detractorum ora, præſtat nobilis ille dolor ab Henrico poſtea expreſſus, venia petita, & publica pœnitentia ſua ſponte ſuſcepta; de qua pontificios legatos his verbis interpellavit: *Ecce Domini Legati corpus meum in manu veſtra eſt. Scitote pro certo, quia quidquid juſſeritis, vel proficiſcendo Jeroſolymam, ſive Romam, ſive ad ſanctum Jacobum, vel quidquid id ſit, paratus ſum obtemperare.* Quod humiliationis ſpecimen a circircumſtantibus qui plurimi aderant lacrymas civit. Inſuper ſuſcepta peregrinatio quinquennio poſt Cantuariam uſque ad ſepulcrum S. Martyris, miraculis jam celeberrimum. Hæc autem Regii itineris forma. Cantuariam veniens Henricus, pedes, excalceatus, peregrini ſcortea indutus, per publicos vicos, & plateas, medius inter attonitam populi multitudinem, perrexit ad ſepulcrum S. Martyris. Hic, nullo recreatus cibo, inſomnis per integram noctem, aſſiduis precibus proſtratus jacuit. Inde accerſito Capitulo, & Clero, *a ſingulis fratrum virga diſciplinalis percuſſiones ſingulas .... uſque tum inauditas accepit.* Audito autem ſacro, eodem abſoluto peregrinorum ritu Londinum rediit. Mirandum ſane quod eodem momento de hoſtibus & perduellibus ſuis illuſtri victoria triumphavit. Id tradit Eribertus apud Baronium, *ad ann.* 1174. *num.* 6. *&* 7., & Chriſtianus Lupus *de geſtis poſt martyrium, cap.* 5. *&* 6. Nulla tamen fides his apud te, qui rebellionis cauſa Thomam cæſum vis; nempe pro auctoritate Papæ tuenda. Tantum poteſt malæ cauſæ pejor defenſio. Si Thomas occubuiſſet pro tuendo iniquo Primatu Henrici VIII., aut Eliſabeth, palma martyrii dignus foret una cum ceteris, quos hac de cauſa Martyres facis; quia vero pro auctoritate pontificia fingis illum paſſum, inter rebelles abigendus eſt. Auctoritas Papæ, omnibus ſeculis licet commendata, *uſurpatio* eſt: fieri autem Eccleſiæ Anglicanæ caput, exemplo inaudito, atque æſtu crudelitatis, & libidinis, *æquiſſimum jus.* O deplorandam cæcitatem! Nec perfidia tua maledicere S. Martyri adhuc ceſſat; quinimmo, pag. 37., advertens tres Aras in templo Cantuarienſi olim erectas, Salvatori unam, Deiparæ alteram, poſtremam Divo Thomæ; hanc derides, ironice inquiens: *Hæc, quia dignior, uno anno plura incomparabiliter donaria habuit, quam duæ reliqua.* An neſcis omnia illa donaria Deo oblata? Deo ſcilicet in Deipara, & in Martyre? Idem porro ſcrupulus commovit delicatum animum Henrici VIII. Quamobrem tot donaria in honorem S. Thomæ male accomodata, deprædavit omnia; & 26. oneratis rhedis, cuncta deportavit ad remunerandas *digniores perſonas.*

ſenas. Quos nempe ? Salvatorem ? Deiparam ? Vah ! Paraſitos, ceteroſque ſuæ libidinis, ac impietatis aſſentatores. In horum uſus aptius cedebant dona illa, quam in honorem D. Thomæ, Deiparæ, & ipſiuſmet Salvatoris. Miror hic tuum Picenine zelum, dum doles de ſuperſtitioſo cultu, ob ampliora donaria Thomæ impertita, quam Deiparæ, & Salvatori; minime vero delicatiſſime doles ex tot Thomæ, Virgini, Salvatori depeculatis in profanos uſus libidinum.

§. I V.

Aperiuntur aliæ Picenini calumniæ.

11. SUperbe nimium poſcis a P. Segneri pag. 37. *ubi ſint ſui Martyres ?* ſubdiſque: *Vos Jeſuitæ aſſerere poteſtis, Campianum, Garnetum, Oldcornium, Guinardum habemus. Garnetum læſæ majeſtatis crimine reum, & denuntiatum complicem conjurationis adverſus Jacobum I. Regem Angliæ; cujus imago hac epigraphe ornata fuit:* Garnetus appenſus Londini pro fide catholica. *Oldcornium ad ſupplicium ductum ejuſdem criminis cauſa: Romæ tamen adſcriptum in albo SS. Confeſſorum. Guinardum patibulo appenſum ex inſtigatione parricidii; Flandriæ tamen ipſi altaria eriguntur.* Campianus oblivioſæ memoriæ tuæ gratias debet, dum ſuo privetur elogio. Ad hæc jam dicta recolo, non alios hic me tueri *Martyres*, niſi quos Eccleſia probat, & colit; & mecum de his unice gloriatur *Pater Segneri.* Impudentiam autem tuam, perfidiamque, parricidio reos accuſantem eos, qui Angliæ ſanguinem fuderunt juſtitiæ & religionis gratia, facile deprehendet quiſquis leget hiſtoriam Angliæ P. Danielis Bartoli, *lib.* III. pag. 172. 173. & 204. *lib. VI.* 8., & 11., vel P. Alegambe libro inſcripto: *Mortes illuſtres eorum, qui ex Societate Jeſu obierunt.* Cauſæ quippe ibi exaratæ, ob quas mortem oppetiere, mendacia, & calumnias tuas revelabunt.

12. Inſiſtis adverſus P. Segneri, pag. 38. *Ubi tui nuperi Martyres ? Apud Sinas, ſive* (ut ais) *apud Japonicam chriſtianitatem ?* Calumniam inde Jeſuitis inuris, *quod permittant chriſtianis Sinarum ſervare gentilium cultus;* quam prætexere tentas *querelis Patris Morales ad Congregationem de propaganda fide.* Male Patris *Morales* cauſam noviſti Jacobe mi. Ejus enim querela circa nonnullos dumtaxat ritus verſabatur neophytis Sinarum permiſſos; qui Morales ſacri, aliis mere civiles videbantur: alterutriuſque partis momenta nota adeo, & trita ſunt orbi chriſtiano, ut de illis dicere, idem ac ligna in ſilvam mittere. Notiſſimum etiam eſt variis temporibus excitatas fuiſſe ab Idololatris Japoniæ & Sinarum ſæviſſimas perſecutiones adverſus Miſſionarios illarum regionum; ob quas ludibria, verbera, carceres, & mortem chriſtiani illi experiri coacti fuere: preclarum ſignum, nec Mercurium, nec falſum quodpiam Numen illos colere more gentis ullo pacto fuiſſe toleratum. Ineptas vero admirationes tuas de Martyribus Japoniæ facile contemnet, quiſquis revolvat integrum volumen a P. Bartoli editum de Japonia, in quo deſcribuntur acerbiſſimæ paſſiones & cruciatus pro fide Chriſti inflicti illis chriſtianis: quorum aliqui crucibus adſtricti, alii lapidati, vel ferventibus montis *Ungen* undis decocti, vel gelu conſtricti, vel mari ſubmerſi: alii in fruſta diſcerpti, alii collo ſenſim jugulati, alii fame confecti, alii foveæ ſupplicio ſuffocati, vel crucifixi, vel haſtis in latera transfixi, vel capite truncati, vel denique vivi flammis conſumpti. Quæ omnia una aſſeruntur a P. Maffei, Jarrico, Solier, a Patre Trigault in ſuo *lib. de Triumphe du Martyrs du Japon*, & ab Auctore *Hiſtoire du l' Egliſſe du Japon.*

13. Inclytis hiſce paſſionibus adjungi poſſunt meorum pericula relata a Fontana (*in Monumentis Dominicanis*) inter quæ habetur anno

1620.

1620. dum Aloyſius Flores, & Petrus de Zuinga Miſſionarii delegati Japoniam navigarent, in hollandicos mercatores pelago incidentes, cogniti quod profeſſione Religioſi eſſent; hac de cauſa gravati compedibus, tot mala perpeſſi ſunt, quæ pejora forte a barbaris Japoniæ gentibus exſpectanda non erant. Nec quodquam auri pondus a mercatoribus catholicis exhibitum valuit ad eorum redemptionem. Pariter eodem anno die 16. Auguſti in provincia Bigoæ ejuſdem Regni deorſum capite crucifixi nonnulli proſelyti, ab infidelibus deprehenſi quod de chriſtiana doctrina a Patre Navarete inſtruerentur. Anno autem 1622. die 10. Auguſti præ ceteris decollati ſunt P. Franciſcus Morales, P. Joſeph a S. Hyacintho, P. Hyacinthus Orfanel, hujus hiſtoriæ ſcriptor, P. Angelus Orſucci, P. Alphonſus de Maria, P. Thomas de Roſario, & laici plurimi. Inſuper Paulus Mangaxo ſenſim combuſtus, & Thecla ejus uxor coram ipſo decollata. Innumeri inde habentur, quorum acta authentica ſervantur, omnes Martyres Japoniæ pro fide Jeſu Chriſti: atque adhuc tam illuſtri ſanguine purpuraret Regnum illud, niſi tartarea invidia tuæ perfidiæ noverca tam inſigne bonum non intercepiſſet.

14. Non ignoro te Apolog. *pag.* 533. obloqui, non religionis cauſa, *ſed ex mala agendi Jeſuitarum ratione Imperatorem Japoniæ irritatum fuiſſe adverſus naſcentem illam chriſtianitatem. Quod barbarus ille inſectaturus chriſtianos, ſe id factitare aſſeruit Jeſuitarum cauſa; qui captioſe ſimulantes viam ſalutis ſubditis ſuis oſtendere, ad ciendam in Imperium Japoniæ rebellionem illos alliciebant.* Eja, vera ſit hæc relatio, ex libro licet non parum ſuſpecto exſcripta. Verum ſi perſecutorum dictis ſtemus, & eorum prætextus ceu juſtos audire velimus, nullus profecto Martyr in Eccleſia Chriſti. Quis tyrannorum impiiſſimus ſævitiam ſuam ſpecioſis titulis prætexere deſtitit? Primi Chriſtiani ceu rebelles, & turbatores ad tribunalia trahebantur. Eorum cœtus conjuratorum conventicula vulgabantur. Sic Diocletiani, Nerones, Juliani. *At* (inquis) *juſtis de cauſis Japoniæ Imperator ſuſpicionibus laborabat.* Eiſdem ferme, ac antiqui gentium Imperatores. Cur in hollandicos hæreticos nullum exilium, perſecutio nulla? Tam macti ne virtute hi, ut nec leviter ſuſpecti? Pauperum, & inermium religioſorum contemptibilis comitatus vaſtum ingrediens Regnum gravius timetur, quam grandis natio illas oras appel'ens claſſi armiſque inſtructa? Edictum Japoniæ Imperatoris in Nagaſachi ann. 1639. Luſitanis denuntiatum, quo inpoſterum commercium interdicebatur, hanc potiſſimam exprimit cauſam „ de introductis in Japoniam „ Prædicatoribus, & Magiſtris ſuæ „ legis, & clam retentis „. Religionis igitur cauſa excluſa fuit hæc natio: ſecus cur Luſitani ſuſpecti, minime vero Hollandii? Si Jeſuitarum cauſa id factum fuit (ut malevoli muſſitant) cur iſtis dumtaxat interdictis, patens ceteris Miſſionariis non permittebatur acceſſus; quos (ut ajunt) nec lucri, nec Jeſuitarum politicæ ratio movet? Quocirca ſic diſſero. Ideo cum Jeſuitis omnes miſſionarii in exilium exacti, & Luſitanis impeditum commercium, quia hæc natio non tam mercationis quæſtum, quam barbaræ gentis ſalutem promovebat. Hollandiis autem nunquam interdictum commercium; propterea quod apud Japonenſes hi chriſtiani nominis non recenſentur. Ea vero quæ *pag.* 533. motiva refers, tam inepta ſunt, quæ nequeant Principem movere ad abigendos omnes Miſſionarios. Aſſerere quippe *apud ipſum Jeſuitas male audiviſſe, ex conſilio illi præſtito invadendi portum Nagaſachi, quaſi Religioſi negotiis ſecularibus ſe implicari vellent*; id certe eſt barbarum hominem religioſum nimis habere. Quo ad *Arimæ Regem decollatum*, non Jeſuitarum culpa id accidit. Neque hujus probatur ambitio

bitio *occupandi ignotas terras*; non hæc tamen ſui caſus ratio, quam cum Patre Bartoli (*lib.* 3. *pag.* 670.) modo referam. Navis e Mexico ad Japoniæ oras appulſa, ſinus portuſque omnes explorare, ac pertentare viſa fuit. Novitate rei Japonenſes vehementer commoti, ſtatim Imperatorem *Daifuſamam* monent. Eo tum hollandica navis adverſa tempeſtate pulſa, in illis oris naufragium paſſa fuerat; cujus vectores & nautæ, incolumes emerſi, *Can.tò* incolebant, & lingua illius quadantenus balbutire didicerant. Horum navarchum, genere Anglum, religione Proteſtantem, Imperator arceſſivit, petiitque quidnam tentarent Europæi illi metientes illorum ſinuum altitudines? Cui, occaſione nacta, callidus Anglus reſpondit: apud Europæos non vectores mercium, ſed belli duces maria catapirata explorare. Hiſpanos illos eſſe, quorum Regi cordi inerat aliena invadere regna; id vero Religioſorum præſertim ope pertentare: quam ob rem Europæi Reges plurimi, ac ſignanter ſuus Angliæ Rex, ſub pœna capitis, religioſæ profeſſionis homines e toto regno abegerat. Tum *Daifuſama*: nulla igitur injuria licitum mihi, hos longe a meis regnis expellere, quos incolas habere ejuſdem legis profeſſores non patiuntur. Hic denuo Anglus nova mendacia, novoſque inſtituit verſare dolos; Imperatori ſuadens Japonenſibus prædicatam non eandem chriſtianorum ſinceram legem eſſe, ſed depravatam erroribus, infectam ſuperſtitionibus; necnon ejuſdem ſcholæ profeſſores eſſe, quotquot Europa diſcedebant illuc verſus Religioſi viri. His technis Imperator exaſperatus animo, & *Arima Regis* jam chriſtiani facto inſtante, in id quod notum eſt incitatur; ac demum generali edicto Catholicos omnes a regno proſcripſit. Hæc illarum Miſſionum vera pernicies, & ultimus caſus, non *querela Præſidis Nangaſachi, & filiorum, ad recuperandam domum a defuncto patre Jeſuitis conceſſam*. Veritas facto comprobatur; cum omnibus proſcriptis Catholicis, ſolis Proteſtantibus in illa regna late pateat acceſſus. Quocirca conſtat: cum relegationis edictum intentatum, ac ſancitum fuerit in odium catholicæ fidei; ſic quotquot barbaro gladio hic ceciderunt, in odium ejuſdem fidei paſſi ſunt, ac propterea *Martyrio* coronati.

15. Conſentis tandem, *pag.* 534., *Japonenſes illos interiiſſe ex odio ſuæ fidei*; *negas vero, hoc dato, id valere pro corona Martyrii*, & ſubdis: *Fas eſt ſcrutari quæ religio, quæ fides illorum ſanguine fuerit obſignata?* Proinde refers *nonnullos, etiam Catholicos, qui Manuale doctrinæ Jeſuitarum pro illis regnis reprobarunt, quaſi hæreſibus refertum*. Non cujuſcunque privati negotium eſt, Picenine, doctrinam aliquam hæreſi notare. Si *Manuale* illud hæreſum ſcatebat, cur non Romæ delatum? Si Urbanus VIII. tanto zelo exclamavit: *Hæreſes, Hæreſes*; cur in id non animadvertit, vel Jeſuitas compellendo ad purgandam doctrinam, vel ipſis impediendo Miſſiones? Aut (quod falſum eſt) Urbanus & Eccleſia ſuo muneri defuit, aut mendacia ſunt ea quæ modo confuis. Id forte tu ipſe noveras, qui hiſce ratiunculis poſthabitis, aliam, infirmiſſimam quidem, ſed magis latam, opponis adverſus nedum Jeſuitarum, ſed cujuſcunque inſtituti Martyres; nempe pag. 535. ais: *In vaſto choro Martyrum nec unus occurrit, qui vel pro aliqua imagine, cruce, vel re quacunque inanimi ſanguinem fuderit*. Pero. Qui a Leone Iſauro, Conſtantino Copronymo, & a ceteris Iconomachis mactati, quorum nomina implent Martyrologia; hi pro imaginibus nonne fuderunt ſanguinem? Scio Idololatras iſtos, non *Martyres* te appellare. Ad eos tamen expungendos ex albo Martyrum tanti valet ſententia tua, quanti adverſus antiquos Martyres valebat ſententia Paganorum. Maximam quippe in hac re auctoritatem præſtat Eccleſia græca; quæ quanquam Roma-

næ averſa, illos tamen, quos ceu Idololatras aliquando inceſſit, & morti tradidit, nunc veros Martyres proſequitur, & veneratur: ac inter Iconomachos rejicit Lutherum, & Calvinum, ut ſuo loco oſtendam. Ad hæc. Si in primæva Eccleſia nullus tibi proponitur Martyr pro cultu imaginum paſſus; habes ne tu quos proferas imaginum cultui ſanguine reſtitiſſe? Innumeri ſane occurrent vitam ſponte dediſſe, ne Jovis, Veneris, Mercurii ſimulacra, ceteroſque Deorum greges colerent: Martyr porro nec unus erit ſua ſponte mortuus, ne crucis, aut alicujus Sancti imagini cultum non exhiberet. Si antiquis fides, (Theodoret. *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 6.) ab ipſis accipies; quot celebratus encomiis Conſtantinus, qui vexillum crucis erexit, & Sanctorum Apoſtolorum reliquias coluit; tot itidem Julianus probris execratus, qui eas loco dejecit, & S. Joannis Baptiſtæ, & Sancti Babylæ oſſa cremavit: cineres vento diſperdens, quia oraculi Apollinis reſponſa impediebant. Nec tamen te pudebit hujus furfuris ſeriem Martyrum quantocius texere. Quamobrem ſic diſſero. Si qui mortui ſunt pro veneratione crucis, reliquiarum, & imaginum Martyres non ſunt, hujuſmodi habendi erunt hunc cultum detrectantes; & hac ratione illi deteſtandi, iſti honorandi: quo pacto honore habentur qui nacti ſunt potius mori, quam ſimulacra Gentilium venerari. Id autem falſum: quippe quod crucis, & reliquiarum adoratores eo commendat, quo earum inſimulatores deteſtatur antiquitas. Veri itaque Martyres, non hi qui execrantur, ſed qui crucem Chriſti colunt. Dum vero me provocas *pag.* 536. *ad indicandum tyrannum, qui priſca ætatis Martyri arripuerit imagines, cruces &c., tum etiam Martyrem hac de cauſa certantem*; petitioni tuæ me obſequentem mox habebis, ac chriſtianum Imperatorem mihi ex antiquis exhibeas, qui a crucis, & reliquiarum uſu Fideles abſterreret; ſicut aliquem Chriſtianum ab illo idololatriæ crimine punitum, propter cultum reliquiarum, & crucis. Si ab Apoſtolis in Scripturis hunc cultum ſancitum hucuſque non probavi; vetitum illum ab Apoſtolis tu, ſi quoquo modo vales, oſtende. Hæc tamen alterius loci quæſtio. Enimvero quis ille, qui Martyri primæ ætatis diripuiſſet cruces, imagines, hacque de cauſa morte afflixiſſet? Paganus ne Imperator? Non equidem. Etenim cum tu doceas crucis, & imaginum & uſum & cultum paganicam eſſe ſuperſtitionem, & idololatriam; profecto a Pagano non puniri, ſed commendari debuerat. Chriſtianus ne Imperator? Oppido minus: dum iſti, ſedatis perſecutionibus, cruci illico & imaginibus perennem cultum, & honorem detulerint, ut ſuo loco probabitur: & interea videri poteſt apud Majolum in *Centuriis de perpetuo uſu Sacrarum Imaginum in Eccleſia*. Quis porro hic inſectator imaginum? Nonniſi certe Leo Iſaurus, Conſtantinus Copronymus, hujuſque generis peſtes. Hos autem, quamvis a te laudibus, ac honore celebratos, mea Eccleſia una cum Greca ut hæreticos, ac tyrannos odit, & anathematizat; horum vero tyrannide oppreſſi ab utraque Eccleſia qua veri *Martyres* celebrantur, qui tamen *mei* ſunt, non *tui*.

§. V.

Occiſi a Proteſtantibus Religionis cauſa mortem ſuſtinuerunt.

26. DE nuperis Martyribus *pag.* 38. adhuc Picenine quaris *qua Europa pars eorum ſanguine purpuret?* Tædet quippe te Japoniam uſque eos quærere. Verum etiam Europæ nulla pars habetur, eorum non tincta ſanguine. Scio, occiſos a Proteſtantibus a te negari Martyres poſſe dici; quod ut facilius obtineas, præter jam dicta ſtatuis velut axioma, *in provinciis, quibus Prin-*

cipes

cipes proteſtantes dominantur, mera religionis cauſa neminem morti addictum fuiſſe. Quoniam autem te carpit P. Segneri facto Serveti, damnati a Calvino flammis, quibus is non minus illo dignus erat; quaſi læſus injuria, non id a Calvino commiſſum probare niteris: perperam tamen, & inepte, ut infra oſtendam. Axioma interim perpendamus. Principes itaque proteſtantes mera religionis cauſa morti neminem addixerunt? Qua igitur cauſa Henricus VIII. in apoſtaſiam lapſus, ultimo ſupplicio animadvertit in Joannem Fiſcherum Roſenſem Epiſcopum, Thomamque Morum integræ vitæ viros; & in tot diverſorum Ordinum Regulares, Chartuſianos, Franciſcanos, Benedictinos, ut refert Sanderus (*Lib.* 1. *de Schiſm. Angl.*) nonniſi quia illum agnoſcere ceu Anglicanæ Eccleſiæ caput recuſabant? Enimvero ſi non religionis cauſa, ſed rebellionis hi ſuccubuerunt; priſcorum Martyrum nemo pro religione paſſus erit: quia omnes ceu legibus Imperialibus rebelles addicebantur morti. Sanctum Cyprianum Proconſul ſic alloquebatur (*Paul. Diacon. in Paſſion. S. Cypriani.*) *Diu ſacrilega mente vixiſti, nefaria conſpirationis homines aggregaſti tibi ..... & non æquiſſimis conſiliis Principum aſſenſum unquam præbuiſti, ſed ſemper auctor iniqui nominis, & ſignifer extitiſti: & propterea ceteris, quos ſceleri tuo aggregaſti, exemplum eris.* Fiſcherus, & Morus hac eadem phraſi damnati ſunt. Vel igitur Cyprianus non Martyr, vel & iſti Martyres.

17. Ad hæc. Si rebelles Regi; cur tot curſus, & recurſus ad carceres, tot tentamenta, & honorum, ac dignitatum pollicitationes, quibus illecti regio edicto ſubſcriberent? Delicti igitur ſumma erat, caput Eccleſiæ reſpuere apoſtatam, & impudicam. Ad priſcos itidem Martyres, aſſentatores, & tentatores accedebant, largitate donorum eos pellicientes negare Chriſtum. Iſti religionis cauſa cæſi ſunt, cur non item illi? Tot a Sandero relati (*Lib.* 3. *de Schiſm. Angl. Diar. act. in Turr. Londin.*) cruciatibus, & morte afflicti a furore Eliſabethæ (non adhuc Bulla Pii V. irritatæ) hac una de cauſa, quia horrebant monſtrum hoc fateri, feminam nempe Eccleſiæ caput, hi mortui non ſunt religionis cauſa? Notum eſt ad fucandum facinus, læſæ majeſtatis crimina his pariter fuiſſe conficta; non tamen ignotum horum æque conſtantiam ampliſſimis præmiis fuiſſe tentatam, *Papiſmum* (ut ajebant) vix abjuraſſent. Mirum ſane! Tu catalogum adſtruens plurium, quos pro tua falſa religione in deteſtationem Primatus Papæ vita functos, non *rebelles*, ſed Martyres reputandos iniqua perſuaſione contendis: quot vero ex noſtris in deteſtationem Primatus Henrici & impudicæ feminæ mactati ſunt, a te non Martyres, ſed rebelles evulgantur. Ab Anglia in Gallias divertamus. Quo ſcelere noxii tot Religioſi in hoc regno ab Ugonottis, & Calviniſtis crudeliter cæſi? Quid intentaverant tot inclyti mei Ordinis viri, qui (ut referunt *Caſtilda*, *Fernandez*, & *Acta generalis Capituli Romæ ann.* 1569. & 1579.) tam immania perpeſſi ſunt? Augerius nempe de Montalto, Prior conventus Morlani, in clauſtris degens a veſtris occiſus; Joannes Fargallius, Antonius Roſa, Antonius Villiers inedia confecti; Laurentius Tranconi vivus crematus; Joannes Picardo, Joannes Feſen trucidati; Robertus Calvanus lancea transfixus; Raymundus de Plano cui effoſſis oculis, ac in cibum præſtitis, poſt laniatus occubuit: nec tamen iſte nonniſi catholicæ doctrinæ prædicatione reus erat. Quid peccaverant Religioſi illi, qui clauſtris occluſi Deo ſoli vacabant? Huc tamen veſtri ingreſſi illos occidebant; ut Joanni Malcauſerio Priori Toloſano accidit, & Michaeli Salberio Priori Matiſconenſi, quem e feneſtra ejectum, & laceratum, laqueo ſuſpenderunt; ſic Joanni novitio ſecuri capite ſciſſo; ſic Petro Guillotto Priori Caſtrenſi, quem pugione confoſſum in flumen projecerunt; ſic Joanni Bole jugulato;

lato; Joanni Tort ſagittis confecto; Jacobo Magiſtro, quem excæcatum, & eviratum decollarunt. Hi omnes brevi duorum annorum curriculo veſtro furori ſacrificati, victimæ Chriſti ceciderunt. Nec finis, ſi vel prævios annos, vel ſubſequentes revolvendo memorare vellem tot inſontes cujuſque inſtituti, ætatis, conditionis, & ſexus, qui crudeliſſime necati fuerunt, non alia ex cauſa, quam ex veſtra contra Catholicos veſania, & furore. Unum dumtaxat proferam Joannem Colonienſem mei Ordinis profeſſum Hollandiæ Parochum. Is ſola optimi paſtoris vigilantia reus, dum aliquos catholicos carceribus detentos, in fide eos confirmans, inviſeret, ac Sacramenta miniſtraret; in carcerem & ipſe a Calviniſtis conjectus, fruſtra tentata per varias artes, & cruciatus ejus conſtantia, ad ejurandam præſertim realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, & Romani Pontificis auctoritatem; appenſus trabi, hoſtia Chriſti cum ſociis octodecim promeruit effici victor glorioſus. Cujus, & ſociorum triumphum nobile, probavit cælum miraculo. Inter quæ inſigne illud, quod loco ſupplicii germinavit amœnus frutex, totidem onuſtus candidiſſimis floſculis, quot illic Martyres certarunt pro fidei corona. Quibus rite cognitis, Joannem cum octodecim ſodalibus Martyres approbavit Eccleſia. Num adhuc garries, a Principibus proteſtantibus neminem religionis cauſa damnatum? Quæres adhuc a Patre Segneri qui Europæ angulus noſtrorum Martyrum ſanguine purpuret? Si Japoniæ immenſum iter te pigeat, hos quos brevi duorum annorum curriculo ex ſolis meis præmiſi, domi ſedentem conſiderare non pigeat; quotque Annales & Hiſtoriæ habeant ex his agnoſce. Verum & Martyres hi tuo ſenſu non ſunt, quia pro ſanctitate Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ, pro jejuniis, ſanctis imaginibus, crucibus, reliquiis, in ſumma pro majorum ſanctis legibus non ejurandis, & execrandis occiſi ſunt. Sed ſi tibi hi non Martyres, Auguſtino tamen & Martyres, & veri Martyres (lib. 19. contra Fauſtum cap. 14.) *Si antiqui juſti pro illis prænuntiativis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura, & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpeſſi ſunt: Si tres pueros, Danielemque prædicamus, quia de menſa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramentum: Si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia eſcas, quibus nunc Chriſtiani licite utuntur attingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quanto magis nunc pro Baptiſmo Chriſti, pro Euchariſtia Chriſti, pro Signo Chriſti ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus: cum illa fuerint promiſſiones rerum complendarum, hæc ſint indicia completarum?* Verum etſi alicujus articuli commendandi gratia mortui non eſſent; ſola tamen unitas S. Matris Eccleſiæ, cujus ſinum vos impie laceratis, illuſtrior ipſis fuit cauſa martyrii, quam ſi ne Idolis ſacrificarent. Nec mea hæc, ſed Dionyſii Alexandrini contra Novatum, illorum temporum Eccleſiam ſchiſmate diſtrahentem, laudata ſæpe ſententia (apud Euſebium *lib. 6. hiſt. cap.* 45. edit. Vales.) *Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Eccleſia Dei diſcinderetur. Nec minus glorioſum fuiſſet idcirco ſubire martyrium, ne Eccleſiam ſcinderet, quam ut ne Idolis ſacrificares. Immo illud mea quidem judicio illuſtrius fuiſſet. Hic enim pro ſua unius anima, illic pro omni Eccleſia martyrium quis ſuſtinet.*

18. Nunc de Calvino, quem a damnatione Serveti nedum immunem, ſed omnino alienum oſtendere niteris, hac fallaci perſuaſione pag. 52. 53., nempe *tam benigni cordis Calvinum fuiſſe, quod ſatageret vitam Serveto hæretico Trinitatem neganti incolumem tueri*. Aſt primo: qualis (ut ais) Servetus erat ſeductor, rebellis, blaſphemus, hunc a juſta Genevenſis judicii animadverſione ſubducere, non pietas, ſed iniquitas erat.

rat. Revera tamen id minime a Calvino tentatum; quinimmo ipſemet Serveti accuſator, ipſe inflictæ pœnæ ignis inſtigator; ut confeſſione ſua ſe prodit, in *Tractatu* inſcripto: *Refutatio errorum Michaelis Serveti*, his verbis: *Obſtrepant licet vel malevoli, vel maledici homines, ego libenter fateor, ac præ me fero .... ex me prodiiſſe accuſatorem, nec inficior meo conſilio dictatam eſſe formulam, qua pateſieret aliquis in cauſam ingreſſus.* Res dilucide a Varillas narratur, ad ann. 1553. Genevam Servetus clam venerat, nec tamen ejus adventus Calvinum latuit. Qui ſtatim a Conſule petiit transfugam detineri, & carceri mancipari. Cui Conſul patria lege ſancitum reſpondit, neminem reum denuntiatum, niſi una cum delatore detineri poſſe. Qua difficultate Calvinus quadantenus reſtitit; deinde verſus ad fraudem, ſuo ſuaſit famulo accuſare Servetum, ſeque in judicio, & carcere conſtitui permitteret. Factum ita. Actore conſtituto, illico detentus Servetus; qui agnito ſervo, grave ſibi imminere malum, & a quo moliretur plane intellexit. Mox in ipſum quadragena criminum capita delata ſunt; quibus Calvini opera brevi probatis, ſervus abſolvitur, cuſtoditur Servetus. Hujus cauſa hinc inde diſcuſſa; ſed inſtante Calvino, ac impediente ne a Magiſtratu criminali, ut urgebant Serveti fautores, ad Ducenarios referretur, die 17. Octobris 1553. lata ſententia fuit. & ipſa die Servetus trabi appenſus, viridi lignorum ſtrue lento igne combuſtus. Quamobrem ſi Calvinus in hac cauſa nec inquiſitor, nec judex; delator tamen, & inſtigator acceſſit. Nec caſu, ſed ſeptennio meditatum animo exitium Serveti tandem obtinuit; ut conſtat ex Epiſtola an. 1546. fratri ſuo data (quæ licet typis non edita, authographa tamen caute ſervatur) in qua ſic legitur: *Si ipſe* (Servetus) *veniet, & mea quidquam valebit auctoritas, non patiar ipſum evadere abſque periculo vitæ.* Hiccine quem dicis benignum corde, qui ſatageret Serveto vitam tueri? Profecto Serveti blaſphemiæ impiæ, quibus propterea Calvinus fucum ſibi facit. Veruntamen privata vindicta mentiti zeli fomes fuit. Ex quo Calvinus in diſputationis æſtu de falſa allegatione a Serveto convictus, nulla in poſterum huic conceſſa venia. Quinimmo nec ſibi pepercit, dum illius fato mendacem ſe prodidit in his, quæ Franciſco I. ſcripſerat, epiſtola in fronte ſuarum Inſtitutionum appoſita. In hac quippe ſcripſerat, quod & ſermonibus ſuis declamaverat, adverſus damnantes flammis hæreticos, appellans Nerone, & Diocletiano atrociores Magiſtratus catholicos hujuſmodi pœna illos punientes: ſatis quippe (ajebat) pœnæ illis eſt divina deſpectio. Verum Serveto opera ſua igni damnato qua hæretico, non parum inde Calvinus angebatur. Hinc enim intelligebat faviſſe juſtis Catholicorum judiciis in damnandis Hæreticis, & ſuæ doctrinæ falſitatis notam inuſſiſſe: illinc adverſum ſe plurimos etiam ex Proteſtantibus excitatos videbat. Quamobrem in ſuffragium facti ſcripta retractavit; & tepentibus adhuc Serveti cineribus, quanquam plurimi, præſertim Sebaſtianus Caſtiglioni, Læliusque Socinus ipſi adverſarentur, in præfato Opuſculo, confutatis Serveti blaſphemiis, ann. 1554. Calvinus definivit: Hæreticos judicio probatos a Magiſtratu puniendos *jure gladii*; quod a ſuis comminiſtris confirmatum fuit. Quoniam vero Caſtilio ſub larva Martini Bellii hæreticorum partes ſuſcepit; huic occurrere Calvinus (tum intentus Commentariis ſuper Geneſeos) Theodoro Bezæ commiſit: qui ſuo libro, de *hæreticis puniendis*, aſſumptum probare prætendit nedum Scripturis, & auctoritate antiquæ Eccleſiæ, quam ſententiis Lutheri, Melanctonis, aliorumque. Unde igitur tam manſuetus Calvinus, ut omni induſtria vitam Serveti tueri ſtuderet? Quod ſi, ut ſupponis, Calvinus Gulielmo Farello ſcripſit *ſeſe*

in

in favorem Serveti adhibuiſſe, ſed perperam id fecit, vel ad occultandam dexteram inflicto vulnere, vel ad denotandum favorem præſtitum Serveto pro commutanda, non avertenda ab ipſo pœna mortis; quod revera exprimunt ejus verba a te relata: *genus mortis conati ſumus mutare*. Ceterum animo conſtanti meditabatur Serveti mortem. Id habeo ex ſua Epiſtola ad Farellum 20. Auguſti 1553., ubi de Serveto ſcribit: *Spero capitale ſaltem fore judicium*, & in alia ejuſdem anni ſub die 27. Auguſti Miniſtris Francofurti datam: *Propediem ut ſpero daturus eſt pœnas*. Hæc porro lex puniendi hæreticos pœna ignis Angliæ etiam adeo viget, ut Thomas Hobbes hæreticus Anglus, in Appendice ad Leviathan pag. 355., poſtquam aſſeruit certum eſſe Angliæ, ab Alexandri III. temporibus uſque ad Eliſabeth, *conſuetudine quadam in legem tranſeunte, hæreticos comburi ſolitos eſſe*, addit definitioni hæreſis duo hæc adjungenda verba: *Hæreſis eſt doctrina contra fidem catholicam vindicanda igne*. Ne fugiat a te Picenine hæc definitio, cujus verba alibi perpendenda occurrent. Nollem denique te adeo iraſci P. Segneri, ex illis verbis: *Servetum flammis damnatum ab illo, nempe Calvino, qui hac pœna dignior erat*. Enimvero cur Servetus pœnam ignis merebatur? Quia ſuis erroribus Eccleſiam exagitabat, hæreſes jam proſcriptas repetebat, & contumax corrigi retractabat. Calvinus doctrinis ſuis Eccleſiam exagitabat, errores ab ipſa proſcriptos inſtaurabat, monitus contumacior inſoleſcebat: tua igitur ſententia Calvinus eadem ignis pœna plecti merebatur.

§. VI.

Proteſtantes nec Martyres habent, nec habere poſſunt.

19. Excluſa jam per te Eccleſia noſtra a Martyrum conſortio, hos omnes, ſive veteres, ſive novos, in tuam Eccleſiam confers, inquiens: *Nos Reformatores potiori jure nedum veteres, ſed etiam nuperos Martyres habemus*. De antiquis ſatis jam me dixiſſe reor. Unum dumtaxat ex te quærendum ſupereſt; quo uſque ſeculo Martyres tui fuerint? Enimvero ad probandum priſcos Martyres ad vos pertinere, fas erat antiquam Eccleſiam veſtram oſtendere; quod quam falſum ſit, ſuo loco conſtabit. Pro nunc ſcire aveo, quandiu Eccleſia antiqua apud vos perſeveraverit, ut inde agnoſcam quandiu ejus Martyres veſtri fuerint? Quippe cum quoquo ſeculo Martyres interſint; diſcernere tuos a meis poſſe me vellem. Si forte tum Martyres, & antiquam Eccleſiam veſtros eſſe deſiiſſe moneas, cum abuſus, & ſuperſtitiones in Eccleſia Romana inolitas irrepere primo cœperint: profecto cum hujuſmodi, quos *abuſus* appellas, antiqui adeo ſint, ut nec veſtri certam illorum originem proferre valeant, ut alibi videbimus; inferam Martyres antiquos non in veſtra, ſed in mea Eccleſia deceſſiſſe. Domine Jacobe, mihi crede, laborabis, ſed fruſtra, quærens ante Pſeudoreformatores tuam Eccleſiam. Verum hæc alterius loci quæſtio.

20. Nuperos autem Martyres tuos ſane non probabis, niſi tuam fidem veram eſſe, & in ejus teſtimonium illos ſanguinem dediſſe conſtituas. Neque ſola aſſertio tua, vel Scripturarum jactantia ſatis virium ad id ſuadendum habebit. Quilibet hæreticus de veritate fidei gloriatur. Id ſibi aſſerebant Ariani; qui & Scripturis id oſtentabant. Nihilominus hæretici habiti ſunt; quia in Concilio, cui per Legatos ſuos omnium conſenſu præerat Silveſter tum Papa, Eccleſia illos hæreticos definivit. Porro cum Eccleſia eadem judicii forma in Concilio Tridentino vos Proteſtantes hæreticos dixerit; veſtra de veritate fidei aſſertio, contra judicium Eccleſiæ, nil vobis prodeſt, minuſve valet Eccleſiam Judicem, ceu apoſtaticam, rejicere:

Rei

Rei enim damnati, de crimine Judicis querelæ non exaudiuntur. Verum hæc alibi. Vos interim ſic Cyprianus alloquitur (Lib. de Unitate Eccleſiæ): *Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, ac reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Ab Eccleſia vos receſſiſſe, forte, dicetis, quia hæc apoſtatica & adultera jam a Chriſto receſſerat? *Adulterari* (ſequitur Cyprianus) *non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.* Neve perperam videar Cyprianum vobis objeciſſe, tum cauſa, & cauſa, tum Cypriani querelæ, & noſtræ adverſum vos, invicem comparentur. *Armis ille Eccleſiam invadebat;* id & vos auſi eſtis. *Hoſtis ille Altaris, adverſus ſacrificium Chriſti rebellis.* Altaria & vos dejeciſtis; Miſſæ Sacrificium abrogando Chriſto rebelles eſtis. *Ille pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus.* Vos ſacras imagines, cruces, reliquias, antiqua religionis monumenta, ſacrilego furore profanaſtis. Vos Calviniſtæ Epiſcopos, & Sacerdotes rejicitis, novas, & inauditas preces canitis, Altare in Menſam commutatis, hoſtiæ Dominicæ veritatem, reali præſentia Chriſti excluſa, in profanam Cœnam proſtituiſtis. Hæ eædem in illum Cypriani querelæ: *Arma illa contra Eccleſiam portat .... hoſtis Altaris adverſus Sacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus ... Contemptis Epiſcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud Altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare.* Nulla igitur inter vos, ac illos errorum diſcrepantia; idcirco habere veri nominis Martyres vana oſtentatione præſumitis. *Tales etiamſi* (concludit Cyprianus) *occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur .... Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt, ad Regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt derelinquit.*

21. Abſtine igitur Picenine gloriari his vocibus: *Nos Reformatores potiori jure habemus nedum antiquos, quam novos Martyres.* Neque antiqui ad vos pertinent, neque recentiores, *cum Martyrem non faciat pœna, ſed cauſa.* (*D. Auguſtinus Epiſt.* 108. *jam* 255. *Epiſt.* 80. *jam* 167.) Cauſa vero Martyrii vera fides: *Ideo Martyres, quia fideles.* (*idem Serm.* 14. *de Verb. Apoſt. nunc Serm.* 204.). Quos vero Martyres tibi facis, (*Apol. pag.* 80.) *inſtante* (ut ais) *cruento regimine Mariæ Angliæ, utpote flammis addictos ſola religionis cauſa,* de his inaniter tibi blandiris, ſicut Donatiſtæ inaniter blandiebantur Martyres fieri ex Imperatorum perſecutionibus; falſos quippe eos Martyres Auguſtinus irridebat (*Epiſt.* 50. *ad Bonif. nunc* 185. *c.* 2. *Com.*). Scrutanda eſt num juſta, vel iniqua ſit perſecutio; num vera, vel falſa religio, quam quis ſanguine profitetur: *Iſti inſaniunt qui dividunt membra Chriſti, exſufflant Sacramenta Chriſti, & de perſecutione gloriantur, quia prohibentur iſta facere legibus Imperatorum, quas conſtituerunt pro unitate Chriſti: & jactant fallaciter innocentiam ſuam, & quam non poſſunt a Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam.* Reginæ Mariæ leges, non minus ac Imperatorum leges adverſus Donatiſtas, reſpiciebant Eccleſiæ unitatem, everſionem abominationum Henrici patris, inſtaurationem religionis majorum; quibus qui reſiſtebant, rebelles erant tam illi, quam Deo, & propterea contumaces, juſta animadverſione, morte plectebantur. Quamobrem irrito labore tot Martyrum turmas per univerſas noſtri Orbis provincias ex Annalibus tuæ Pſeudoreformationis coegiſti. Siquidem omnes ejuſdem falſi generis ſunt; & ſicut nihilum nihilo millies copulato non reddit numerum, ſic millia horum millibus numerata nec unum faciunt Martyrem. Hi autem ſunt qui Foxianum Kalendarium complent, tuo ſenſu Martyres, revera nefarii proditores; quæ nomencla-

cla-

ctatura ipſis ſane, non noſtris Catholicis ſub Eliſabetha confectis debetur. Audaciam miror, qua impudenter jactas: *Omnes qui addicebantur flammis Mariæ temporibus, vita irreprehenſibiles erant.* Hi profecto ipſi, qui deſcribuntur a Foxio. ,, Is (*ut tradit P. Bartolus lib. 3. cap. 8. ex P. Moro lib. 3. num. 12., & ex Smiteo lib. 7 cap. 36.*) inclytæ memoriæ apud Proteſtantes, conflavit Kalendarium, ſive Martyrologium, quod Eliſabethæ dicavit, inſcriptum: *Facta, & monumenta rerum illuſtrium, quæ in Eccleſia accidunt.* Hic pro Athanaſiis, Baſiliis, Nazianzenis, Chryſoſtomis, Gregoriis, Ambroſiis, Auguſtinis, Hieronymis, ceteriſque, quos Eccleſia Latina Doctores veneratur, ſubrogavit Eraſmum, Lutherum, Fagium, Melanctonem, Bucerum, Eduardum VI., ac alios, vel hæreſiarchas, vel hæreticos, vel improbæ famæ viros. Ad illuſtrandum Martyrum chorum excitavit *maledictos Valdenſium cineres, Wicleffiſtarum, Uſſitarum, Lugdunenſium pauperum, Lutheranorum, & Calviniſtarum*; quorum aliqui vivi combuſti, alii poſt mortem. Item *Wicleffum, Cobanum, Joannem Us, Ugonem Latimerum, Hieronymum de Praga, Thomam Cranmerum, Guilielmum Tyndallum, Nicolaum Ridleum*; & hujuſmodi, purpureo charactere ad excellentiam meriti inſcriptos, habuit ipſe ceu ſuos Polycarpos, Clementes, Ignatios, Euſtachios, Cyprianos, Laurentios, Sebaſtianos. Apud ipſum *Nicolaus Ridleus* locum tenet *S. Nicolai de Myra*, *Thomas Cranmerus* (turpiſſimus, ſeditioſus, ſeductor) præpollet mille *Thomis de Cantuaria*. Virginum & Pœnitentium nulla ibi mentio: & merito. Virginitas quippe & pœnitentia in Sancto Proteſtantium Evangelio non virtutes, ſed nefaria vitia ſunt, & tam naturæ, quam gratiæ con vicia. ,, Hocce nobile illud Martyrologium, ex quo tuos; Picenine, Martyres profers, videlicet *Roggerum, Filpolt, Cardmacher, Witum, Joannem Hooper*. Hoc autem Kalendarium apud te ſi eo honore habeatur, quo Angliæ, ubi (referente P. Moro *Lib. 3. num. 12.*) in omnibus Eccleſiis appenſum catena, feſtis diebus Populo legitur, cum nullum in ipſo legas antiquum Martyrem, ſed eorum vice ſolos Proteſtantium mentitos Martyres; non capio, cur antiquos Martyres tibi audeas aſſumere. Eja tandem cauſæ noſtræ medius Judex ſit Foxianum hoc Kalendarium. Antiqui Martyres, & recentiores Martyrologio Romanæ Eccleſiæ adſcripti, mei ſint: Foxiano catalogo rubricati, tui omnes. Hos pacifice habeas; non equidem ullo pacto eos volo.

22. Libentiſſime pariter cedo tibi tuos *Galliæ Martyres*, qui non pro Chriſto, ſed pro fide Calvini oppetiere. Neque de his plura verba facerem, niſi uſque auderes *priſcis Martyribus eos comparare, & cauſam utriſque communem ſtatuere*. Priſci noſtri Martyres pro unitate Eccleſiæ mortui ſunt, veſtri pro Schiſmate contra unitatem; quæ igitur cauſa communis? Reminiſcere quod paulo ante Cyprianus ajebat (de *Unitate Eccleſiæ*): *Tales, etiamſi occiſi in confeſſione nominis* (erat autem de Novatianis ſermo) *macula iſta nec ſanguine abluitur .... Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt.* Recogita quod S. Paulus teſtatur (1. Cor. 13. 3.): *Et ſi tradidero corpus meum itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Non qui patitur idcirco beatus, ſed qui propter juſtitiam patitur. Quomodo Galliis Ugonottæ propter juſtitiam patiebantur, qui rebelles Deo, contumaces Eccleſiæ, adverſus Regem inſurgebant, tumultus, & ſeditiones in regno cientes? Attende D. Auguſtino (*Lib.* 1. de Serm. Dom. in Mont. *cap.* 5.) *Multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes multa talia patiuntur. Sed ideo excluduntur ab iſta*

per-

mercede, quia non dictum eſt tantum: Beati, qui perſecutionem patiuntur; ſed additum eſt: propter juſtitiam. Ubi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia, quia juſtus ex fide vivit. Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant; quia ſimiliter ubi charitas non eſt non poteſt eſſe juſtitia: dilectio enim proximi malum non operatur, quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Calviniſtæ & ceteri ſectarii paſſi non ſunt pro juſtitia, quia non in fide mortui ſunt. Neque in charitate, quam ſi habuiſſent, non dilaniaſſent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia; Martyres itaque non ſunt. Ad hæc. Veri Martyres paſſi ſunt vel pro inferenda fide Chriſti, ubi non erat, vel pro tuenda ejus integritate, ubi jam aderat: neminem autem comperio martyrii palma inſignitum, qui mortuus ſit pro nova fide, ac nova religione inferenda, aliena a recepta, & ſtatuta ab Eccleſia; quinimmo novatores hi ſemper, & hæretici habiti ſunt. Antiquorum Martyrum plurimi paſſi ſunt pro Cruce, & fide Chriſti erigenda in ſtationibus Idolorum: nonnulli pro ſervanda puritate fidei jam prædicatæ; ſicut hi qui occiſi ſunt ab Arianis, & Iconomachis &c. Nullum porro in Martyrologio adſcriptum lego paſſum turbandæ Eccleſiæ cauſa novis doctrinis, extranei evulgandi Evangelii, vel pro evertenda majorum religione. Circumcelliones ex Donatiſtis id præſumentes, ſtulti, & ſacrilegi reputati ſunt. Sic pariter Ariani. Porro ſi Proteſtantes, qui ſe morti tradiderunt, ad hoc tertium genus attinent; falſi nominis Martyres erunt, ſatanici ſcilicet, hæretici, rebelles: qui vero in mea Eccleſia mortui ſunt pro ſervanda integritate ſtatutæ fidei, vel pro religione, & ritibus jam præſcriptis, ſecundi generis Martyres erunt, veri, ac legitimi. Nec juvat hic commemorare pertinaciam illam, qua Proteſtantium aliqui contempſere mortem, gaudentes conſpectu carnificis; quoniam, ut advertit D. Auguſtinus (Serm. 275. jam 9.) *diabolicus, & ſeductor ſpiritus plerumque implet, vel fallaces vates, vel falſos martyres ſuos, ut tormenta corporis vel ipſi ſibi ingerant, vel ingeſta contemnant . . . . Martyres diſcernit cauſa, non pœna. Multi enim dolores toleraverunt pertinacia, non conſtantia; vitio, non virtute; pravo errore, non recta ratione; Diabolo poſſidente, non perſequente.* Quis Donatiſtarum Circumcellionibus audacior, qui tyrannis occurrebant, & inſtabant? nec propterea in tuum catalogum illos Picenine adſciſceres. Servetus pariter intrepidus mortem ſuſtinuit, ac fugere mortem, dum poſſet, abſtinuit: quem neque inter tuos Martyres reciperes. Fatere igitur cum Auguſtino: *Victores non tolerantia facit, ſed juſtitia*; & cum eodem (*Epiſt.* 185. *cap.* 2. *olim* 50.) *Poteſt eſſe impiorum ſimilis pœna, ſed diſſimilis eſt Martyrum cauſa.*

23. Tuorum Martyrum plauſus in nenias vertis; utque funeſtiores ſonos reddant, impari tibia modularis, *Romam idololatram cum Chriſtiana Roma concinnans. Illa libros incinerabat, templa chriſtianorum deſtruebat, hosque variis criminabatur delictis: ejus Religio nonniſi abominationum colluvies, ex qua omnes mali eventus ſcatebant. Sic ſic* (ais) *Roma chriſtiana ſe gerit adverſus Proteſtantes.* Tanta ne, Picenine, excæcatæ tuæ mentis dementia eſt, ut perverſe invertas omnia, tuorumque crimina, noſtra tibi videri videantur? Quis primum exagitavit Eccleſiam, Fideles ſeduxit? Quis ille, qui in platea Witembergenſi Jus Canonicum incineravit? Nonne Lutherus? Quis noſtrorum Eccleſias primus diripuit in Anglia, & devaſtavit? Nonne Henricus VIII. factus Proteſtans? In Galliis Ugonottæ enimvero fuerunt, qui debacchanti furore Templa præſertim & Altaria invaſerunt. Lutherum ſane primus convicia nobis, & falſa crimina palam impoſuit. Tu vero Picenine qua temeritate, & impu-

dentia audes ea nobis inceſſere, quæ a te liber iſte tuus, (quem refutandum præ manibus habeo) conviciis, & calumniis in Eccleſiam Romanam longe lateque ſcatens, intentata fuiſſe apertiſſime convincit? Quod Eccleſia Romana eſſet abominationum pelagus, & ſcortum babylonicum; nonne Lutherus primo integros de his tractatus edidit, a vobis inde certatim imitatus? Nos autem ſi omnes ſiniſtros eventus per vos accidiſſe aſſerimus; id a vobis adverſus nos dictum ſæpe accepimus. Quocirca, accommode, factum belle narrandum mihi ſuppetit. Eo cum Maria Angliæ regnabat, tot pſeudoreformatorum ſectæ, quæ ibi incubuerant, animadvertentes ſui pericula, terriculamentis, & monſtris una omnes populum abſterrebant, & ad ſeditiones excitabant. Quod ut felicius ipſis cederet, hac fallaci induſtria uſi ſunt. Juxta Londini portam *Aldergbet* dictam, in cavato muri, duos inter falſos parietes, puerulam nomine *Eliſabetham Crofte* ſecretiſſime intercluſerunt; quibuſdam tantum apertis rimulis, apte concinnatis, quibus & emiſſas a puerula voces extra audiri, & immiſſa illi verba intus facile excipi poſſent. Quidam nomine *Drar* tantæ fraudis auctor, puerulam identidem inſtruebat quæ proferenda exciperet. Horrenda autem illa reddebat carmina, lamentabili voce e rimulis in aerem ſonantia; quæ Londino, ac univerſo Regno, *Maria dominante Papiſta*, calamitates, deſolationes, extrema pericula ominabantur. Prodigii fama, & incognitæ vocis oraculis commota plebs; murmur, fremitus, ac terror ubique invaſerat. Cæli portenta, vel Sancti alicujus, vel tutelaris Angeli nuntia certo credebantur. Jam quæ impatiens vulgus, & Londini vulgus, ſolet intentare, meditabatur; tum maxime quod Dei nutu videbatur impelli. Verum occurrente Magiſtratu diruto extimo pariete, fraus illico innotuit, educta illinc infelici illa puerula. Factum refert *Stow annal. fol.* 624. *die* 15. *Julii apud* P. Bartoli *hiſt. Angl. lib.* 1. *pag.* 16., *&* Sanderus *lib.* 2. *Typis Colon.* 1628. *pag.* 239. Hæc Proteſtantium ſtudia, hæ induſtriæ. Non Jeſuitæ, ſed pravi mores veſtri, & falſæ doctrinæ, odium Principum adverſus vos ſatis excitant. Vos equidem, aut ſaltem unus ex veſtris, apud Japoniæ Imperatorem inſidians doctrinæ, & famæ noſtrorum, qui illuc mittebantur, Jeſu Chriſti notitiam illis infidelibus impedivit. Porro etſi noſtri vos reprehenderent, cur doletis? Hæretici, & Eccleſiæ turbatores eſtis, in agro Chriſti zizania ſuperſeminatis, & laudari & extolli vultis? Vos inimici illius hominis facinus æmulamini, qui (Matth. 13. 25.) *dum dormirent homines, venit, & ſuperſeminavit zizania.* Vos lupi rapaces gregem Chriſti invaditis, & paſtores tacere debent? Iraſceris pag. 44. P. Panigarolæ dicenti veſtra conventicula augeri *quatuor excalceatis, denis decoctis, & duodenis apoſtatis Fratribus*; hinc tibi aſſumis in Chriſtum Phariſæorum ſententiam (Joan. 7. 48.): *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* Non iniqua certe Panigarolæ animadverſio; quia ſi recte reſpicias ad primos artifices pſeudoreformationis tuæ, & reſpicias qui revera ſint hi omnes ad veſtras confugientes partes, facile agnoſces Panigarolam fidelem cenſorem. Fallax quidem & impia eſt tua ad Chriſtum comparatio; quæ eo diſtat, quo a ſua veſtra diſtat doctrina.

24. Redeunt neniæ pag. 44. & 45. *Roma idololatra violentiis præpollebat. Quid non audet chriſtiana Roma noſtra ætate?* Inde ſubmurmuras de his *qua Ludovicus Magnus intulit Ugonottis.* Verum magnus Ludovicus, & eximii Principis, & Chriſtianiſſimi partes implevit. Regem regni pacem, & tranquillitatem tueri fas eſt; quæ nonniſi exactis Ugonottis, in Galliis incolumis non erat: quod ſatis ſuadet illorum temporum hiſtoria. Ad Chriſtianiſſimum vero Regem ſpectat Imperatorum geſta con-

contra veternoſos hæreticos æmulari: nempe quæ Conſtantinus, & Honorius in Donatiſtas; Theodoſius in Arianos, Macedonianos, Eunomianos, & alios; de quo Sozomenus lib. 7. hiſt. cap. 12. *Imperator vero lege lata ſanxit, ut ſectarii neque conventus agerent, neque doctrinam fidei profiterentur, neque Epiſcopos, aut alios ordinarent, atque ut alii urbibus, agriſque expellerentur, alii notarentur infamia &c.* Sanctiſſimæ leges ab antiquis SS. Patribus laudatæ, præſertim a S. Auguſtino, qui, ut refert P. Sarpi in ſua *Inſtit. Inquiſ. pag. 10. edita an.* 1638. ,, zelans Eccleſiæ puritatem, ut eam immaculatam ſervaret, frequentiſſime hortabatur Proconſules, Conſules, Comites, ceteroſque Imperiales Miniſtros Africæ, ut Principum ſanctiones executioni mandarent, deſignans loca quibus conventicula habebantur, & perſonarum nomina ,,. Legi poſſunt de hac re ejuſdem Sancti Doctoris epiſtolæ, videlicet 127. ad Donatum Proconſulem Africæ, 167. ad Feſtum, 204. ad Donatum Presbyterum Donatiſtam, & 166. ad Donatiſtas. Quid doles? Magnus Ludovicus in Galliis vexavit ne hæreticos eo furore, & ſtrage, quibus Eliſabetha, & poſteri Reges in Anglia Catholicos afflixerunt? Eliſabetha in illo Edicto 1582. (ut patet apud Sanderum lib. 3. de Schiſ.) gravi pœna puniendos ſanxit abſtinentes ſe ab Eccleſiis Proteſtantium. Ludovicus id non indixit. Nonne crimen læſæ majeſtatis ſtatuit obducere quempiam a Religione Angliæ recepta? Ab ipſa id accepit Ludovicus. Nonne duplo punivit audientes, vel conficientes ſacrum Miſſæ? Nonne mittebantur apparitores, & milites in nobilium Catholicorum domos ad inquirendos Sacerdotes; qui cum hoſpitibus ſuis ad carceres trahebantur, bona ipſis proſcribebantur, ad mortem uſque torquebantur; propoſitis præmiis, & graviſſimorum ſcelerum venia, denuntiantibus Jeſuitas, & Sacerdotes? Pro tot captivis brevi anguſti carceres, novoſque parari fas fuit. Eliſabetha tamen, tuo judicio, *piiſſima, & ſuavis* femina; Ludovicus vero Magnus, *Tyrannus*.

25. Iniquiſſime doles pag. 45. *adſcriptum inter Sanctos D. Dominicum inſontium inſectatorem ſæviſſimum; more pagana Roma, qua Chriſtianorum Tyrannos Divos faciebat.* Etenim quinam inſontes hi, qui a D. Dominico vexabantur? Profecto nonniſi Albigenſes, pſeudoreformatorum avi, & atavi. Patior te majoribus tuis parentare. Verum ignoras Albigenſes perfidiſſimos hæreticos, Manichæis, aliiſque proſcriptis hæreticis doctrinis adhærentes; morum perditiſſimos, impie blaſphemantes in Chriſtum & Virginem? Enimvero tu ipſe, ſi illa ætate adfuiſſes, non D. Dominicum, ſed ſecum illos laceſſere debuiſſes. Roma autem ſi canonizatione Dominici Albigenſium profligatoris errore decepta eſt, antiqua pariter Eccleſia erroris nota inceſſenda, quæ *Athanaſium*, *Hilarium*, alioſque Arianorum hoſtes; *Auguſtinum* Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum perſecutorem acerrimum; *Cyrillum* Neſtorianis adverſum; in ſumma Patres omnes hæreſes perſequentes inter Sanctos adſcripſit. Armis arma retundenda, quæ Galliis Albigenſes intulerant. Hinc inferre potius debes, injuſte vos conqueri de perſecutionibus Eccleſiæ, & Catholicorum Principum. Albigenſium fœdiſſimos errores ex parte excitaſtis, extranea univerſæ fidei dogmata introduxiſtis, Germania & Gallia a vobis turbata (ut notum eſt); Eccleſia, & Principes ulciſci non debebant? Nec tamen Eccleſia adverſum vos protinus inſiluit. Indulgenti clementia diu vos ad pœnitentiam exſpectavit. Quid non erga Lutherum intentatum? Purpuratus acceſſit Legatus; Caroli V. auctoritas interfuit. Ad revocandum Calvinum ſuam navarunt operam & Cardinalis Sadoletus, & Univerſitas Pariſienſis. Aſt perperam cuncta. Lutherus petulantior; Calvinus inflatus, & Sadoleti literas

ras refutare, & novis erroribus ſuas opplere Inſtitutiones ſe applicuit: nec erubuit venerabilem illum cœtum, hominum ſapientia, & zelo nullis imparem, fœdiſſima *porcorum gregis* appellatione conviciari. Hujus autem gregales, numero & impudentia tumentes, quid Galliis auſi ſint, nemini ignotum. Illorum temporum hiſtoriæ funeſtiſſimis eorum tumultibus, & ſeditionibus congeſtæ ſunt. Quid porro conſilii? Eccleſia ne laxa debuerat nullo antidoto hanc peſtem fovere? Reges vero imperio cedere? Res poſtulabat, Eccleſiam & Principes, Chriſti flagello munitos, illos ejicere, qui pſeudoreformationis ſpecie Templa contriverant & Altaria; Sacramenta profanabant, ſacrilegis pedibus Cruces, regalium diadematum decus, conculcabant; ac provincias, & regna ſeditionibus evertebant. Hæc in Anglia, in Galliis, in Hungarico regno veſtræ calamitatis integra ratio. Si vero *Dux Abula* (ut pag. 45. ais) *ter dena millia veſtrum maſtavit*, vos armatum zelum irritaſtis, tam religionis profanatione, quam in veſtrum Principem rebellione. Ab Auguſtino demum (*lib. de Unit. Eccleſ. cap.* 20.) querelæ tuæ apertiſſime rejiciuntur. Ipſum lege. Interim poſthabitis reliquis quæ ad rem minime pertinent nugis tuis, cum eodem S. Doctore rem conficiam ſic: „Vos a nobis, nos a vobis in„ ſectari condolemus; inter nos ta„ men, & vos hæc diſtantia: nos „ adverſum partes Lutheri, & Cal„ vini „ *vos autem adverſus orbem terrarum, & adverſus ejus verba, qui Eccleſiam ſuam incipientem ab Jeruſalem per omnes gentes commendavit, ſacrilega diſſenſionis Altare erexiſtis*. Verum de his alibi.

26. Non Zuingliani, non Calviniſtæ (incondite gannis pag. 47.) nos fumus. *Non in nomine Calvini, vel Zuinglii baptizati. Non juramus in iſtorum verbis. Non infallibiles hi noſtrarum controverſiarum judices. Non Calviniſtarum, vel Zuinglianorum gloriamur nomine; ut Papiſtarum Romanenſes.* Qui porro vos? Non Calviniſtas, & Zuinglianos vos accipimus, quaſi qui baptizati ſitis in iſtorum nomine. Hoc nos non latet. Neque Ariani ab Ario, neque Neſtoriani a Neſtorio, quaſi in illorum nominibus baptizati; ſed quia in doctrina, & Scripturarum intellectu illos audiebant, non Eccleſiam. Porro ſi nec Zuinglii, nec Calvini doctrinis hæretis; cujus itaque eſtis? Cui aſſentimini? Verbo Dei repones. Verum omnes hæretici jactabant conſentire verbo Dei; quia tamen Arius primus auctor, & princeps horum doctrinæ, omnes hi Ariani nuncupati, & tales ſemper habiti ab omnibus. Cur itaque vos patronum & doctorem doctrinæ veſtræ habentes alii Lutherum, alii Zuinglium, Calvinum alteri, pudet vos eorum appellatione inſigniri? *Non juratis in iſtorum verbo. Infallibiles hi veſtrarum controverſiarum judices non ſunt; ſed ſola Scriptura judex. verbum Dei ſolum.* Bene. Ab illis pariter verbum Dei unice dicebatur ſuarum controverſiarum judex infallibilis. Certa igitur illorum doctrina; & qua illud fallere nequit. neque hi fallebantur? Forte dices: facile erraſſe poterant in illius intellectu; & revera diverſæ inter ipſos ortæ controverſiæ ſuſpicionem augent. Sic & ego cenſeo. Verum ſi certus infallibilis interpres divini verbi iſtorum nemo, neque Eccleſia Romana, quis ille erit? Fideles quiſque? Hi etiam per te fideles erant. Si autem eorum judicio utpote non infallibili ſtare inficiamini, infallibile habendum erit judicium vel tuum, vel privatum alterius? Quamobrem ſic differo. Calvinus, Lutherus, Zuinglius, & quiſque privatus inter pſeudoreformatos falli potuit, & fallere in intellectu Scripturarum, in fide unius, vel alterius dogmatis, quia eorum nemo infallibilis: ergo falli poterant, & fallere in omnibus; porro in hoc etiam, quod Eccleſia Romana non ſit vera Eccleſia, nec vera ejus doctrina. Qua certitudine igitur ſta-

tu-

tuis veram tuam Eccleſiam, necnon doctrinam tuam veram eſſe doctrinam Chriſti? Ratiocinium adhibeamus D. Auguſt. Epiſt. 48. adverſus Rogatiſtas: *Si poſſunt (quod fieri non poteſt) aliqui habere cauſam juſtam, qua communionem ſuam ſeparent a communione orbis terrarum .... unde ſcitis in Chriſtiana ſocietate, tam longe lateque diffuſa, ne forte antequam vos ſepararetis, jam ſe aliqui juſta cauſa ſeparaverint in longinquiſſimis terris, unde ad vos eorum juſtitiæ fama non potuerit pervenire? Quomodo in vobis poteſt eſſe Eccleſia, potius quam in illis, qui ſe priores forte ſeparaverunt?* Quod ex hypotheſi Auguſtinus Rogatiſtis, ex re facti adverſum vos ſic inſto. Ante veſtram ſeparationem ab Eccleſia Romana, Eccleſia Græca prior ſe ſeparaverat. Hæc etiam ſuæ defectionis juſtam habere cauſam prætendit. Neque eandem vobiſcum habuiſſe aſſerere poteſtis; quia licet hoc unum ſecum negetis, Romanum ſcilicet Epiſcopum eſſe ſupremum caput Eccleſiæ Chriſti, tot inde ſunt articuli, & fundamentales, quibus ab illa diſſentitis, & quorum cauſa ab Eccleſia Romana defeciſtis, ut nulla ratione vos habere unam Eccleſiam cum Græcis prætendere valeatis. Immo, ut oſtendam, iſta vobiſcum communicare detrectavit, voſque ut *hæreticos* proſcripſit. Hoc potius: *Quomodo in vobis poteſt eſſe Eccleſia, potius quam in illis, qui ſe priores forte ſeparaverunt?* Cum D. Auguſtino itaque concludam: *Ita fit, ut cum hoc neſcitis, incerti vobiſmetipſis ſitis: quod neceſſe eſt contingat omnibus, qui pro ſua ſocietate utuntur teſtimonio non divino, ſed ſuo.* Non *Calviniſtæ*, non *Zuingliani*, non *Lutherani* eſtis, & cum hoc neſcitis, incerti vobiſmetipſis eſtis. Perpendat lector hoc ratiocinium, quod vehementer urget.

27. De Martyribus iterum ſermo. Redarguis P. Segneri, quaſi *tentes ex tuis & noſtris Martyribus partes facere*. Deus avertat. Noſtri Martyres, nec vivi, nec mortui ullum conſortium vobiſcum habere voluerunt. Videris equidem tu cum ſacrilegis tuorum ſarcophagis miſcere velle ſanctos noſtrorum cineres, dum pag. 40. ſequenti dilemmate ludis: *Cyprianus, & Stephanus nonne Martyres? Indubitanter. Porro unus alteri adverſabatur in cauſa baptiſmi ab hæreticis collati. Stephanus adverſus Cyprianum, iſte adverſus Stephanum ſcribebat, ipſum accuſans hæreticos contra Eccleſiam protegere. Ambo itaque Martyres? Quæ fit a Jeſuita partitio cinerum? Si ſua Eccleſia Stephani cineres; non illi debentur Cypriani.* Lepide ſane ſcurrarum more. Serio tamen intelliges meæ Eccleſiæ tam Cypriani, quam Stephani cineres deberi; nihil tuæ. Valde diſtat Cypriani, & Stephani controverſia, ac tua, & noſtra. Inter Cyprianum & Stephanum de re nondum judicata quæſtio erat; quamobrem pendente cauſa, partibus licitum erat rationibus diſputare, de re præſertim, quæ a Cypriano ad diſciplinam, non ad dogma putabatur pertinere. Stephanus traditione, & uſu inſiſtebat. Id non ſuffragari ſatis; immo rationibus dirimendam eſſe cauſam Cyprianus obſtabat. Opinionum tamen contentio nec unitatem, nec charitatem ſolvebat, ut notat D. Auguſtinus. Hujus generis ſunt inter Jeſuitas, & Dominicanos quæſtiones. Acrioribus interdum, ut inter Cyprianum, & Stephanum, acerbiſque verbis cauſa agitur. Utraque pars ſuæ cauſæ adhæret; utraque in ſua opinione ſiſtit. Interea tamen unitas perſeverat, charitas regnat. Unuſquiſque diſpoſitus eſt cauſæ perpetuo ſilentio cedere, ſemel ac ab Eccleſia, vel a Papa oppoſitum decernatur. Quamobrem optime poſſumus noſtrorum Martyrum cineres commiſcere, ſicut illos Stephani, & Cypriani.

28. Quæſtiones vero inter nos & Proteſtantes, cauſas reſpiciunt ab aliis (ut vidimus) jam controverſas, & definitas ab Eccleſia qua dogmata hinc, illinc qua errores. Cur autem adhuc his inſtatur? Pendente cauſa de neceſſitate circumciſio-

ſionis, & legalium, unicuique licitum erat pro ſuis partibus ſtare; ſed poſt ſententiam Petri pro parte negativa (*Act.* 15.) qui oppoſitum tenere voluiſſet, anathema ipſi. Quamobrem ſic decernendum. Si de re nondum judicata nos inter, & vos quæſtio verſaretur, tum miſcere dexteras, ac Martyrum cineres licitum foret. Verum ſi quæſtio ſit de dogmate ab Eccleſia, & Pontificibus tot Conciliis ſtatuto; ſi poſt plenarium Concilium hac de cauſa Tridenti coactum non acquieſcitis, immo adverſari velitis: vobis dictum habete quod olim Donatiſtis ab Auguſtino (*Lib.* 2. *de Bapt. cont. Donatiſ. cap.* 7.): *Nolite ergo nobis objicere auctoritatem Cypriani ad baptiſmi repetitionem, ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad unitatis conſervationem. Nondum enim erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata.* Nunc cauſa finita eſt. Eccleſiæ judicium acceſſit. Pone id, Proteſtantium dogmata non controverſæ veritates, ſed damnatæ ſunt falſitates. Proferre, illa eſſe Scripturis conformia, novus error eſt; quoniam Scripturarum intellectus non penes privatum quempiam, ſed penes Eccleſiam ſervatur. Neque fidere debent in quorundam ſuorum mendaci fortitudine contendente ſua falſa dogmata ſanguine etiam vindicare; *quia diabolicus, & ſeductor ſpiritus* (Auguſt. Serm. 9. in nat. martyris Vincentii) *plerumque implet, vel fallaces vates, vel falſos martyres ſuos, ut tormenta corporis, vel ipſi ſibi ingerant, vel ingeſta contemnant.* Jam ſatis. Cum eodem S. Doctore rem conficio (Epiſt. 61.): *Optaremus quidem, ut omnes, qui contra Chriſtum portant ſignum Chriſti, & contra Evangelium de ipſo Evangelio, quod non intelligunt, gloriantur, a ſua perverſitate diſcederent, & nobiſcum in ejus unitate gauderent.*

CAP. IV.

Sapientia Cæleſtis Signum Veræ Eccleſiæ.

§. I.

Pſeudoreformatorum mores & doctrina.

1. Acriter hìc doles de P. Segneri, quod tuæ pſeudoreformationis architectis, Luthero præſertim, & Calvino, invideat, eorum detrahens honori, & famæ. Benigne tecum nunc agere volo, & permittere hos magni animi homines fuiſſe. *Non enim* (cum Auguſtino loquar *Enarr. in pſ.* 124.) *putetis fratres quia potuerunt fieri hæreſes per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreſes niſi magni homines, ſed quantum magni, tantum mali montes. Non enim montes erant tales, qui ſuſciperent pacem, ut colles juſtitiam: ſed illi diſſenſionem ſuſceperunt a Diabolo patre ſuo.* Quod quam late pateat in pſeudoreformatoribus Luthero, & Calvino, omni ſemoto præjudicio ſic diſſeramus. Vix fatur Lutherus, tota turbatur Europa, Eccleſia ſcinditur; Germaniæ Principes commoventur, & ipſi Lutheri diſcipuli inter ſe diſcordes, contra Zuinglianos parantur arma. Lutherus furore tumidus, neminem curat, cunctos deſpicit: ipſi omnes talpæ, fatui omnes, ut ejus ſcripta teſtantur. Calvinus ſeipſum ſatis prodit illo emblemate, quo ſuarum Inſtitutionum faciem ornavit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Propoſitum ſtatim probavit eventus, vice penitus oppoſita inſtituto Chriſti. Ibi ſeditiones, ibi cædes, ibi deſolationes, ubi doctrina Calvini. Teſtes Gallias appello. Nunquam faxit Deus nos confugere ad tales montes, monente Auguſtino: *Montes erant: ad tales montes ne fugiant.* Cum autem verbum Dei (*Sap.* 1. 4.) nos doceat: *In malevolam animam non introibit ſapientia*, minime fallitur P. Segneri ſtatuens non eſſe in pſeudoreformatoribus *veram cæleſtem ſapientiam.*

2. No-

2. Novi jam te ſtatim falſitatis notam inurere illis auctoribus, qui de Luthero & Calvino obloquuntur: quia nempe (ais pag. 55.) *Catholici ſunt, illorum jurati hoſtes, infamiſſimi hominum; apoſtata, nullam merentes fidem*. Bene habes utraque manu præire, ne cadas. Auguſtini conſilium capere ferme volvebam animo, qui *Ep.* 78. jam 137. monet non mores hæreticorum, ſed doctrinam attendere: *Nec objiciatis hæreticis, niſi quia non ſunt catholici, ne ſimiles eis ſitis, qui non habendo quod in cauſa ſua diviſionis defendant, nonniſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſime jactant*. Verum quia mea prudens diſſimulatio ceu verecunda confeſſio haberetur, in ſtadium aggredior tecum ſic. Non ſunt ex te audiendi noſtri de Luthero, Calvino, & hujuſmodi, quia *jurati hoſtes*; neque porro (inferam) de ipſis veſtris audiendi, quia nimium illis addicti, nimium affecti, in fucandis præceptorum mendis facile cauti. Quibus porro ſtandum erit? Sane dicerem, non uni, vel alteri, ſed pluribus, qui illorum geſta ſcripſerint oculares teſtes, illis coævi, ſive ex noſtris ſint, ſive ex veſtris. Falſiſſimum hinc puto quod fertur de filio Calvini, cum uxorem quidem nomine *Idelettiam, Joannis Stoder* viduam hunc habuiſſe omnes fateantur; negent tamen filios ſuſcepiſſe, ſaltem ex tali conjugio natos. Calvinum vero fuiſſe ſuperbum, crudelem, maledicendi ſtudio inſtructum certum erit; cum id tradant nedum noſtri, ſed Bucerus ipſe ejus domeſticus, qui Epiſtola ad eum data ipſum appellat *canem rabidum, maledicendi ſtudio infectum*. Quod & *Nybuſius* ſcripſit graphica hac Calvini deſcriptione: *Homo crudelis, ſanguinarius, fallax, perfidus, loquax, contemptor, ſophiſta, epicureus, falſarius, de Scriptura ſacra ludit, ſicut Ovidius de metamorphiſi ſua*. Converſatione eo uſque aſper, ut Genevenſes teſtati ſint, cum Beza lepido, & amœno homine in Inferno libentius manſuros, quam in Paradiſo cum Calvino ut ſcribit Maſſonius. Quod autem homicidii reus eſſet, id Servetus ipſi palam improperavit, qui licet authenticis actis ſe probaturum crimen ſpoponderit, quod ne innoteſceret, conſentire noluit Calvinus; fidem tamen non meretur, quia ejus hoſtis, & apoſtata, non equidem ex noſtris. Quod inſuper in pœnam nefandi criminis inuſtus ſtigmate fuerit, credendum non erit, quia narratum a Bolſeco deſertore ſuo, quamvis hic acta vidiſſe teſtetur: & Bettelerius a ſecretis Reipublicæ Genevenſis, curioſitate ductus, factum inquirens, damnationis inſtrumentum revolvit, & legit: quamvis Sviginus, Stapleto Srognpt, Cathol. Salbat *hebdom.* 3. *in quadrag.*, Brigerus *Flores Calviniſt.*, Surius *ad ann.* 1538., Reginaldus, Calvinus *Turciſm. lib.* 2. *cap.* 11., & alii id referant. De vita & moribus Lutheri ſicut quotquot ſcripta ſunt nolo cuncta facile aſſerere, ſic neque cuncta negare: præſertim quæ conſtant ex ſuis operibus, arrogantia, ſuperbia, contumeliis undique refertis. Videatur liber *adverſus falſo nominatum Eccleſiaſticum ordinem Epiſcoporum*; liber contra *Sicarium Dreſdenſem*; *adverſus Regem Angliæ*; *Gloſſa contra prætenſum edictum imperiale*; *in præmonitione ad ſuos Germanos*; *in colloquiis latinis cap. de morbis, & periculis*; proteſtatio præmiſſa libro *de abroganda Miſſa privata*, ubi ſtomachum facit petulantia, qua Patribus conviciatur. Omnia ejus ſcripta referenda eſſent. Quot enim, tot ſunt ſuæ ſuperbiæ, & impudentiæ teſtes. Quamobrem Conradus Reis *contra Heſſeum de Cœna Domini* pronunciavit „quod ob peccatum ſuperbiæ, quo ſe erexit „Lutherus (ut omnia fere ſua ſcri„pta teſtantur) abſtulit illi Deus „ſpiritum rectum, ſicut quibuſdam „Prophetis (3. *Reg.* 22.) & vice „illius permiſit illi ſpiritum iræ, „faſtus, & mendacii. Neque id mirum: „cum illum ſibi aureo floreno comparaverit a Carloſtadio, quo nec

„ ad-

„, adhuc pœnitet. Hic autem ſpiri-
„ tus mendacii ſiſtet ſuper omnes ſe-
„ ctarios ſuos, niſi ad frugem re-
„ deant „. Poſſibile ne autem iſtas dras bonas animas, arrogantes. tum das, ſuperbas, exhibuiſſe characterem illum, quo dignoſci valeant miniſtri expreſſe delegati a Deo ad ſuæ Eccleſiæ reſtaurationem, cum diſcipulis ſuis Chriſtus commendaverit humilitatem, & manſuetudinem, ceu ſingularem eorum characterem? *Diſcite a me* (inquit) *quia mitis ſum, & humilis corde*. Credibile ne pariter Luthero convenire poſſe elogium ab Amſtorfio ipſi tributum (*Præf. in 1. tom. oper. Luth.*) in hæc verba: *Hoc enim non dubitans confirmare poſſum, neminem fuiſſe interpretem ex omnibus, quorum extant literæ poſt Apoſtolos, qui tanta luce, & ardore ſpiritus, Propheticos & Apoſtolicos libros illuſtrarit?*

3. Miſſis tamen his, non capio qua ratione *pag. 56.* aſſerere valeas *palpabilem eſſe calumniam, Lutherum ſcilicet vituperaſſe virginitatem*. Nec commemoro flagitium illud omnibus notum, nempe Sanctimonialem profeſſam ab ipſo corruptam, & nuptum ſuſceptam; quod eſt re, & facto perſuadere & vituperare ſanctam virginitatem; & tibi licet leviſſimum quid, ac prope nihil videatur, D. tamen Auguſtinus horrendum illud reputat facinus, adulterio deterius (*lib. de bono viduit. cap. 11.*): *Plane non dubitaverim dicere, lapſus & ruinas a caſtitate ſanctiore, quæ votatur Deo, adulteriis eſſe pejores*; & rationem adducit: *Si enim, quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti pertinet cum membrum ejus fidem non ſervat marito; quanto gravius offenditur, cum illi ipſi non ſervatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum?* Unum dumtaxat reſeram, non niſi ſummo horrore excipiendum, & tamen verum. An. 1523. die Sacrati Veneris, qua colitur memoria Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, raptæ fuerunt a diſcipulis Lutheri conſentientis & probantis novem Virgines Deo ſacræ e monaſterio ad ſtuprum. Inter ſacrilegos ſtupratores præerat quidam *Leonardus Koppem*. Lenonem hunc fœdiſſimum in publica concione, eadem die habita, commendavit Lutherus horrendis hiſce blaſphemiis relatis a Cocleo *in act. & ſcript. Luther. ad Ann. 1523.* *Vere felicem raptorem, ſicut & Chriſtus raptor erat in mundo, quando per mortem principis mundi auferebat arma, & vaſa ſua, ipſumque ducebat captivum. Ita & tu has miſeras animas ex carcere humanæ tyrannidis eduxiſti: & quidem opportuniſſimo tempore, in Paſcha, quo Chriſtus ſuorum quoque captivitatem captivam duxit.* Nefandum ne unquam, & impium magis blaſphemiæ verbum auditum adverſus ſanctam virginitatem, & ipſum Chriſtum? Certiſſima teſtimonia incontinentiæ Lutheri ſunt inter cetera quæ ſcribit in libro *de vita conjugali* ad illa verba: *Creſcite, & multiplicamini*; in *Epiſt. latinis ad Philippum tom. I.*; in Opuſc. *Colloquia laſciva cap. Jocoſa, feſtiva, fabulæ*. Ea tantum attingam, quæ habet in Colloquiis Germanicis, *cap. de Matrimonio*, & in Sermone Witembergæ habito. Poſtquam conatus eſt oſtendere impoſſibile eſſe ſervare virginitatem, ac nubendi præcepto hominem ea neceſſitate conſtringi, qua homo eſt, mulierem, qua mulier, adjungit: *Tam eſt neceſſarium, quam ut maſculus ſim, magiſque neceſſarium, quam edere, bibere &c.* (Dogma ad literam ab Alcorano decerptum, ubi Mahometes ſic loquitur: *Nocturnos coitus cum mulieribus permittit nobis Deus, ſciens nobis hujus rei abſtinentiam tum difficilem tum impoſſibilem*). Loquens autem de D. Hieronymo ait: *S. Hieronymus multa ſcribit de tentationibus carnis. Ah! parva res eſt. Mulier domi habitans poteſt huic morbo mederi. Euſtochium hic Hieronymo facile ſubvenire potuiſſet.* Auditi ne valent verba impudica magis, & nefanda? In præfato ſermone ſtatuit Monachos, ac Moniales, indignas eſſe baptizatum infantem, etſi nothum, lecto vel ſter-

nere,

nere, vel cibo alere, impiiſſime blaſphemans: *Nec gloriari poſſunt, quod ſua opera Deo grata ſint, ut mulier, etiam ſi nothum in utero ferat.* Quid deteſtabilius, & contumelioſius ſanctæ virginitati, quam adulterio. & fornicationi proſtitui, contra dictum Apoſtoli (1. Corinth. 7. 38.): *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit melius facit?* Et contra factum Chriſti, qui ex Virgine naſci voluit etiam miraculo? Id porro non eſt prædicare dumtaxat *matrimonium non eſſe inhibendum: malum eſſe hoc fræno Chriſtianos coercere: contra Dei verbum eſſe cælibatum Eccleſiaſticis præcipere*, ut *pag.* 56. in favorem Lutheri fallaciſſime narras. Quæ tamen ſi Lutherus prædicaſſet, contra veritatem obloquutus eſſet; cum falſiſſimum ſit, Eccleſiam abſolute prohibere nuptias, vel cælibatum abſolute præcipere: tantumque, ſemel votum quis libere vovit, præcipit reddere quod promiſit, edocta a Spiritu Sancto (Eccle. cap. 5. v. 3.): *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere.* Sed de his latius alibi.

4. Jam tu ipſe late capis, probitate vitæ tueri famam doctrinæ tuorum Pſeudoreformatorum minime poſſe; idcirco *pag.* 57. difficultatem fugis, ſubdens: *Non hæc cauſa ſumma. Parum intereſt qualis Lutherus fuerit, dummodo eius doctrina Evangelio conformis habeatur.* Quinimmo maxime intereſt. Enimvero quo pacto ſuaderi prudenti conſilio potero, hunc doctrinam annuntiantem doctrinis Eccleſiæ oppoſitam, veram Chriſti doctrinam tradere, quin potius ſeductorem eſſe: quem præter nullam legitimam miſſionem, nullum prophetiæ donum, miraculum nullum, arrogantia, ſuperbia, libidine infectum video; ſuaque ſcripta fœdiſſimis ſcatere dicteriis? D. Paulus hortatur (2. *Timoth.* 3. 6.) hujuſmodi protervos, tumidos, & voluptatum amatores &c. nedum ſequi, ſed fugere: *Et hos devita.* Et ipſe Dæmon a quibuſdam adjuratus ab obſeſſo diſcedere, qui in ore Chriſtum, non in corde ferebant, nec operibus exhibebant, audacter reſpondit: *Jeſum novi, Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* (*Act.* 19. 15.). Fateor id poſſe Chriſtum; *fax quippe per manum Æthiopis adhuc ſplendet.* Poteſt utique Deus: non autem facere ſolet, per illos præſertim, quos miniſtros ad reformationem Eccleſiæ eligit, qualem ſe gloriabatur Lutherus, & tu commentaris. Ad reformationem Iſraelis miſit Deus vitæ integræ homines, & auſteros, *Eliam, Eliſeum, Eſaiam, Danielem, Jeremiam.* Chriſtus ſuam ædificaturus Eccleſiam, & annuntiaturus legem, vitæ ſanctitate (ut optime noſti) doctrinæ veritatem commendabat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Inde ſubdebat (Joan. 8. 46.): *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Integritas vitæ præibat veritati doctrinæ; quo docerentur ejus miniſtri, nil poſſe fama doctrinæ proficere, niſi & ipſi præmittere valeant: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quamobrem quæ ſimplicitas, quæ morum integritas, quæ converſationis ſuavitas in Apoſtolis eminebat, qui Evangelii præcones miſſi fuerant? D. Paulus tam ſolicitus erat de bono odore ſuæ converſationis, ut etiam a ſibi licitis aliquando abſtineret: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* (1. Corint. 9. 27.) Quis porro ſanæ mentis ſuaderi poterit, novos iſtos vani nominis reformatores proponere doctrinam Chriſti, cujus mores nullo veſtigio imitantur? Attende Picenine. Inter Apoſtolos uxorati multi; unus Joannes cælebs legitur. Num Apoſtolus factus uxorem duxit? Non equidem. Immo de uxoratis Apoſtolis nullibi legitur uxores ſuas vel retinuiſſe, vel ſecum duxiſſe. Lutherus autem cenſet ſe non eſſe Apoſtolum, niſi matrimonio jungatur? Atque id poſt emiſſum non nubendi votum? O perfecta ſimilitudo novitios hoſce inter, & antiquos veraces Apoſtolos! Quocirca ſi doctrina apparet qualis vita, iſtorum ſapientia non equidem cæ-

leſtis, ſed terreſtris, & lutoſa; ne forte dicatur animalis, & diabolica.

5. Subdis (*pag.* 57.): *Pauli ſancti ætate habeo* (Philipp. 1. 15.) *plurimos per invidiam enuntiaſſe Chriſtum; qui tamen exaudiendi erant. Jeruſalem a civibus Babel conſtrui poteſt.* Quinam hi, qui per invidiam Chriſtum prædicabant? D. Chryſoſtomus de his ita loquitur in eundem textum (Hom. 12.): *Quoniam in vinculis detinebatur Paulus, vehemens bellum multi infidelium apud Regem excitatum cupientes, Chriſtum & ipſi prædicabant, ut aucta Regis ira tanquam ob prædicationem latius diſſeminatam, omnis furor, & commotio in caput ipſius Pauli redundaret.* Hucuſque iſtorum cum Luthero comparatio parum (ut diſcurrenti patet) tibi prodeſt. *Tamen illi* (ais) *audiendi erant.* Non inficior: quoniam corde licet perfidi, ore tamen doctrinam S. Pauli prædicabant, veram, ſanctam, & fidelium numerus creſcebat: *Illi ſane prædicabant* (Chryſoſt. ibidem) *ſcopus vero, & animus, quo prædicabant, corruptus erat, nihil immutata ipſa prædicatione ... Niſi enim ita ſane prædicaſſent, non prædicaſſent ut Paulus.* Ex quibus ſic. Illorum licet ſcopus eſſet, & animus corruptus, quia tamen non immutata S. Pauli prædicatione prædicabant, exaudiebantur; & creſcebat numerus diſcipulorum, qui doctrinæ attendebant, intentionem non ſcrutantes. Verum ſi corrupta intentione doctrinam etiam ab illa D. Pauli alienam prædicaſſent, putas ne exaudiendos fuiſſe? Putas tum dixiſſe Sanctum Paulum: *In hoc gaudeo, ſed & gaudebo?* Neutiquam ſane. Dum igitur Pſeudoreformatores nedum mente corrupta, ſed immutata doctrina ab illa uſque tum credita, prædicabant; quis fidelium prudenti conſilio credere illis tenebatur? Qui ſuaderi illorum ſapientia tanquam cæleſti? Enimvero potius judicare debebant, hos adveniſſe paratos non ad reædificandam Jeruſalem, ſed ad conſtruendam novam Babelem: qualis revera eorum pſeudoreformatio viſa eſt orbi, in qua excitanda ejus inſignes architecti tam acriter inter ſe contendebant.

§ II.

Indulgentiæ inique a Luthero oppugnatæ.

6. PRimus doctrinæ Lutheri conatus & ſcopus fuit Indulgentias appetere, ad eas a fidelibus extirpandas. Præſens quæſtio eſt, num id tentandi juſta ipſi adeſſet cauſa; ac propterea in id motus ſit *cæleſti ſapientia*. Tu Picenine aſſeris; quibus vero rationibus, audiamus. Pag. 57. ais: *Leo X. Germania per Dominicanum, Helvetia per Franciſcanum evulgare fecit ſe theſaurum aperuiſſe, veniam largiendo peccatorum cuilibet eroganti certam pecuniæ ſummam. Quæritur num Lutherus, & Zuinglius juſtam habuerint cauſam obloquendi contra hujuſmodi nundinas.* Hìc primo duo mendacia. Indulgentiam *peccatorum veniam largiri*. Indulgentiam eſſe *nundinas*. Indulgentia non extenditur ad remiſſionem peccatorum, quia ſacramentalis non eſt, neque actus Ordinis, ſed juriſdictionis; ut docet S. Thomas (*Quodl.* 2. *ar.* 16. *ad* 2.), & extenditur dumtaxat ad remiſſionem pœnæ canonicæ. Si autem Lutherus, & Zuinglius aliter ſibi perſuaſerant, id contigit ipſorum malitia, non Leonis imprudentia. Indulgentiæ autem non ſunt *venales nundinæ*, ut mentiris; quoniam interdum licet Indulgentiæ largitor alicujus eleemoſynæ onus imponat, ut Leonis temporibus acciderat, pecunia tamen ad fructum Indulgentiæ erogata negotiatio non erat, ſed pium ſubſidium pro ædificanda domo Dei, Eccleſia ſcilicet Vaticana: & hæc apponebatur tanquam conditio, & onus ad relaxationem canonicæ pœnæ ſatisfaciendæ pro peccatis; ut Nabuchodonoſor Daniel dixerat (cap. 4. 24.): *Peccata tua eleemoſynis redime.* Si aliquis inde irrepſit abuſus, ſive in publicandis, ſive in exigendis ſubſidiis, miniſtrorum error, & culpa erat, non Leonis; quod æqui-

quitatem Indulgentiæ non lædebat, ſicut non læditur jus tributi in Principe, Exactorum malitia. Noto tamen hanc corruptelam, in quam Lutherus inceſſit, non irrepſiſſe ſolum eo cum Dominicanis Indulgentiarum promulgatio injuncta fuit; antea quippe inoleverat, nec porro zelus Lutheri inardeſcebat, quia a ſuis id muneris gerebatur: ac forte Lutherus ipſe fuerat ſuppoſitæ negotiationis compos. Tunc autem exarſit, cum præſumptum lucrum ad alios ceſſit. Non zelo igitur, vel ſynteresi, ſed avaritia, ac invidia excanduit.

7. Verum qualis Indulgentiarum doctrina ſit, an cæleſtis, vel terrena, nunc ſcrutemur. Tu aſſeris pag. 57. *terrenam* eſſe habendam; *quia nec Scriptura, nec Apoſtolorum, nec Patrum primorum ſeculorum auctoritate ſancitam*. Id etiam probare niteris ex aliquorum Eccleſiæ Romanæ Doctorum ſententia. Nolo hìc integrum tractatum inſtituere circa Indulgentiarum veritatem. Satis enim de hac re apud noſtros Theologos: mihi autem ſat eſt ea diſſerere, quæ reſpondendi ratio poſtulat. Veritas Indulgentiarum non ſub hoc nomine ex Scripturis debet inquiri. Plures enim veritates ſunt, quas tu ipſe credis, ſicut *Incarnatio*, & *Conſubſtantialitas*, quæ expreſſis nominibus Scripturis non conſtant. Sufficit igitur de illis in Scripturis haberi ratio, & auctoritas. Quid porro Indulgentia, niſi remiſſionis, & relaxationis pœnæ facilitas? Hæc autem facultas remittendi, & relaxandi pœnam innuitur verbis illis Chriſti apud D. Matth. (*cap.* 16. 19.) cum dixit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Et ex illis *c.* 18. *v.* 18., dum commiſſo peccatore judicio Eccleſiæ, ſubdit: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Quamobrem ſic diſſero. Promittere Petro *Claves Regni Cælorum*, ipſi dicere *quodcunque ſolveris* &c., Eccleſiæ vero *quæcunque ſolveritis*, indicant ſane poteſtatem generalem quæcunque ſolvendi, nedum a quocunque peccato (hanc quippe omnibus Apoſtolis contulerat, *Joan.* 20.: *Quorum remiſeritis peccata*) ſed a quocunque vinculo, ſive culpæ, ſive pœnæ; propterea Chriſtus dixit: *Quodcunque ſolveris*: *Quæcunque ſolveritis*. Ad hæc. Ut Petrus & ceteri moniti eſſent, velle eos indulgentes & faciles; petitioni factæ a Petro, quot vicibus permitteretur ipſi uſus facultatis ſolvendi, & remittendi, reſpondit Chriſtus (*Matt.* 18. 22.): *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*; quod & declaravit parabola illius Regis, qui omne debitum ſervo ſuo dimiſit. Hæ *Claves*, hæc *facultas*, *facilitas*, & *Indulgentia* a Chriſto conceſſa Petro, manſit in Eccleſia, & in ſucceſſoribus ſuis, qui pone Petrum regere debebant univerſalem Eccleſiam. Eccleſia uſa eſt hac ſolvendi facilitate temporibus uſque D. Pauli; ut patet ex facto illius corinthii (2. *Corinth.* 2. 6. 7.) quem videns Paulus corde compunctum, & patienter ſatisfacientem pœnæ canonicæ, ſuaſit fidelibus indulgere ipſi reliquum pœnæ: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt*. Hinc D. Chryſoſtomus (*Hom.* 4. *in.* 2. *ad Cor.*) infert: *Qua ex re docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem, habitumque peccantium, oportet moderari pœnitentiam*. Sic Theophilactus ibidem: *Pulchre autem dixit: donare. Ut enim ille non exiſtimet ſibi remiſſam noxam, quia ſatis confeſſus ſit, & ſufficienter pœnitentia ductus, oſtendit, quod non tantum ex pœnitentia ſua, quantum ex illorum gratia, & donatione, dimiſſionem recipiat*. Et Pacianus (*lib.* 3. *contra Novatianos*) relatis D. Pauli verbis, ſubdit: *Vides Apoſtoli indulgentiam, proprias etiam ſen-*

ſententias temperantem? Vides mitiſſimam lenitatem, longe a veſtro ſupercilio ſeparatam? Longe a Novatiani fronte diſſimilem, communi vero vita, ac ſaluti omnium conſulentem? Sic etiam Ambroſius *de Pœnit. lib. 6. cap. ultimo.*

8. Perperam tamen uſque nunc; cum unum tu (ut ais *pag. 69.*) *Calvinum habeas, qui in his inſpexit quidem primæva Eccleſia Indulgentias, non autem illas Romana Eccleſia.* Puto Calvinum lippum fuiſſe; qui ſi rectis attendiſſet oculis, utramque Indulgentiam inſpexiſſet, cum una ab altera non differat, ut hariolaris. Jam cedis, priſcis temporibus, *lapſis, & ad Idola converſis; ſicut publicis fornicariis* (poſt veræ tamen pœnitentiæ ſigna) *taxatam fuiſſe pœnam ſegregationis a communione Sanctorum. Neve abundantiori triſtitia abſorberentur, indulgenti moderatione mora temporis contrahebatur. Hæc autem illis Indulgentia, & remiſſio.* Cedis itaque perditiſſimis peccatoribus, etiam poſt divinam reconciliationem cordis, pœnam adhuc canonicam, & temporalem debitam fuiſſe; ſegregationem nempe a communione fidelium, & pœnalium tolerantiam laborum, ante Eccleſiaſticam reconciliationem. Hæc ſane pœnitentia illa eſt a S. Auguſtino (*lib. 50. hom. 27. cap. 3.*) *luctuoſa* appellata; qua peccator excitatus jam a Deo ſicut Lazarus e ſepulcro, & juſtificato remiſſione culpæ, traditur Eccleſiæ ſolvendus ut Lazarus, & liberandus: quamobrem peccator ad vitam gratiæ jam revocatus, adhuc remanet ſervus pœnæ, ab Eccleſia remittendus libertati. Hoc autem Eccleſiaſticæ pœnæ debitum a peccatore Deo reconciliato Eccleſiæ ſolvendum, uſquequo integre non redditur, ſicut Eccleſiæ a peccatore debetur, ſic & Deo? Sane ita; Chriſti quippe ſententia manifeſta eſt: *Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in Cælo.* Eccleſiæ igitur pœna a peccatore ferenda eſt; quam niſi vel ille ferat, vel ipſi remittatur, coram Deo ſuſtinenda differtur. Ergo ſi ab Eccleſia vel partim, vel plene remittatur, etiam coram Deo remiſſa delebitur. En Eccleſiæ Romanæ Indulgentiæ, quibus erigit, & partim, vel plene ſolvit peccatorem a pœna debita Eccleſiæ, & Deo, pro integra peccati commiſſi ſatisfactione: quod, ut dicemus, ex applicatione ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum perficitur.

9. Prælaudata doctrina tibi, Picenine, non placet; propterea eam infirmare niteris. Primo, pag. 60., aſſerens *falſiſſimum eſſe, Deum remittere culpam, non vero pœnam, ſaltim temporalem; ſecus dimidiate parceret.* Facetiſſimæ argutiæ! *Veriſſimum* tamen, non *falſiſſimum* meum effatum; quod demonſtrabitur evidentiſſime, cum de Purgatorii exiſtentia ſermo erit. Pro nunc ſcito, tuo laboraſſe ſcrupulo etiam Pelagianos; quorum quidam D. Auguſtino (*lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 33.*) hæc opponebat: *Si peccato mors iſta corporis accidiſſet, non utique poſt remiſſionem peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur.* Cui Auguſtinus in hæc ferme verba: Si propter peccatum Deus dixit: *In ſudore vultus tui veſceris pane* (Gen. 3. 18.) terra autem *ſpinas, & tribulos germinabit tibi;* cur etiam fidelibus juſtificatis terra hæc germinat? Si ex peccato mulieri dictum: *In dolore paries;* cur etiam poſt remiſſionem feminæ fideles eoſdem dolores in parturiendo patiuntur? Ad hæc. Si Deus remiſſione culpæ totam plene pœnam remittit; cur poſtquam per Prophetam Nathan, Davidi de peccato homicidii Uriæ, & adulterii Bethſabee dictum fuit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum* (2. *Reg.* 12. *v.* 13. & 14., quæ eſt peccati venia) adhuc ſubditur: *Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur* (quæ eſt pœna poſt veniam peccati)? *Quare & hic non dicitur: Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus; cur dimiſſo peccato, quod*

erat minatus implevit? Reſpondebitur (ibidem cap. 34.) *remiſſionem illam peccati factam, ne homo a percipienda vita impediretur æterna; ſubſecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur, atque probaretur. Sic & mortem corporis & propter peccatum Deus homini inflixit, & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendam juſtitiam non ademit.* Culpa igitur, & æterna pœna remiſſa, adhuc aliquid a divina juſtitia exigendum ſupererat. Cui homo ſatsfacere tenetur doloribus, pœnis, ærumnis in hac vita, & exercitio etiam virtutum; ſicut David humiliationis pœnam ferre debuit morte filii, etiam poſt remiſſionem peccati, & pœnæ æternæ. Neve inſurgas, juxta D. Auguſtinum poſt remiſſionem peccati illam non infligi in ratione pœnæ; audi iterum Auguſtinum *lib. 22. contra Fauſt. cap. 67.*, ubi de Davide ſermonem habens, ait: *Correptus per Prophetam dicit: Peccavi; continuoque ad hoc unum verbum audire meruit, quod acceperit veniam, ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem?* En culpæ, & æternæ pœnæ remiſſio; cui tamen ſubjungitur temporalis pœna: *Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecundum Dei comminationem flagelli paterni diſciplina, ut & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.* Neque tamen, ut tu, conqueſtus eſt Deum veniam dediſſe, & non dediſſe, vel dimidiam culpam remiſiſſe, neque auſus eſt dicere *Propheta ſe deceptum eſſe mendacio, nec murmurare adverſus Deum, quaſi falſam peccatorum ejus indulgentiam pronuntiaverit. Intelligebat enim vir alte ſanctus ..... niſi Dominus eſſet confitenti, pœnitentique propitius, quantum pœnarum æternarum ejus eſſent digna peccata: pro quibus cum temporalibus emendationibus ureretur, videbat erga ſe & manere veniam, & non negligi medicinam.* David pœnas luit in hac vita; qui autem hæc non patitur in hac vita, cur non in altera punietur? Deus ergo Iſraelitis, qui in pœnam mortui ſunt in deſerto poſt conceſſam illis propter Moyſen veniam (*Numer. 14.*) nonniſi dimidiate culpam dimiſit? Sic Aaroni, & Moyſi ab incredulitatis culpa ſolutis, quia ab ingreſſu terræ in pœnam excluſi ſunt, dimidiate pepercit? (*Num. 20.*). Fatere Picenine cum D. Auguſtino (*Enar. in Pſal. 50.*): *Veritatem dilexiſti, ideſt, impunita peccata eorum, quibus ignoſcis, non reliquiſti.* Hoc antiqui canones pœnitentiales una voce teſtantur. Pœnæ quibus exercebantur peccatores, nedum inutiles, quam iniquæ fuiſſent, ſi remiſſa a Deo culpa, donata etiam fuiſſet tota pœna. Hæc relaxatio, quæ pro pœnis, & ſatiſfactionibus debitis ab Eccleſia conceditur, a nobis *Indulgentia* appellatur.

10. *Indulgentiæ antiquæ Eccleſiæ* (ſic opponis pag. 60.) *non acervus erant meritorum, & ſatisfactionum, ſive opera ſupererogationis repoſita in theſauro Eccleſiæ, & elargita huic, vel illi peccatori, ut Indulgentia Romana. Forte Panigarola habet corinthio illi inceſtuoſo donatam fuiſſe indulgentiam ex meritis Stephani; vel tributa opera ſupererogatoria S. Jacobi? Falſiſſimum Sanctos implere Dei mandata, & eorum pœnas eſſe ſatisfactorias; quod ſupererogationes hæ augeant theſaurum Eccleſiæ, & quod Papa ſit earum œconomus.* Mendacia hæc ſunt a te conflata, & deſumpta ex ſchola tuæ pſeudoreformationis; quæ tamen ſuo loco refellentur. Unde quæſo pro certo habes Eccleſiæ antiquæ Indulgentias ex Sanctorum, & Chriſti meritis non proceſſiſſe? S. Paulus (*2. Corinth. 2. 10.*) fatetur in perſona Chriſti corinthio Indulgentiam donaſſe: *Ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Ipſe (*Rom. 1. 10.*) orationibus ſuis pro Romanis deprecabatur: *Memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis*; & viceverſa a Romanis petebat, ut pro ipſo orarent apud Deum (*Rom. 15. 30.*): *Ut adjuvetis me in orationibus*

veſtris

veſtris pro me ad Deum. Paſſiones ſuas (*Coloſſ. 1. v. 24.*) pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, offerebat. Cur autem unius bona opera alteri nequeunt tribui? Falſiſſimum nullas eſſe ſatisfactiones, quibus pro pœnis debitis, nobis, & aliis compenſare non valeamus. Moyſes talia agebat, quibus potuit avertere Dei vindictam nedum a ſeipſo, ſed etiam a populo ſuo. Soli decem juſti, qui Sodomæ a Deo reperti fuiſſent; nonne, eorum gratia. pœna ignis nefandis illis civitatibus comminata remiſſa fuiſſet? Abrahami obedientia, Davidis fidelitas nonne eorum poſteris Dei gratias obtinuit, & iras ejus interdum compoſuit? Hi Phariſæi non erant, & tamen eorum opera tam pro ſe, quam pro aliis Deo grata reddebantur. Virgo Mater Chriſti Domini noſtri, quo ſuo crimine debuit affligi tot anguſtiis, quas illi prænuntiavit Simeon? (*Luca 2. 35.*). Job ſane optabat (*Job. 6. 2.*): *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera. Quaſi arena maris hac gravior appareret.* Cur non idem aſſerere licet de tot Martyribus, qui immaculata vita functi, a ſuorum delictorum mendis purgati, tot adhuc cruciatus perpeſſi ſunt? Primæva Eccleſia tanti pendebat Martyrum merita, dum etiam hi vitam agebant, & carceribus detinebantur, ut illa aſſumeret tanquam ſatisfactoria pœnarum, quæ in apoſtaſia lapſis debebantur: adeo ut cognita ſubſcriptione Martyris, illico ab Epiſcopis vel plenaria, vel congrua pœnarum Indulgentia impertiebatur. Cujus rei fidem faciunt Tertull. *lib. ad Martyres cap. 1.*, & *de pudicitia cap. ult.*, S. Cyprianus *Epiſt. 11. & 17.*, nec tamen adhuc agonem mortis pro Chriſto ſuſtinuerant, ſed ſolum parati erant illum aggredi. Potiori profecto ratione eadem merita ab Eccleſia ſuſcipi, & aliis ut ſatisfactoria elargiri debent nunc, quod illi & ſanguinem pro Chriſto dederunt, & cum ipſo in cælis regnant. Quod de innumeris Confeſſorum, ac Virginum agminibus, vigiliis, ærumnis, auſteritatibus confectis, eadem certe debet ratione fateri. Hinc ſi Martyres. Confeſſores, Virgines in ſtatera Job meritis ſuis adeo prævalent; quantæ infinitæ gravitatis pondus adjiciet Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui nullum peccatum fecit, qui nos redemit divini ſui ſanguinis pretio; non æquali ſumma, ſed in infinitum excedente noſtri debitum reatus, & pœnæ? Neque enim ille offerre debuit pro ſe ſacrificium, deinde pro populo, cum ſit Pontifex *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus*; ut loquitur D. Paulus (*ad Hebr. 7. 26.*). Sanguis igitur Chriſti pretium infinitum noſtræ redemptionis non ita erogatum fuit, quin ſuperſit in finem uſque erogandum. Satisfactiones Virginis, & Sanctorum, quæ neque pro ſeipſis, neque pro aliquibus ſingulatim impenſæ fuerunt, impendendæ aliis ſervantur in Dei acceptatione: qui, ut teſtatur S. Paulus (*ib. 6. 10.*) injuſtus non eſt, ut oblivíſci valeat ſanctorum operum ſui amore patratorum. Hic theſaurus ille Eccleſiæ, qui Indulgentiis diſtribuitur. Hic Communionis Sanctorum articulus, quem profitemur; qua communione, ſatisfactiones quæ uni accreſcunt, aliis largiuntur, tribuuntur, communicantur; ſic fortius membrum, infirmum ſua virtute adjuvat, medio tamen influxu, & motu capitis Chriſti, qui eſt omnia in omnibus, fons totius meriti, ſine quo omnia opera noſtra vacua, & inania eſſent. Cum autem hæc merita ſint veluti bona communia, diſtribuuntur ſingulis Eccleſiæ partibus ab illo, quem Chriſtus elegit ad regimen ſuæ Eccleſiæ: ſicut bona communia Reipublicæ, ab ejus Rectoribus cives affatim recipiunt. Quocirca eo pacto, quo quis veniam pœnæ aſſequeretur, alio pro ipſo ſatisfaciente; ſic eandem conſequi valet ille, cui tribuitur ſatisfactio ab habente hujus miniſterii poteſtatem. Hæc Indulgentiarum eſt vera doctrina catholica, tradita

dita a D. Thoma *in* 4. *diſt.* 20. *qu.* 1. *ar.* 3. *in corp.* Et *Quodlib.* 2. *ar.* 16. *in corp.*

11. Facile autem ſolvuntur ea, quæ hucuſque traditæ doctrinæ opponis. Primo videlicet, pag. 60., ais: *Sanguis Chriſti pro infinitis Mundis ſatisfacere valebat ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ: paucis tamen ita remiſſa eſt culpa, ut liberentur a pœna; ſatisfactiones igitur hæ inutiles erunt, neque in theſaurum Eccleſiæ recipiuntur &c.* Bene habes, ſatisfactiones Chriſti prævaluiſſe peccatis omnibus, & pœnis æternis, quin culpa, & pœna æterna omnibus remittatur. Verum cujus culpa? Fons perennis in aperto foro emanet, cujus aquæ abundent ad reficiendos quot quot acceſſerint: pauci autem veniant, & ſiti arentes moriantur; iſtorum mors non fontis certe, ſed horum vel deſidiæ, vel pervicaciæ culpa erit. Satisfactiones porro illæ non pereunt, ſed in theſauro Eccleſiæ ad aliorum utilitatem ſervantur. Non negabis ſatisfactiones Chriſti de ſe valere pro infinitis hominibus, nunquam futuris; nec tamen puto incaſſum illas habendas eſſe te aſſerturum. Neque incaſſum igitur illæ recenſendæ, quæ a tot negliguntur. A Panigarola petis *cur nullus ſupererogationis theſaurus ſit pro æterna pœna? Siquidem Chriſti ſanguis non pro temporali, ſed pro æternali pœna fuſus eſt.* Sanguis Chriſti & æternæ prævalet, & temporali pœnæ, hac tamen diverſa ratione. Pro æterna pœna ſolus ipſe efficaciam habet, nulla interpoſita ſatisfactione, & merito, vel Sanctorum, vel noſtro. Solus Chriſtus (attentis tamen rectis diſpoſitionibus noſtris, quæ dona ſua ſunt) ille ſolus mediis ſacramentis & gratia nos reparat, & juſtificat. Juſtificatis autem, pro reliquis ſolvendis pœnis proſunt merita Chriſti, & aliorum etiam Sanctorum, quæ a Paſtoribus Eccleſiæ Indulgentiis impartiuntur.

12. *Quis unquam* (ais pag. 61.) *auſus fuit aſſerere, Sanctorum merita aliorum culpis ſuffragari, cum neque propriis ſufficiant? Solus Chriſtus pro culpis ſatisfecit. David non de ſatisfactionibus, ſed de afflictionibus ſuis loquebatur, quæ non in theſaurum Eccleſiæ, ſed Dei reponebantur.* Profecto nec a me unquam ſomniatum Sanctos ſuffragari poſſe vel propriis, vel alienis culpis. Solus Chriſtus culpas delet. Fateor equidem, ſatisfactiones illas, quæ juſtis, & Sanctis ſuperſunt, has ab Eccleſia diſtribui in ſubſidium non mortalis culpæ, nec æternæ pœnæ, ſed temporalis; cui ſæpiſſime adſtricti ſunt juſti pro culpis remiſſis quidem, ſed non ſatius punitis. Quæ diſtributio fit mediis Indulgentiis. David loquebatur de afflictionibus ſuis, quas tamen ſuſtinebat in penſum peccatorum, de quibus culpæ veniam obtinuerat; gratas tamen adeo Deus illas habuit, ut poſteris etiam ſuis, ut dicebam, liberaliter eas elargitus ſit. Addo, ut tandem quieſcas, nos licet Sanctorum ſatisfactiones admittamus, non idcirco plures agnoſcimus *Redemptores*. Solus enim Chriſtus ſolvit nos a ſervitute peccati, gratiæ impartiens libertatem, in quo vera *Redemptoris* ratio conſiſtit. Satisfactiones autem Sanctorum noſtris temporalibus pœnis ſubſidium ferentes, ad *redemptionem* noſtram nil conferunt; tum quia nobis juſtificatis, & redemptis adveniunt; tum quia earum efficacia a virtute, & efficacia Sanguinis Chriſti pendet: ſine qua Sanctorum merita nec ſibi, nec nobis prodeſſe quidquam valerent. Verum hæc alibi. D. Paulus nunquam Redemptor, tametſi (*ad Coloſſ.* 1. 24. 29.) de ſe diceret: *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Neve autem erraret quis, quaſi dubitans paſſiones Chriſti, ceu imperfectas, adimplendas eſſe per illas Pauli, ſtatim ſubdidit: *In quo & laboro certando, ſecundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.* Noverat ille, ait S. Thomas hìc

lect. 6., in hoc myſtico Eccleſiæ corpore, cujus nos membra ſumus, & caput Chriſtus, hunc noluiſſe ſolis actibus ſuis operari; ſed quod etiam membra ſibi, & corpori collaborarent: *Pro corpore quod eſt Eccleſia .... Sic etiam omnes Sancti patiuntur propter Eccleſiam, quæ ex eorum exemplo roboratur.* Quibus infero, Lutherum Indulgentias inceſſiſſe *ſapientia* non *cæleſti*, ſed *terreſtri*; ſive cauſam attendamus, qua ad id movebatur, nimirum ex *ambitione*, *invidia*, & *avaritia*; ſive rationes, quibus illas aggreditur, utpote Scripturæ ſenſibus, & geſtis oppoſitas, meritis Jeſu Chriſti, & Sanctorum contumelioſas. Quoniam vero in articulo de Purgatorio hæc fuſius tractanda proponis, illuc me revoco.

§. III.

Qua fuerit Calvini opinio erga Patres.

13. Calvinum injuria reprehenſum autumas a Patre Segneri de laceſſitis Patribus, Conciliis, & ipſo Chriſto. Eo autem, ut tibi adularis, vindicato, noſtros audes criminari. Gradatim agamus. *Calvinus* (ais pag. 62.) *honore habebat Sanctos Patres. Attendite Jeſuitæ his, quæ ſcribit in præfatione ſuarum Inſtitutionum Galliarum Regi.* Verum attendite etiam quæ in corpore ſuarum Inſtitutionum ſcribit. Laus Patrum in præfatione callidum Calvini artificium fuit ad pelliciendum regium animum, & removendam ab ipſo præjudicatam opinionem de novitate doctrinæ ſenſibus Patrum adverſæ. Ceterum Calvinus extollit Patres, dum ſuo pravo ſenſui flexibiles quadantenus videt; dum vero ſibi experitur adverſos, en quanti eos faciat. Obſervans Sanctos Patres adhærere operibus ſatisfactoriis (*lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 38.*) ait: *Parum autem me movent, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter, omnes fere, quorum libri extant) aut in hac parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere, ac dura locutos.* D. Auguſtinum, alioſque incuſat contra Deum obloquutos, quia primatui Papæ faviſſe novit: *At nonnulli* (lib. 4. Inſt. cap. 6. §. 6.) *ex Patribus ſic expoſuerunt. Sed cum reclamet tota Scriptura, quid eorum auctoritas adverſus Deum prætenditur?* Taceo hic de Luthero, qui dicatiori impudentia protulit: *Nihil Origenes, nihil Hieronymus, nihil omnes Patres. Erraſſe confiteor ſapiſſime ut homines, prudenſque declino. Quod illi catholice errarunt, vos* (Doctores Eccleſiæ Romanæ) *heretice docetis.* Contumeliæ quas nebulo iſte in Patres vomit videri poſſunt præſertim in *lib. de abroganda Miſſa &c.* Nunc de Calvino, qui videns aliquot Patres probare votum paupertatis ad illa verba Chriſti (*Matt. 19. 21.*): *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus;* male illos carpit intellexiſſe illum textum: *Fateor hunc locum fuiſſe a quibuſdam Patribus male intellectum, atque hinc natam eſſe voluntariæ paupertatis affectationem.* Noſcit Patres laudare virtutem Sacramentorum; propterea ait (*lib. 4. Inſtit. c. 14. §. 17.*): *Cavendum præterea, ne in errorem hujus affinem nos abducant quæ ad amplificandam ſacramentorum dignitatem paulo magnificentius a veteribus ſcripta ſunt.* Audit D. Auguſtinum Purgatorium, & ſuffragia mortuorum commendantem; hinc ſic illum mordet (*lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 10.*): *Monicam matrem ſuam narrat vehementer rogaſſe ... ut ſui memoria in peragendis myſteriis fieret ad altare. Anile ſcilicet votum* (quaſi aniculæ votum foret) *quod filius non exegit ad normam Scripturæ, ſed pro natura affectu probari aliis voluit;* ferme ac ſi magnus Auguſtinus in obſequium matris Scripturas deſpiceret. Loquens de libro *de Cura pro mortuis agenda*, ineptiarum, & inveriſimilium commentum illud vocat. Adhuc pejora. Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Juſtinus Limbum fatentur Patrum. Calvinus

Digitized by Google

vinus autem (*lib.* 2. *Inſtit. cap.* 16. §. 9.) fabulas eos narrare inſinuat: *Sed hæc fabula, tametſi magnos auctores habet . . . nihil tamen quam fabula eſt*; cujus criticæ hæc grandis ratio: *Nam concludere in carcere animas mortuorum, puerile eſt.* Si hac de cauſa Limbus fabula, tum etiam Infernus fabula. Sic D. Petrus 1. 3. 19. fabulam ſcripſit illis verbis: *His, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit*; immo Calvinus ipſe fabulam narravit, cum, ſui oblitus, in Pſychopannichia ait: *Nunc vero miretur quiſquam includi carcere Sanctos Patres, qui redemptionem exſpectabant.* Cum negare non poſſit admitti ab Auguſtino, aliiſque, Quadrageſimæ obſervantiam, ait (*lib.* 4. *Inſtitit. cap.* 12. §. 20. 19.): *Et tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa Quadrageſimæ obſervatio... Mirum eſt tam craſſam hallucinationem hominibus acuti judicii obrepere potuiſſe .... Non in totum excuſare audeo veteres, quin & ſuperſtitionis quædam ſemina jecerint.* Fidem Purgatorii antiquiſſime traditam cernens, ſubdit (*lib.* 3. *Inſtit. cap.* 5. §. 10.): *In eo dico aliquid humani paſſos eſſe; ideoque ad imitationem trahendum non eſſe.* De Conciliis vero etiam antiquis, & de ipſo Nicæno I. hæc habet (*lib.* 4. *Inſtit. cap.* 9. §. 10.): *Vel quod ſimpliciter, ut homines, falli poterant imperitia, vel quod nimio affectu nonnunquam præcipites ferebantur.* Multis erraſſe, & invicem contradici tradit; contemptuque impudico ea deſpicit. Recentiora vero calumniatur ut commenta Epiſcoporum, & Religionis Antiſtitum, ad exercendam, & dilatandam ſpiritualem eorum tyrannidem; ad quam firmandam, pro certo ſtatuunt Concilium Eccleſiam repræſentare, a Deo immediate dirigi, proinde erroris expers eſſe; cum vero ipſi ſint qui regunt, immo qui componunt Concilia, reapſe ſibi arrogant quidquid de Conciliis effutiunt. Videantur reliqua, quæ habet (*lib.* 4. *Inſtit. cap.* 8. §. 10.), ſcatentia undique dicteriis, injuriiſque adverſus Concilia, Patres ea componentes, & Eccleſiam ipſam. Hæc ſunt quæ obviam habui a Calvino dicta de Patribus, & Conciliis. A ceteris abſtineo, quibus pleni ſunt quatuor libri deteſtabilium ſuarum Inſtitutionum, vel melius reliqua ejus opera. Ex quibus infero, nullum ſanæ mentis hominem ſibi unquam ſuaſurum, Calvinum dotatum fuiſſe ſapientia *cæleſti*, Patres vero omnes, & Concilia, *terrena* deſipuiſſe.

14. Patienda forte, ægre licet, Calvini inſania, ſi in ſolos Patres fureret, & Concilia; abſtineret autem a Patriarchis, Prophetis, & Chriſto ipſo blaſphemandis. Verum neque hos veretur: quinimmo (*lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 15.) de Abrahamo ait, quod is fuit *nullo verbo Dei inſtructus pro Sodomitis*; quod Samuel *contra manifeſtam Dei prohibitionem pro Saule oravit*; quod Jeremias contra voluntatem Dei *urbis excidium deprecatus eſt.* Concludit autem de his: *Quos non inficior modum exceſſiſſe*; propterea non eſſe imitandos. In §. 16. ejuſdem libri, & cap., de lamentationibus David ait: *intemperiem ſapiunt*; quodque in tentationibus ſuis adeo excandeſcebat, ut ſe faceret credere deſperatum. Quapropter concludit: *In illis etiam tentationibus ſæpe effluunt vota non ſatis bene formata ad regulam verbi Dei, & in quibus non ſatis expendunt Sancti quid fas ſit, & expediat. His quidem vitiis quæcunque maculatæ ſunt preces, repudiari merentur.* Et poſt pauca ſubdit: *Innumera ejus generis exempla occurrent in Scripturis, ex quibus patet fidem Sanctorum ſæpe mixtam fuiſſe dubitationibus, & agitatam, ut credendo, & ſperando, aliquid tamen infidelitatis proderent.* Sic Calvinus Sanctos laudat. Quid ultra, cum nec Deum ipſum vereatur, quem ita peccato annuere ſtatuit, ut ipſius peccati auctorem eum blaſphemet, ut infra oſtendetur? Quæ igitur habenda erit opinio de homine arroganti, & infrunito, qui cunctos deſpicit Patres, Concilia, Prophetas, Sanctos; ſe vero ſolum ſapientem facit,

facit, ac fidelem Scripturarum interpretem? Tu vero animadverte Picenine quam malæ cauſæ patronum te inſtituas! Prætereo quod recenſens Calvinus illa verba *Hypoſtaſis*, *Trinitatis*, *Conſubſtantialis* ab Arianis controverſa, & a Catholicis acriter propugnata ceu ſignum certum catholicæ veritatis, teſtatur (lib. 1. Inſtit. cap. 13. §. 5.): *Utinam quidem ſepulta eſſent, conſtaret modo hæc inter omnes fides, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum &c.* Ipſe ſtatuit Chriſtum, nedum ut hominem, verum etiam ut Deum, mediatorem noſtrum apud Patrem, atque id muneris præſtitiſſe antequam etiam carnem aſſumeret (*contra Valentinum Gentilem, & ad Polonos contra Stanckarum*). Vult Chriſtum damnatorum pœnas ſuſtinuiſſe in Inferno (*lib. 2. Inſt. cap. 16. §. 10.*); Chriſtum etiam (ut advertit P. Segneri) laboraſſe ignorantia, præſertim diei judicii, ut videri poteſt *in lib. 2. cap. 14. §. 2. Harm. Evangel. in cap. 27. Matth.*; a qua nota eum liberare quamvis Picenine tentes, id explicando *de ignorantia qua homo erat, quo pacto ignorare etiam poterat alicujus arboris ſpeciem*; a temeritate tamen abſolvere illum non valebis, dum auſus ſit Chriſtum ut hominem ignarum aſſerere, quem S. Joannes (*cap. 1. 14.*) appellat *plenum gratia & veritatis*; & S. Paulus (*Coloſſ. 1. 2. 3.*) aſſerat: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientia & ſcientia abſconditi*; & Apocalypſ. (*cap. 5. 12.*) habeatur: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere divinitatem, & ſapientiam.* Videatur D. Hilarius *lib. 9. de Trinit. circa finem*. Chriſtus, D. Thomæ ſententia (*3. p. qu. 10. ar. 2.*), & *qu. 11. ar. 1.*) qua homo, in ipſo inſtanti unionis Divinitatis perfectiſſime cognovit omnia præterita, præſentia, & futura: ſcientiam habuit beatam, & infuſam, neque in infantia ſenſit ullum ignorantiæ defectum. Unde D. Auguſt. (*lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 29.*) habet: *Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuiſſe in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis.* Equidem apud S. Lucam legitur (*cap. 2. 52.*): *Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*; ſed eo proficiebat ſapientia, quo proficiebat gratia. Nec reor te aſſerturum, Chriſtum ut hominem caruiſſe plenitudine gratiæ, & ſenſim ut nos augmentum gratiæ captaſſe, S. Joanne clamante *plenum gratia*. Chriſtus (audi *D. Th. 3. p. qu. 7. ar. 12. ad 3.*) *proficiebat ſapientia, & gratia, ſicut ætate; quia ſecundum proceſſum ætatis perfectiora opera faciebat, ut ſe verum hominem demonſtraret, & in his, quæ ſunt ad Deum, & in his, quæ ſunt ad homines.* Ita pariter Cyrillus (*lib. p. in Joannem, cap. 17.*); ni placeat quod ipſe D. Th. (*3. p. q. 12. art. 2.*) ait, Chriſtum profeciſſe ſcientia experimentali, quam acquiri ab ipſo poterat ex ſuſceptione ſpecierum, nova objecta per ſenſus repræſentantium; qua phraſi loquitur D. Ambroſius (*de Incarn. cap. 7.*), non vero qua tu legis *ſicut proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientia hominis*. Id enim eſt interpolare, more tuo, S. Patrem, ut in pravum tuum ſenſum trahas. Hæc autem germana ejus verba: *Ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientia hominis. Sapientia autem ſenſu proficit, quia a ſenſu ſapientia.* De ſapientia igitur ex miniſterio ſenſuum loquitur; quod non impedit quin altiori cognitione prænoſceret ea, quæ per ſenſus objiciebantur. Ab Auguſtino autem (niſi tanti Magiſtri diſciplinam dedigneris) diſces quomodo intelligatur Chriſtum ignoraſſe judicii diem. Plurimis enim ſuorum operum locis conſtanter docet, ignoraſſe propterea dictum, quia id ignotum aliis eſſe tum expediebat. Sic Abrahamo dixit: *Nunc cognovi quod timeas Dominum. Hoc enim neſcit* (D. Auguſt. enarrat. in Pſal. 6. 16., lib. 83. quæſt. 60., & lib. 1. de Trinit. cap. 12) *quod neſcientes facit, ideſt, quod non ita ſciebat ut tunc diſcipulis indicaret; ſicut dictum eſt ad Abraham:*

Nunc

Nunc cognovi quod timeas Deum, ideſt, nunc feci ut cognoſceres; quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit. Hic Patrum ſermo, qui non Chriſtum ignarum, ſed te cum Calvino ſtultiſſimum prodit, ad hoc uſque inſcitiæ, & temeritatis culmen attingentem, ut Chriſtum facias adeo inſipientem, quod *neque arboris ſpeciem agnoſceret; & ficus in ficulnea quærens, non reperiret.* Hujuſmodi locutiones in Scripturis occurrentes intelligi debent ad captum noſtrum accommodatæ. Deus etiam deſcribitur Adam quærens, in Paradiſo, nec inveniens. Quid porro ad hæc acutiſſimi hi Scripturarum interpretes? *Reſpondeant quæſo* (ſic S. Cyrillus *lib.* 9. *Theſ. cap.* 4. a Picenino citatus) *quando Deus in Paradiſo Adam patrem noſtrum vocabat, dicens: Adam, Adam ubi es? Quando Cain interrogabat: ubi eſt Abel frater tuus? Quid dicent?* Sane dices S. Cyrillum tuæ temeritati favere, quia ibidem ait: *Chriſtus fatetur ſe, quatenus homo erat, ignorare diem judicii, quod proprium ſit humanæ naturæ ignorare futura.* Attentius tamen ſi legiſſes, tanto S. Patre non abutereris; ait enim: *Eam* (nempe ſupremam diem) *ignorare diſpenſando dixit, ut homini, quem aſſumpſit, congruentia diceret; hominis enim natura proprium eſt ignorare futura.* Quibus vult intelligi, Chriſtum dixiſſe diem judicii ignorare, quia ut hominem loqui oſtendere volebat, cujus proprium eſt ignorare futura; non autem revera Chriſtum ut hominem ignoraſſe futura. Diverſum quippe omnino eſt id, Chriſtum ignoraſſe; & Chriſti ut hominis proprium eſſe id ignorare. Chriſti ut hominis proprium non erat id ſcire; alias cujuſcunque hominis propria hæc notitia foret: id tamen, ut homo, Chriſtus noverat, plenitudine ſcientiæ, quam ex unione Divinitatis acceperat.

15. Arrogantis tamen eſt nunquam vel victum cedere, ſed quæ vitare non poteſt crimina aliis impingere. Qua calliditate inſtructus audes Picenine (*pag.* 63.) fingere, quod *ſi Calvinus de laceſſitis Patribus, Conciliis, & Chriſto reus ſtatuitur, eodem crimine rei erunt*, ex noſtris, *plurimi; Baronius videlicet, qui D. Auguſtinum reprehendit, & Maldonatus Theodoretum &c.* Cum de his ſermo alibi habendus ſit, commodius ibi objectis occurram. Reum facis Bellarminum de ſpreto Cypriano, ab ipſo erroris accuſato, quod dixerat: *Ubi hæc traditio? Dominus injunxit nobis ea facere, quæ ſcripta ſunt.* Bellarminus erroris notat Cyprianum in quæſtione de Baptiſmo ab hæreticis collato, in qua traditioni acquieſcere nolebat. Quis autem ignorat in hoc S. Cyprianum erraſſe? Non itaque reus Bellarminus, neque reus P. Salmeronus, ex eo quod contra aliquorum Patrum ſententiam Immaculatam Conceptionem defendat; quia id aſtruit ex conſenſu aliorum, & Eccleſiæ Romanæ: quod non valet de Calvino, qui ſolus omnes Patres improbat, & ipſam Eccleſiam. Subdis pag. 63. *Qua facie audet Jeſuita dicere Calvinum obtrectaſſe Conciliis, cum ipſe Leonem Papam habeat impietatis incuſantem Chalcedonenſe Concilium* 600. *Epiſcopis conflatum; Cæleſtinum fulminantem Carthaginenſe Concilium illuſtratum præſentia D. Auguſtini? Ipſe tandem, qui Cottonium ſodalem ſuum habet Concilium Conſtantinopolitanum reprehendentem de intentata ann.* 380. *rebellione contra Romanam Sedem?* S. Leo Canonem 28. Concilii Chalcedonenſis non admiſit, quia Canon ille ſubdole actis Concilii appoſitus fuerat. Cætera tamen illius Synodi authenticas actiones approbavit ea auctoritate, qua ut Eccleſiæ caput fungebatur. Calvinus vero quo privilegio, qua auctoritate fruebatur, qui ſolus poſſet non unum, ſed omnia, ſive nova, ſive vetera, ſive generalia, ſive provincialia Concilia inceſſere? Paſſim a te hoc Chalcedonenſe Concilium in ſcenam ducetur; quare hæc ſobrie dicta modò ſufficiant. De æquiſſima Cæleſtini I. reſiſtentia adverſus

Carthaginenſe Concilium, ſuo loco redibit ſermo. Id unum nunc habeatur, ipſos Africanos Patres facto Cæleſtini conſenſiſſe; qui paulo poſt, annuente S. Auguſtino, ceſſerunt, appellationes, quibus antea refragari videbantur, ad Romanam Sedem deferri permittentes. Eandem æquitatem habet Cottonii querela contra Conſtantinopolitanum Concilium; cujus Canoni uſque tum Occidentales interceſſerunt. Verum & hæc alibi.

16. Penſemus cetera, quæ adverſus Chriſtum a noſtris congeſta reprehendis. Habes quippe pag. 64. *Jeſuita dum venenato dente ſcripta Calvini mordet, quæ non legit, recogitare deberet ea, quæ Leo X. intrinſeco ſuo Cardinali Bembo dixit; illas de Chriſto fabulas multum ſibi profuiſſe.* Quis hæc narrat? Balæus. Hoc uno leviſſimo teſte ejuſdem ponderis eſt aſſertio tua, ac mea negatio. Quid habes ultra? *Alter ſuorum Papa, Gelaſium dico, actus ira contra Concilium Chalcedonenſe, quod Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſancierat in omnibus æqualem Romano Epiſcopo; ad elevandam Conciliorum auctoritatem, S. Evangelium obtrectare cœpit; & contendens cum Jeſu Chriſto, definivit peccatum in Spiritum Sanctum media pœnitentia remitti in hoc, & in futuro ſeculo.* Bone Deus! Quot tricæ! Quot mendacia! Gelaſius Concilio Chalcedonenſi iratus, ad elevandam Conciliorum veritatem, Evangelium obtrectat? Stultum ſane vindictæ genus, velut ſi tecum iratus, cum Papa rixarem. Falſum autem retundatur commentum. Canone 28. Concilii Chalcedonenſis non declaratur Epiſcopus Conſtantinopolitanus par in omnibus Epiſcopo Romano; illi tantum ſedes iſti proxima conceditur: *Poſtremo decretum eſt, ut Conſtantinopolitana Sedes poſt Romanam primum locum obtineret.* Sic Evagrius (*lib. 2. Hiſt. cap. 18. in fin.*). Et Patres ipſi Chalcedonenſes (*3. part. Con. Chalced. num. 11.*) id confirmant in littera ſynodica ad S. Leonem: *Confirmavimus autem & 150. Sanctorum Patrum regulam, qui Conſtantinopoli congregati ſunt ſub piæ memoriæ majore Theodoſio; quæ præcepit poſt veſtram Sanctiſſimam, & Apoſtolicam Sedem honorem habere Conſtantinopolitanam.* Quia vero abſentibus S. Leonis Legatis hic Canon ſtatutus fuit, hi reclamarunt. Horum proteſtatio a S. Leone protecta adeo valuit, ut inter acta Concilii ab ipſis Græcis Canon ille non habeatur. Quamobrem Dionyſius exiguus, Theodorus Anagnoſte, & Theodoretus, in præſatorum Canonum collectione, Canonem XXVIII. omittunt, quamvis Photius, & Zonara illum interpolaverint. Animadverte hic Picenine reverentiam illis temporibus Romanæ Sedi delatam. Anatolius, cujus gratia ſtatutus fuit Canon ille, cum eſſet Conſtantinopolitanus Epiſcopus, totum ſe committit auctoritati Leonis, a qua, necne, confirmandus erat Canon ille: *Cum & ſic geſtorum vis omnis, & confirmatio, auctoritati veſtræ Beatitudinis fuerit reſervata.* S. Leo hunc Canonem confirmare detrectavit ex cauſis ſuo loco referendis: & Gelaſius ejus exemplum imitatus eſt, negans & ipſe confirmationem. Illis itaque temporibus Concilia exſpectabant ab Epiſcopis Romanis geſtorum confirmationem; eaque rata dumtaxat habebantur, quæ ab iſtis fuerant approbata.

17. Fas eſt modo ab impoſita blaſphemia Gelaſium abſolvere. Gelaſius (ut *Tom. 2. Concil. ſuper acta Concil. Chalced.* habetur) declaravit peccatum contra Spiritum Sanctum remiſſibile pœnitenti. Hæc ne blaſphemia? Per te igitur Picenine aliquod habetur peccatum nullo pacto remiſſibile? Hoc ſi ſentias, doleo te Calviniſtam ſimul, & Novatianum. Enimvero non blaſphemavit Gelaſius, ſed ex ore Chriſti locutus eſt; qui ampliſſimam Eccleſiæ poteſtatem contulit remittendi quæcunque peccata. (*Jo. 20. 23.*). *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* (*Matth. 18. 18.*). Profecto tu cum Calvino tuo blaſphemas (*lib. 3.*

Inſt.

Inſt. cap. 3. ſ. 22.) deteriori ſenſu a Novatiano textum illum S. Matthæi (*cap.* 12. 31.) interpretando. Novatiani quippe inficiabantur peccatum contra Spiritum S. auctoritate Eccleſiæ poſſe abſolvi, ſed a Deo remiſſibile aſſerebant; tu vero & ab Eccleſia, & a Deo negas poſſe remitti. Quomodo autem intelligi debeat textus iſte, ex Patribus accipies, qui Novatianos oppugnarunt: nimirum Athanaſio, Paciano, Ambroſio, Chryſoſtomo, Auguſtino: niſi effutias his etiam illos erraſſe. *Pag.* 65. D. Thomam incuſas Chriſto affixiſſe *importunitatis* notam. Huic calumniæ occurrerem, ſi textus locum diligentiori calamo adnotaſſes. Si vero te referres ad illa verba Opuſc. 20. cap. 10. *Utitur* (Chriſtus) *in Joanne quadam importuna interrogatione, ter quærens a ſuo ſucceſſore B. Petro, quod ſi ipſum diligit, gregem paſcat*; reſpondeo D. Thomam importunam dixiſſe petitionem Chriſti, quo S. Paulus ad Timotheum (2. *ad Timoth.* 4. 2.) dixit: *Prædica verbum, inſta opportune, importune*. Ideſt, opportune Timotheo; importunus is licet videatur auditoribus. Vellem te accuratum magis & fidelem in allegationibus. Bellarminus non *cap.* 43., ſed 45. *de Monachis* ſcribit *Chriſtum victitaſſe eleemoſynis*. Hæc blaſphemia? Equidem Evangelium id aſſerit. Chriſtus aſſumpſit humanas omnes infirmitates, non morales, ſed naturales, quibus verus agnoſceretur homo noſtri ſimilis. Quæſitus fugit, ut exemplo probaret quod docuit (Matth. 10. 23.): *Cum perſequentur vos &c.* Nummos communes ſaltem retinuit, ex eadem exempli cauſa. Hoc ſenſu locutus eſt Nicolaus IV. Videatur *Extrav. Joan. XXII. Quia quorundam, tit.* 14. 5. Nonnullis Sanctis tribuere quæ de Chriſto non habemur, nec minimum derogat, immo confert ſanctitati Chriſti, qui ſolus movet, & perficit Sanctos ſuos, quo caput membra, quorum honor ipſi debetur. Paradigmata inter Sanctos & Chriſtum, quadam ſobrietate, & proportione accipienda ſunt, aliter temeritatem ſapiunt, nec a me probantur. Sit tandem controverſiæ finis. Satis ſit retexiſſe, quæ de Calvino a noſtris referuntur, vera & probata eſſe; quæ vero a te noſtris objectantur, falſa & erronea.

18. Reliquum hic inquirendum foret, *num Proteſtantium Religio terrena ſit in patronis ſuis, nimirum in Principibus, qui eam tuentur*. Neque arduum mihi oſtendere, terrenis cauſis allectos fuiſſe ad ſectam vel Lutheri, vel Calvini protegendam, & amplexandam. Verum de Principibus, etiam demortuis, mentem, & geſta ſcrutari nolo. Hoc cordi mihi eſt, veritatem meæ Religionis rationibus tueri adverſus Picenini calumnias. Principes, qui ab Eccleſia Romana, cum regnis, & provinciis ſuis defecerunt, ab illo jam Regum Rege judicati ſunt, qui & in Lutherum, Calvinum, & Aſſeclas ſuos animadvertit; & nunc jam (heu ſeriſſime) norunt, ſi iſtos ſectando honeſtaverint doctrinam Chriſti, vel profanaverint. Nec plura. Qui vero curioſo genio indulgere vellet, *Varillas* legat in libro ſuo inſcripto: *Revolution arriveè en Europe en matiere de Religion*.

§. IV.

De temporali dominio Eccleſiæ.

19. AUdio te jam audacter petentem pag. 71. *Cur Papa retinet temporale dominium, illi a Chriſto vetitum?* Siſte Jacobe mi. Ubinam legis a Chriſto Eccleſiæ ſuæ impoſitum non poſſidendi præceptum? Forte (*Matt.* 10. 9.) *Nolite poſſidere aurum, neque argentum &c.* Si ita; Epiſcopi qui nonnullis veſtris Eccleſiis incubant, cur poſſident? Prædicantes, & Miniſtri veſtri ad alendas uxores, & filios profecto poſſident. Hi autem (per te veri Apoſtolorum ſucceſſores) nullo conſtringuntur præcepto; & Papa, Cardinales, Epiſcopi eo gravantur? Porro lege .. Auguſti-

Auguſti-

guſtinum (*lib. 2. de Conſ. Evang. cap. 30.*) & verum capies ſenſum. Obſervaſtis (ait S. Doctor) quod Chriſtus ad illa verba *Nolite poſſidere aurum, neque argentum &c., continuo ſubjecit: dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Unde ſatis oſtendit cur eos hæc poſſidere, ac ferre noluerit: non quod neceſſaria non ſint ſuſtentationi hujus vitæ; ſed quia ſic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonſtraret ab illis ipſis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent; tanquam ſtipendia militantibus, tanquam fructum vineæ plantatoribus, tanquam lac gregis paſtoribus. Unde Paulus dicit: Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit?* En juſtum titulum, quo Eccleſia, & Papa ſupremus ejus Miniſter poſſident. Eccleſiæ redditus ſunt devota fidelium legata pro alendis Miniſtris. Provinciæ, urbes ſub ditione Romanæ Eccleſiæ ſunt teſtamentariæ diſpoſitiones; ſunt liberalia Principum dona; ſunt fructus vineæ Chriſti plantatæ a ſucceſſoribus Apoſtolorum; ſunt lac gregis, quem hi paſcunt; ſtipendia ſunt militum Chriſti; ſunt denique fundus, & ſors quædam, qua Eccleſia uſa eſt ſemper in ſubſidium Principum contra aggreſſores gregis, & vineæ Chriſti; ut teſtantur expeditiones inſtructæ adverſus Infideles ad recuperandam Terram Sanctam, & repellendum Turcam: quarum cauſa Eccleſia Romana largiſſima ſemper contulit, & confert ſubſidia.

20. *Nullum de hoc Mundo Chriſto dominium. Cur ergo id affectat Papa qui Chriſti Vicarius dici vult?* Sic blateras pag. 71. Chriſtus de hoc Mundo nullum habuit regnum; & vos Proteſtantes regimen Eccleſiæ, & capitis prærogativam Angliæ Regibus, Principibus, Magiſtratibus conceditis, qui latiſſimis dominantur terris? Tu ipſe, Jacobe mi, qui Jeſu Chriſti Miniſter tam magnifice gloriaris, cur ſicut Chriſtus vel minimi temporalis dominii expers non vivis miſere? Quamobrem qui Papas inceſſis Fraticellos injuria damnaſſe qua hæreticos, *quorum ſecta illicitum Sacerdotibus dominium, & purpuram docebat*: ſi exemplum Chriſti hi ſequebantur, cur non eos imitaris, & cum Prædicantibus, & Comminiſtris tuis ad normam Chriſti, & Apoſtolorum mendicam tibi non eligis vitam? Fraticelli pariter Papam oderant, *cæleſtem* doctrinam, & infallibilem habere jactabant, & pro ſecta ſua mortem oppetitos Martyres commendabant. Chriſtus dominium non habuit; ſed chriſtiana pietate oblatum habere non prohibuit, cum & ipſe ſponte oblata reciperet. Verum de his ſermo erit Tom. 2. part. prima ar. 2. §. 12. num. 54.

21. *Petro* (ais pag. 71.) *non erat aurum. nec argentum*. Eccleſiæ tamen a fidelibus oblatum recipere, ſicut & Chriſtus auri tributum ſibi a Magis præſtitum, non recuſavit. Fideles pietate, & affectu commoti erga Apoſtolos, venditis agris, & ædibus ſuis, horum pretium projiciebant ad pedes Apoſtolorum; qui juxta indigentium neceſſitates illud diſtribuebant, ut inter illos *neque quiſquam egens erat.* (*Act. 4. 34. & 35.*). Praxis ne iſta inter Proteſtantes? Neminem latet nec ne ſit. Normam itaque Apoſtolicam dicunt, quam non faciunt. Porro audi qua ſeveritate utebantur Apoſtoli. Quia Anania cum Saphira uxore fraudantes de pretio agri venditi, quandam partem tantum ad eorum pedes detulerant (*Act. 5. 2.*), tam terrifico fragore vocis eos Petrus objurgavit, ut unus poſt alium *cecidit, & expiravit*. Heu me ſi Papa id attentaſſet! Terrore occidere fraudantem pretium? Quid diceret pſeudoreformatio? Petrus tamen non dubitavit facere; ex quo *factus eſt timor magnus in univerſa Eccleſia*. Hæc Apoſtolorum praxis ex diſciplina Magiſtri, qui pauper victitabat; non ita tamen quaſi nil acciperet a fidelibus oblatum, nec in communi ſaltim cum Apoſtolico collegio quidquam poſſideret. Videatur apud D. Jo-

an-

annem (*cap.4.8., & 12.6.*) ubi D.Auguſtinus (*Tract. 62. in Joan.*): Loculos habebat Judas. *Habebat ergo & Dominus loculos & a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſtica pecunia forma eſt inſtituta.* Optime (ais pag. 68.). *Antiqui Epiſcopi Evangelium prædicabant congruenti ſtipe contenti. Nuperi autem non ita. Principum more ali volunt, & ſplendido ſumptu. Reprehendebat jam Bernardus Eccleſiaſticorum faſtum, qui ſaginabantur pauperum bonis; & prætextu miniſtrorum Chriſti, Antichriſto ſerviebant. Proponebat jam Durandus ann. 1300. minuendos eſſe Eccleſiaſticorum redditus, & idipſum Franciſco I. Galliarum Regi ſuadebat prudens quidam a conſiliis. Brevi (ajebat quidam Statiſta) laicorum bona ad Eccleſiaſticos transferrentur, niſi provideat aliquis Imperator egregius, revocando Conſtantini donationem, Clericos ad ſtatum Fratrum mendicantium lege lata coercendo, Papas & Cardinales ad normam vitæ Chriſti, & Apoſtolorum, quorum fantur ſucceſſores.* Plane ſic Picenine loqueris, tuarum partium indulgens genio deprædandi Eccleſiam, ut Principum quorundam animi hac eſca pelliciantur. Verum ſi Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum bona proſcriberentur, in quorum uſus a piis Pſeudoreformatoribus erogarentur? Pauperibus ne omnia; vel meliora in profanos uſus? Non latet quæ diſſipatio fiat de uſurpatis a Lutheri, & Calvini diſcipulis. Sed opportune de his alibi. *Antiqui Epiſcopi mediocri ſtipe contenti erant.* Epiſcopi etiam multi hac ætate pauperes habent Eccleſias, quæ vix ad congruam eorum ſuſtentationem ſufficiunt. Si vero alii præſint Eccleſiis auctioribus dotatis redditibus, non capio cur ſibi, Eccleſiæ, & pauperibus ea retinere non poſſint. Tibi forte elargienda forent, ut Principis cultu, & magnifico ſumptu (ut ais) inter tuos Pſeudoreformatos egregie vivas? Si hujuſmodi quis abutatur, ut Divus Bernardus improperabat, (quamquam citato a te loco *lib. 3. de Conſid. cap. 5.* id minime legatur) nec porro inferebat Eccleſias deprædandas eſſe, ut earum proventus in profanos uſus impendantur. Nunquam hæc eſſe poterat Bernardi ſententia: bene vero (ut tu ipſe fateris) alicujus *Statiſta*, vel melius diceres *Atheiſta*. Ad ea Durandi impedis reponere, tua omiſſæ citationis negligentia.

22. *Si Chriſtus* (ſic pag. 71.) *tributum ſolvebat Cæſari, cur Papa illud exigit a chriſtianis Principibus? Cur ritu monarchico incedit triplici redimitus corona? En Monarcham gravi ſupercilio Legatos Principum excipientem. Si Paulus Romam regrederetur, tam magnifico faſtu Papam ornatum proſpiciens, videre ſibi videretur in throno Cæſarem &c.* Singulis gradatim occurramus. *Chriſtus tributum ſolvebat.* Equidem ſolvit, ut refert S. Matth. (17. 24. 25. 26.), *jure* tamen non teneri faſſus eſt, tantumque *de facto* ſolvere, ne ſcandalum, vel anſam præberet invidis ſuis ipſi detrahendi. Factum expendamus. *Acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* Quo audito *prævenit eum Jeſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies ſtaterem; illum ſumens, da eis pro me, & te.* Sciebat ergo Chriſtus Eccleſiam ſuam, in ſe, & Petro repræſentatam, non ſubeſſe tributo. Audiamus D. Auguſtinum (*lib. 1. quæſt. Evang. cap. 23.*): *Quod dixit ergo liberi ſunt filii, in omni regno intelligendum eſt liberos eſſe filios, ideſt, non eſſe vectigales. Multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filii regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena.* Si ſcire averes hujus Eccleſiaſticæ Immunitatis antiquitatem etiam apud Gen-

tiles

tiles, lege Dionyſium Halicarnaſſeum *lib.2. Antiq. Rom.*, itemque *c.* 47.*Geneſeos*, ubi excipies quod cum emiſſet Joſeph regio fiſco omnem terram Ægypti, vendentibus Ægyptiis præ magnitudine famis, Sacerdotum terræ immunes fuerunt: immo Sacerdotibus *ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*. Reſtitutis proinde poſſeſſionibus antiquis ſuis dominis, hac conditione, ut quinta pars fructuum Regi penderetur, terra Sacerdotalis *libera hac conditione fuit. Hoc autem ideo æquum eſt* (ait D. Thomas *ad Rom.* 13. *lect.* 1.) *quia ſicut Reges ſolicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita miniſtri Dei in ſpiritualibus: & ſic per hoc quod Deo in ſpiritualibus miniſtrant, recompenſant Regi quod pro eorum pace laborat.* Ad hæc. Tributum a Petro pro ſe, & Chriſto ſolutum, neutiquam favet tuæ præſumptioni, qua laicorum vectigalibus Eccleſiam & Papam adſtrictum velles. Tributum quippe ſolutum a Petro, non profanum Cæſaris, ſed Templi ſacrum erat; quod offerebatur Deo in uſus Tabernaculi, & Templi, ut habetur Exodi *cap.* 30. *v.* 12. 13., & 2. *Paralip. cap.* 24. *v.* 5. 6., ut explicat Joſeph Hebræus *lib.* 7. *de Bello Judaico cap.* 26., quod tributum in ævum uſque Veſpaſiani impendebatur. Jeroſolyma inde, & Templo diruto, ad uſum Capitolii translatum fuit: ſive, ut placet Hilario in eundem textum, *hoc omni Iſrael lex pro redemptione animæ & corporis conſtituerat, in miniſterio Templi ſervientium*. Vel itaque (conformius Scripturæ) tributum illud in ſervitium Templi, & Tabernaculi cedebat, qua ratione Deo, non Principi debitum, mirum non eſſet (ſi tamen eſſet) Sacerdotes vectigales fieri: vel (ut Hilarius cenſet) *in miniſterium Templi ſervientium*, qua ratione Sacerdotibus, & Levitis debebatur, non his impoſitum, ſed populo. Ex ejus igitur ſolutione facta a Chriſto, inferri minime poteſt Eccleſiaſticos vectigalibus quibuſcunque profanis in ſervitium Principum obſtrictos fieri. Etſi vero profanum fuiſſet tributum illud, attenta tamen declaratione Chriſti, tributa nempe ab extraneis, non a regum filiis exigi; ipſumque juſſiſſe quidem Petro tributi ſolutionem, unice tamen ne ſcandalizaret exactores, non quod a ſe, vel a Petro ſolvendum jure cenſeret; facile appareret Petri ſucceſſores, & Eccleſiaſticos omnes a quovis tributo immunes haberi. Tunc porro Chriſtus, licet non adſtrictus, ad vitandum ſcandalum, tributum ſolvit; quia, ut optime advertit Baronius *ad ann.* 33. *num.* 22. *Tunc venerat implere legem, & nec dum a Patre acceperat gentes hereditatem ſuam. At cum ille Rex Regum Mundo innotuit, & regale inſtituit Sacerdotium, quanam jubeſt ratio vitandi ſcandalum, ſi tributum a ſuis Sacerdotibus non ſolvatur? Unde & Hieronymus optime hoc in loco* (*Matth.* 17.) *nos, inquit, pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis a vectigalibus immunes ſumus.* Hæc Baronius. Eccleſia autem, & Papa quam plene facilis & liberalis ſit, exemplo Chriſti, in conferendis ſubſidiis, & reparandis neceſſitatibus Principum, & præſertim chriſtianæ Reipublicæ, videri poteſt *Can. Si tributum cauſ.* 11. *q.* 1. & *Can. Secundum cauſ.* 23. *q.* 8., cujus rei & Principes ipſi, & eorum aulici teſtes ſunt.

23. *Cur Papa monarchico ritu incedit triplici redimitus corona?* Papa, ut oſtendam, externam Jeſu Chriſti perſonam gerit, non inter nos mortalem, ſed beatam, & Regis Regum; idcirco merito Eccleſia triplici ſe cinxit corona; maxime cum D. Petrus (*Epiſt.* 1. *cap.* 2. 9.) Sacerdotalem poteſtatem vocet *Regale Sacerdotium*. In Throno, quo Papa inſidet, maieſtas, & poteſtas Jeſu Chriſti Regis, & Monarchæ noſtri a nobis colitur. Ad hunc Principes & Reges terræ, qua chriſtifideles, Legatos ſuos mittunt; qui non tyrannico faſtu, ſed paterna benignitate recipiuntur. Coram illo Reges terræ ponunt coro-

coronas ſuas, id præſtantes quod Magi Chriſto; vel quod XXIV. illi ſeniores a S. Joanne in Apocalypſi (*cap.* 4.) viſi, qui aureis cincti coronis *preſidebant ... ante ſedentem in throno ... & mittebant coronas ſuas ante thronum*, quorum exemplo Chriſtiani Reges procidunt cum coronis ſuis ad pedes Chriſti in perſona Vicarii illius. Non hæc igitur faſtus ambitio, ſed pietatis honor debitus ab Imperatoribus, & Regibus; qui hac religioſa humiliatione, nedum nil propriæ detrahunt majeſtati, quinimmo ſerta ſua ornant cæleſti pietatis ſplendore. Si Paulus ſanctus id proſpiceret, non videre ſibi videretur in throno Cæſarem, ſed Jeſum Chriſtum adoratum in terris in ejus Vicarii perſona, ad modum quo in cælis colitur. Uſus autem Tiaræ, vel Pontificiæ coronæ, non faſtus, vel ſuperbiæ affectatio eſt; ſed juxta quoſdam Clodovei donum fuit Anaſtaſio factum, ut habetur ex Sigiberto *ad ann.* 510., & Aimonio Monacho *Hiſt. Galliæ lib.* 1. *cap.* 24. Verum ab aliis auctoribus antiquiſſimum fertur privilegium a Magno Conſtantino conceſſum. Sic *Diſt.* 96. *cap.* 13. & 14. relatum fere in integrum a Leone IX. *lib. adverſus inauditas Michaelis præſumptiones;* ab Adriano *Epiſt. ad Conſtantinum*. De quo Ado, & Gotofredus in *Chronic.* citati a *Rava tom.* 1. *pag.* 7. Quo conſtat priſcorum Imperatorum pietas, qui intenti erant ad promovendam, & ornandam Papæ dignitatem, quam modo Proteſtantes oppreſſam, & qua poſſent perditam vellent.

24. Non Papæ *uſurpatores cum obedientiam repetebant ab Eliſabetha Angliæ Regina*, ſicut neque dum illam repetunt ab aliis Principibus qua Chriſtifidelibus. Illa ſane, & ejus Pater Henricus VIII. veri uſurpatores, tunc cum nefando exemplo Eccleſiaſticam poteſtatem ſummo Sacerdoti rapientes, nedum Regni, ſed Anglicanæ Eccleſiæ ſuprema capita auſi ſunt velle inaugurari. Sit *Eliſabetham non aſſumpſiſſe ſupremi capitis Anglicanæ Eccleſiæ titulum* uſurpatum ab Henrico VIII. ejus Patre, quanquam a Tuano lib. 15. hiſt. feratur: *Eliſabetha, recepto a Patre, & fratre titulo, Eccleſiæ caput per Angliam cœpit appellari*; id tamen non moderationis, ſed muliebris conditionis cauſa non intentavit: monſtrum quippe horrendum ingens videbatur mulierem Eccleſiæ caput appellari. De mulieribus Scriptura loquens habet: *Non permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* (1. *Cor.* 14. 34. *et* 35.). Ceterum Eliſabetha dimiſſa vani nominis ſpecie, ſibi tamen aſſumpſit juriſdictionis poteſtatem, ac ſupremam gubernatricem Anglici regni, tam in temporalibus, quam ſpiritualibus agnoſci voluit. Nec *fabula hæc* (ut ais) *a Jeſuita ſomniata*. Sanderus (*de Schiſm. Angl. lib.* 3. *pag.* 369.) odioſus tibi auctor, quia verax, authentice refert juramenti formulam, ſub pœna capitis ab Eliſabetha ſubditis præſcriptam: *Ego N. prorſus teſtifficor, & declaro in conſcientia mea, Reginam eſſe ſolam ſupremam gubernatricem & iſtius regni Angliæ, & aliorum omnium ſuæ Majeſtatis dominiorum, & regionum, non minus in omnibus ſpiritualibus, atque Eccleſiaſticis rebus, vel cauſis, quam temporalibus; & quod nemo externus Princeps, vel perſona, vel Prælatus, ſtatus, vel potentatus, aut facto, aut jure, habet aliquam juriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præminentiam, vel auctoritatem eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc Regno. Ideoque plane renuntio, ac repudio omnes externas juriſdictiones, poteſtates, ſuperioritates, atque auctoritates*. In hac formula diſſimulatio nominis capitis, politica tergiverſatio fuit ad compeſcendos tumultus, & ſimplices eludendos, non (ut blateras) Eliſabethæ temperantia: *Quæ non affectabat auctoritatem Pontificiam, & definitivam fidei, ſed tantum præceptivam; cum Principes vigilare teneantur, an religioſi munus ſuum adimpleant*. Quamobrem expedit nodum hunc extricare, & fraudem detegere.

re. Enimvero me non latet, Proteſtantes Principes nullatenus arrogare ſibi auctoritatem *ordinandi, Sacramenta adminiſtrandi, prædicandi Evangelium*: quæ cum ſit poteſtas ordinis, vel miniſterii, a laico non ordinato, ſive non aſſumpto, exerceri nequit. Verumtamen nec te Domine Jacobe latere debet, auctoritatem capitis Eccleſiæ non meram ordinis facultatem, ſed præſertim poteſtatem eſſe juriſdictionis. Poteſtate ordinis, videlicet Sacramenta conferendi, prædicandi Evangelium, omnes Apoſtoli pares erant. Unus autem Petrus (utpote caput) & poſt ipſum Papa, præter ordinis poteſtatem, univerſalem ſuper omnes habet juriſdictionem. Quapropter Eliſabeth, uſurpata jam poteſtate & auctoritate juriſdictionis in omnibus *Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus*, quid, præter vacuum nomen, de ratione capitis Anglicanæ Eccleſiæ ipſi deerat? Definire dogmata; novos ritus & preces inſtituere; Epiſcopos ſuo nutu mobiles creare, cum onere ſuſcipiendi omnem ab ipſa juriſdictionem; novas condere Eccleſiaſticas leges; judicare de re quacunque Eccleſiaſtica: hujus generis auctoritas non eſt mera vigilantia continendi Eccleſiaſticos in ſuis officiis. Hæc tamen omnia Eliſabetha & voluit, & exercuit, ut conſtat ex legibus anno primo regni ſui editis. Quidquid tamen ſit, vel ipſa caput, vel gubernatrix haberetur, mulieribus certe Eccleſiæ regimen vetitum fuit ſemper; & Chryſoſtomi effatum celebre eſt (*lib. 2. de Sacerdotio*): *Cum de Eccleſiæ præfectura, deque credenda tot animarum cura agitur, recedat a magnitudine tanti negotii totus femineus ſexus.* Quæ autem *cæleſtis* ſapientia erit, ſupremam rei Eccleſiaſticæ auctoritatem a ſummo Sacerdote diſtrahere, eamque terreno Regi, & feminæ tenus tribuere? Hæc ſane *terrena* penitus. Quod Reges, qua Reges, obſequium Deo præſtent, bona etiam religionis promovendo, mala coercendo; id verum, & ab Auguſtino probatum (*lib. 3. cont. Creſcon. cap. 51.*): *Reges ... Deo ſerviunt in quantum reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam religionem.* Sumendum id tamen eo ſenſu, quo ab eodem S. Doctore ſumitur. Neque enim id aſſerit, quaſi apud Imperatores auctoritas, & juriſdictio rei Eccleſiaſticæ, & religionis reſideat; ſed ut Imperatores, & Reges legibus ſuis ſubſidium, & brachium præſtent Eccleſiæ ad retundendam eorum audaciam, qui ab ipſa ut hæretici damnati ſunt, & ad hos coercendos, ut Eccleſiæ imperata faciant; ut cum Donatiſtis accidit, qui jam proſcripti ab Eccleſia pervicaciores effecti, imperatoriis edictis conſtringi debuerant, & puniri. Quod pariter factum eſt a Ludovico XIV. adverſus Ugonottas; nec tamen ſupremam religionis auctoritatem ſibi, ut Eliſabetha, arrogavit. Declaratio Parlamenti a te relata, videlicet quod *collatione ſummi gubernii regiæ majeſtati facta, tantum ipſi tributum intendebat, quod illi a Deo in Scripturis erat conceſſum*, velamen fuit puſillorum oculis impoſitum, ne perhorreſcerent edicti deformitatem. Si regiæ majeſtati collatum fuiſſet quod a Deo ipſi conceditur, nunquam chriſtianus orbis id velut inauditum horrificum monſtrum deteſtatus eſſet. Polydorus Virgilius (*hiſt. Angl. lib. 27.*) hæc habet: *Interea habetur Concilium Londini, in quo Eccleſia Anglicana formam poteſtatis nullis ante temporibus viſam induit. Henricus enim Rex caput ipſius Eccleſiæ conſtituitur; eique ob id munus primi fructus omnium ſacerdotiorum vacantium, ac corundem decima quotannis perpetua aſſignantur.* Quod autem magni a te faciendum erat, Calvinus ipſe id ceu blaſphemiam execratus eſt, in cap. 7. ſupra Amos: *Qui initio tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ, certe fuerunt inconſiderati homines; dederunt illi ſummam rerum omnium poteſtatem, & hoc me ſemper graviter vulneravit. Erant enim blaſphemi,*

eum vocarent ipſum ſummum caput Eccleſiæ ſub Chriſto; proinde oſtendit *Reges ſi fungantur ſuo officio, eſſe & patronos religionis, & nutritios Eccleſiæ*, quales eos Iſaias vocat 49. 23.; aſt plus illis dare, eſt iſtos reddere „ nimium ſpirituales, & fovere il- „ lorum ambitionem, ac Eccleſiaſti- „ cum omne regimen evertere „. Cum igitur tu Anglorum geſta in hac parte aſſumis defendenda, vel ignarum Calvini doctrinæ te prodis, vel tui magiſtri deſertorem. Nec profecto titulus capitis Regibus ſuis conceſſus bene unquam audivit apud Anglos. Puritani illud inceſſunt; & quamvis in ipſum jurent, ſpreto juramento non credunt. Qui vero jurant & credunt, in quo vere conſiſtat ignorant. Aliquorum ſententia Rex habet Eccleſiaſticam juriſdictionem externam, aliorum autem non ita. Nonnulli aſſerunt Regem poſſe ſynodos cogere, alii non poſſe. Quidam agnoſcunt in ipſo ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticas condendi leges, beneficia conferendi Eccleſiaſtica, Epiſcopos creandi, & deponendi, contumaces ſubditos excommunicandi: quidam vero hæc negant. Supremus controverſiarum judex hinc inde contenditur. An ratio capitis Regi proprie debeatur, quia unice Rex, an quia chriſtianus Rex, dubia res eſt. Dubitant pariter num Primas ſpiritualis, & eccleſiaſticus, vel Primas tantum ſpiritualium, eccleſiaſticarumque rerum appellari debeat. In ſumma, hæc nova capitis dignitas cuncta miſcet, & turbat. Videatur Becanus *tom.* 3. *Opuſc.* 5. Hinc dicere me poſſe reor, ipſa diſſidia inter hujus tituli aſſertores, ejus falſitatem latius evincere.

§. V.

Alia Picenini mendacia, & falſitates.

25. **A**Polog. pag. 73. aſſeris *quotquot ex tuis ad noſtras partes veniunt, utilitate, & terrena delectatione trahi: nimirum deſiderio opima Abbatiæ, optimi Epiſcopatus.* Nonnullos quæſo indica mihi ex his qui a tuis ad noſtras acceſſerunt partes, Purpura, Epiſcopatu, vel ſupremo aliquo Eccleſiaſtico gradu adauctos. Confugientes ad fidei veritatem recipiuntur: verum ſane metu ne aliquo terrenno affectu allecti veniant, notantur, & ſobrie recipiuntur. Eccleſia porro Romana ſi illos pelliceret, ſicut olim Angliæ ſub Henrico, & Eliſabetha, ubi primi honores promittebantur his, qui eorum Primatui ſubſcribebant: quot hercle in Eccleſia Romana hujuſmodi haberentur catholici, ambitionis revera, non fidei! Cum autem ad nos venientes nil habeant quod ſperent, proprium quod habent amittant, patriam ſcilicet, & bona; non capio quam ob rem proferre audeas illos *utilitate trahi*. Aliquis ſane occurret vocatus ad regnum, catholicus inde factus: id tamen ambitioni velle tribuere, quin potius Dei miſerentis auxilio, hoc medio vocantis illum ad veram fidem; profecto eſt ſecreta mentis, & cordis ſcrutari, ſoli Deo manifeſta. Oculis equidem ipſe tuis intueri poteris, magnanimos viros regnis ſuis non timentes privari, ne ſe catholica religione privarent. Proteſtantes igitur nec ambitione, nec utilitate ad noſtra trahuntur. Num forte delectatione? Nil minus; neque enim ipſis accedentibus ſponſam illico dote ornatam conjungimus. Num conſcientiæ arbitrio? Haudquaquam; quinimmo plura ipſis committuntur præcepta a Proteſtantibus rejecta; nimirum confeſſio auricularis, jejunia quadrageſimæ, ac aliæ auſteritates; & illud uſque (licentioſæ pſeudoreformationi intolerabile) onus obedientiæ Papæ præſtandæ, & tribunali Inquiſitionis &c. Quapropter qui ex tuis ad nos tranſeunt, non video alia ratione trahi, niſi ex ſyntereſi, & afflatu Spiritus Sancti. Quot autem ex noſtris ad laxam declinant pſeudoreformationem, vel ex ſenſualitate, deſperatione, vel ambitione illuc

confluunt, qui ut plurimum ſunt magis effrænes, & improbi. Veniunt quippe ad vos avidi illa licentia vitæ, quæ apud nos obedientia coercetur. Hinc religioſa clauſtra aliquas qualeſcunque gratias vobis debent, cum ſic a ſordibus, & deteriori fæce evacuentur; quibus optime convenit illud S. Ambroſii lib. 3. Epiſt. 25. *Hic poſiti primo jejunabant, intra monaſterium continebantur: nullus erat luxuria locus. interdicta ludibrioſa diſputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt...*

26. Apolog. pag. 73. *Nobilibus utilem eſſe ais Romanam religionem. Cui duæ ſunt filiæ; una in clauſtris ſepulta, poteſt altera ampliori dote ornari.* Jam (ut ſoles) cælum & terram miſces, ſtatuta, & pravos mores. Quis unquam illorum probavit tyrranidem, qui filiæ voluntati illata vi, ad clauſtra compellunt? Eccleſia Romana id execratur, & ſanctiſſimis legibus, ne fieret, providit. Inſtitutum tamen ſanctum eſt, & cæleſtis *Sapientia* a Divo Paulo tradita (1. *Corinth.* 7. 38.), & miror de te id negante, qui ejus doctrinæ affectas adhærere. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam* (hæc S. Pauli verba ſane apertiſſima) *bene facit. & qui non jungit melius facit. Catholica Religio* (inſtas ibidem) *allicit ſpectaculis, theatris, ſupplicationibus* (vulgo proceſſionibus), *Eccleſiarum magnificentia, Oratoriis ornatis, auratis Sacellis.* Quid *ſpectaculis, & theatris* intelligis? Ludos ſcenicos, choreas, & hujuſmodi? Hæc etiam apud vos: neque ab Eccleſia mandantur, ſed permittuntur, & tolerantur. *Supplicationibus* vero proſectare populos, optimum videtur cultu, & pietate religionem promovere. Quid porro *in magnificis Templis Oratoriis Sacelliſque auratis* te offendit? Forte quod Deus in ſe, & in Sanctis ſuis ſplendidiori pietate, & variis ritibus colatur? Forte quod aliquantula pars ex tot a Deo optimo maximo nobis collatis bonis ipſi reddatur? Non ignoramus (*Actor.* 17. 25.) dictum: *Non in manufactis templis habitat; nec manibus humanis colitur indigens aliquo;* at etiam habemus (2. *Reg.* 7. 6.) conqueſtum cum Davide, qui ſuæ domus ædificationi intentus, de Templo Dei non cogitaverat. Scimus a Salomone (3. *Reg. cap.* 5. 6.) excitatum ſibi Templum voluiſſe ſplendidiſſimo ornatu, & immenſa auri copia. Factum eſt ſane murmur de unguento a Magdalena in pedes Chriſti effuſo (*Marci* 14. 8.), ſed a Phariſæo, a Juda, & aliis tui ſimilibus, qui Magdalenæ pietatem furti erga pauperes ream cauſabantur (*Joan.* 12. 4.). Scias igitur quos imiteris, ſi de auro in Eccleſias erogato nos audeas criminari. Velles noſtras devaſtari Eccleſias, ut olim Germaniæ, Galliæ, Angliæ a tuorum furore factum fuit; ubi a ſolo Henrico VIII. mille, & mille deprædatæ numerantur. Aurum autem, & ſuppellectiles, quas ſuperfluas Eccleſiis blateras, mendicis ne dares? Immo regio, fiſco aurum, argentum, ceteroſque Eccleſiarum reditus adjungendos aſſereres, ad locupledandos theſauros Principum, ut hac ſpe negotium promoveant veſtræ ſplendoreformationis; quæ, ut optime advertit P. Segneri, nonniſi Eccleſiarum, & Monaſteriorum direptione, & præda incrementum accepit. Sic Henricum VIII. alioſque Principes ad veſtras partes pellexiſtis. Non is tamen veterum mos Imperatorum, & Principum. Eccleſiæ ab ipſis non deprædatæ, ſed ornatæ magnis ſumptibus, & adauctæ. Euſebium lege *lib.* 3. *&* 4. *de Vita Conſtantini*, Gregorium Nyſſenum *Orat. de Sancto Martyre Theodoro*, Nazianzenum *Orat.* 1. *in Julian.*, Chryſoſtomum *Hom.* 66. *ad Popul. Antioch.*, totque alios, qui Templa ab Imperatoribus magnifice erecta, & ditata narrant, eorum propterea commendantes pietatem. S. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſ.* 14. *n.* 14. hæc habet: *Hujus temporis Imperatores ſanctam hanc in qua ſumus Salvatoris Dei reſurrectionis Eccleſiam argento indutam, & auro infuſo diſtinctam exſtruxerunt, & pretioſis ex argento, auro,*

auro, & gemmis donariis exornarunt. Quocirca cum ornatus Eccleſiarum, & redditus condemnas, egregios hoſce viros, quos univerſa commendat antiquitas, cogeris reprehendere, eorumque *ſapientiam* in ornandis templis non *cæleſtem*, ſed *terrenam* oſtendere; quod tibi arduum maxime, & laborioſum erit.

27. *Quid referunt tot otioſi in clauſtris, monaſteriorum deliciis affluentes?* Sic *pag.* 74. Hi ſunt qui te exagitant. Otioſi hi, fallacias, & figmenta tua Chriſtiano Orbi detegentes, puritatem Eccleſiæ Chriſti cuſtodiunt. Clauſtra vocas *Arces erectas in præſidium Papalis Monarchiæ.* Jeſuitarum Ordinem dicis *inſtitutum ad tuendum Papale Imperium tunc adortum a reformatoribus; ferme jam dominantem domibus, & conſcientiis, qui cunctis inſinuat Papæ obedientiam deberi, & ſubditis rebellionem adverſus Principes.* Et hi in clauſtris *otioſi*? Non capis tibi inepte contradicere? *Deliciis* ex te monaſteria abundant. Blandæ ſane *deliciæ*, nudis pedibus pleroſque incedere, ſacco, oneroſo & rudi panno indutos, diu noctuque frequentare *horum*, mendice victitare, renuntiare omnibus, proprio uſque arbitrio! Hæc ne deliciæ? Verum hæc pati ais *pag.* 73., quod ſperant *Abbates, Epiſcopi, Cardinales, forte etiam Papæ fieri.* Si ad hæc munera paſſim aſſumerentur clauſtrales, garritus tuos quaverisimiles præterirem; ait quam raro clauſtrales ornantur his dignitatibus, a ſuo inſtituto alienis? Quot etiam oblatas renuunt, contenti uſque ad mortem ſui inſtituti auſteritatibus, jejuniis, afflictationibus conteri? Impertiuntur hæ dignitates benemeritis Eccleſiæ, poſt longam experientiam integræ ætatis ſervitio confectis. Hæc eſca qua Romana Eccleſia ſuos in fide tenet, labores, impenſæ, afflictiones, ſolicitudines: quibus exactis, interdum quiſpiam nullo hic obtento præmio, illud exſpectat a Deo promiſſum illi, qui *legitime certaverit.* Ah apologiſta mi, rationibus contende, ſi vales; & cohibe inordinatos affectus, te excæcantes.

28. Verum totus verſaris in tenebris; dum eo uſque deſipias, ut integrum caput ordine quintum tuæ Apologiæ inſtituas, ad objiciendum ſcandalum quod ex Eccleſia Romana Hebræi patiuntur. Neque tamen multa dicere cogito; inſipientum quippe verba non omnia excutienda. Ais igitur pag. 74. *Ignoſcat cælum his, qui induratos Judæos gravius indurant. Culpa tamen illorum eſt, quorum templa implent imagines, qui oſcula dant ſimulacris, qui inſenſatis rebus cultum exhibent divinum. Hebræi hoc divinæ legi contrarium incuſant &c. Concionatorem videre ad Crucifixum verſum oſcula figere, Meſſiam ſibi non incarnatum, ſed impanatum fingere, Deum paſtaceum adorare, comedere &c.* Leo Iſaurus, ne ſcandalo eſſet Hebræis, exterminare tentavit ſacras imagines; idem porro videre velles a nobis fieri. Quod Hebræi ſcandalum ſibi ſumant nedum de cultu imaginum, quam de omnibus quæ profitetur chriſtiana religio, haud dubium eſt. Verum aliud eſt, ut vulgo dicitur, ſcandalum *datum*, aliud ſcandalum *acceptum*. Hoc ſane Hebræis accidit; alterum a nobis minime committitur. Quid autem refert, Hebræos velle ex noſtris ritibus ſibi ſcandalum ſumere? Scandalizabantur etiam de doctrina Chriſti, nec tamen deſtitit eam proponere. Dixerat illis daturum carnem ſuam ad manducandum, ſanguinem ſuum ad bibendum: quibus verbis quale murmur, quale ſcandalum in turbis? Forte ne ſe continuit, ſe correxit Chriſtus? Quod ſcandalizentur Hebræi de me aſſerente in Euchariſtia carnem comedere, & ſanguinem bibere Jeſu Chriſti, quem ibi adoro; non illos curo, quos pariter ipſe Chriſtus neglexit. Sibiipſis imputent, ſi ſcandalum ſibi ſumere velint dum imaginem veneror, dum Crucifixum oſculor. Neque enim ſcandalum ipſis præſto, quoniam in imagine cultum prototypo, in Crucifixo Redemptori

meo

meo oſcula exhibeo. Ipſi id ſibi fingunt, dum me vel figmentum colere, vel lignum oſculari, & idololatram eſſe falſo arbitrantur. Si recte animadverterent, non ſcandalizarentur. Abraham quoque (*Gen.* 19. 1.) adoravit Angelos euntes ad excidium Sodomæ, quia Deum repræſentabant. Ipſorum etiam Majores imagines in Templo habebant, Sanctuarium, & Arcam adorabant, quia ibi ſua præſentia Deus aderat. Error ipſorum eſt, dum accuſant me *paſtillum adorare*; cum ipſis fatear Hoſtiam quam adoro, non paſtillum, ſed Corpus eſſe Domini mei Jeſu Chriſti.

29. Porro abſtines tu ab omnibus, quibus offenduntur Hebræi? His ſcandalum chriſtiana lex, doctrina Chriſti, adventus ejus qua Meſſiæ, ſua Crux, & Evangelium. Omnia ſcandalum ipſis. Quamobrem eorum ſcandalum ſi penitus impedire cogites, te abjurare Chriſtum, hunc Deum hominem negare fas erit; nec amplius gloriari in Cruce, quæ maximum eſt *Judæis ſcandalum*, ut ajebat S. Paulus (*1. Cor. 1. 23.*). Ipſis ſcandalum a quibuſdam cibis non abſtinere, quædam eorum non celebrare feſta, in ſumma Moſaicæ legis ritus non adimplere. Cur hæc porro non obſervas? Scandalo Judæis eſſe times? ergo Judæus eſto; tum nullum ſcandalum. Ah Jacobe mi, vos ſane ſcandalo Hebræis eſtis, nequaquam nos. Offenduntur, nec injuria, videntes vos tot contumeliis laceſſere ſummum Sacerdotem legis Chriſti, dum Sacerdotem Moſaicæ legis ipſi tam impenſe venerarentur. Id ſcandalum. Scandalizabantur Sadducæis, quos *hæreticos* vocabant, quia innixi ſoli verbo ſcripto, omnem rejiciebant traditionem, quam & vos rejicitis; & hoc ſcandalum. Scandalo habebant Samaritanos, quia poſthabito Jeroſolymitano Templo, ſolo a ſuis Majoribus venerato, aliud Templum, aliud Altare in monte Garizim erexerant. Vos ſpreta Romana Eccleſia, quæ eſt vera Eccleſia, alias Eccleſias ſine Altari malitia veſtra excitatis. Id ſcandalum. Vos peſtifero ſchiſmate unitatem Eccleſiæ laceraſtis, Chriſtum dividendo contra ſententiam Apoſtoli (*1. Corinth.* 1. 13.), & Judæi hæc vident. Hoc grave ſcandalum, inexcuſabile, undequaque vituperandum, ut nec omnibus calumniis tuis valeat occultari.

CAP. V.

Infelix Perſecutorum veræ Fidei exitus ſignum eſt hujus veritatis.

§. I.

Pſeudoreformatorum exitus.

1. INfauſti plerumque illorum caſus, qui Eccleſiam Chriſti vel terroribus, ut tyranni, vel erroribus, ut hæretici, exagitarunt, præbent Patri Segneri argumentum veritatis Eccleſiæ. Quocirca ſic ratio poteſt inſtitui: „ Vera eſt illa Eccleſia, cujus „ aggreſſores miſero interitu pereunt. Talis eorum interitus, qui „ Eccleſiam Chriſti præſertim Romanam vexarunt: ergo Eccleſia „ Romana vera eſt Eccleſia „. Aſſumptum probat P. Segneri, miſeros recenſens caſus omnium ferme perſecutorum Eccleſiæ; neve acta agam, ad ipſum me refero. Ratio hæc autem tibi Picenine in multis diſplicet. Quamobrem *Apol. cap. 6.* primo *audacem* appellas, *& ferme temerarium P. Segneri, qui ex auſpicato, vel inauſpicato hominum exitu, horum fidei veritatem, vel falſitatem hariolari contendat. Judicia Dei abyſſus multa. Impiorum non raro felix exitus, ſicut plurium juſtorum miſer interitus. Irene, Jeſuitis certe pia, & catholica femina, Nicænam rexit Synodum, & cultum imaginum introduxit in Græcam Eccleſiam; nihilominus a Nicephoro exauctorata Imperio, miſero fine extorris dies clauſit extremos.* Sic in ſumma blateras; extra rem ſane. Enimvero Pater Segneri nunquam

auſus

auſus eſt judicia Dei ſcrutari; novit quippe non ſemper bonis præmia, malis pœnam in hac vita divinitus ſtatui. Ex facto dumtaxat, & variis eventibus prudenti ratione ſic diſſerit: Facto conſtat, quotquot Eccleſiam inſectarunt, infauſto fine plerumque periiſſe. Credibile non eſt talem pœnam ex perſecutione falſæ Eccleſiæ tot plerumque fuiſſe inflictam: divinæ enim providentiæ mos non eſt aſſertores veritatis, & errorum hoſtes, perpetuæ infamiæ plerumque damnare; quinimmo vel miraculis poſt mortem, vel aliis mediis illos plerumque glorificavit. Apoſtoli enim mundo quondam deſpecti, & odibiles, & alii plurimi, nunc clarificati toto chriſtiano orbe venerantur. Ergo facto ſuadeor illos veram Eccleſiam afflixiſſe. Brevis, vel diuturna vita, ſors eſt manus Domini, æque ac fauſtus, vel infauſtus exitus. Brevis tamen plerumque vita ſub hac cæli plaga, diuturnior in illa, ſuadebit ſane tibi viro perſpicaciſſimo hujus vel illius climatis diverſam temperiem. Sic peſſimus finis plurium perſecutorum Eccleſiæ, intactis Dei judiciis, optimæ ſuadet Patri Segneri injuſtam veritatis perſecutionem. Ex fauſta Conſtantini morte hunc Deo carum probat Euſebius (*lib. p. de Vita Conſtant. cap. 3.*): *Impiorum quidem, Deique adverſariorum tyrannorum abominandos exitus nobis ob oculos propoſuit; famulo autem ſuo non vitam ſolum, ſed mortem feliciſſimam, & maximis laudibus dignam præſtitit.* Et D. Hieronymus ad illa Zachariæ verba 14. 12. *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adverſus Jeruſalem*, hæc habet: *Nos autem dicemus, omnes perſecutores, qui afflixerunt Eccleſiam Domini, ut taceamus de futuris cruciatibus, etiam in præſenti ſeculo recepiſſe quæ fecerint. Legamus Eccleſiaſticas hiſtorias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid ſæviſſimus omnium Maximinus, & nuper Julianus paſſi ſint, & tunc rebus probabimus, etiam juxta litteram, prophetiæ veritatem eſſe completam: quod computruerint carnes eorum, & oculi contabuerint, & lingua in pædorem, & ſaniem diſſoluta eſt.* Judaiſmi exterminium ex perfidia adverſus Chriſtum impletum, argumentum ſane certum nobis præſtat antiquæ legis abrogationis, & novæ inſtaurationis. Hebræi quoque aſſerent, perpetuam eorum calamitatem ad occulta Dei judicia pertinere; & audaciæ ac temeritatis incuſabunt Pſeudoreformatores, qui ſuam perfidiam, & iniquam perſecutionem Chriſti, ex ſuis afflictionibus, & ærumnis redarguunt. Audio Deum per os Job (*Job. 4. verſ. 8. & 9.*) comminantem: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus eſſe conſumptos*; per Salomonem (*Prov. 6. 12. 15.*): *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo ...... huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit ultra medicinam.* Totus legatur Lactantii liber *de Mortibus perſecutorum,* quo ex infauſto exitu perſecutorum Chriſtianæ religionis, iſtius veritatem probat; quod a ſe factum teſtatur *ut omnes, qui procul nati fuerint, vel qui poſt nos futuri ſunt, ſcirent quatenus virtutem, ac majeſtatem ſuam in perdendis, delendiſque nominis ſui hoſtibus Deus ſummus oſtenderet: quod clarius futurum eſt, ſi a principio ex quo eſt Eccleſia conſtituta, qui fuerint auctores, & quibus pœnis in eos cæleſtis judicis ſeveritas vindicaverit exponam.* Videatur etiam Tertullianus (*ad Scapulam, cap. 3.*). Factum Irenis aſſertum P. Segneri comprobat; quoniam infelix ejus finis immoderatæ dominandi libidinis pœna fuit; qua etiam fœdavit pietatem præſtitam reſtituendo (non *introducendo*) cultum Imaginum Græcæ Eccleſiæ.

2. Putabam te extremi fati fauſtam, vel infauſtam ſortem, a ſignis veræ, aut falſæ fidei totis viribus excludere, ut pſeudoreformationis auctores,

ctores,

ctores, quos peſſimo fine deceſſos omnes hiſtorici tradunt, a malæ fidei nota arceres. Verum deceptum me video; dum ſancto fine hos omnes quieviſſe, & contra ſentientes, falſum ſcripſiſſe audacter te audiam aſſerere. Lutherus itaque ex te ſancte obiit, & cælo habitat? Item Zuinglius, & Calvinus? Eja ſane ais. Quæſo nunc: Qui negaret articulum fidei neceſſario profitendum, ceu *fundamentalem* (ut vos dicitis) noſtræ legis articulum, opponens ſe directe verbo Dei; hic ne pie moritur? Lutherus fatebatur in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtum realiter præſentem, & *hæreticum* appellabat id negantem. Zuinglius, & Calvinus perfracte negabant; quo pacto igitur Calvinus, & Zuinglius in cælis ſimul habitant? Alteruter horum profecto hæreticus; hæreticum autem in Paradiſo Picenine collocas? Si placet tibi illic Calvinum. & Zuinglium habere, ejice Lutherum: ſecus ſuo hic ſeditioſo, & furenti ingenio, bella quæ Zuinglio intentavit in terris, excitabit profecto & in cælis. Lutherani cum Zuinglianis in cælo ſtare nolunt; quapropter dicente Petro Martyre in cælum Brentii recipi ſe nolle; Brentii partes aſſumens Scluſſemburgus, ait (*lib. 2. ar. 1.*): *Ergo manendum tibi erit Martyr in cælo Zuinglii, cum Hercule, & Socrate, ideſt in Inferno, ubi tu Martyr, perpetuus Diaboli martyr eris.* Maneant tamen hi ubi jure merito manent.

3. Omnes itaque, *Lutherus*, *Calvinus*, *Oecolampadius*, *Bucerus*, *Carloſtadius in Domino obierunt?* Indubie, ais pag. 77. *Lutherus, ut fatetur Sleidanus verax ſcriptor, 17. Februarii afflictatione pectoris cruciari cœpit. Cœnam tamen fecit cum domeſticis ſuis, præſente Juſto Jona collega ſuo. Cœna ſanctis colloquiis condiebatur. Inter alia quæſitum fuit*, num fidelis alium agnoſcet in cæleſti vita? *Antequam cubitum iret, vale dixit amicis ſuis, præter alia hæc ſubdens: Deum precamini, qui ſui Evangelii lucem in vobis ſervet. Media nocte experrectus, pectoris anguſtia graviter oppreſſus, imminentem enuntiavit domeſticis finem ſuum: poſt quæ oravit ad Deum, ipſi commendans ſpiritum. Sic expiravit heros egregius, nullo deformi motu.* Nonne uſque modo deſcribi videbatur alterius Moyſis tranſitus *in oſculo Domini?* Unum deerat, qua Moyſen ſcilicet, Dei manibus fuiſſe reconditum. Verum vix Veſpillonum manibus potuit tumulari; dum pene mortuo, ſtannea licet capſa recluſo, & hyems rigidiſſimus eſſet, ejus cadaver tam ingrato fœtore putebat, ut nauſeati portitores gravi moleſtia compulſi, infecto itinere fugientes, illud in terram ſtraverunt. Negabis id forte, quia non Sleidanus tuus, ſed Cocleus narrat. Hic tamen fas eſt monere lectorem, de eo quod Varillas advertit *in Annotationibus ad Tomum primum ſuæ Hiſtoriæ revolutionum Europæ Religionis cauſa*, Sleidanum primum ſecta Zuinglianum fuiſſe, inde Lutheranum. In hiſtoria ſua intrudit quidquid Proteſtantibus favet; immo plurima, quæ in prima editione iſtis non placebant, in ſecunda deſiderantur. Quare ſic: Tu Picenine negas, quod Lutherus peracta jucunda cœna, ſcurrilibus interjecta motibus, juxta morem, cum ſociis ſuis *Juſto Jona*, *Michaele Celio*, *Joanne Aurifabro*, mortuus ſit repentino caſu, quia id narrant *Joannes Cocleus*, *Oſius*, *Bozius*, aliique noſtrarum partium: inde petis totam fidem haberi *Sleidano* Lutherano jurato, ſcribenti ea dumtaxat, quæ Lutheranis placebant?

4. Sic Calvinum (*Apolog. pag. 78.*) *beate mortuum* facis, *Geneva teſtes invocans omnes cives*. Quoniam autem Bolſecus infauſto fine illum deceſſiſſe narrat, rabie, & vermibus roſum ut Antiochum; Bolſecus apoſtata atheus a te dicitur, qualem illum Beza deſcribit. Quæ igitur agendi tecum ratio eſſe poteſt, qui omnia rejicis quæ tibi non placent? Audiamus a Scluſſemburgo Calvini mortem deſcriptam: „ Deus (ait) qui „ ab hominibus deludi non patitur,

juſtam

„ juſtam ultionem exegit, in hac „ etiam vita, a Calvino, plectendo „ illum virga furoris ſui, ac ſeve- „ re puniendo prævia teterrima ſuæ „ mortis hora. Siquidem ita vexa- „ tus fuit hæreticus iſte, ut deſpe- „ rans & dejerans invocabat Dia- „ bolum, & malignam ſic exhalavit „ animam, diſſolutus pediculari „ morbo, roſus a verminibus ſcaten- „ tibus ex plaga tumenti, & fœti- „ da circa pudenda; ut adſtantes „ vix tolerare valebant fœtorem a „ ſuo corpore ſpirantem. Id vulgo „ notum„. Hæc Scluſſemburgus. Reſpues ſane & hunc quia Lutheranum. Verum ſi nec Lutherano, nec Calviniſtæ, ut Bolſeco, quia renuntiavit Calviniſmo, ſtandum nobis erit; neque ſtandum Bezæ, nec aliis, quia (Calvino addicti) ſuſpecti ſunt genio potius, quam veritati indulſiſſe. Zuinglii exitus fama jam notus. Ex prædicatore dux belli factus, ab octomille Catholicis fugatis ſuis vicenis mille, vulnere lethali proſtratus cecidit. Et quamvis plerique aſſerant, quod a victoribus extracto illius cadavere, & in quatuor partes dilaniato, combuſtum inde fuerit; & nonnulli vulgaſſent, quod internecione perperam tentata, veneno tandem ſibi mortem conſciverit: nihilominus, teſtantibus ejus diſcipulis intrepidum obiiſſe, fatendo lætum ſe pergere ad tribunal Dei ad ſuſtinendam veritatem ab eo prædicatam; non licebit aliter ſentire. De OEcolampadio Cocleus ſcribit (*in Act. Luth. an.* 1531.): Incolumis ſero lecto cubans, mane repertus eſt ſuffocatus, vel a femina, quam ſibi inceſtu conjunxerat, vel a Dæmone, vel alio quovis modo. Quia vero Grinerius illum Chriſtianæ pietatis ſignis mortuum facit, ſic tenendum ſtatuis. Carloſtadium periiſſe ſtrangulatum a Diabolo, Baſileæ miniſtri in ejus mortis nuncio id ſcripſerunt; hi tamen falſarii, quia Springerus oppoſitum narrat. Par ratio erit de his, quæ de Martino Bucero feruntur. Verum nec tempus terere refert adverſus facta negantem, niſi & ſuis, & fauſta ipſi narrentur.

§. II.

Num vera ſint, & ad rem præſentem pertineant infauſtæ mortes, quas de nonnullis Papis Piceninus narrat.

5. PRoteſtantium caſus a P. Segneri recenſitos, quorundam ex noſtris Papis infauſtis caſibus, livore vindictæ, niteris vindicare *pag.* 80., ſic aggrediens: *Quid Jeſuita dicturus erit, cum ipſi objiciam latiſſimam ſeriem plurimorum ex ſuis Papis teterrimo, ac funeſtiſſimo fine confectis?* Quid dicturus? Nempe ad rem non pertinere. Sermo quippe præſens de perſecutoribus agit, non de Papis. Probandum Papas triſtiſſima morte deceſſos Eccleſiam vexaſſe; in cujus pœnam funeſtus illis interitus acciderit. Mors ex vita penſanda eſt, ait D. Auguſtinus (*Enarrat. in pſ.* 148.): *Sive inde, ſive inde moriatur, quæro qualis ſit qui moritur; quo poſt mortem iturus eſt, non unde de vita exiturus.* Ad hæc. Tuum erat oſtendere non aliquos, ſed pleroſque Pontificum infauſtam oppetiiſſe mortem; ut Pater Segneri de pleriſque perſecutoribus probat. Quamobrem catalogum tanta tua induſtria contextum negligere poſſem. Verum ne mendacia, quæ illis adſtruis, meo ſilentio probata videantur, ea recenſere breviſſime ſatagam. Neque is ſum, qui velim Papas omnes gratia fuiſſe confirmatos, & impeccabiles; alia quippe a charactere perſona eſt. Petrum alicujus culpæ reum notavit Chriſtus, quem tamen elegit ſui gregis Paſtorem. Quocirca ſi quis ex Papis ſui gradus ſanctitatem perverſa converſatione fœdaverit, non opponam; quem cum audiam infauſto fine periiſſe, inferam hujuſmodi morte P. Segneri aſſertum comprobaſſe: nimirum turpi morte fuiſſe punitum, qui licet non perſecutionibus, per-

verſis tamen moribus Eccleſiam afflixit.

6. Ex Papis primum carpis Joannem X., quem *a Marozia ſua habita matre* ſuffocatum adſtruis. Joannem X. ſuffocatum interiiſſe nonnulli ferunt. Platina id factum narrat militari ſeditione; Luitprandus *lib. 3. cap. 12.*, & Flodoardus *ad ann. 929.* Guidonis Tuſciæ Comitis, & Maroziæ ejus uxoris delicto. Hic Papa inſigni victoria Saracenos exegit, Apoſtolis Petro & Paulo viſibiliter ſuccurrentibus, teſte Luitprando *lib. 2. cap. 14.* Leo VI. carcere occluſus a ſuis æmulis obiit: violenta autem morte ſublatum Platina non memorat; immo hac epigraphe illum commendat: *Moritur magno ſui apud Romanos deſiderio relicto.* Non inficior Benedictum VI. vel VII. in carcere ſuffocatum; ſed notandum qua manu, nempe Bonifacii Franconis Cardinalis Diaconi ſceleſtiſſimi hominis. Platina tamen opera *Cintii* romani civis in arce S. Michaelis Archangeli inedia confectum ſcribit. *De Silveſtro II.* ejuſque morte varias calumnias, de more, nectit Benno pſeudocardinalis, quem fideliter imitatus es; falſæ tamen deprehenduntur, ex laudibus, quibus illius ævi ſcriptores illum ornant: inter quos Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis *lib. 6.*, Elgaudus monachus Floriacenſis in vita Roberti Galliarum Regis, aliique relati a Natali Alexandro (*Sec. IX. & X. c. 1. ar. 16.*), denique ex elogio, quod Sergius IV. ejus ſucceſſor in illius ſepulcro incidi juſſit. Videatur Bzovius, qui integro libro ejus vindicias edidit. *Clementem II.* apud Petrum Damiani celebratiſſimum veneno ſublatum non conſtat. Nonnulli tamen tradunt; quorum aliqui a Romanis præſcitum ferunt, quia non eorum conſenſu electum, ſed juſſu Henrici III. Imperatoris: alii vero a Damaſo, non III., ſed II. ejus ſucceſſore. Valde hæc diſtant Jacobe mi: *Nonnulli ſcribunt* veneno interfectum; & veneno *periit a Damaſo* propinato, ut audacter ſcribis. Qua inde conſcientia P. Segneri carpis, quod Bucerum infauſte mortuum proferat ideo quia *narratur*, cum tu quia *nonnulli ſcribunt* (& forte *nonnullus*) abſolute adſtruis, Papas triſtiſſima morte periiſſe? Hunc *Clementem* tu laudare deberes, quod in Synodo quadam Lateranenſi impenſe curavit reformationem Eccleſiæ, ut refert Ciacconius, & Oldoinus; unde bene audire apud nuperos Reformatores merebatur. Aſt Papa erat. Id nocet. *Damaſum* item II. veneno confectum narras, *& pone ipſum eodem caſu alios ſeptem ſucceſſive ſublatos Gerardi Brazuti* opera: ex dicto (en *narratur*) cujus? Cardinalis Bennonis. Verum apud cordatos viros deterioris fidei reputatur *Bennus*, vel *Benno* iſte tuus, quam apud te *Bolſecus*. Cur itaque Calvini turpiſſimam mortem Bolſeco narranti nulla fides; *Bennoni* vero tot infauſtos Pontificum caſus adſtruenti plena fides ex te adhibenda erit? *Gerardus Voſſius*, qui tecum certe communem habet cauſam, loquens qua fide dignus ſit Benno, ait (*lib. 2. de Hiſtor. Latinis cap. 67.*): *Utrum autem bona, an peſſima, an ambigua fide ſcripſerit, nunc non diſputabo.* De noſtris taceo, qui ut ſchiſmaticum illum deteſtantur, ex odio, tuo non impari, adverſus Papatum calamum exercentem. Porro ubi ſunt *ſeptem hi Papæ ſucceſſive veneno ſublati?* Leo IX., qui ſanctus, glorioſo fine quievit. Ejus vita deſcripta fuit a Wiberto Archidiacono, & legitur Actis Sanctorum menſe Aprilis Enſchenii, & Papebrochii. *Victor II.* Florentiæ obiit; nec de veneno ullum verbum. Stephanus IX. (non X.) Florentiæ & ipſe obiit, ſanctitatis fama, & miraculis clarus, ut ſcribunt Leo Oſtienſis *lib. 2. cap. 101.*, Petruſque Diaconus *lib. de Viris illuſtribus Cœnobii Caſinenſis*. Nicolaus II., de quo Petrus Damiani (*Opuſc. 9. cap. 7.*) ſcribit nulla die prætermiſſe lavare pedes duodenis pauperibus, beatiſſime quievit. *Vir omni vita probatus* ab ipſo Platina dictus. Profecto ſomniabas,

bas, cum ſcriberes *Honorium II. obſidione cinctum in Arce S. Michaelis Archangeli, a ſuis derelictum deſperate oppetiiſſe;* quoniam nec Platina auſterus cenſor, nec alii hujus caſus mentionem faciunt. Immo Platina ſcribit: *Collacrymantibus omnibus moritur, & in Baſilica Lateranenſi, nullo non genere honoris adhibito, ſepelitur.*

7. Peſtiferum virus tuum adverſus *Bonifacium VIII.* præſertim evomis; de quo poſt dictum quod in Pontificatum irrepſit *ut vulpis, regnavit ut leo, exceſſit rabidus ut canis*, exclamas: *Neque hæ fabulæ, vel uni narratur innixæ, vel a Bolſveis confictæ*. Jam quot fabulas vendites ſat dixiſſe reor. Quo *ad Bonifacium VIII.* ut *canem* interiiſſe; plane innititur incauto *narratur* Ciacconii, Spondani, vel alterius cujuſpiam. Silentium tamen de hoc genere mortis S. Antonini, Platinæ, Pauli Æmilii, & aliorum, qui magnanimitatem Bonifacii laudant, falſum probat illud *narratur*. Mortuus eſt ſenio confectus, & triſtitia, cernens ſe Anagni captum: aſt rabie diſſolutum qua *canem* occubuiſſe, falſum evincitur ex conſtantia, qua obſeſſum ſe ab hoſtibus ſuis circumſpiciens dixit: *Ex quo proditorie ſicut Jeſus Chriſtus captus ſum, & deditus in manibus inimicorum ut occidar, ut Papa mori decerno*. Quoniam vero auctores, ex quibus ſatyras tuas ſuppilaſti adeo magnificas, congruum eſt cujus meriti ſint curſim hic conſiderare. De *Bennonis* fide jam dictum. Matthæus Paris, Platina, Stella, & Martinus Polonus ſunt Achates tui. Matthæi Paris in ſcribendo odium manifeſtum eſt; quod & Baronius notat, a Voſſio acceptatus (*de hiſt. Latinis lib. 2. cap. 58.*): *Quam fuerit animo infenſiſſimo in Apoſtolicam Sedem, quivis facile poteſt intelligere, niſi probra illa fuerint additamenta ejus, qui edidit*. Platina autem, auſterus licet cenſor, non ea tamen (ut indicavi) refert quæ tu opponis. De *Martino Polono* advertit Bzovius (*ad ann. 1278.*) plurimas hiſtoriam ſuam fabulas habere, quæ in ejus autographis non leguntur, intruſas ab aliquo maledico; inter quas illa Joannæ Papiſſæ, ab omnibus ceu ſomnium rejecta: *Hic eſt Martinus, de quo tot fabulæ circumferuntur, quaſi is auctor eſſet ſtrophæ de Joanna femina Pontifice, cum iſtud in manuſcripto ejus autographo codice nuſquam inveniatur; ſed ab aliquo maleferiato exſcriptore in exſcriptis codicibus appoſitum fuerit*. Idem invictis argumentis probat P. Jacobus Echard in ſuo libro inſcripto *Sancti Thomæ Summa ſuo Auctori vindicata*, pag. 620. Stella Venetus Preſbyter erat, res a ſuo ævo valde diſſitas ſcribens; quamobrem nil mirum, ſi hiſtoriam ſuam multis fabellis interpolavit, hauſtis e putido fonte. Hi porro ſunt Ariſtarchi illi, a quibus cenſoriam tuam, vel potius mimicam virgam accepiſti, ad plectendos Pontifices; ſpretis inde aliis melioris notæ auctoribus, qui falſa hæc omnia retexerunt, vel ab improbis intruſa calumniatoribus, vel ab eo quod *narratur* deprompta. Nec novum tamen, nec mirum habeo, Vatiniano (ut ajunt) odio te Papam inſequi: hunc quippe ſcio & gentilitium, & hereditarium eſſe tuarum partium ſpiritum; quem teſtamentaria diſpoſitione diſcipulis, & Pſeudoreformatoribus ſuis commiſit Lutherus. Qui (ut refert Vitus Theodorus Lutheranus, appellans illum virum *Sanctæ memoriæ*) cum pergeret ad quandam Synodum, in qua ratificanda erat Auguſtana confeſſio; oppreſſus in via acerbiſſimis urinæ doloribus, timens imminere ſibi extremum diem, *conſcenſo curru, ac levatis manibus benedicens, & valedicens circumſtantibus nobis magno numero, hac ultima verba edebat: Impleat vos Dominus benedictione ſua, & odio Papæ*. Excogitari unquam poteſt teſtamentum magis impium, & illo ſuis diſcipulis a Chriſto relicto remotius? *Chriſtus pariter elevatis manibus ſuis, benedixit eis (Lucæ 24. 50.)*, indito tamen prius pacis ſpiritu, & promiſſo chariſmate Spiritus Sancti, qui pax & Charitas

ritas eſt: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* (*Joan.* 15. 17.). Nec tantum ut diligatis invicem; immo: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* (*Luca* 6. 27. 28.). Hic eſt Chriſti ſpiritus, huic adjungit benedictiones ſuas, non vero odio. Si Lutherus ſuos benedicendo, odium in Papam ipſis mandare volebat; benedicere eos, vel melius maledicere debuerat maledictione Diaboli domeſtici ſui, ac dicere: *Maledicat vos Diabolus maledictione ſua, & odio Papa.* Chriſtus ſuis relinquere debuit cum benedictione charitatem, quia (*Luca* 24. 51.) *ferebatur in Cælum* regnum pacis. Lutherus autem ſciens ſe deſtinatum regno diſcordiæ, ſuis præſtare nequiverat niſi benedictionem odii. Neque hoc dictum ſit livore, vel odio erga adverſarios noſtros, pro quibus quotidie ad Deum oro, quantumvis continuo nobis inceſſant; ſed unice ut appareat qualis ſit ſpiritus, qui Piccninum ad obloquendum adegit de Papis noſtris.

8. Pacificas adhuc illi præſtemus aures, & attendamus num e limpidiori fonte hauſerit quæ tandem intemperanter effundat. Ais: *Joannes XII. in adulterio deprehenſus, in lecto mactatus fuit.* Quis id narrat? Auctorem taces? Porro ſcias peſſimæ fidei eſſe auctorem, a quo non tantu, quam alii hanc calumniam exſcripſerunt. Hic eſt continuator hiſtoriæ Luitprandi, homo factionarius Othonis Imperatoris Joannis XII. hoſtis juratiſſimi; qui Joannem, coacta Synodo, deponi, aliumque, nempe Leonem VIII. Antipapam eligi intentavit. Othonis autem partibus addictiſſimus erat continuator Chronicæ. Ex quo conſtat quæ fides debeatur hujuſmodi calumniæ, receptæ tamen a pluribus. Platina vir minime in ſcribendo cautus hujus rei non meminit; & Natalis Alexander (*Sec. ix. & x. cap. 1. ar. 21.*) indicat quo pacto decepti ſint auctores factum narrantes. *Benedictum IX.* a Diabolo fuiſſe ſuffocatum, ut a tuo Bennone vulgari facis, admittere nequeo. Equidem admitto, ſed ut *Narratur*, horrendam viſionem illam, qua ipſe apparuit, ut mox dicetur; verum hoc ad rem non pertinet, quia Benedictus nunquam pacifice ab Eccleſia acceptatus fuit: intruſus quippe in Apoſtolicam Sedem, ceu indignus expulſus fuit. Nova inde pendente electione, factum eſt manifeſtum ſchiſma; quod ſola electione *Gregorii VI.* extinctum, cum hic ex quodam ſuo ſcrupulo renuntiaſſet, electus fuit *Clemens II.* Penſemus modo ſpectamentum de ſeipſo a Benedicto IX. poſt mortem factum; quod quanquam perſonæ dedecorum, veritati tamen Papatus maxime confert. Petrus Damiani (*lib. 1. Epiſt. 9. ad Nicolaum II.*) & Platina ſic referunt: *Narratur* ſpectrum Benedicti poſt mortem horrenda forma viſum a quodam viatore; qui ab eo petens cur ſub turpiſſima illa ſpecie, cum Papatum tenuiſſet, appareret; vox de ſpectro facta reſpondit: Dum vixi ſine lege, ſine ratione, Deo, & Sancto Petro diſponente, cujus ſedem vivus tot flagitiis fœdavi, mortuus bruti potius, quam hominis ſpeciem habeo. Ergo cathedra cui hic incubuit tum etiam cathedra erat S. Petri, qui ſolicitus ne deterius contaminaretur, hunc ſic punivit. *Alexandrum VI.* fama fuit veneno fuiſſe ſublatum, non a *ſeipſo*, ſed *a Caſare Borgia* aliis parato. Non deſunt qui aſſerant febri correptum, & ſeptem diebus conſumptum obiiſſe, omnibus Sacramentis munitum. Quare in hoc etiam inniteris verbo *narratur*, de quo tam acriter reprehendis Patrem Segneri. Qua æquitate autem quod *narratur* ex ore tuo *rei veritatem* refert, ex ore Patris Segneri fabulam redit? Age vero, ſit ut placet. Jam autem, quoniam ſtropha tua nobilis exacta eſt, penſemus quot numero ſint Papæ infauſto exitu confecti. Quinque ad ſummum, vel ſex pro certo habentur. Nunc ſic. A Chriſto uſque nunc, 240. & ultra Papæ vixerunt: hos inter quinque, vel

ſex

ſex (cedamus & decem) infauſto caſu perierunt; non igitur pars maxima, ſed minimæ partis eorum pars exigua hujuſmodi interitus particeps fuit. Atqui veritatis fidei hoſtes pleru que & maximo numero peſſimæ morti ſuccubuerunt; non ergo Papæ contra veritatem, ſed pro veritate ſteterunt.

9. Quibus peractis, contineri minime queo, quin tecum agam ſic: Tu qui integritatem, & reformationis ſpeciem jactas, iniquam hanc tibi aſſumpſiſti provinciam vulgandi nonnullorum Pontificum teterrimos exitus, eorum amplificando crimina, ſive vera, ſive conficta, ut inde inferas vana & perverſa mendacia. Cur autem non item tot Dei famulorum pretioſiſſimas mortes alacriter ſubdis, ſanctitate vitæ, & religionis zelo præmunitas; illorum nempe Pontificum, qui de bono Eccleſiæ ſoliciti, & adverſus fidei hoſtes Principum expeditiones coegerunt, & regimen Eccleſiæ ſanctiſſimis legibus exornarunt; commiſſi gregis paſtores vigilantiſſimi in abigendis vitiis, promovendis virtutibus, perficiendis moribus; doctrina, zelo, pietate præſtantiſſimi, non modo a noſtris ſeculis, ſed nec ab hac noſtra ætate remoti? Pauci ex Papis, ex incerta etiam & dubia fama, a ſanctitate gradus morum converſatione degeneres, Eccleſiam Chriſti ex te proſtituerunt; tot vero & tot, immo reliqui omnes, vita integerrimi, moribus candidiſſimi, eam ſanctificare non valuerunt? Ad hæc peto ex te: Etſi pauci illi, qui probris tuis vexantur, intacti moribus non fuiſſent, proſcribendi ne idcirco forent a legitima Pontificum ſerie? Id forte tu impudenter aſſeres; quod tamen falſum certa ratione oſtendam. Neque enim a te, qui Papas etiam tua aſſertione ſanctos a Papatu dejicis, neque ex Luthero, aut Calvino ediſcere qui ſint, necne, Pontificum albo adſcribendi, ſed ab Eccleſia univerſali audire debeo. Hæc una certam facit fidem qui rejiciendi ſint, qui admittendi. Quæ cum ex præfatis neminem ipſa excluſerit, quinimmo omnibus obedientiam præſtiterit; & quorum mores diſplicebant, leges acceptarit; non erit profecto audiendus Lutherus, & Calvinus illos ex albo Pontificum obliterantes, & Eccleſiam ob illorum acceptationem *apoſtaticam* rejicientes. Forte ne Summi Sacerdotis culmen, & veritas, a ſanctitate pendet, & integritate morum? Heli Summus Sacerdos erat; cujus tamen defectus & ignaviam erga filios Scriptura reprehendit. Scandalum populi, Sanctuarii profanationem ipſe noverat, & diſſimulabat. Culpabilis erat, & Summi Sacerdotis cathedram adhuc tenebat. Nec propterea Synagoga illi obediens facta eſt adultera, & apoſtatica. Deus ſcandalum tulit, & Sacerdotem magis fidelem ſuſcitavit. Ætate Chriſti, quæ Phariſæorum indoles, & mores? Ambitioſi, ſuperbi, hypocritæ, omni dolo pleni. Irrita faciebant mandata Dei propter traditiones ſuas. Tales illos in ſuo Evangelio Chriſtus ipſe redarguit: a gradu Sacerdotii propterea ne illos dejecit? Audiamus quid precipiat (*Matth.* 23. 3.): *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo, quæ dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere*. Phariſæi, quamvis improbi, ſedebant in cathedra Moyſi: cur ergo Pontifex, morum per vos minus rectus, a cathedra Petri abigendus erit? Synagoga ea faciens, quæ illi docebant, apoſtatica a Chriſto non dicebatur; & Eccleſia Papas retinens, qui apud vos male audiunt, & ea faciens quæ illi dixerant, a Pſeudoreformatoribus idcirco repudiatur?

10. Divus Auguſtinus audiatur (*Epiſt.* 165.), qui catalogum Epiſcoporum Romæ recenſens, hæc habet: *In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem cathedram tenet, etiam ſi quiſpiam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil* præ-

præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis; quibus Dominus providens, ait de præpoſitis malis: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite; dicunt enim, & non faciunt. Ut certa ſit ſpes fidelibus, quæ non in homine, ſed in Domino collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur, ſicut iſti diſſipati ſunt, Donatiſtæ ſcilicet, qui vana paſtorum accuſatione, ut Pſeudoreformati faciunt, ab Eccleſia receſſerant. D. Petrus (1. *Pet.* 2. 18.) præcipit: *Subditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* A Deo paſtores poſiti ſunt; noſtrum non eſt de eorum legitima poteſtate ſcrutari, ſed eis obtemperare. Num auctoritas Principis a ſcrutinio pendet cujuſque privati? A ſtatu, a regno acceptatus fuit; ad ſubditum pertinet obedire; qui aliter attentaverit, puniendus merito erit ceu *Rebellis*. Hæc, Lutherani, & Calviniſtæ, veſtrorum criminum ſumma eſt. Origine ſubditi eratis regno Eccleſiæ, quæ per omnia ſecula ab Apoſtolis uſque nunc (ut vobis oſtendam) Epiſcopum Romanum ſuum legitimum caput agnovit, & qua tale illum vobis proponebat: veſtrum porro non erat ejus auctoritatem in dubium vertere, ſed parendum erat; quod cum facere renueritis, merito Eccleſia vos *Rebelles* agnoſcit. Nec quidquam ſuffragantur vobis putida cavilla de perverſa converſatione, vel de injuſta ſubreptione nonnullis Papis oppoſita; quia nec veſtri muneris id erat, nec, ſi id verum eſſet, *præjudicaret Eccleſiæ*, quæ, ut ait D. Auguſtinus, certam habet ſpem non in homine, ſed in Deo collocatam. Nauſeatus Hieronymus tam iniquis calumniis, uſque ab Oriente adverſum te, & Sectarios collegas tuos clamat (Epiſ. 87. jam 78. ad Pammachium & Marcellam): *Quid neceſſe eſt obſidere Propontidem, mutare loca, diverſas luſtrare regiones, & clariſſimum Pontificem Chriſti, ejuſque diſcipulos rabido ore diſcerpere? Si vera loquimini, priſtinum erroris ardorem ardore fidei commutate. Quid maledictorum pannos hinc inde conſuitis; & eorum carpitis vitam, quorum fidei reſiſtere non valetis? Num idcirco non eſtis vos hæretici, ſi nos quidam aſſertione veſtra crediderint peccatores? .... Quid juvat veſtram perfidiam, vel prodeſt pellis Æthiopica, & Pardi varietas, ſi in noſtro corpore nævus apparuerit?* Accommoda pleriſque Proteſtantibus increpatio, qui data opera varia mutant loca, Catholica Regna, & civitates luſtrantes ad carpendos Pontificum nævos, paſtorum defectus, errata populi; quorum inde adulteratam notitiam in ſuas deferant partes.

11. Ineptiſſimæ ſane ſunt, & tuo ingenio pares interrogationes, quas *pag.* 81. in unum congeris: *Oſtenditne Deus hos, & alios plurimos funeſtiſſimis caſibus oppreſſos, caros ſibi fuiſſe, & Vicarios ſuos in terra? Quæ miracula ad eorum ſepulcra facta? Quæ beneficia ex ipſis retulit Eccleſia, cujus capita recenſebantur? Cur Deus non dedit ipſis ſpiritum infallibilis converſationis, ſi acceperant illum infallibilis religionis? Cur cælum illos permiſit fœdari turpiſſimis flagitiis?* Qua Deus Reges oſtendit Vicarios ſuos in temporali regimine, ſic in ſpirituali Papam. Quamobrem ſicut Rex aſcendens thronum, ſive legitima ſucceſſione, ſive electione, & acclamatione regni, morum licet improbus, verus tamen a te Rex a Deo datus habetur; ſic Papæ illi in ſede Petri collocati legitima electione, & Epiſcoporum ac Imperatorum acclamatione, veri a te, indiſcuſſa ipſorum vitæ ratione, in terris Chriſti Vicarii habendi ſunt. Neque ad id tibi ſuadendum exſpectanda miracula; minus vero converſationis infallibilitas, vel inculpata vita. Vicariis quippe ſuis (ut oſtendam) promiſſa quidem a Deo fuit firmitas fidei, & dogmatum infallibilitas, minime vero morum indeficientia. Petrus primus fuit a Chriſto Papa inauguratus, qui tamen iterato culpa defecit. Neque attendendum quid Papa faciat, ſed

quid

quid dicat. Perverſa ſint opera, erronea tamen ejus doctrina eſſe non poteſt. Quod non valet de Pſeudoreformatoribus veſtris; quos idcirco jure interrogat P. Segneri „ Qui „ ſint? Unde veniant? A quo novi „ Evangelii promulgandi lucem & „ poteſtatem acceperint? Quibus præ„ diti moribus? Quo exitu deceſſe„ rint? Quæ ſigna ſuæ miſſionis præ„ ſtiterint? „. Non paſtores hi ordinaria miſſione a Deo dati. Non Apoſtolorum hi ſucceſſores, vel Pontificatus poſteritate, vel Eccleſiæ electione. In illis nihil ſanctum, nihil honeſtum; totum licentia, & libido. Superbi, iracundi, contumelioſi. Mors illorum peſſima; nullum ex ea æternæ ſalutis indicium. Non habentes igitur ullum miſſionis ſignum in miraculis, nec prophetiis; cur oppoſita me docentes ad ea, quæ uſque modo credita ſunt, & tradita a veris, & legitimis paſtoribus, ea ſuſcipiam ut vera dogmata fidei, quin revera timeam iſtos de illo falſo genere Prophetarum eſſe, a quibus cavere hortatur Chriſtus? Sic prudenter diſſerit P. Segneri, quærens idcirco Pſeudoreformatorum vitam, miracula, prophetias, & mortem. Quæ de Papis inquirere minime cogitur; quia hos Eccleſia viſibiliter, & digito ferme indicat veros legitimos paſtores, quibus obtemperare, & eorum ſtare dictis præcipit Chriſtus.

§. III.

Infauſti exitus Perſecutorum Eccleſiæ.

12. HÆc Picenine aſſumis, pag. 82. *Ab Hæreſiarchis Jeſuita ſe vertit ad Principes perſecutores Eccleſiæ, indicans longam Imperatorum catervam, qui ex perſecutione chriſtianæ fidei funeſtiſſimis caſibus ſuccubuere. Quo nil ad rem. Nero, Julianus perſequuti ſunt fidem Chriſtianorum Romæ; at ejuſdem etiam Romæ præſens fides a priſca illa oppido diſtat, ut oſtendam: immo, ut dixi, tyranni illi eandem fidem aggreſſi ſunt, quam ego profiteor, & illorum temporum Martyres mei ſunt &c.* Veteris Eccleſiæ Martyres, meos, non tuos eſſe ſatius jam puto a me probatum, & vaniſſima tua exſufflata fuiſſe commenta. Fidem autem hodiernæ Romæ non eandem eſſe ac antiquam, probatum ex te audiam libentiſſime; certus ita acturum, ut errorem tuum tangas, & palpes. Dicis: P. Segneri *ad probandum ſuum aſſertum debuiſſet Principes objicere Proteſtantes, oſtendendo hos ſuam fidem oppugnaſſe terroribus, ac proinde cruenta, & deſperata morte occubuiſſe.* Totum id in Capite de Martyribus oſtenſum eſt: omnes ſcilicet qui perſecutionem & mortem, Angliæ præſertim ſub Henrico, & Eliſabetha paſſi ſunt, id ſuſtinuiſſe fidei cauſa; lectorem autem mitto ad hiſtoriam Angliæ P. Bartoli: tibi porro idem denuo oſtendam ſequenti capite. Præfatos autem Principes funeſto fine deceſſiſſe, quo ad Henricum puto non negabis. Neque ſermo hic de inſano illo furore, & zelotypia, quæ tot immanium cædium fomes fuit, tota tincta Anglia, & fumante ſanguine civium; inter quos ejus aulici, & domeſtici plurimi ſuæ barbaræ immanitatis victimæ ceciderunt. De ſupremo ejus caſu unice ſermo: cum ſentiens ſe mori, Monachos illos, quos crudeliſſime mactaverat, quorum Eccleſiiis, & Monaſteriis deprædatis, & dirutis, eorum ſubſtantias in profanos uſus diſſipaverat, nominatim appellans; trepida manu vini cratere accepto expiravit, funeſtiſſimo illo vale domeſticis dicto: *Omnia perdidimus.* Eliſabetham autem pacifice, completo regni ſui anno quadrageſimo, placidiſſimo fine quieviſſe; non ita facile ſuadeor, ex illis furiis, ſuſpicionibus, & ſpectris, quibus ceu a tortoribus ſenio confecta iniquus ejus ſpiritus vexabatur. Perempto enim ex impotenti furore Comite Eſſexiæ Amaſio ſuo, tanta inde inſania & deſperatione excanduit, ut quot ſubditos, tot hoſtes habere quereretur; quamobrem in

dies

dies magis magiſque anguſtiis, & anxietatibus oppreſſa, in palatium Richmundiæ ſolitaria receſſit: nec ulla ibi quies, ſed triſtiſſimis gravata curis, & capiſtratam ſe collo dolens, corporis & animi morbo affecta diem clauſit extremum. Hæc opponere poſſem, nedum ex Bejerlink *lib. 6. cap. 1.*, & Bartoli, quam ex Camdeno Proteſtante. Age ſit fauſte regnaverit, nec infauſte deceſſerit. Quid autem tum? Nec una hirundo ver facit, nec (ut notat P. Segneri) uno, vel altero fidei perſecutore placidæ mortis ſpecie confecto, argumentum præſtat adverſus illorum multitudinem, qui peſſime perierunt: ſicut unius vel alterius juſti inauſpicata mors nil officit juſtorum pretioſæ mortis univerſitati.

13. Perperam igitur, quaſi obtenta cauſa, tibi plaudis *pag.* 83., hoc ratiocinio: *Si infauſta mors ſignum eſt perſecutionis veræ fidei, omnes fidei perſecutores peſſimo fini ſuccumbere debuiſſent; nota quippe diſtinctiva accidentis proprii naturam induit, quod* uni, ſoli, & ſemper *convenit. Eliſabetha igitur, quæ quadraginta annis pacifice regnavit, & fauſta morte deceſſit, perſecutione ſua non veram, ſed falſam afflixit Eccleſiam. E contra Philippus II., & Carolus IX. Galliarum Reges, qui peſſimo fine deceſſerunt, perſequendo Proteſtantes, veram fidem vexarunt.* Dialectico, dialectica occurram. Falſum porro eſt, notam diſtinctivam *accidentis proprii* naturam ſemper habere, quaſi conveniat *omnibus*, & *ſemper*, ſed tantum *paſſim*, & *plerumque*. Exemplum ſit. Canities ſenis nota eſt diſtinctiva; & tamen nonnulli ſenes nulla canitie, nonnulli juvenes aliquando canis crinibus albeſcunt. Fulgura & tonitrua veris ſigna ſunt; tametſi aliquo vere nulla tonitrua, hyeme vero aliquando tonitrua perſtrepant. At vero cur ſic, inquies? Quia ſenex plerumque canus; ver pletumque tonitruale, licet non *ſemper*: idcirco & ſenis canities, veris tonitrua ſigna ſunt; non e contra canities nota eſt juventutis, nec hyemis tonitru, quia id ſi fiat, raro fit, &, ut ajunt, per accidens. Ratio itaque P. Segneri hac recta procedit methodo. Infauſta mors impiorum nota eſt, ex Scripturis, ut oſtendi, deprompta; teſte etiam Jeremia 20. 11. *Qui perſequuntur me cadent.* Perſecutores veræ fidei plerunque ſic ceciderunt; unius autem, vel alterius fauſte defuncti exceptio, generalem regulam non tollit. E contra pretioſa mors perſecutorum falſæ fidei nota eſt: ſic quippe quieverunt Reges Iſrael abominationes Majorum ſuorum inceſſentes. Unius autem, vel alterius iſtorum deterior finis, aut alicujus incerti peccati expiatio fuit, ut de Irene dictum eſt, aut occultum Dei judicium, ad ulterioris præmii in alia vita remunerationem. Ex quo ſequitur Jeſuitæ aſſumptum verum eſſe, non autem veram agnoſci tuam Picenine fidem, ut inaniter jactas.

14. P. Segneri carpis, *pag.* 83. inquiens: *Ille Pater nec unum Proteſtantium Principum adducit ſuæ fidei aggreſſorem funeſta morte ſublatum.* Quid refert a P. Segneri proferri, quæ inſolenter negare ſtatuiſti; ut de tuorum Pſeudoreformatorum caſibus auſus es facere? Tibi nil verum, niſi quod a factionariis tuis traditur; qui ſane non referunt, ſed diſſimulant, quæ ſuis nocent partibus. Ampliſſimum plane privilegium. Henrici VIII. teterrimam mortem, Eliſabethæ anguſtias propoſui. Hæc apud te fabulæ; licet fatearis, Chriſternum Proteſtantibus dando nomen regno fuiſſe privatum; Saxoniæ Ducem Lutheri patronum eximium, debellatum, captumque a Carolo V., multatum fuiſſe Electoratu, & Dominio, paucis exceptis civitatibus; Electorem Brandemburgenſem deterioris conditionis effectum fuiſſe. Hæc *pag.* 67. ipſe narras: nec te negare poſſe puto, illos omnes, qui Henrico VIII. rebellandi ab Eccleſia Romana anſam dederunt, ipſius Henrici dextera tragico fine periiſſe. Thomas OWardus Dux Nortfolciæ Henrici aſſentator in repudio, & dam-

natio-

Digitized by Google

natione Roſenſis Epiſcopi, & Thomæ Mori; ab eodem autem Henrico relegatus ab aula, & perpetuo carceri mancipatus. Henricus illius filius capite damnatus ipſorum hæreticorum inſtigatione; Deo ſic permittente. Thomas vero hujus filius eadem pœna capitali ab Eliſabetha punitus; fratre & filio carceribus mancipatis. En integram familiam, ex præclariſſimis Angliæ, extinctam ob aſſentationem rebellionis, & perſecutionis Eccleſiæ; de qua illud impletum eſt: *Semen impiorum peribit*. Exitus Cardinalis Volſei tanti incendii fomitis, (quin dicam) omnibus eſt notiſſimus; ſicut & Annæ Bolenæ tot revolutionum ſcopus, & finis. Grajus Careus, & Otho a conſiliis; Thomas, & Georgius Boleni adminiſtri; Noreſius Bruerſonus, Veſto, & Smitto fautores, & adjutores Cromuelis tot calamitatum principalis artificis, ex teſtimoniis hiſtoriæ, ab Henrico omnes extincti miſere periere. Unus ſupererat Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis mediator ſententiæ repudii. Is ſi Dei vindicis pœnas aufugit ſub Henrico, eas tamen luit ſub Eliſabetha filia; cum hæreſi, & rebellione reus, flammis addictus fuit. Sic omnes auctores, conſiliarii, adminiſtri, fautores Anglicanæ rebellionis peſſimo fine a Deo puniti. Nec hactenus divinæ vindictæ finis; ſiquidem imminet adhuc illi regno exertus divinæ juſtitiæ gladius. Tragici caſus ipſis uſque Regibus fatales, ſeditiones & tumultus ſuſque deque regna illa turbantes, irati cæli ſigna ſunt manifeſta. Quæ dicta ſint prudenti, & diſcreto lectori.

15. *Philippus II. Hiſpaniarum, Carolus IX. Galliæ Reges, Dux Guiſa, Proteſtantium hoſtes, infauſto fine deceſſerunt.* Sic habes *pag.* 83. Philippus II. in Hollandia non Proteſtantium religionem, ſed rebelles ſubditos perſequutus eſt; inter quos nedum Calviniſtæ, ſed & Catholici, & Eccleſiaſtici plurimi habebantur: expeditio tamen adverſus Eliſabetham facta, erat ad reparandam in illo regno Catholicam fidem. De morte filii, occulta omnino cauſa; de qua quiſque ſuo ſenſu arbitrabatur. Quamobrem non capio, quod abſolute ſcribas id accidiſſe vel ex ſuſpicione pellicatus cum Noverca, vel adhæſionis Proteſtantium religioni. Primo lædis juvenis Principis honorem, altero pietatem, qua omnibus Sacramentis munitus mortem ſubiit. Gravius miror a te adſtrui tam inclytum Regem infauſtæ morti ſuccubuiſſe; cum glorioſiſſime dies ſuos clauſerit, contextis diademati ſuo regnis multis, & ad extremum illo Luſitaniæ. Quod autem (ut ais) *pædore* diſſolutus fuerit, nil evincit. Aliquo morbo moriendum. Et ex Philippi pietate putandum eſt id accidiſſe potius in penſum humanæ naturæ, quam culpæ. Carolum IX. ſilentio præterire melius tibi fuerat; cujus mentio tot commemorat conjurationes a perduellibus Proteſtantibus intentatas adverſus hujus Principis vitam. Hinc contigit (ut tua utar phraſi) *cruenta laniena S. Bartholomæi*. Rex norat intentatam ſibi a conjuratis Calviniſtis mortem quid conſilii tum, quam vitare periculum, conjuratorum occiſione? Revera Collignì conjuratorum caput a Parlamento damnatus fuit. Mirum ſane. Erga regiam Angliæ domum tu pientiſſimus, conjuratos in conjuratione *Pulveraria* centies in hoc opere execraris; & pœnas iſtis inflictas impenſe probas, quanquam innocentes cum reis plerunque caderent. Verſa vice hìc Rex palam quæſitus ad necem, tyrannus habetur, dum de perduellibus ulciſcitur. Unde tam varii affectus? Nimirum, illic Principum Proteſtantium vita periclitabatur; idcirco conjuratio terret, vindicta commendatur. Hìc Catholici Principis vitæ inſidiabatur; idcirco execratur vindicta, & regicidium delectat, ferme ac ſumma impietas eſſet invadere Regem, Deo, & Eccleſiæ rebellem; pietas vero & religio Regem occidere, rebelles & perduelles ſubditos occiſione punientem: quapropter hi inter Martyres recenſentur, & Rex ultor tyrannide culpatur. Illi vero, ſceleſtiſſimi

ſimi rebelles reputantur, & Rex ultor, magnanimus ac juſtus Princeps commendatur. Ita plane. Verum Carolo parum profuit laniena Sancti *Bartholomæi*, quoniam aucta ex cæde hydræ capita, vix emenſo anno, nova conjuratione Regem invadere tentant. Deprehenſis & tortis inſtigatoribus, Carolus interim moritur, ex ſuſpicione veneni, quod tam inuſitatæ & moleſtæ ſuæ infirmitatis cauſa fuit. A quibus autem propinatum fuerit hoc venenum, facile ex circumſtantiis deduci poteſt; quo apparet num Caroli IX. mors inter caſus perſecutorum fidei recenſenda ſit. Miror etiam de te, qui audeas hic commemorare Ducis Guiſæ mortem. Atrox enimvero fuit hujus Principis cædes, peracta a proditore Poltrozio. Verum & hæc machinata fuit a pia pſeudoreformatione, & promotorem habuit Theodorum Bezam. Hac induſtria facile omnes Catholicos Principes interceptos infauſtis caſibus accuſare poteſtis, ſi veſtræ pſeudoreformationi non aſſentiantur.

16. Funeſtiſſimum, ac perenne exemplum perſecutorum Eccleſiæ præbet Græci Imperii extremus caſus. Vix quippe ab Eccleſia Romana ſegregatum, paulatim ruere, & declinare cœpit uſque ad internecionem. Toties perjurum quoties reconciliatum, ſenſim provocavit iram Dei; qua demum capto Byzantio, extinctum penitus periit. Superſtites autem reliquiæ miſeræ Græce gentis, fœda ſervitute, ut Hebræi, premuntur, vectigales, & mancipia Turcarum. Quæ calamitas a Nicolao V. *ann.* 1450. prædicta, & comminata fuit; qui (ut notat Alexander Natalis (*Sæculo XV. & XVI. Hiſtoria Eccleſiaſtica cap.* 8.) ratus Conſtantinum Paleologum moroſum & alienum a publicanda, & ſervanda ſancta unione jurejurando ſtatuta in Concilio Florentino, ipſum litteris ſuis monuit, niſi ſchiſma tolleret, ablaturum illi Deum infra tres annos urbem, & Imperium ſuum: quod (heu nimium) impletum eſt anno 1453. Hoc horrendum ingens fatum confirmat aſſumptam a Patre Segneri veritatem, nimirum veræ fidei perſecutores plerumque infauſto fine perire. Videatur Euſebius *lib.* 2. *Demonſt. Evang. cap.* 51., ubi a ſiniſtris caſibus perſecutorum Chriſtianæ religionis probat variis Scripturæ textibus Chriſtianæ religionis veritatem.

CAP. VI.

Firmitas ſignum veræ Eccleſiæ.

§. I.

Num Idololatria & Græca Eccleſia conveniat.

1. Pater Segneri ex *Firmitate*, & *Conſtantia*, Catholicæ Romanæ fidei veritatem evidentiſſime probat. Tu Picenine *hanc notam eſſe propriam*, & *diſcretivam* negas (*Apol. cap.* 7. *pag.* 84.). *Babylonia etiam* (ais) *in Apocalypſi* (18. 7.) *gloriatur: Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo. Hæc eadem Eccleſia Romana ſtropha: Sedeo Regina, Mundi Domina, Sedes univerſi, Unitatis centrum, Caput univerſæ Eccleſiæ. Vidua non ero, Spiritus Sanctus meus vere Sponſus mecum in æternum manebit. Papam habeo Eccleſiæ Chriſti Sponſum, veracem Doctorem, Oraculum infallibile. Luctum non videbo, immunis ſum ab erroribus. Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabo, & conculcabo Leonem & Draconem. Portæ Inferi non prævalebunt adverſum me. En inanis & fallax aſpectus. En reciproca Babylonis, & Roma gloriatio.* Sic Babyloniæ, ut ſoles, Romam aſſimilas. Babylonia tamen quia inaniter gloriabatur, ideo *Cecidit cecidit Babylon magna.* (Apocal. 18. 1.). Eccleſia Catholica Romana mille ſeptingenti quadrageni ſeptem anni ſunt, quibus ſic gloriatur, & adverſus tot hæreſum impetus, tot conatus inimicorum, non cecidit, quin firmior & conſtantior throno inſidet. Non igitur pares Babylon, & Roma. Cecidit

dit Babylon, & cecidit quia ſedem fixerat in deliciis, in potentia ſua, in divitiis ſuis. Stat Roma, de qua dicimus *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* ſed ſtat ſedes poſita in promiſſis Chriſti infallibilibus.. Audiatur D. Auguſtinus (*tract. 124. in Joan.*) ubi loquens de D. Petro claves Eccleſiæ recipiente, ait: *Univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſeculo diverſis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram, unde Petrus nomen accepit.* Et alibi (*lec. 1. de Symbolo ad Catech. cap. 6.*): *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia catholica, contra omnes hæreſes pugnans; pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferorum non vincent eam.* Petro: Quæ iſta Eccleſia firma, & manens, in Chriſto fundata, de qua S. Petrus nomen accepit? Quæ iſta *ſancta, una, vera, catholica,* contra omnes hæreſes pugnans, quæ expugnari non poteſt; a qua exierunt omnes hæreſes, ipſa autem manet in radice ſua; quam portæ inferorum non vincent? Quæ? Nonniſi illa, quæ adhæſit Petro, & ſucceſſoribus ſuis. Profecto iſta eſt *ſancta, una, vera, catholica, invincibilis, firma* Auguſtino, qui adverſus Donatiſtarum ſchiſma in Eccleſia Romana potiſſime tenebatur hac ratione: *Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli... uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* (*Aug. 1. cont. Epiſ. fund. c. 4.*). A qua Eccleſia exierunt, tanquam ſarmenta inutilia, Arii, Neſtorii, tum etiam Lutheri, Calvini, Zuinglii, niſi ab Eccleſia Romanæ obedientiæ? Hæc adverſus omnes pugnavit, a nullo unquam expugnata in ſua vite manſit, ut alibi oſtendam. Huic igitur *firmitatis*, & conſtantiæ gloria debetur. Ex quo jam probatum *firmitatem* notam eſſe veræ Eccleſiæ; & hanc uni Romanæ convenire.

2. Babyloniæ jactantia, malitia tua Romanæ Eccleſiæ afficta, ſi recte perpendatur, tuæ pſeudoreformationi maxime arridet. Enimvero Babylon magna in Apocalypſi (*cap. 18. 3.*) deſcribitur: *De vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti ſunt.* Hæc nimirum ipſa eſt Eccleſia pſeudoreformata, magna facta de vino iræ apoſtaſiæ, & fornicationis Lutheri, & de ſtupris ſacrarum virginum; Angliæ autem de proſtitutionibus, & adulteriis Henrici Regis. Ad hanc confugientes, divites facti ſunt Principes & populi terræ de latrociniis Eccleſiarum, de prædis monaſteriorum direptis a fornicariis, & mercatoribus ſuis. His prædis ædificata eſt Babylon iſta; dum (referente Joanne StoW in præfatione ſuæ Chronicæ) præcipua ratio amplectendi pſeudoreformationem in Anglia fuit, quia inito calculo compertum eſt, ex bonis religioſis inſtitui poſſe quadragenos Comites, ſexagenos Dynaſtas, ter mille Equites; & quadragenos mille ſtipendiarios milites cum Ducibus ſuis conduci. Ad hanc confugientes Babylonem in deliciis vivunt, nullo coacti fræno, ſine votis, ſine abſtinentiis, ſoluti ab *auriculari* confeſſione, ab omnibus præceptis, præter illa ſola legis. Mitior ne, ac ſuavior eſſe poteſt hæc Eccleſia, ne dicam Babylonicum ſcortum? *Flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt .... Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius.* (*Apoc. 18. 9. 11.*). Quot autem flebunt cum Angelus Dei deſcendens clamabit: *Cecidit cecidit* pſeudoreformatio magna? *Flebunt* Principes, & populi, qui effræni licentia, & diſſoluti vixerunt, cum Dei ira compediti cruciabuntur. *Flebunt* negotiatores iniquitatis, qui de prædis & latrociniis Eccleſiarum, & monaſteriorum luxurioſe viventes, compellentur reddere quæ ſunt Dei

 Deo.

Deo. Hæc vera Babylonia de ſe gloriatur: *Sedeo regina*; dum ſibi lex eſt, nec in terris ullum ſupremum caput agnoſcit. *Vidua* non eſt, quia nunquam innupta. *Luctum* non videt, quoniam fornicatur in deliciis, & voluptatibus. De tua igitur Picenine Eccleſia vaticinabatur Sanctus Joannes; de qua, Deo dante, prophetia implebitur. Angelus quippe Dei devaſtator Babelis Arianæ, Neſtorianæ, deſcendet aliquando ſubverſurus hanc novam Babylonem erectam adverſus Sanctuarium a Luthero, & Calvino: quæ nunc inflatur, oſtentans ſe ab unguiculis dilectam illuminatam a Chriſto, tot incautas animas hac illuſione ſeducens. Interea Roma non cecidit, ſed ſedet robuſtior, & firma; quæ dum non cecidit quaſſata ab Ario tot Principum præpotentia annitente, minus cadet paucis apoſtatis & profugis fruſtra contendentibus. Male audiet apud te Picenine hoc paradigma, nec tamen ego primus inſtitui. Caſtalio ex proteſtantibus, Genevæ Eccleſiam ſic deſcribebat: *Vocant Genevam ſuam ſanctam civitatem, & congregationem Jeruſalem. Sed nos veriſſime ei dicimus: Oh Babylon, oh Egypte, impoſtores Ægyptii, & Babylonici incantatores; oh infamem Sodomam, & infames Gomorrhæ!* Si amico Proteſtanti talia licent; ſane & mihi.

3. In ſtadium redeamus. *Firmitas* (ais) *inanis, & fallax eſt veræ Eccleſiæ aſpectus. Quippe ſi veritatis nota diceretur, quomodo occurrent Jeſuitæ paganis, ſuam idololatriam longiſſimo annorum curriculo manentem protendentibus?* Facile occurrent. *Firmitas* quippe, quæ nota eſt veritatis, non ex ſola annorum dimenſione penſanda, ſed maxime quod pugnata & expugnata, in ipſa temporum dimenſione valida & inconcuſſa reſtiterit; ut Auguſtinus ait: *Pugnare poteſt, expugnari non poteſt.* Id ab idololatria oſtendi nequit. Vel enim antiqua proferatur; hæc quamvis Orbi dominaretur, terrena prævalens potentia, nihilo tamen minus cecidit proſtrata a veritate Evangelii, quod enuntiarunt duodecim diſcalceati, ac pauperes, eorumque ſucceſſores, a nullo protecti, immo omnibus inviſi, ubique infectati; qui conſtantiores, & victores inter cædes & perſecutiones, dirutis & fractis idolis, adorandum Crucis vexillum ſuper idololatriam erexerunt. Vel de noſtrorum temporum idololatria ſermo ſit; hæc in ultimis terræ finibus exul non impugnata manet. Verum Evangelii tuba ex ore Apoſtolici viri inſonante, victa cadit. Quondam Occidentalibus Indis dominabatur; nunc vix ejus veſtigia ſuperſunt. In Orientalibus magna ex parte fugata, Chriſtianæ religioni locum cedit, & thronum. Id oſtende, ſi vales, de vera Eccleſia Chriſti.

4. Inſtas pag. 85. *Quid de Græcis dicendum, qui diuturnam, nec interpolatam exhibent ſuorum Epiſcoporum ſeriem, ſucceſſione doctrinæ ornatam? Hi (dicet Segneri) ſectarii ſunt, Papæ rebelles. Verum cur hi adhærere debent Romano Epiſcopo ceu univerſæ Eccleſiæ capiti, cui non adhæſerunt prædeceſſores ſui? Græci accuſant Latinos qua ſectarios. Sectarius apud ipſos Victor Papa, qui anathema intentavit adverſus Eccleſias Græcas, cum Latinis diſcordes in celebrando Paſchate. In ſumma ſectariam habent Eccleſiam Latinam, ſegregatam a Græca ex parvi momenti articulo, nimirum illo de diverſitate proceſſionis Spiritus Sancti. Qua porro ex his duabus vera eſt Eccleſia? Quæ jure firmior, & conſtantior dicenda erit?* Nego Eccleſiam Græcam ſchiſmaticam poſſe modo diuturnam, nec interpolatam exhibere ſuorum Epiſcoporum ſeriem, ſucceſſione doctrinæ ornatam. Ex quo a tribus Oecumenicis Conciliis, Lugdunenſi, Lateranenſi, & Florentino hæretica eſt habita, præciſa fuit integra & illuſtris illa ſeries ex Athanaſiis, Chryſoſtomis, Cyrillis contexta: & quotquot inde irrepſerunt, non paſtores, ſed lupi cenſendi ſunt. Succeſſio pariter doctrinæ infecta fuit variis erroribus ab antiquis Græcis deteſtatis, ut oſten-

detur;

Digitized by Google

detur; quique nec tibi placere poſſunt. Falſum veteres Græcos univerſæ Eccleſiæ caput Romanum Epiſcopum non agnoviſſe; quippe qui primæ Sedis honorem ipſi deferebant in Conciliis ſuis, & confirmationis oraculum ab ipſo attendebant: quod oſtenſum eſt ſupra *Cap.* 4. §. 3. *num.* 16., & alibi denuo oſtendam. Orientales Epiſcopi ad ipſum confugiebant. Judex appellationis pro damnatis a ſuiſmet Conciliis habebatur. Quæ ratio non ipſi certe ut Patriarchæ Occidentali competebat; adeoque ut univerſali Eccleſiæ capiti. Præ ceteris caſibus id praxi habitum in cauſa Neſtorii; cui opponens ſe Cyrillus Alexandrinus, illico certiorem fecit Cæleſtinum Papam, hac præſertim notanda formula: *Beatiſſimo, Deoque dilectiſſimo Patri Cæleſtino, in Domino ſalutem*.. Noverat igitur illum ſibi dignitate præeminere. Epiſtolam autem ſic inſtituit: *Vetus conſuetudo Eccleſiarum ſuadet, ut ejuſmodi res Sanctitati tuæ communicentur*. Vetus itaque orbis conſuetudo erat hæreſum cauſas Apoſtolicæ Sedi deferri. Neve videantur tibi hæ litteræ nuntiatoriæ dumtaxat, & conſultatoriæ, attende ſequentia: *Non prius autem illius* (Neſtorii) *communionem palam aperteque deſerimus, quam hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc ſentias præſcribere, quo liquido nobis conſtet, communicare ne nos cum illo oporteat; an vero libere eidem denunciare ... Porro tuæ integritatis mens, & ſuper hac re ſententia, piiſſimis, Deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, necnon totius Orientis Antiſtitibus perſpicue per litteras exponi debet*. Hæc epiſtola habetur prima parte Concilii Epheſini *c.* 14. Divus itaque Cyrillus recedere palam a communione Neſtorii non audebat, non attenta prius Cæleſtini, & Apoſtolicæ Sedis ſententia. Cæleſtini mens cunctis Orientalibus Epiſcopis exponenda erat, ut unanimi conſenſu reciperetur. Et factum eſt ita. Indictum a Cæleſtino, & hujus vice præſide Cyrillo coactum eſt Concilium Epheſi. Præfuit ejus nomine Cyrillus; & juxta Cæleſtini reſcriptum depoſitus fuit Neſtorius. Videatur ſententia apud Evagrium (*lib.* 1. *Hiſt. cap.* 4.), in qua Epiſcopi fatentur illum damnare *adigente canonum auctoritate, & Epiſtola Sanctiſſimi Patris & Collegæ noſtri Cæleſtini, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi*.

5. Eutyches a Flaviano damnatus in Concilio Conſtantinopolitano I., Divum Petrum Chryſologum Ravennatenſem Epiſcopum quæſivit mediatorem apud S. Leonem Papam. Eutyches itaque noverat Concilio præeminere Romàni Epiſcopi auctoritatem. Attendatur quid ad ultimum ipſi Chryſologus reſpondeat (*Epiſt. ad Eutych. apud Alexand. hiſt. Eccleſ. ſec.* 5. *cap.* 3. §. 5.): *In omnibus autem hortamur te, ut his, quæ a Sanctiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas. Quoniam* (bene nota) *Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei, extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus*. Judex ergo univerſæ Eccleſiæ in cauſis fidei eſt Romanus Pontifex: & revera ad hunc appellavit Eutyches. Papa ſcripſit Flaviano (*Epiſt.* 7. *ſive* 20. & 21.) denuncians acceſſum, quærens ab ipſo cognitionem cauſæ. Quid tum Flavianus? Sprevit appellationem? Accuſavit ne de jure læſo, quaſi ſuum non eſſet judicatas ab orientalibus Epiſcopis cauſas inquirere? Flavianus ad S. Leonem tum Papam reſcripſit, & ipſa acta Concilii ad ejus manus retulit. Cognita veritate S. Leo (*Epiſt.* 22. 23. 24.) patrocinium ſuum Flaviano ſpopondit adverſus Eutychetem; qui ſentiens ſe ab univerſali Eccleſia damnatum, ad Imperatorem Theodoſium confugit: antiquum hæreticorum vitium, Eccleſiæ judiciis ſeculari poteſtate vim facere. Theodoſius novum Concilium, ſive conciliabulum Epheſi indixit, cui præfuit Dioſcorus. Papæ Legatis defuit proprius locus, idcirco Con-

Concilium illud vocatum eſt *Prædatorium*. Mortuo Theodoſio, ſucceſſor Marcianus acta illa reſcidit, Papæ Legatos honorifice ſuſcepit, & convocatum fuit Chalcedonenſe Concilium, cui per Legatos ſuos S. Leo præfuit. Dioſcorus a Legatis interrogatus fuit quare *cum judicandi perſonam non haberet, præſumpſit, & ſynodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ: quod nunquam factum eſt, nec fieri licet*. Approbante Concilio, auditis adverſus ipſum accuſationibus, ſolemniter exauctoratus fuit. Depoſitionis hæc formula, quæ & in actis Concilii Chalcedonenſis (*Act.* 3.) legitur, & apud Evagrium: *Idcirco Sanctiſſimus ac Beatiſſimus magnæ & ſenioris Romæ Archiepiſcopus Leo, per nos, & per præſentem Synodum, una cum beatiſſimo, & omni laude digniſſimo Petro Apoſtolo, qui* (attende) *petra & baſis eſt Eccleſiæ catholicæ, rectaque fidei fundamentum, Epiſcopali eum dignitate exuit, & ab omni ſacerdotali officio alienum cenſuit*. Eadem actione & eventus rei nunciatus eſt S. Leoni, & datæ preces ut acta confirmare Apoſtolica auctoritate dignaretur. Epiſtola incipit: *Repletum eſt gaudio os noſtrum*. Reſcripſit S. Leo, & cuncta confirmavit, præter decretum Primatus Conſtantinopolitani Epiſcopi ſupra Antiochenum, & Alexandrinum. Confirmatio habetur *Epiſt.* 59., & incipit: *Omnem quidem fraternitatem veſtram*. Duobus hiſce geſtis, præter tot alia ſuo loco referenda, agnoſce Picenine num Græci, ſegregatione ab obedientia Romani Pontificis veraciter aſſerere valeant, ſucceſſionem ſervare doctrinæ ſuorum Majorum; tum etiam Romanam Eccleſiam juſta ratione illos habere tanquam ſarmenta inutilia a vite, & putrida membra a capite præciſa. Porro non capio cur tibi articulus proceſſionis Spiritus Sancti levis momenti videatur. Vel enim hunc Scriptura docet, vel non. Si non docet, cur illum credis? Si docet, ejuſdem momenti ac ceteri in ea contenti habendus erit. Verum cum alterius rei hæc quæſtio ſit, tractanda tum occurret, cum inutilis oſtendetur diviſo articulorum *in fundamentales, & adiaphoros*. Pro nunc prudens lector attente conſpice Eccleſiam Romanam, & Græcam; atque illam vide uniformem ſemper in ſuo ordine & ſplendore manere: iſtam vero poſt ſeparationem obtenebratam, ac ferme contritam jugo Othomanæ tyrannidis, cum antea tam præclare niteſceret. Ex quo diſcernas, cui *firmitatis, & conſtantiæ* character debeatur.

6. Dum tamen negas *firmitatem* notam eſſe veræ Eccleſiæ, Calvino tuo contradicis; qui poſtquam probavit hanc veram eſſe ipſius Eccleſiæ effigiem, concludit: *Unde ſequitur fieri non poſſe, ut Diabolus cum toto Mundi apparatu Eccleſiam unquam deleat, quæ in æterno Chriſti ſolio fundata eſt*. Videris tamen aliud te verſare conſilium, privandi ſcilicet hac dote Romanam Eccleſiam; *pag.* quippe 85. ais: *Pater Segneri ſupponit Eccleſiam Romanam firmiſſimam eſſe, & ejuſdem rationis, ac ætate S. Pauli; neque in eam ullum irrepſiſſe errorem &c. ſed fallitur oppido &c.* In ſumma prætendis, Romanam Eccleſiam diverſam penitus eſſe & in doctrina, & in regimine ab illa, quæ Apoſtolorum temporibus vigebat. De more aſſeris quod non probas. Si hoc grave diſcrimen palam irrepſiſſe prætendis probare debes Miſſæ Sacrificium novam eſſe cultus ſpeciem: Indulgentias nova eſſe figmenta: Romanum Epiſcopum quondam habuiſſe Primatum ordinis tantum, non juriſdictionis: priſcam Romam in ſacris myſteriis ſolam vulgi linguam adhibuiſſe, non illam ſapientum; huncque ritum omnibus fuiſſe neceſſarium. Id te probaturum aſſeris, & ego libenter audiam. Verum æquum videbatur id prius probare, quam audacter aſſerere. Ego aſſero, quod & probabo, retentum fuiſſe ſemper in Eccleſia Romana circa doctrinam, & cultum, quidquid in præſens tenetur: ſi quid autem variatum fuit, circa ritum dumtaxat

taxat

taxat factum eſt ; & hoc validum præſtat ſuæ *Firmitatis* argumentum. Atque e contra aſſero, quod & probabo, quæcunque a Pſeudoreformatis Eccleſiis nunc proponuntur, nova prorſus eſſe; vel ſi nova non eſſe effutias, errores eſſe contendam ab antiqua Eccleſia proſcriptos. Sic apparebit quinam ſit *novus ille Rex Ægypti ignorans antiquum Joſeph*.

§. II.

Num Firmitas novis Eccleſiis a Catholica ſegregatis competat.

„ 7. Accedant (ait P. Segneri) „ reliquæ ſectæ; proferant „ conſtantiam ſuam. Favore terre- „ næ potentiæ vix deſtitutæ pere- „ unt. Supercilio Principis exter- „ minantur.„ Cui reponis pag. 85. *Ferat ille Pater, ſi falſum aſſero quidquid pro vero ipſe venditat univerſa Italia. Falſum in Galliis abſque vi, abſque proſcriptione bonorum, & perſonarum detentione, ſolo unius prudentis Regis conſilio, proſtratas fuiſſe Proteſtantium Eccleſias: minus etiam verum quod de Anglia aſſerit, ferro nempe, & igne ibi Catholicos ſuos perſequi*. Audi, Picenine, neque iraſcaris. Id ego aſſero. Quomodo Ariana hæreſis tamdiu in Oriente prævaluit, & in Occidente, quamdiu illic ab Imperatorum potentia, iſthic a protectione Regum Hiſpaniarum regebatur: ſic ſectæ Lutheri & Calvini in præſens nec reſpirandi facultate fruerentur, niſi terrena Principum aura inflarentur. Revera niſi a Friderico Saxoniæ Lutherana ſecta nutrita fuiſſet, adeo ne Germaniæ adoleviſſet? Niſi Magiſtratus Genevæ Calvini ſectam a Galliis exulem Genevam recepiſſet, ubinam gentium eſſet? Tot Sectæ Angliæ incubantes, nuſquam ibi, niſi eas & unius Regis libido, & ſucceſſorum favor aſylum præſtitiſſet. Sic ortæ, ſic dilatatæ hæreſes: vera tamen Eccleſia non ſic. Adorta, oppugnata a terrena potentia, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, pullulavit; ex ſeipſa inolevit, propagata eſt in conſpectu perſequentium eam. Hæc ſane vera conſtantia; cujus conſtantiæ magnanimum exemplum inter ceteras Romana præbet Eccleſia, virtute & ſanguine fundata ſuorum, qui eam erexerunt, & erectam conſolidarunt. Bene habet Pater Segneri: Si Ugonottica fides vera erat, cur ad unum Magni Ludovici grave ſupercilium evanuit in Galliis, quaſi nebula a Sole percuſſa? Non torvo ſupercilio, ſed ſecuribus & ſuppliciis ſæviebant antiqui Imperatores, & fides Chriſti quin trepida fugeret conſtantior inſtabat. A Conſtantiis, Valentibus, aliiſque Arianis Principibus fides Catholica oppugnabatur, nuſquam expugnabatur. Dicis *falſum in Galliis tuorum ſanguinem non fuiſſe effuſum*. Aliis temporibus Calviniſtarum ſanguine Gallias fuiſſe conſperſas hiſtoriis traditur; ſed traditur etiam id factum, quia ſeditionibus, & vi, depravatio & violatio fidei Chriſtianiſſimi illius Regni intentabatur; quod auſum præpotentiis, & armis, vim vi expellere opus fuit. Verum ſub Magni Ludovici regimine ubi ſecures, ubi carnifices, ubi ſupplicia a te mendaciſſime exaggerata? Neque enim apud Antipodas, ſed Italiæ ſumus, ubi facile inſuſurraſſet murmur horrendæ ſtragis, quam venditare impudentiſſime niteris. Pœnas exegit ab aliquo, forte vel ex violatione rei ſacræ, vel ex enormi ſacrilegio a Chriſtianiſſimo Rege impune non ferendo. Exules illos fecit, ſed contumaces & rebelles legibus ea pœna multavit, qua in ſectarios antiqui etiam Imperatores animadvertebant, ut ſupra dictum eſt *Cap. 3. §. 6. num. 24.* Quamobrem ex geſtis Angliæ ſic diſſero. Calvini ſecta in Galliis manſit, quouſque habuit Principes eam fortaſſis ex metu ferentes. Inſurgente magno Ludovico, nullo ejus amore, nec timore capto, illico evanuit. Ergo verum Pſeudoreformationem inniti totam potentiæ & favori Principum, quibus

bus ſublatis, ſtatim corruit. Hanc nunc alteri comparemus. Quid non tentatum Angliæ ad exterminium Romanæ religionis? Quid ad hæc edicta, & exilia magni Ludovici? Volvantur hiſtoriæ, & patebit ab Henrico VIII. uſque nunc nil omiſſum, nil non terribilius expertum, ad eam funditus evellendam. Ceſſit ne illa? Immo profundius imis radicibus adeo inhæſit, ut ſicut antiqui tyranni, ita nuperi perſecutores imponi, ita nuperi perſecutores impotentiam ſuæ feritatis furenti deſperatione accuſent; illam conſpicientes ſub ipſa falce perſecutionis feracius germinantem. Ea commemoro, quæ noſtris cernuntur oculis; idcirco ſuperfluum ea fuſius tractare.

8. Audacter tamen hæc omnia expreſſe negas, & pag. 87. petis: *Qui ſint hi laici, & eccleſiaſtici Angliæ tam male habiti? Loquitur ne de Garneto, aliiſque ejuſdem furfuris? Sudore frontis madeſcent Jeſuitæ, ſi probandum aſſumant quod noſtri Angliæ, religionis cauſa, unum dumtaxat addixerint morti.* Et tamen nullo meæ frontis ſudore, vel P. Bartoli, ad quem lectorem miſi *cap.* 3. §. 4. *num.* 11., commenti tui falſitatem oſtendi. Recolantur jam ſcripta, & quæ refert P. Bartoli; & conſtabit Garnetum, alioſque, religionis cauſa revera fuiſſe damnatos. Profecto ad vitandum odium, læſæ majeſtatis, conjurationis, & rebellionis crimina fuere ipſis impoſita. At jam dixi ſi *Rebellio* apud te ſit negare Henricum VIII., Eliſabetham, alioſque Reges capita, vel ſupremos rectores Eccleſiæ Anglicanæ in eccleſiaſticis, & ſpiritualibus; non contendam. Verum hoc, quod *rebellionem* appellas, eſt religionis Articulus, pro quo qui paſſi ſunt, vera religionis cauſa paſſi ſunt. Didicerat autem Eliſabetha a priſcis tyrannis iniquiſſimum hujus fraudis artificium, falſa ſcelerum impoſitione ſui furoris inſaniam juſtitiæ zelo obtendere, ut impune tot innocentum vitas perderet. Cum enim dum palam ſimul adeſſe prohiberentur, clam & in ſpeluncis convenirent, conjurationis, & rebellionis crimine rei traducebantur; de quo dolens Tertullianus in *Apolog. cap.* 7. *adverſus Gent.* ajebat: *Longe aliud munus carnifici in Chriſtianos imperatis: non ut dicant quæ faciunt, ſed ut negent quod ſunt.* Quod aſſentatores Henrici, & Eliſabethæ imitabantur. Notabant Catholicos, qui quaſi columbæ tonitru territæ feralia timentes edicta, latebras quærebant ad orandum, ad ſacra peragenda, & ut invicem hortarentur ad tolerantiam paſſionum, pro veritate fidei, & Eccleſiæ, ac ejus capitis incolumitate; hinc protinus ſeditionis rei in judicium trahebantur. Hic aliam penitus cauſam dicere, quam illam Catholicæ religionis cogebantur: *Longe aliud munus carnifici in Chriſtianos imperatis: non ut dicant quæ faciunt, ſed ut negent quod ſunt.* Si quod erant, nempe catholicos ſe, negaſſent, pacato judicio innocentes dimittebantur. Hæc *Campiani* rebellio, conſpirationis cauſa in perſonam Reginæ damnati, una cum ſeptem ſociis; qui tamen nunquam niſi in locum judicii ſimul convenerant: immo nec alter alterum unquam viderat, nec penitus noverat. Sic *Someruil* nobilis laicus, ſic *Hugo Hall* ſacerdos conjurationis crimine rei habiti ſunt. Catholici profeſſio non negata, apertum conſpirationis crimen erat adverſus Eliſabetham. Non ſolis ſtare Picenine debes dictis tuorum contra *Papiſtas*; hiſtoriis nempe *Burneti*, *Jurieu*, & hujus notæ ſcriptorum, quibus religio eſt *rebellionis* infamia vexare Catholicæ fidei confeſſores.

9. Profecto ſi ſolos audias Hebræos, Chriſtum credes *ſeditioſum* læſæ majeſtatis reum mortuum fuiſſe. Audies eos dicentes: *Invenimus hunc ſubvertentem gentem noſtram, prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Si fidem præſtes Proconſuli Galerio, fateri debebis S. Cyprianum mortuum conjuratio-

rationis auctorem adverſus *Gallienum*, & *Valerianum*. Inquies Hebræis nullam habendam fidem, utpote Chriſti juratis hoſtibus, nec Galerio gentili, Chriſtiani nominis inimico. Porro te tuam, & meam me adhibere fidem Calviniſtis tentas, inſenſiſſimis Catholicorum hoſtibus; qui non quæ geſta ſunt, ſed quæ bene ſibi verterent, hiſtoriis ſuis exararunt? Ea legere debebas, quæ coætanei & oculares hiſtorici ſcripſerunt. Et accepiſſes apud Sanderum (*in Diario rerum geſtarum Aſt. in Tur. Londin. an.* 1580. 15. *Junii*) *Guilielmum*, & *Robertum Tarviti*, nobili genere fratres, turri detentos, quia in ſororis nuptiis indiciati fuerunt audiviſſe Sacrum. Anno 1582. *Guilielmum Lacium*, *Richardum Kirmannum*, *Jacobum Tonſonum*, *Guilielmum Hartum*. *Richardum Terchellum*, *Sore* ſupplicio damnatos hac una de cauſa, quia apud ſacerdotes auctoritate Papæ ordinatos, extra regnum confeſſionem abſolvebant. Anno 1583. *Joannem Sleidum*, *Joannem Bodeum*, *Wintoniæ* intrepide mortuos, non alia ex cauſa, quam quod negabant, juxta Dei verbum, ſupremam auctoritatem Reginæ in eccleſiaſticis. Anno 1584. 11. Januarii *Guilielmum Carterum* Londini morte punitum; hoc delicto reum, quod, profeſſione typographus, librum ediderat a *Gregorio Marteno* in laudem jejunii ſcriptum.

10. *Joannes Paſchalis*, & *Erramus Stevans* e contra, jam carceribus detenti, pœnarum metu abjurata Catholica religione, & fide data conveniendi ad Eccleſias Proteſtantium, liberi evaſerunt 1581. 15. *Januarii*. Anno vero 1581. 10. *Februarii*, *Georgius Duttonus* afflictus ſqualore carceris, & timens parata tormenta, acceſſit ad cœnam calviniſticam; & quanquam teſtatus ſit nolle cum ipſis communionem habere, nihilominus liber dimiſſus fuit. *Joannes Comptonus* typographus cum aliis in carcere detentus *an.* 1581. 13. *Auguſti*, quia terrore mortis a cuſtode ipſi comminatæ promiſit hæreticorum Eccleſias frequentare, illico ab omni reatu e carcere rediit abſolutus. Hæc & innumera alia citatus Sanderus. At quid plura? Si omnes Papam, & Romanam fidem abjuraſſent, nemo conjurationis rebellionis reus habitus eſſet. En probatum, noſtros mortem, & carceres fuiſſe perpeſſos religionis cauſa, palliata tamen prætextu læſæ majeſtatis; cujus reus non habebatur quiſquis Romanam negans fidem, Proteſtantium partes ſumebat. Hi Picenine ſunt Dei famuli ab Eliſabetha oppreſſi. Non Comites *Northumbriæ*, & *Weſtmariæ*; quamquam & hi mortem ſubierint nolentes abjurare Catholicam fidem, gratia vitæ hac conditione ipſis oblata. Non Dux *Nortfolciæ*, non *Guilielmus Pari*, non *Storius*; hi rebelles vere mortui ſunt, quos & deteſtor. At calumniam pariter deteſtor tuam, quam falſo imponis *Benedicto Palmio* Jeſuitæ, & Nuncio Papæ apud Venetos; hos approbaſſe dicens ſceleſtum conſilium a *Guilielmo Pari* propoſitum occidendi Eliſabetham. *Palmius* hunc miſit ad Nuncium *Campegium*, qui ad Papam ſcripſit. Verum dum e Roma attendebantur reſponſa, ſibi ille timens, a Venetiis profugus Luteriam Pariſiorum migravit; ubi eandem paſſus ſortem, a nemine ſcilicet ſuſceptus, nec auditus, in Angliam transfretavit. Hic perfidiæ convictus, & exhibita ab ipſo viris a conſiliis ſtatus propria confeſſione, nec unum ex Catholicis ſui parricidii complicem notare valuit; ut fert P. Bartoli ſub *die* 13. *Februarii* 1585. *in hiſtoria Angliæ*, *lib.* 4. *c.* 10. Cur autem hunc reticuiſti, qui nec Catholicus, nec Proteſtans, ſed verus fuit Atheus?

11. In gratiam Eliſabethæ *pag.* 89. duo proponis. Primum, frequenter hoc effatum adhibuiſſe, nimirum: *Conſcientias non auſteritate, ſed ſuavitate fore expugnandas*, quod & a Jacobo I. ſervatum aſſeris; quo inferas, ſub ejus regimine neminem religionis cauſa fuiſſe damnatum. Eliſabetham id dixiſſe non inficiar; geſta tamen dictis mentiebantur. Jacobum I. Regem Angliæ in ſuo Monitorio,

ſive Apologia teſtatum fuiſſe: *Hic neminem, ſive meis, ſive defunctæ Reginæ temporibus, conſcientiæ, ac Religionis cauſa ultimo ſupplicio affectum*, aſſentior. Debuerat enim utcunque occurrere accuſationi a Cardinali Bellarmino ipſi factæ in ſua Apologia. Veruntamen poſtquam teſtatus eſt cuipiam ſuam religionem palam profitenti: *Nullum ei impendet capitis periculum*; quid refert appoſita conditio: *Niſi comperto contra leges externo aliquo actu deliquiſſe, aut conjurationem, conſiliumve ſummæ rei pernicioſum iniiſſe*? Qui porro erit externus hic actus a conjuratione diſtinctus, quo quis fiat capitis reus? Statim proferam. Profecto erit Primatui Papæ aſſentiri, & Regem Eccleſiæ caput inficiari; Sacrum confeciſſe, imagines coluiſſe, religionis, & rituum profanationem reprehendiſſe; uno verbo erit antiquæ religionis proteſtatio, & novæ Calviniſticæ deteſtatio. Hæc delicta erant novis legibus prohibita, ſummæ rei, & perſonæ Regis non pernicioſa. Quibus ſi quilibet Catholicus capitis reus fiebat; qua ſinceritate Jacobus Rex aſſerebat: *Hic neminem, ſive meis, ſive defunctæ Reginæ temporibus, conſcientiæ, ac Religionis cauſa ultimo ſupplicio affectum?* Hæc quippe omnia externæ religionis proteſtationes erant. Sed ad Eliſabetham iterum; cujus morum ſuavitatem a te ampliſſime commendatam, nollem affectatæ Juliani Apoſtatæ ſuavitati fuiſſe ſimilem, de qua S. Joannes Chryſoſtomus (*Serm. de SS. Juventino, & Maximino*) acriter dolebat; quatenus hac ſuavitate uſus, in Chriſtianos magis quam terroribus, & ſuppliciis Julianus ſæviebat, dum illis raperet palmam Martyrii: *Qui cum videret res noſtras martyrum morte clariores fieri, & ea cauſa non ſolum viros, ſed & teneros pueros, virgineſque nondum nubiles, & in ſumma ex omni ſexu, & ætate quoſdam pro religione ad mortem proſilire, cruciabatur, & dolebat. Ceterum movere bellum manifeſte nolebat. Omnes enim, dicebat, ad martyrium, quaſi ad alveare apes, volabant.* Hac igitur tyrannica lenitate ſecum agebat. Temporalibus ſubſtantiis, gradibus, titulis illos privans, ſervata eis vita, ſic opprimebat. Similem repeto fuiſſe nollem Eliſabethæ ſuavitatem; de qua tamen univerſa Europa judex eſſe poteſt. Quæcunque vero illa fuerit, brevi qua in Juliano, qua in Eliſabetha duravit. Quod ſi Picenine neges, reſponde: Quæ ſuavitas erat & remiſſio erga conſcientias & religionem, omnes adigere ad ſubſcriptionem præfatæ formulæ, eam ſupremam gubernatricem in omni re eccleſiaſtica declarantis? Quique ſubſignare detrectaſſent; prima vice (ut refert Sanderus *de Schiſm. lib.* 3. *an.* 1559.) omnium graduum privatione, ac bonorum, & carcere eos multare; altera vice rebellium pœnis afficere? Conſcientiæ violatio non erat, primo ad ſex menſes, ſecundo ad annum, tertio perpetuo carceri mancipare Sacrum audientes? Quæ manſuetudo nobiliorem Clerum exilio & carcere punire, ſi novum profanum ritum reſpueret? Id profecto Romanam inceſſere religionem, & religionis cauſa hæc ſuſtinentes vexare. *Rebellionis cauſa*, repetis, fuiſſe vexatos. Verum jam dictum; inſtabo tamen iterum: Quid *rebellionis* nomine intelligis? Eliſabetha (ut dicebam) *rebelles* proſcripſit quoquot ſupremam in re eccleſiaſtica eam agnoſcere detrectabant. Si hæc *rebellio* apud te; libentiſſime aſſentimur, immo gloriamur, hujuſmodi *rebelles* habere: Dei tamen famulos, & ſocios eorum, qui nedum Angliæ, ſed per univerſum orbem a paganis Imperatoribus *rebelles* habebantur, nolentes iniquis eorum edictis obtemperare. Hac *rebellione* pie reum fateor *Jacobum Laburnum*, mortuum recuſantem obedire Eliſabethæ, & ſupremam Eccleſiæ dignitatem excommunicatæ negantem; cui illud elogium tibi adeo infeſtum optime convenit: *Laburni confeſſio & martyrium.*

12. Perperam hic petis, *pag.* 88.,

num

num inter Martyres antiquos quiſquam adſcriptus ſit, ſupplicio affectus quia rebellis, maledicus, ſeditioſus, & parricida fuerat in ſuum Principem? Jam oſtenſum eſt, neminem eorum, quos veneramur Martyrum, *rebellem, & parricidam* revera fuiſſe, aut in perſonam Principis maledicum: nec adhuc importune acquieſcis. Quocirca dico: Si tibi noſtri Martyres tales videantur; hujuſmodi etiam Paganis videbantur Martyres antiqui. Subdis: *Temporibus D.Pauli oratio fiebat pro Principibus paganis.* Nos etiam oramus pro paganis, hæreticis, ceteriſque infidelibus; non ut Deus propitius ſit infidelitati, ut zelo tuo velle videris; ſed ut ipſis veræ fidei lumen elargiri dignetur. D. Paulus præcipiebat orare pro Principibus paganis; ipſis tamen iniqua imperantibus obedire prohibebat. Si D. Paulus & ceteri Apoſtoli obtemperaſſent paganis Principibus, quomodo Evangelium orbi univerſo enuntiaſſent? Audiamus S. Petrum his reſiſtentem. Magnificabant Apoſtoli Jeſu Chriſti innocentiam, & Hebræorum perfidiam; idcirco in carceres conjecti ſunt, a quibus tamen miraculo liberati. Eos in concilio ſine vi conſtitutos *interrogavit Princeps Sacerdotum, dicens* (Act. 5. 28.): *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto: & ecce repleſtis Jeruſalem doctrina veſtra: & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.* Ad hæc Petrus reſpondit: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Sic Tertullianus (*lib. ad Scapulam, cap.2.*) dum a Gentilibus Chriſtianis exprobraretur: *Circa majeſtatem Imperatoris infamamur*; reſpondit: *Colimus ergo Imperatorem ſic, quomodo nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem.* Sic inclyti illi Dei famuli in Anglia. Præcipiendo præcipiebat Regina, ne de Papa, & Romana religione ſermo eſſet; timebatur enim tumultus in regno: quid tum magnanimi illi, quam cum Petro reponere: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus?* Circa majeſtatem Reginæ infamabantur; & hi cum Tertulliano: *Colimus ergo* (Reginam) *ſic, quomodo nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundam, & ſolo Deo minorem.* Nobis Deo contraria præcipit: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei* (illam) *potius audire, quam Deum, judicate.* Inſuper cum Tertulliano inſiſtere poterant: *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt ut diligat.* Quem tamen non a Deo datum, ſed jure reprobatum novimus, ipſi obediendo *rebelles* Deo conſtitueremur. Hominem autem audire potius debemus, quam Deum? Nobis non licet, ipſi non expedit: *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus. Colimus ergo Imperatorem ſic, quomodo nobis licet.*

13. Ne tamen ultra muſſites, neque noſtris Catholicis Angliæ confectis, tanquam *rebellibus* & *parricidis* inceſſere amplius audeas; eorum innocentiam a primo tot calumniarum artifice probatam nunc oſtendam. *Joannes Nicolaus Wallo*, hic ille qui funeſtiſſimam hanc inſtituit tragœdiam, malis artibus aſſentatorum Reginæ, & præſertim *Odoeni Optoni* Præfecti turris Londinenſis inſtigatione. Religione, æque ac tu, Calviniſta, ſed Romæ ſub Catholici larva, ſumptibus etiam pontificiis, ut ipſe fatebatur, commoratus, Angliam inde remeavit. Promiſſis & donis ſolicitatus, Catholicum, immo Jeſuitam ſe mentiebatur; quo facilius calumniis, flagitiis, conjurationibus, & Catholicos vexare, & fidem mereri poſſet. Regimen (ut tu ſentis) obtinuit, ſub quo ſemel accuſatus quiſquam, ſtatim reus: quod ipſe Julianus apoſtata deteſtabatur, cujus effatum celebre eſt: *Quis erit innocens, ſi accuſare ſufficiat?* Suis fraudibus detenti, & ſupplicio affecti plurimi, qua parricidæ. Verum cernens tot innocentum ſtrages dolis ſuis partas, & ſe deluſum & vacuum ampliſſima tot promiſſorum ſpe; ſive a ſyntereſi ta-

ctus, ſive potius ab infamia, ex ſui notitia evulgata a *Patre Perſonio*, libro inſcripto *Detectio Joannis Nicolai*, ſive demum deſperatione actus, ſiſtit ſe coram Cæcilio ſummo regni quæſtori, & teſtatur falſum quidquid adverſus Catholicos indicaverat. A quæſtore non auditus, intimum a ſecretis Reginæ adiit, eadem denuntiaturus; ſed repulſam etiam hic paſſus, alter Judas, vel Cain non inveniens requiem, nedum Præfectum Londinenſis turris perfidiæ ſuæ inſtructorem de ſua confeſſione certiorem fecit; ſed monuit etiam Lucam Chirbeum Sacerdotem, ſui cauſa capitali ſententia damnatum. Poſtque deſperatione profugus, per Germaniam ad Turcas properabat, ut experientia diſceret num inter Turcas conſcientia minus improba religioſa negotia agerentur. Impeditus tamen plurimis difficultatibus, dehortante etiam ſui itineris ſocio, in Galliam remeavit; & *Rothomagum* perventus, coram illo magiſtratu totam ſuarum fraudum ſeriem aperuit octo articulis, qui typis editi fuere: inde binas ſcripſit epiſtolas ad *Alanum* rectorem collegii Anglicani *Remis*. Quarum in una, cetera inter flagitia, quæ ex inſtigatione miniſtrorum Reginæ perpetrata, fatetur, hæc ſignanter ſcribit: *Domine Alane. Odoenus Optonus Præfes caſtri londinenſis minis juſſit, ut confeſſionem meam juxta voluntatem ejus ſcriberem, & quando nomina Papiſtarum patefeci (quorum quamplurima nomina nunquam ante audieram) juſſit, ut eos fautores eſſe Papæ, Reginæque Scotorum, acerrimos inimicos Regiæ majeſtatis, & virorum a conſiliis aſſerere non vererer ... Hoc, inquit, ſi a te factum erit, Regina promovebit te, inveniens me promptiſſimum ad te juvandum. Cuncti proceres magno te proſequentur amore, & nihilo indigebis ... Si hoc non praſtabis, graviſſima pœna multaberis. Conſule tibi igitur. Et hanc ob cauſam, partim metu ductus, partim adulatione victus, hoc in me ſuſcepi, ut quod ipſe ajebat, confirmarem. Hæc quæ enarravi adeo vera ſunt, ut nihil verius.* Sic Sanderus, & alii referunt. Quid tibi Picenine videtur? Nonne quaſi ex ore alterius Judæ auditum eſt: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum?* Factum tam authenticum negare ſummæ impudentiæ eſſet. Habetur enim in hujus actis *Remis ann.* 1583. editis, in Palinodia Laurentii Caddei, in Martyrio Lucæ Kirbei, in Apologia Martyrum, & apud Sanderum *Lib.* 3., & Bartoli *Lib.* 2. *Hiſtor. Angliæ cap.* 12. Vallo fortaſſis, ſicut Bolſeco, & ceteris, *falſarii* notam inures qua *Apoſtata?* Sed falleris, quia hic, quaſi alter Judas, converſionis gratiam aſſequutus non eſt, cum Cain imitator, vagus, & profugus ſuper terram, huc illucque excurrens (Calviniſta ſemper) Angliam reverſus, tandem Calviniſta e vita exceſſit. Quamobrem ejus confeſſio nonniſi inſultantis conſcientiæ latratus, & divinæ providentiæ diſpoſitio credi poteſt, ad revelandam innocentiam tot famulorum Dei inique vexatam. Nonnulli tamen propriæ innocentiæ integritatem contra etiam falſos teſtes ſtrenue tuebantur. Quoniam vero ad necem tanquam *rebelles*, eſſent, necne, a miniſtris quærebantur; de Bulla declaratoria Pii V. nunc Sancti ſic rogabantur „ „ Num cenſerent hujuſmodi ſententiam legitimam? Num juris pontificii eſſe crederent exauctorare „ Reges, & ſubditos a juramento „ obedientiæ ſolvere? Quid vel ipſi „ facturi, vel aliis pro conſcientia „ conſiliaturi forent, caſu quo cauſa „ religionis bellum regno intentare„ tur? Et ſimilia, a Sandero relata (*lib.* 3. *ann.* 1584.). Quiſquis ſic interrogatus, vel utcunque in favorem Papæ, vel prudenti œconomia reſponſa redderet, reus erat non religionis, ſed læſæ majeſtatis. Hæc ratio cur clamas omnes Angliæ extremo ſupplicio confectos *rebelles* fuiſſe, & *parricidas*.

14. Ita ſane iniqua tuarum partium res poſtulat; qua pacificum & ſuave Eliſabethæ regimen, qua crudele & cruentum illud Mariæ deſcriberes,

beres. Neve perverſe intentatum quidquam omittas, ſicut Catholici ſub Eliſabetha paſſi *rebellionis* cauſa ex te juſto ſupplicio puniebantur, ita Proteſtantes ſub Maria *religionis* cauſa patiebantur. Quamobrem *pag.* 90. interrogas: *Num paſſi ſub Regina Maria contra ejus vitam tentaverint? Num rebelles, ſeditioſi, proditores parricida fuerint? Num femina & infantes ad flammas nulla pietate projecti culpabiles eſſent? Judicium horum innocentum erat: haretici, pertinaces ſunt; apage ad flammas.* Quatenus id verum eſſet, injuria reprehenderes, cum Calvini exemplum erga Servetum imitata eſſet, & Calviniſtarum decretis de comburendis hæreticis obſequium præſtitiſſet. Recolantur dicta *Cap.* 3. §. 5. *num.* 18. Revera tamen falſum penitus eſt quod hic oſcitanter mentiris. Attende quæ eſſet *Maria* crudelitas. Eduardo Rege demortuo, Dudlei Ducis Northumbriæ, & Ducis Suffolciæ opera, Gena hujus filia, uxor filii illius, Regina proclamatur. Suffolcio Londini relicto ad regimen, Northumbrius ad detinendam Mariam proficiſcitur. Quæ æquitati cauſæ, & fidei ſuorum innixa, perduellibus occurrit, eorum copias fudit, ovanſque Londinum ingreditur. Summa rei exegit Northumbrii, & Genæ mortem; qui tamen vita & morte catholicus, in album tuorum Martyrum referendus non eſt. Maria autem cunctanter ad ſubſcribendam ſententiam induci vix potuit; neve clementia a juſtitia vinceretur, Duci Suffolciæ, & quatuor filiis Northumbrii vitam conceſſit. En *cruenta* illa. Vix throno potita, Dux Suffolciæ illam armis aggreditur, & Divoniæ Comes ab illa beneficiis auctus, Equeſque Wiatus, conſentiente Sorore Eliſabetha, conjurati deprehenduntur. Quid porro Maria? Permittit Suffolcium reiteratæ conjurationis pœnas capitis ſententia luere; Comiti vero, & Eliſabethæ mortis pœnam commutatam vult: primo relegatione in Italiam, alteri in Caſtrum Voldſtochii. Hæc tibi veraci *crudelis* illa, & *cruenta* femina, quæ parcit his, quos vita privari ſumma rei exigebat? At Catholica erat, & zelo ſtudebat Calviniſmum e regno abigere, & majorum religionem inſtaurare; propterea a Calvino in *cap.* 7. *Amos* deſcribitur: *Hujus Proſerpina, qua hodie illic ſuperat omnes Diabolos*; quæ a te tanti magiſtri diſcipulo cautius *cruenta* dicitur.

15. Videndum nunc an *pacifica* & *ſuavis* Eliſabetha, erga Mariam Scotiæ eam adhibuerit moderationem, quam *a crudeli Maria Anglia* ipſa experta fuerat. Hæc pia Regina a ſubditis perduellibus impie vexata, ad Eliſabetham confugit, ſed agna ad lupum; quandoquidem nedum hæc clanculum rebellionem fovebat, ſed hoſpitem Reginam carceri mancipavit, diu detinuit, & afflixit: ac tandem, ſpreto jure regio, criminum authentica excuſatione, & Principum interceſſione, publico capitis ſupplicio hanc mortuam voluit. Legatur Guilielmus Camdenus ſcriptor a noſtris partibus alienus. Niſi Spondano credas (*ad ann.* 1587. *num.* 1.) & cunctis ſuæ mortis ſcriptoribus, audi epitaphium ab ipſo Camdeno relatum, quod ejus ſepulcro inſculptum, utpote turpe nimium illius mortis auctoribus, mox abraſum fuit: *Maria Scotorum Regina ... jure regio fruſtra ſæpius implorato, barbara, & tyrannica crudelitate, ornamentum noſtri ſeculi, & lumen vere regium, extinguitur: eodemque nefario judicio, & Maria Scotorum Regina morte naturali, & omnes ſuperſtites Reges, plebei facti, morte civili multantur &c.* Quæ porro ex his duabus *crudelis*, & *cruenta*? Maria parcens Eliſabethæ ſubditæ rebelli, & ceteris conjuratis; an Eliſabeth, quæ ſub inani *Rebellionis* larva Reginam Principem aggreditur, ad fundendum innoxium Mariæ Stuardæ ſanguinem? Ubi hæreticorum ſtrages inducta a Maria? An Scotiæ? Illic ferro & igne ſævire neceſſitas compulit. Quippe cum Joannes Knoſſius

ter a Calvino & Beza laudatus, bacchanti Puritanorum manu, ferro, & igne Catholicam peſſundaret religionem, & cum Coodmano ſuo Calviniſta occultis ſeditionibus, & conjurationibus regium caput perdere quæreret; profecto ſi ſartam tectam Deo religionem, pacem populo, ſibi regnum & caput optabat, ferro & igne compeſcere, ac ſeditioſos manumittere cogebatur. Ut pullulantem hæreſim e regno exterminaret, edictum promulgavit, quo omnes incolas nullo publico officio adſtrictos, ſtato tempore ab Anglia emigrare coegit; quod adeo profuit, ut una illa die ter dena hæreticorum millia ab Anglia exceſſerint. Poterat ne mitius excogitari conſilium? Ubi ſunt hi *hæretici mulieres, infantes, igni damnati* tanquam hæretici? Forte *Thomas Crammerus Archiepiſcopus Cantuarienſis?* At quid mali is non fecerat? Neque impietates, ſacrilegia, perjuria commemoro, & ſordidas aſſentationes libidini Henrici; quibus mediis in Archiepiſcopatum Cantuarienſem irrepſit. Vulpis antiqua ovina latens pelle ad ſeducendos Catholicos,& hæreticos; qui, ut vile ſcortum impudentius,& impunius devinctum ſibi detineret, ſub Eduardo ſibi nuptialiter copulavit, non auſus ſub Henrico id tentare. Legatur *Ricc. Smittheus, flor. Hiſt. l. 7. c. 36., & Sander. l. 3. pag. 331.* Hæc prætereo; tantumque dicam, quod judicatus, non a Regina (quæ utpote in eccleſiaſticam perſonam ab hujus cauſa ſe abſtinuit) ſed a Parlamento, læſæ majeſtatis reus ſua confeſſione convictus, ad forum laicum deſtinatus fuit; a quo ignis ſupplicio multatus, nihil inde ipſum juvit iterata abjuratio errorum Lutheri, Zuinglii,Calvini, ſcriptis edita, & juramento confirmata. Quapropter non capio qua ratione tanti facias hujus improbi pertinaciam; cum illa, quam in ultimo agone poſitus affectavit, ſuſpicanda potius videatur deſperatæ mentis inſania, qua temporalibus flammis addicto jam corpore, animam etiam gehennali igne cruciandam in æternum tradiderit. Debueras hujus mortem ſanctitate & prodigiis inſignem deſcribere; & a *Foxio* rubricatis characteribus, velut primæ notæ Martyr, in Album ſuorum Martyrum referendus erat; & ab auctore hiſtoriæ reformatæ laudandus tanquam vir bonus, & pius, ut a te commendatur. Siquidem apologia Cranmeri a veſtræ ſectæ apologia nequit ſejungi; & grati animi negotium erat, mendaciis etiam illuſtrare eum, qui vaſtum hæreſi paraverat regnum. Verum Cranmeri flagitia manifeſta nimium, & palpabilia erant, & gravia nimis pericula, & damna Reipublicæ illata. Quibus ſi quadantenus veniæ, vel excuſationis locus patuiſſet, non alibi latius paratum inveniſſet, quam apud clementiſſimum Reginæ animum, ut contigit Petro Martyri; de quo actum in Senatu, utrum, attentis damnis ſua perverſa doctrina illatis, igne puniendus foret; quia cautum fuit, a publica fide fuiſſe accerſitum, id valuit ipſi ad veniam: hoc tantum impoſito, ut illico cum ſuis e regno longe ſecederet. Abſtine igitur ultra Picenine amplificare Mariæ *crudelitatem*,& Eliſabethæ *clementiam*. Abſtine perſuadere Principes Proteſtantes in legem peccare ſe credituros, ſi quidquam barbarum contra *Errantes*, ideſt ſectatores veræ religionis intentarent.

§. III.

Num juſta Proteſtantium querela de perſecutionibus, de quibus a nobis affligi dolent: & an juſta ſit eorum ab Eccleſia ſeparatio.

16. DOles, *pag. 91.*, quod *Principes adverſus Proteſtantes crudeliter agant*: & quendam inducis Divi Auguſtini textum, nullo loci indicio; ſicque eum locutum ais: *Diligite homines, interficite errores, ſine ſævitate pro veritate certate.* Divum etiam Gregorium, non indicato lo-

to loco, ſic alloquentem refers: *Nova, & inaudita eſt prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*. Et S. Cyprianum (*contra Demetrianum ad Scapul. c. 2.*) : *Diſceptatione ſi potes vince, vince ratione*. Et Tertullianum (*Epiſt. ad Solitar.*) : *Nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi*. Quibus omnibus inſtituis noſtros damnare, coercentes Proteſtantium ſeditiones, & vituperare Catholicos in his lætantes. Hæc jam incondita eſt nenia illa tua in univerſo hoc opere moleſtiſſima, cui ſæpius obloquendum erit. Verum cur Zuinglio potius, Luthero, Hæreticis Bohemiæ, tuis Calviniſtis Galliæ hæc non intonas? Si in controverſiis Religionis ratione pro veritate certandum; cur Zuinglius exerto gladio conflictu moritur, experientia probans frequens ejus aſſertum: *Evangelium ſanguinem ſitit*? Cur Lutherus contra Zuinglianos licet non pugnet armatus gladio ferri, illos tamen aggreditur mordaciſſimo oris gladio, ſuos compellens ad prælium? Hæc certe adverſantur mox a te citatis Patribus. Taceo de Ruſticis Germaniæ ad bellum, & rebellionem a Luthero inſtigatis. Si Sectarii Joannis Hus Bohemiæ ſuam inſerere religionem avebant, cur in acie ſtabant armati? Cur tot ſtrages, tot barbaries, ex hiſtoriis notiſſimæ? Si Calviniſtæ exierant ſeminare in Galliis ſuæ doctrinæ ſemen; quid ſeditiones, ſchiſmata, tumultus ciere, & tandem (larva detracta) exercitum parare? Inſectabantur vos? Bene. Conſilium tamen Chriſti non eſt armis contendere, ſed de una in aliam civitatem fugere. Sic Apoſtoli, ſic antiqui Chriſtiani. Audiſtis unquam eos aciem inſtruentes, armis religionem Chriſti dilatare, & tyrannos expugnare præliis? Occurre nunc tuis ſententiis Heros invicte, Doctor egregie, tuæ religionis Apologiſta.

17. Quoniam autem cum D. Auguſtino me provocas, cum eodem S. Patre præſto tibi ſum. Inſtantia tuæ ſimilis a Parmeniano fiebat (*l. 1. contra epiſt. Parmen. c. 8.*): *Audet conqueri Parmenianus, quod eos Conſtantinus ad campum, ideſt ad ſupplicium duci juſſit: & hoc eum, tanquam immaniter, juſſiſſe, Hiſpano Hoſio ſuggerente*. Nonne hæc Picenine tua frequentiſſima querela, Catholicos Principes, Papa ſuggerente, & Legatis ſuis, *ſtrages Proteſtantium* facere; Papa autem gaudet, & P. Segneri *Te Deum* canit? Quid porro Auguſtinus? Conſtantinum ne barbarum dicit, impium Hoſium? Attende: *Criminatur ſuſpicionibus, videlicet ſuis, ſicut ſemper, damnando inauditos. Quaſi vero non humanius, aut probabilius alius crediderit, Hoſio tanquam Epiſcopo ſuggerente potius factum, ut in leniorem coercitionem, quamvis immaniſſimi ſceleris, ideſt ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator*. Sic nimirum & ego: Quis te certiorem fecit, Principes contra Proteſtantes ſævire, Papa inſtigante, & Eccleſiaſticis? Suſpicionibus, immo mendacio tuo id criminaris, ſicut ſemper, damnando inauditos. Qui te melius Eccleſiam novit, hujus mentem docet eſſe, ut leniori pœna coerceantur hæretici, ſicut refert Natalis Alexander (*Hiſt. Eccl. ſec. xv. & xvi. c. 10. ar. 10.*) licet graviſſimi ſceleris rei, quatenus ſic in ſinum ſuum revertantur dolentes. Calviniſtarum cædes *Sancti Bartholomei* ab omnibus ferme Eccleſiaſticis male habita fuit; inter quos Joannes Henuvier Epiſcopus *Lexovii* Normanniæ, mei Ordinis profeſſus, in ſua diœceſi hanc ſtragem impedivit; quò facto plurimi Calviniſtæ fidem Catholicam amplexi ſunt. Quibus incredibile apparet, Gregorium XIII. feſtivis plauſiſſe flammis, & Urbanum VIII. ſtragem probaſſe Hiberniæ factam. Lætati ſane ſunt hi Papæ de Calviniſmi depreſſione, non autem de effuſione ſanguinis licet Rebellium. Verum etiamſi Eccleſiaſtici Principes meritas a Proteſtantibus pœnas exigerent: *Quid enim non iſti juſte patiuntur, cum ex altiſſimo Dei præſidentis, & ad cavendum ignem æternum flagellis talibus admonentis judicio patiuntur, & merito crimine, & ordi-*

ordine poteſtatum? Prius enim probent ſe non eſſe hæreticos, vel ſchiſmaticos; tunc demum de indignis pœnis ſuis lividam emittant vocem; tunc demum ſeſe audeant, cum male aliquid patiuntur, veritatis Martyres dicere. Alioquin ſi quiſquis ab Imperatore, vel a Judicibus ab eo miſſis pœnas luit continuo Martyr eſt, omnes carceres Martyribus plenæ ſunt. Hac ratione & Pagani Martyres erunt, quoties ſuppliciis idola colere, & ſua offere ſacrificia prohibeantur. *Non ergo* (optime concludit *cap.* 9.) *quiſquis in aliqua religionis quæſtione fuerit ab Imperatore punitus, Martyr efficitur.* „ Id eſſet Dæmones etiam martyrii „ conſortes facere; cum a Chriſtia„ nis Imperatoribus per univerſum „ orbem perſecutionem patiantur, di„ rutis eorum templis, idolis, altari„ bus exterminatis, & remoto eorum „ cultu „. *Non ergo ex paſſione certa juſtitia, ſed ex juſtitia paſſio glorioſa eſt.* Hæc Auguſtinus.

18. Verum inſiſtes: tuos nimirum paſſos, & pati pro juſtitia; videlicet pro reformatione Eccleſiæ. Quippe cum in agro Chriſti zizania oppreſſiſſent triticum, bonum ſemen a zizaniis ſegregare tui quærentes, & ideo perſecutiones ſuſtinentes, pro juſtitia patiuntur. Hæc eadem Donatiſtæ. Sed Auguſtinum citato loco audiamus jugulum petentem: *Nullo modo autem propter juſtitiam, qui Chriſti Eccleſiam diviſerunt, & cum eam quaſi ſimulata juſtitia conantur ante tempus a palea ſeparare, ac frumenta ejus falſis criminationibus inſectantur; dum ipſi ab ea potius, tanquam leviſſima palea, variis rumorum flatibus ſeparati ſunt.* Præclarius ne poterat S. Doctor in Donatiſtis illorum temporum, noſtræ hujus ætatis indolem Proteſtantium, & mores deſignare? Nonne & hi ex pravis Romanæ Eccleſiæ moribus ſeceſſiſſe teſtantur? Quia paleæ frumenta oppreſſerant? Nonne falſis criminationibus Catholicos inſectantur, ex contemptu *Papiſtas*, & Papam *Antichriſtum* appellantes? Ipſi *granum electum*; nos vero *leviſſima paleæ*? Ipſorum ſcripta perſpicua ſunt, calumniis referta, & maledictis. Tu Picenine ſolus pro mille vales, qui maledicentiæ emporium tuam hanc Apologiam conſtituiſti.

19. Age vero. Sint in agro copioſiſſimæ paleæ (ſequitur Auguſtinus *cap.* 14.): *Quapropter zizania, vel paleam catholicæ ſegetis nobiſcum copioſiſſime accuſent, ſed nobiſcum ferre patientiſſime non recuſent.* Quare? *Noluit enim Dominus ante tempus eradicare zizania, & a frumentorum permixtione ſeparare.* Etſi vos Pſeudoreformatores nonniſi electum granum, nos vero omnes leves paleæ, & zizania, patientiſſime nihilominus nobiſcum ſuſtinendum erat, neque enim meſſis tempus aderat, neque agri Chriſti purgatio vobis commiſſa fuerat. *Sinite* (ait Chriſtus *Matth.* 13.) *utraque creſcere uſque ad meſſem.* Si vero hujus agri latitudinem noſcere vultis, diſcite a Chriſto: *Ager eſt hic Mundus.* Non dixit: *Ager eſt* Germania, Hollandia, Anglia, *excelſa tria fœdera* Picenine tua, ſed: *hic Mundus.* In univerſo Mundo ſeminatum eſt ſemen, & in univerſo Mundo ſuperſeminantur zizania; utraque ſinenda ſunt in Mundo creſcere *uſque ad meſſem.* Nunquid Lutherus, Calvinus meſſores erant? Nunquid tum tempus meſſis advenerat? Nequaquam, ait Auguſtinus: *Nunquid aut Donatus fuit major meſſor, aut eo tempore, quo ſe ipſi a terrarum orbe ſepararunt, tempus meſſis advenerat? cum idem Dominus, ne alicui liceret interpretari quid vellet, apertiſſime dixerit: Meſſis autem eſt finis ſeculi, meſſores autem Angeli ſunt? Tales enim meſſores errare non poſſunt, ut vel frumenta pro zizaniis colligant, vel pro frumentis zizania religent. Iſti autem cum quaſi zizania geminata fugiunt, ſeipſos eſſe zizania demonſtrarunt in manifeſtiſſimo ſacrilegio contra domini ſententiam prædicantes. Ut cum ille dicat: Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem; iſti per tam magnum agrum, ideſt totum mundum zizania creſcere, frumenta vero di-*

ro di-

ro diminuta , & in ſola Africa remanſiſſe contendant .

20. Cum autem in veſtro pertinaci ſchiſmate obduramini , cur doletis a Principibus plecti ? *An forte dicent* (ſequitur Auguſtinus *cap.*10.) *non ad Imperatorum poteſtatem hac coercenda , vel punienda pertinere debere ? Qua in re quaro quid dicant ? An quia de religione vitioſa , vel falſa nihil curandum eſt talibus poteſtatibus ?* An (ut *piiſſima* veſtra Eliſabeth aſſerebat) quod permittere debeant quemquam a diſſoluto propriæ licentiæ ſenſu ſeduci ? Ergo injuſti Imperatores illi , qui idola , & idololatras inſectantes, horum delubra & altaria evertebant , ſacrificia damnabant ? Quæ ſi ita ſint , cur tanto furoris zelo milites veſtri Catholicorum Eccleſias, & Altaria in Galliis, in Anglia , in Rhætia devaſtarunt ? Cur tanta ſolicitudo , & vigilantia ne in veſtris partibus Eccleſiæ erigantur , Miſſæ Sacrificia peragantur, ne catholici ritus publice celebrentur ? Enimvero igne & gladio furor veſter quocunque aggreſſus cuncta perdidit . Neque id legitima Principum auctoritate , ſed vi , & privata licentia vos ipſi auſi eſtis . *An juſtior eſt privata violentia ?* Ad hæc . Unum peto . Si inter opera carnis D. Paulus (*Ad Galat.* 5. 20. 21.) recenſet cum fornicationibus idololatriam , & ſectas : *Opera carnis , qua ſunt fornicationes, idolorum ſervitus, ſecta &c. ;* cur Princeps, punitis fornicationibus , & idololatria, impunitas debet ſectas dimittere? *Non enim ſine cauſa gladium portat*(ad Rom.13.4.). *Dei enim miniſter eſt , vindex in iram ei , qui male agit .* Inepte fortaſſe cum aliquibus ſubdes , hæreticos puniendos ſpirituali gladio , *ut gladius intelligatur vindicta ſpiritualis, qui excommunicationem operatur ?* Verum ſi ab Apoſtolo hæreſis comparatur ceteris delictis , hæc ceteris gravior mitiori punienda erit pœna ? Preterquamquod nonne vos ipſi hæreſim igne multatis ? Quod a Calvino etiam ſancitum fuit;ut oſtenſum eſt ſupra *Cap.* 3.§.5. *num.* 18.

21. *Fortaſſis enim dicunt* (ſic Donatiſtæ apud Auguſtinum *cap.* 11. conqueri vos docuerunt) *graviora ſe perpeſſos a catholicis Imperatoribus , quam iſti fecerunt .* Hoc tamen falſiſſimum eſt , ut ſupra oſtendebam ; neque quæſtio eſt an vos ex nobis , vel nos a vobis deteriora patiamur : *Quaſi vero inde quaſtio ſit , utrum graviora patiantur, quam faciant ... Multa enim eorum ſaviſſima numerantur , immo numerari non poſſunt &c. ... Sed utrum adverſus hareticos, & ſchiſmaticos aliquid tale fieri liceat . Si enim dicunt non licere, cur ipſi faciunt?* Quod inficiari nequitis ; ut ſupra geſtis ipſis veſtris compertum eſt . Si autem licere fatemini ; fateri etiam vobis neceſſe eſt graviora vos a Principibus noſtris non eſſe perpeſſos, quam & noſtri a veſtris ſuſtinuerint , & per judices veſtros ſchiſmaticis veſtris vos ipſi feceritis. Etenim ita manſueti vos & lenes, Michaelem Servetum , merita quidem pœna , lento igne confeciſtis ; in Conciliabulo Dordraci Ariminianos , qui ſanctionibus veſtris acquieſcere renuebant , morti addixiſtis . *Si autem licere fateantur* (D. Auguſtinus) *etiam ſic oſtendant , quod nullo modo poſſunt graviora perpeti a catholicis Imperatoribus , quam ipſi per judices eorum ſchiſmaticis ſuis fecerunt . Sed ecce damnaverunt in Concilio ſuo Maximinianiſtas &c.* Cum ſchiſmatis , & quærelarum una & eadem veſtra ſit , ac Donatiſtarum inanis ratio , & modus , idcirco cum D. Auguſtino uſque modo pugnare adverſum vos opportunum cenſui .

22. Neque reliquis Patrum textibus a te incondite propoſitis occurrere negligo . Loquuntur autem de ea ratione , quæ in proponenda infidelibus fide Chriſti , a Miſſionariis , & Concionatoribus ſervanda eſt ; nempe eam ſuadendo vocis , rationis , doctrinæ efficacia , non armorum violentia : quo Paganiſmum damnare prætendunt, quod tormentis & pœnis cultum idolorum a Chriſtianis extorquere contendebat . Eccleſia , & Chriſtiani Principes non inſtruunt exerci-

tus adverſus infideles non baptizatos ad fidem Chriſti ab illis exigendam. Ad Turcas, & Idololatras falſæ Religioni addictos mittuntur Apoſtolici viri, allicientes illos ad Chriſtum; quem ſi ſequi renuant, ſuæ cæcitati permittuntur. Immo Provincia aliqua, Civitate, vel Caſtro Infidelium jure belli expugnato, a ſuæ Religionis profeſſione recedere nulla vi compelluntur. Quia vero Indis ſubactis viſum eſt non tam ſuaſionibus, quam terroribus Evangelium fuiſſe illis barbaris enuntiatum, prudentioribus piiſque viris hujuſmodi fidei propagatio diſplicuit, utpote Evangelicæ doctrinæ & Sanctorum Patrum ſenſibus minus conformis. Hæretici tamen per baptiſmum Regno Eccleſiæ ſubditi, & veræ doctrinæ Chriſti juramento adſtricti, jure coerceri poſſunt & debent ad eam ſervandam; primo quidem ſuaſionibus; inde, his infectis, vi, & poteſtate, nedum Eccleſiæ, verum etiam gladii Principum terræ. Hæc omnium ſeculorum praxis. Pœnis Eccleſiaſticis, & temporalibus hæretici ſemper ad profitendam catholicam fidem adſtricti fuere, dum eam retinere pertinacia recuſarent. Sic proteſtantes cum ſchiſmaticis ſuis fecerunt, & faciunt. Quid autem tibi Picenine refert expiſcatis velle incertis contendere ſententiolis, ad hanc quæſtionem non pertinentibus?

§. IV.

Utrum Proteſtantes hæretici ſint, æque ac antiqui.

23. Sola Picenine tibi ſtat pro ratione voluntas. Pſeudoreformatos nolles hæreticos dici, & maledictis oneras Patrem Segneri, quia contra voluntatem tuam ſcripſit „ quod Diabolus, Lutheri, Calvini, „ Zuinglii &c. opera, omnium hære- „ ſum peſtiferum virus expreſſit, quod „ aureo poculo Orbi univerſo biben- „ dum præſtaret „. *Quid?* iratus clamas *pag.* 93. *Ergo Reformatores e tartaro excitarunt Marcionitarum hæreſim, qui fingebant ſibi corpus Chriſti phantaſticum?* Sic plures recenſendo hæreſes, probare ſimulans a tuis pſeudoreformatoribus fuiſſe alienas, hac arte inferre niteris a ſolis Romanis fuiſſe conflatas. Callidum ſane conſilium! Ad hanc tamen rimam te volo. Eja ad nos. Videamus num Pater Segneri vera dixerit; inde an tu ſcopum attingas. Mea ſententia eſt, tot fuiſſe a pſeudoreformatoribus antiquas hæreſes excitatas, quot ab ipſis adverſum catholicos ſtatuuntur aſſerta. Rem aggrediamur; quæ ut clarius pateat, comparemus invicem & veterum hæreticorum, & recentium proteſtantium dogmata; utrinque enim probata conformitate, aſſumptionis meæ veritas apparebit.

24. Quid porro de ſuis miſſionibus pſeudoreformatores jactabant? Nimirum ſolos ſe veritatis Doctores, & Spiritum Dei obtinuiſſe; ceteros vero, ipſamque tenus Eccleſiam in errore verſari. Sic Lutherus (*lib. cont. Regem Ang., & ad c.* 1. *ad Galatas*); *Divina Majeſtas mecum facit, ut nihil curem. Si mille Auguſtini, ſi mille Cypriani contra me ſtarent, Auguſtinus, & Cyprianus, ſicut omnes electi, errare potuerunt, & erraverunt. At ego certus ſum dogmata mea habere me de Cælo. Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferi, & poteſtatibus aeris, terra, & maris.* Præterea (*lib. ad Civit. Germ.*): *Quiſquis obedierit mihi, proculdubio non mihi, ſed Chriſto obedit, & qui mihi non obedierit, is non me, ſed Chriſtum contemnit. Ego enim ſcio, & utique certus ſum, quid, & quorſum ego loquor, & doceo.* Inſuper (*Conc. ad Popul. Dom. donec venerit*): *Fui primus, quem Deus in hunc campum miſit. Is quoque fui, cui Deus hoc primum revelavit ad prædicandum vobis &c.* Et infra: *Tam copioſe a nobis prædicatum eſt Evangelium, ut nec Apoſtolorum quidem tempore tam clarum unquam fuerit. Spiritus Sanctus unxit me, & miſit ad evangelizandum.* Hæc Lutherus, tanquam novus Iſaias. De Calvino, & ejus opinione erga

Patres,

Patres, & Concilia, actum eſt ſupra *Cap.* 4. §. 3. Hæc autem eadem veterum hæreticorum lingua. *Menandri* ſcilicet, qui teſte S. Epiphanio (*hæreſ.* 22.) gloriabatur ſe a Deo miſſum, ad convocandos homines ad ſuum myſterium, dum ipſe *Simone Mago* major fieret; *Baſilidis*, qui ſibi ſoli a Chriſto revelatam fuiſſe veritatem aſſerebat, ut refert Irenæus (lib. 3. c. 2. & 4.); *Marcoſiorum* (apud eundem *lib.* 1. *cap.* 9. *nunc* 13.) oſtentantium divina myſteria perſpicacius Petro, Paulo, ceteriſque Apoſtolis noviſſe; *Marcionis* idem de ſeipſo gloriantis (*lib.* 1. *cap.* 29. nunc 27.); & tandem Novatianorum, qui, teſte D. Auguſtino (*lib. de Agone Chriſt. cap.* 31.) præſumebant doctrinam illa Apoſtolorum puriorem habere. Hæc prima pſeudoreformatorum cum antiquis hæreticis mira conſenſio. In utriſque ſaltem ſignum aliquod effulſiſſet tantæ excellentiæ expreſſivum, quo a Spiritu Sancto præ ceteris clarificari dignoſcerentur. At ſicut antiqui hæreſiarchæ nil ex Deo ſingulare præſeferebant, ſic pſeudoreformatores, ut vidimus, omni dono carebant, quo quales ſe fanatice proclamabant, recipi mererentur. Quare *Eraſmus*, vita & moribus Lutheri perſpectis, coactus eſt aſſerere: *Hoc me docet ſenſus communis, fieri non poſſe ut cauſam Dei tractet, qui concitatit tantis in Orbe tumultibus, ludit, & delicatur ſannis, & dicteriis, nec unquam expletur. Nec ſtultitia carere poteſt tanta inſolentia, quantam adhuc in alio vidimus nemine, nec cum ſpiritu Apoſtolico congruit.* Nunc de convenientia doctrinæ inter illos & iſtos ſermo ſit.

25. Quid de cathedra Divi Petri, & Romani Epiſcopi primatu ſentiunt pſeudoreformatores? Satis notum, nec quidquam apud ipſos tritum magis, quam S. Petri cathedram jam non *Apoſtolicam*, ſed *Apoſtaticam* eſſe; Romam Babelem, ejuſque Epiſcopum, Papam nempe, *Antichriſtum*. Hic proteſtantium unus ſermo. Hic quoque & *Donatiſtarum* ſermo. Apoſtolica cathedra, ex contumelia ab ipſis cathedra *peſtilentiæ* nuncupabatur; quamobrem catholicis inſultabant: *Si cathedram vobis miſeri vindicatis, ut ſuperius diximus, habetis illam profecto, quam David Propheta pſalmographus peſtilentiæ cathedram pronunciavit; vobis enim juſte relicta eſt, quia in ea Sancti ſedere non poſſunt.* Sic apud D. Auguſtinum (*lib.* 2. *cont. lit. Petiliani c.* 51.). Id confirmabant plurimos recenſendo, qui, minime Sancti, in illa cathedra ſederunt; quod quam conforme ſit pſeudoreformatorum dictis, Apologia Picenine tua affatim evincitur. Verum utrique audite ex ore Auguſtini vindicias noſtras: *Quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere; nunquid Dominus Jeſus propter Phariſæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt; cathedræ in qua ſedebant ullam fecit injuriam? Nonne illam cathedram Moyſis commendavit, & illos SERVATO HONORE CATHEDRÆ redarguit?* Qua vos Donatiſtarum lingua loquimini, vel obloquimini, ſic nos ex ore loquimur Auguſtini. Vos tamen Donatiſtis pejores. Hi S. Petri Sedem totius veræ Eccleſiæ caput agnoſcebant, & veram Eccleſiam haberi non poſſe ſentiebant ſine Romani Epiſcopi communione; quamobrem ſuarum partium unum ut Epiſcopum Romæ habere ſatagebant. Videatur Optatus Milevitanus (*de ſchiſm. Donatiſt. lib.* 2. *c.* 4.). Vos autem cuncta ſubvertitis, primatum S. Petri, primatum Romani Epiſcopi; acephalam Eccleſiam abſque viſibili capite vobis adſtruitis. Verum latius de his alibi.

26. Eccleſia præſens apud proteſtantes male audit. Non illam puram, intactam, immaculatam eſſe, ab Apoſtolis fundatam; apoſtataſſe illam, &, ſaltem in maxima parte, poſt Romanam adulterio vitiatam eſſe uno ore contendunt. Verum, ut Suſannæ detractores, in loco, & tempore aberrant. Nonnulli vix natam corruptam fuiſſe effutiunt; alii

300. annis duraſſe intactam. Calvinus (*lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 13.*) uſque ad 500. annos fidelem illam fatetur: *Quingentis annis magis floruiſſe in Eccleſia Religionem, & ſinceriorem viguiſſe doctrinam*; & quidam, inter quos Breitingerius (*Op. de ſect. Pagan. pag. 39.*), ad annos uſque 600. puram perſeveraſſe concedunt. Ad hanc renovandam Eccleſiam erroribus veternoſam, & ferme putidum cadaver, eorum adventum neceſſarium fuiſſe pſeudoreformatores muſſitant. A quibus autem hujuſmodi ſermones didicerint, indicabit D. Auguſtinus (*hæreſ. 69., & lib. de Unit. Eccleſ. cap. 13.*).

A Donatiſtis hæc didicerunt, quibus familiaris erat hæc eadem cantilena; cujus carmina ſic ſonabant: *Totus Mundus apoſtatavit, nos autem tanquam duæ illæ tribus in Templo Dei, hoc eſt in Eccleſia permanſimus. Dominum etiam Jeſum Chriſtum cum plurimi diſcipuli ſequerentur, ſeptuaginta duobus apoſtatantibus, ſoli cum illo duodecim remanſerunt. His atque hujuſmodi exemplis hæretici ſuam paucitatem commendare conantur, & in Sanctis Eccleſiæ multitudinem jam orbe diffuſam blaſphemare non ceſſant.*

Eadem & *Luciferiani* oſtentabant, D. Hieronymo teſte (*Dialog. adverſus Lucifer.*): *Familiare eſt eis dicere factum de Eccleſia lupanar.* Nunc Pœnine vide unde fluxit hoc dictum vobis tam magnificum, Eccleſiam nempe apoſtataſſe; inde audi Auguſtinum (*Enarr. ſer. 2. in pſ. 101.*) qui tecum ſic fatur: *Sed illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit. Hoc dicunt, qui in illa non ſunt. Ob impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non ſis; nam illa erit, etſi tu non ſis.*

27. De Scripturis autem proteſtantes elate gloriantur, & exultant. Nil frequentius in ore ipſorum verſatur, quam Dei verbum. Hoc ſemper muniti incedunt, ſed ſuis ſenſibus accomodato, ut veteres hæretici.

Hæc omnium hæreticorum antiqua jactantia; quam non Auguſtini, non Hieronymi, ſed ex Bullingeri pſeudoreformati verbis oſtendam (*Decad. 5. ſerm. 1. §. Porro*): *Non repudiabat verbum Domini Arianorum Eccleſia; immo blaſphemos errores ſuos Scripturarum teſtimoniis & ornare, & tueri contendebant ... & unico hoc exemplo infelici æſtimare licet omnium aliorum hæreticorum Eccleſias, quæ tametſi verbi Dei teſtimonio non videantur deſtitui, revera tamen verbi Dei puri nihil habent reliquum.* Videatur Vincentius Lirinenſis (*Commonit. num. 26.*). In ſumma omnes hæretici Scriptura abuſi ſunt ad tutelam errorum; neque ex ipſa divini Spiritus ſenſum aſſequi ſtuduerunt, ſed proprio indulſerunt, attemperantes ſibi ejus intelligentiam, contra monita maximi Scripturæ interpretis D. Hieronymi (*lib. 1. in Matth. cap. 10.*): *Prudens lector cave ſemper ſuperſtitioſam intelligentiam, ut non tuo ſenſui attemperes Scripturas, ſed Scripturis jungas ſenſum tuum.* Porro hanc eſſe normam agendi proteſtantium ex eorum dictis facile dignoſci poteſt. Ipſi ſoli norunt verum ſenſum; alter quiſpiam, ſit etiam ex vetuſtiſſimis, & dignioribus Eccleſiæ Patribus, niſi ipſis adhæreat, vel Scripturæ ſenſa ignoravit, vel detorſit. De his plura exempla habita ſunt ſupra *Cap. 4. §. 3.* Nonnulla hic ne dedigneris, amice lector, audire ex Luthero impudentiſſima. Thraſo iſte ſe nominat *Evangeliſtam Dei gratia*; & (*lib. cont. ſtat. Eccleſ.*) ſic loquitur: *Si & Evangeliſtam Dei gratia me nominarem, facilius hoc probare poſſem, quam ullus Epiſcopus titulum ſuum; immo certus ſum, quod Chriſtus ipſe me ſic nominat, & pro tali habet. Proinde quiſquis doctrinam meam non acceptaverit, ſalvari non poteſt; Dei enim eſt, non mea, idcirco et judicium meum, non meum, ſed Dei eſt.* O vocem impudentiſſimam omni blaſphemia plenam! Apoſtata vita infamiſſimus Evangeliſtam ſe facit, & inſuper ſibi tribuit prærogativam Chri-

ſti propriam, cum dixit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me?* Quid ad arrogantiæ culmen deerat, quam quod Dei Filium, & Salvatorem ſe faceret, ut Saturninus blaſphemavit? Ad hæc. In libro contra *Regem Angliæ*, in quo Regem illum qua viliſſimum plebejum deſpicit, ad hanc ſe loquendi petulantiam extollit: *Certus ſum dogmata mea habere me de Cælo, qui etiam adverſus eum triumphavi, qui in ungue noviſſimo plus habet virtutis, & aſtutiæ, quam omnes Papæ, Reges, & Doctores .... Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferi, & poteſtatibus aeris, terræ, & maris: ipſi me provocaverunt ad bellum, bellum igitur habebunt &c.* Contumeliæ quibus in illo libro Patres afficit, faſtidium faciunt, & horrorem: *Divina Majeſtas* (hæc habet) *mecum facit ut nil curem. Si mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent, Deus errare, & fallere non poteſt. Auguſtinus, & Cyprianus, ſicut omnes electi, errare potuerunt, & erraverunt.* Inde mimice ſubſannans Regi Henrico, ſubdit: *Hìc reſponde Domine Henrice. Hìc eſto vir, aſſertor; hìc ſcribe libros; maledictio tua nihil eſt. Criminatio tua nihil facit. Mendacia tua contemno, minas tuas non metuo.* Quid ad hæc mi lector? Hanc tamen ſcias hæreticorum inſaniam fuiſſe. Neſtorius (ut refert Lirinenſis *Commonit. 1. num. 31.*) elate & ſceleſtiſſime de ſe præſumebat, *quod ſacram Scripturam ſe primum, & ſolum intelligere, et omnes eos ignoraſſe jactaret, quicunque ante ſe magiſterii munere præditi, divina eloquia tractaviſſent, univerſos ſcilicet Sacerdotes, univerſos Confeſſores, et Martyres, quorum alii explanaſſent Dei legem, alii vero explanantibus conſenſiſſent, vel credidiſſent, totam poſtremo etiam nunc errare, et ſemper erraſſe adſeveraret Eccleſiam, quæ, ut ipſi videbatur, ignaros erroneoſque Doctores et ſecuta eſſet, et ſequeretur.* Hæc Neſtorius, cui proteſtantes cum Calvino, & Luthero adſtipulantur. Eccleſia tamen illius ſeculi in Concilio Epheſino congregata non loquebatur ſic, immo probatis Sixti Papæ ſanctionibus, quod *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati*; & Cæleſtini: *Deſinat ſi ita res eſt inceſſere novitas vetuſtatem*; & acceptata petitione Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis, videlicet *antiquæ fidei dogmata confirmari, novitia vero, & ſuperflue adinventa, & impie promulgata, reprobari, atque damnari. Omnes Epiſcopi adclamaverunt: Hæ omnium voces ſunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt.* Lirinenſis ſic proſequitur: *Quibus Apoſtolicis, Catholiciſque decretis quiſquis refragatur, inſultet primum omnium neceſſe eſt memoriæ Sancti Cæleſtini, qui ſtatuit, ut deſineret inceſſere novitas vetuſtatem; deinde irrideat definita Sancti Sixti, qui cenſuit, ne ultra quicquam liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati; ſed & Beati Cyrilli ſtatuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudavit, quod antiqua fidei dogmata confirmari cuperet, novitia vero adinventa damnari; Epheſinam quoque ſynodum ... ideſt totius pene Orientis ſanctorum Epiſcoporum judicata proculcet, quibus divinitus placuit, nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacrata, ſibique in Chriſto conſentiens Sanctorum Patrum tenuiſſet auctoritas &c.* Non dubito Lutherum, & ſuos, nullo ſcrupulo, Patres, Concilia, univerſam vetuſtatem conculcaturos. Hac tamen de cauſa hæreticos nimirum ſe prodent; & D. Paulum dejicient Timotheo ſcribentem: *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates; ſi quis vobis annuntiaverit præterquamquod accepiſtis, anathema ſit.* Hucuſque Lirinenſis. Verum audi hujus pſeudo-*Evangeliſtæ* ſummum impudentiæ gradum. Ut Scripturam in ſuum pravum ſenſum detorqueat, & D. Paulum ſui erroris patronum habeat, quod ſola videlicet fides ad juſtificationem ſufficiat, in verſione *Capitis 3. Epiſt. ad Rom.* hanc adjecit vocem *ſola*. Monitus inde ab amico in

con-

conventu Auguſtano falſarium propter illam interpolationem a quodam Doctore catholico dici, ſic reſpondit: *Si Papiſta tuus multa vult garrire de hac voce* ſola, *ei confeſtim dicito ſic: Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit Papiſtam, & Aſinum eſſe unam rem. Sic volo, ſic jubeo, ſic ſtat pro ratione voluntas. Nolumus eorum diſcipuli eſſe, ſed magiſtri, & judices.* Hic autem eſt unus ex Coryphæis a Deo miſſis ad reformandam Religionem?

28. Senſum porro Scripturarum ad oculos adeo & perſpicuum habent pſeudoreformatores, quaſi meridianam lucem; quamobrem quiſpiam rudis, & bardus, vel delira anus de ſe valeat Myſteria quæque perluſtrare. Hoc effatum omnibus proteſtantibus commune, gentile etiam fuit ceteris hæreticis ex teſtimonio Petri Martyris Vermiglii eorum athletæ benemeriti. Hunc audiamus (*De Sacr. Euch. pag.* 124. 125. 126.): *Ita dicebant Ariani clarum ſe habere ſenſum illius loci: Pater major me eſt.... ad deſtruendam nempe veritatem Divinitatis Chriſti. Item Chiliaſtæ, ideſt Millenarii, putarunt ſe clariſſimum habere verbum in Apocalypſi de mille annis, quibus Chriſtus eſt regnaturus cum ſuis: atque Sabelliani dixerunt non eſſe diſcrimen inter Patrem, & Filium, ex illo loco: Ego & Pater unum ſumus.* Tanta tamen claritate cæcutiunt, & quaſi in tenebris ambulantes nunquam ſibi obviantur; cum tot ſint diviſi ſectis, quæ tamen omnes Scripturis commendantur. De reali præſentia Chriſti Scriptura præclariſſime loquitur: nihilominus quot rixæ & pugnæ de hoc articulo inter Lutherum & Calvinum? Quæ ſanguinis copia utrinque verſata? Et quæſtio adhuc pendet. Hoc revera eſt contendere. Verum prætenſa Scripturarum perſpicuitas expreſſe repugnat verbo Dei, ut oſtenſum eſt *Cap.* 1. §. 1. *num.* 14. ex Epiſtola I. S. Petri, qui teſtatur in Paulinis litteris plurima eſſe captu difficilia. Dicta benigne lector ibi recole; acta enim agere, antiquo proverbio vetitum eſt. Ex quibus collige, an proteſtantes in hoc etiam acta veterum hæreticorum, nullo ſcrupulo, egerint.

29. Traditiones autem non ſcriptas maledictis, & probris pſeudoreformati inſectantur, accuſantes catholicos Phariſæis, a Chriſto reprehenſis, ſimiles eſſe, tranſgredientes mandata Dei propter traditiones hominum. Id apud ipſos indubitatum, quo pacto certiſſimum quoque erat apud *Arianos, & Pelagianos. Maximinus Arianus* apud D. Auguſtinum (*Collat. cum Maximino* alias *cont. Maxim. l.* 1.) ita loquebatur: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt ut audiamus. Hæ vero voces, quæ extra Scripturas ſunt, nullo caſu a nobis ſuſcipiuntur. Præterea cum ipſe Dominus moneat nos, & dicat: Sine cauſa colunt me, docentes mandata, & præcepta hominum.* Pelagiani vero apud eundem D. Auguſtinum (*lib. de natura, & grat. cap.* 39.) ſic loquebantur: *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus nefas credamus adſtruere; quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat.* D. autem Auguſtinus ſic reſumit: *Contra ego dico nec omne quod legimus credere nos debere, propter illud, quod Apoſtolus ait: Omnia probate: quod bonum eſt tenete; & adſtruere etiam quod non legimus nefas non eſſe.* Neque mirum Arianos, & Pelagianos traditiones inceſſiſſe; cum hæc fuerit conſueta hæreticorum regula, eas ſi ipſis proſint aſſumere; ſi obſint, reſpuere. Hanc praxim in Valentinianis S. Irenæus agnoſcit (*lib.* 3. *adver. hæreſ. cap.* 2.); *Cum enim in Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum; quaſi non recte habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia varie ſint dicta, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciunt traditionem; non enim per litteras traditam illam, ſed per vivam vocem..... & hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit, quam a ſemetipſo adinvenit fictionem, videlicet ut digne ſecundum eos ſit veritas, aliquando quidem in*

Valen-

Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho: poſtea deinde fuit in Baſilide .... Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones preſbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur traditioni ...... Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni conſentire eos. Adverſus tales certamen nobis eſt. Tales ſunt proteſtantes. Si ex aliquo Scripturarum textu a nobis redarguuntur, ex canonicis libris non eſſe contendunt. Si traditionibus eos provocamus, adverſantur. Traditionum auctoritatem omnes Ariani una ſimul negabant, teſte S. Epiphanio (*hæreſ.* 75.). Eunomiani, ut D. Baſilius monet (*lib. de Spirit. Sanct. c.* 27. *&* 29.) & Neſtoriani fateri recuſabant Beatam Virginem *Theotocon*, quia hæc vox in Scripturis non habebatur; ut ex Concilio Epheſino deducitur. Hi ſunt Doctores qui proteſtantes traditionibus reſiſtere docuerunt; ab hac doctrina nemo hæreticorum diſcrepat.

30. De Jejunio autem ſic obloquuntur, qua veri Epicurei. Calvinus (*lib.* 4. *Inſtit. cap.* 12. §. 19.) hypocriſim illud vocat; & monet: *Summopere cavendum eſt ne pro opere meritorio, aut ſpecie divini cultus cenſeatur.* Quod & Lutherus pronunciaverat. De quadrageſimali jejunio Calvinus §. 20. hæc habet: *Mirum eſt tam craſſam hallucinationem hominibus acuti judicii obrepere potuiſſe.* Præcepta abſtinentiæ a carnibus ceteriſque cibis, ab ipſo §. 21. dicuntur „ impiæ „ leges ex tyrannide, & dominandi „ libidine emanatæ, vel ex ignoran- „ tia, & imperitia Epiſcoporum, ſapientes Judaiſmum, & Montaniſmum; ut tu quoque magiſtri tui diſcipulus aſſeres. Hæc eadem *Valentinianorum* ſententia apud S. Epiphanium (*hæreſ.* 26.), & *Aerianorum* apud D. Auguſtinum: *Aerius hæreticus dicebat, nec ſtatuta ſolemnia celebranda eſſe jejunia, ſed cum quiſque volverit jejunandum, ne videatus eſſe ſub lege.* Propterea cibis promiſcue utebantur. *Jovinianus* apud D. Auguſtinum (*hæreſ.* 82.) ajebat *nec aliquid prodeſſe jejunia, vel a cibis aliquibus abſtinentiam. Gnoſtici* & alii his præierant. Quare in hoc etiam pſeudoreformatio veterum hæreſum ſequitur magiſterium.

31. Preces, & ſacrificia pro defunctis proteſtantes graviſſimis devovent maledictis. Calvinus, ut (*Cap.* 4. §. 3. *num.* 13.) dictum eſt, D. Auguſtinum inſultat, quia ſacrificiis Matri parentavit. *Purgatorium* appellant *Preſbyterorum, & Fratrum commentum, ad carnes ollis ſuis in camino ebulliendas.* Sic Calvinus illud deſcribit (*lib.* 3. *Inſtit. cap.* 5. §. 6.) *Purgatorium ex multis blaſphemiis conſtructum. Sine Dei verbo, curioſa, audacique temeritate excogitatum ... Clamandum ergo non modo vocis, ſed gutturis, ac laterum contentione Purgatorium exitiale ſatanæ eſſe commentum, quod Chriſti Crucem evacuat, quod contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit, & evertit .... Quid ſupereſt, niſi Purgatorium meram eſſe, eamque horribilem in Chriſto blaſphemiam?* Sic Calvinus in hoc ab univerſa pſeudoreformatione religioſe acceptatus.

Undenam is, & ante ipſum Lutherus, odio tam inteſtino in preces pro defunctis, & Purgatorium flagrarunt? Ex priſcorum Patrum zelo? Non equidem, dum ipſemet (*lib.* 3. *Inſtit. cap.* 5. §. 10.) fateatur ab annis tercentis & mille ab antiquis oratum fuiſſe pro mortuis. Ab antiquis hæreticis odium hoc excitatum. Aerius apud S. Auguſtinum id primus excuſit, dicens *offerri pro dormientibus non oportere.* Quem Waldenſes ſequuti ſunt, ſic edocti ab aliis hæreticis, Apoſtolicis appellatis; a Petro Bruis, ab Albigenſibus, a Wichleffo inde dilatatum; & tandem a nuperis pſeudoreformatoribus ſummopere fovetur. Ejus originem pro nunc indicaſſe ſatis, cum alibi res fuſe diſcutienda ſit.

32. De Baptiſmo autem quid ſentiunt tranſalpinæ pſeudoreformationis athletæ? Effutiunt ad ſalutem non

eſſe

eſſe omnino neceſſarium. Sic Calvinus (*lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 20.*) expreſſis verbis ait: *Infantes noſtros, antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronunciat Deus, cum ſe nobis in Deum fore promittit, et ſemini noſtro poſt nos: hoc verbo continetur eorum ſalus.* Quod Bullingerus confirmat (*Decad. 5. Serm. 8. §. Objiciunt*) inquiens ſe non contradicere: *Alligatur ſalus ſigno, evacuatur Dei promiſſio, quaſi ſola ſine ſigno in articulo neceſſitatis inanis nihil efficeret, manuſque Dei abbreviata, et veluti ſigno vincta eſſet.* Qua veritate igitur *Apolog. pag.* 94. tueri, Picenine, potes Calvinum docere, *Infantes ex utero matris deferre peccatum;* cum ipſe teſtetur *antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronunciat Deus?* Quid enim apud Calvinum, & te ejus juratum diſcipulum ſignificat *juſtificari*, quam quod *in ſuos ſe adoptare pronunciat Deus?* Adoptato a Deo non imputatur peccatum, nec damnationis fit reus.

Hæc porro doctrina, fœtus eſt *Cerinthi*, juxta Auctorem *lib. De Eccleſ. Hierarch. cap. 4.*; vel *Pelagianorum*, qui & ipſi infantibus Baptiſmum neceſſarium negabant. Immo Calvinus Pelagianos audacia vincit, quia illi peccatum originale una negabant, quod iſte non negat; & nihilominus abſque Baptiſmo ſalutem adſtruit. Ad hæc. *Pelagiani*, ut advertit D. Auguſtinus (*hæreſ.* 88.) infantibus nullo Baptiſmo decedentibus afferebant æternam, & beatam vitam, ſed extra Dei Regnum; & Calvinus in Regnum eos abſque Baptiſmo introducit. Calvinus audacter totum ceu impium deteſtatur; quidquid in contrarium afferat D. Auguſtinus (*Epiſt. 28. nunc 166. c. 7.*): *Quiſquis dixerit quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra Apoſtolicam prædicationem venit, et totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, et curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omnino non poſſe.* Et Serm. 14. *de verbis Apoſt.* nunc 294. *c.* 8. *Audi Evangelium: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum. Domini ſententia eſt, huic non reſiſtit niſi non chriſtianus.* Sententiæ Chriſti *Pelagiani* & *Calvinus* reſiſtunt. Ergo Pelagiani & Calvinus non veri chriſtiani; quæ illatio directe deducitur. Videatur D. Auguſtinus *lib. 3. de Anima cap.* 12.

33. Exorciſmi, chriſma, ſal, ceterique ritus Eccleſiæ Romanæ in collatione Baptiſmi appellantur a Calvino (*lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 19.*) *nugæ, et theatrica pompa.* In hoc conſentit Novatianis idem proferentibus teſte Dionyſio Alexandrino apud Euſebium (*lib. 7. Hiſt. cap.* 8.), & Nicephoro (*lib. 6. cap. 9.*). Pelagianis item adhæret, adverſus quos D. Auguſtinus (*lib. 1. de Nupt. et Concupiſc. cap.* 20.) ſcribebat: *In veritate itaque, non in falſitate poteſtas diabolica exorcizatur in parvulis, eique renuntiant, qui per ſua non poſſunt, per corda, et ora geſtantium.* Vetuſtiſſimis igitur temporibus hi ritus in Eccleſia frequentabantur, neque Calvinus ipſe (*lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 19.*) id negare audet, & Bullingerus (*Decad. 5. ſerm. 8. §. Tertullianus*) id apertiſſime fatetur, inquiens: *Auguſtinus contra Pelagium et Caleſtium lib. 2. cap. 40., in pueris baptizandis, ait, prius exorcizatur, et exſufflatur poteſtas contraria, cui etiam verbis eorum, a quibus portantur, ſe renuntiare reſpondent. Ejuſdem ritus meminit et in lib. 1. cap. 20. de Nupt. et Concupiſc. ad Valer., et lib. 2. cap. 18. In Eccleſiaſticis dogmatibus dicitur illum ritum in univerſo Mundo Sanctam obſervare Eccleſiam. Rurſus Auguſtinus Epiſt. ad Boniſac. 23. dicit ſuſceptores fidejubere pro parvulis, et confiteri fidem; interrogamus, inquit, eos, a quibus efferuntur, et dicimus, credis in Deum? (de illa ætate, qua, utrum ſit Deus, ignorat) reſpondent, credo, et ad cetera*

ſic

ſic reſpondetur ſingula, quæ gerunt. Idem Auguſtinus lib. de Trinit. 15. cap. 20. etiam olei meminit, quo inungebantur baptizati. Hæc Bullingerus. Cum autem hi fateantur Baptiſmi ritus vetuſtate venerabiles in Eccleſia Dei, eo etiam cum per ipſos religione hæc integra, & ſancta erat; cur porro eos contemnunt, & execrantur? Non aliam invenio rationem, niſi ut in hoc etiam, quam veterum Patrum, hæreticorum veſtigiis inhæreant. Quapropter ut Donatiſtis obſequium præſtent, confundentibus illum Joannis cum Baptiſmo Chriſti, apud D. Auguſtinum (*lib. 2. contra litt. Petilian. cap. 32.*), non timent tum huic Sancto Doctori, tum ceteris antiquis Patribus terga dare, cum Donatiſtis Calvino duce aſſerentes (*lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 7.*): *Non enim alium Baptiſmum faciunt diverſæ manus, quibus adminiſtratur.*

34. Sermo nunc ſit de Sancto Miſſæ Sacrificio. Difficilis ſane tibi Picenine, & horrenda res eſt de *Miſſa* verba facere. Paucis itaque me expediam. Fas quippe non eſt proteſtantium de hac re rogare ſententiam, cum quodam ſit ſacrum pſeudoreformationis votum in exterminium Miſſæ, fruſtra licet, omne nefas tentare. *Hanc* (ait Calvinus *lib. 4. Inſt. c. 18.*) *quantumvis fucatam, & ſplendidam, inſigni contumelia Chriſtum afficere, crucem ejus ſepelire, & opprimere, mortem ejus in oblivionem tradere, fructum qui ex ea proveniebat nobis tollere, Sacramentum quo mortis memoria relicta erat enervare, & diſſipare*. Calvini ſectarii certatim ſtudent eam inſectari, probris una voce ſtatuentes Hircocervum eſſe Paganiſmi, & Judaiſmi. Eadem ſenſit Zuinglius. Lutherus vero integrum inſtituit volumen *De abroganda Miſſa privata*. Porro quis primus ſui ſceleris & audaciæ exemplo, ad eliminandum ab Eccleſia hoc ſacroſanctum & tremendum Sacrificium hos provocavit? Certe Manichæi, ut indicat D. Auguſtinus. Hi obloqui primo, & conviciari cœperunt, quaſi hoc Sacrificii genere Paganico, vel Judaico ritu Deus coleretur, altaribus nempe, templis, ſimulacris, & victimis. Sic Fauſtus Manichæus Catholicis improperabat (*lib. 20. contra Fauſtum cap. 4. & cap. 18.*): *Quare conſtat vos atque Judæos ſchiſmata eſſe Gentilitatis, cujus fidem tenentes, & ritus, modice quamvis immutatos, de ſola conventuum diviſione putatis vos eſſe ſectas*. Contra quem Auguſtinus poſtquam oſtendit Paganos immolaſſe Dæmoniis, & propterea ſontes, non quod ſacrificarent, ſed quia Dæmoniis ſacrificarent; Hebræos autem Sacrificaſſe quidem Deo, ſed talibus ſacrificiis, quæ ſigna, & prophetiæ erant futuræ victimæ a Chriſto oblatæ, ſubdit: *Unde jam Chriſtiani peracti ejuſdem Sacrificii memoriam celebrant ſacroſancta oblatione, & participatione Corporis, & Sanguinis Chriſti. Manichæi vero neſcientes quid damnandum ſit in ſacrificiis gentium, & quid intelligendum in ſacrificiis Hebræorum, & quid tenendum vel obſervandum in ſacrificiis Chriſtianorum, vanitatem ſuam ſacrum offerunt Diabolo &c.*

Palam & expreſſe magis ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium adorti ſunt Meſſaliani, vel Pſalliani, qui ex dicto S. Epiphanii (*hæreſ. 80.*) a templis, altaribus, & publicis Sacrificiis abhorrebant. Hi *Entuſiaſtæ* etiam dicebantur, quod ad inſtinctum Diaboli cuncta gerebant, quem Spiritum Sanctum putabant, ut eruitur ex S. Joanne Damaſceno. Neque mirum quod Diabolus, qui Sacrificium Crucis impedire, omni dolo, apud Pilatum perperam tentavit, ejus ſaltem memoriam penitus tollere, abrogato Sacrificio Miſſæ, apud Chriſtianos curaverit. Quod primis ſeculis ſerpens ille antiquus ſua calliditate promovit, nuperrime iterum excitavit, & qua ex parte aſſequutus eſt a Martino Luthero, hujus adhibita opera pro abroganda Miſſa nedum publica, quam privata. Quod aſſero ex ipſius Lutheri teſtimonio in libro *de Miſſa angulari tom. 7. edit.* Wi-

temberg. fol. 228., ubi deſcribit quomodo Diabolus viſibiliter ipſi apparuit, & ipſum ſalutavit, dicens, *Doctor Martine*, & quæ argumenta protulit contra Miſſam; quibus reſpondere non valens, victum ſe faſſus eſt, & altera die eam omnino tollere inſtituit. Animadverte hic prudens lector quanti valeant Lutheri doctrinæ a tota pſeudoreformatione receptæ, quarum artifex fuit mendaciorum parens; quandoquidem fatetur ille nedum de negotio Miſſæ, ſed ferme ſemper de ſanctæ ſuæ pſeudoreformationis ſtatutis Diabolum adhibuiſſe conſultorem. Bonum Luthero, non placuiſſe Diabolo reliqua noſtræ fidei myſteria argumentis ſecum diſputare; ceteroqui ea expedire neſciens, abrogare omnia, & dejerare Incarnationem, Trinitatem cogebatur. Quis porro non horrebit tartaream doctrinam? Quis non deteſtabitur magiſtram falſitatem? Nihilominus: O cæcitatem tenebrarum! Nuperi pſeudoreformatores ſuper hanc petram abyſſi ædificant Eccleſiam, conſtruunt falſam fidem ſuam.

35. Non me latet fraudulentos pſeudoreformatores, abrogato Sacrificio Miſſæ a ſuis Eccleſiis, ne videantur Sacrificio vacui, nonnulla ſibi confinxiſſe Sacrificia, cœnam ſcilicet, verbi Dei prædicationem, preces, vitæ ſanctitatem.

Verum enimvero ipſiſſima hæc Manichæorum fuere Sacrificia; dum dimiſſo Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini, qua Paganico, & Judaico, templa ſe & victimas Deo vivas offerre aſſerebant. Unus pro omnibus apud D. Auguſtinum (*lib. 20. contra Fauſtum*) audiatur ſic alloquens: *Ego ab his in hoc quoque multum diverſus incedo, qui ipſum me, ſi modo ſim dignus, rationabile Dei templum puto, vivum vivæ majeſtatis ſimulacrum, Chriſtum filium ejus accipio. Aram mentem bonis actibus, & diſciplinis imbutam, honores quoque divinos, ac ſacrificia in ſolis orationibus, & ipſis puris ac ſimplicibus puto.* Hæc quoque Meſſalianorum Sacrificia, qui, referente D. Auguſtino (*hæreſ.* 57.) ſpretis omnibus, ſolis precibus exercebantur, abutentes illa Chriſti ſententia, male interpretata (*Luca* 18. 1.): *Oportet ſemper orare, & non deficere*; & D. Pauli (1. *Theſſalon.* 5. 17.): *Sine intermiſſione orate.*

36. Pœnitentiam pſeudoreformatores non tam a Sacramentis, quam a ſuis Eccleſiis penitus excluſerunt. Confeſſio, quæ pœnitentiæ pars eſt, ab ipſis dicitur fraus, & politicum inventum Paparum, a quibus unice cœpiſſe volunt, non vero a Chriſto. „ Soli Deo offenſa fit; ergo ſoli Deo „ confeſſio fieri debet. „ Sic Calvinus arguit. *Quod ſi nobis* (ita loquitur *lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 9.*) *in ſimplici Scriptura doctrina acquieſcere libet, periculum non erit ne quis talibus fucis nobis illudat. Illic enim unica præſcribitur confitendi ratio: nempe quando Dominus eſt qui peccata remittit, obliviſcitur, delet, huic peccata noſtra ut confiteamur, venia obtinenda gratia. Ille medicus eſt; vulnera igitur noſtra illi exponamus. Ille læſus eſt, & offenſus; ab illo pacem petamus.* Sic Calvinus, ipſi annuente toto pſeudoreformationis collegio.

Suavem & facilem hanc doctrinam, ſi Divo Ambroſio attendamus (*lib. 2. de pœnitentia contra Novatianos*), a Novatianis perditiſſimis hæreticis pſeudoreformatores hauſerunt: *Novatiani ajunt ſe Domino deferre reverentiam, cui ſolum remittendorum criminum poteſtatem reſervant.* Idem Cyprianus affirmat (*lib. 4. Epiſt. 2.*), peſtem nempe a Montaniſtis contractam, ut ait D. Hieronymus *ad Marcellam*; & Tertullianus (*de Pudicit. c. 1.*) hac peſte miſer contaminatus, rejicit poteſtatem remittendi peccata. Hæc ſtagna illa ſunt, de quibus biberunt pſeudoreformatores noſtri venenatas hujuſmodi erroris aquas, quem adeo magnificant, & a quo plene abhorruit priſca illa Eccleſia, cujus membra (heu quam putida!) fieri prætendunt.

37. Quæratur a nuperis hiſce divinæ legis ſanctoribus, quo credant impium juſtificari? & una voce reſpondent:

ſpondent : ſola fide ; quatenus peccator indubitanter credens ex meritis Chriſti Dei gratiam fuiſſe conſequutum, hoc uno actu juſtus evadit. Lutherus Heidelbergæ ann. 1518. VI. Kal. Maji (*Tom. 1. edit. Witemb. fol.* 55.) una theſi hoc blaſphemiæ verbum evomuit : *Non ille juſtus eſt, qui multum operatur ; ſed qui ſine opere multum credit in Chriſtum*. Hæc porro æmula eſt ipſius Eunomii blaſphemiæ, quam ſic refert D. Auguſtinus (*l. de hær. hær.* 54.) : *Fertur etiam uſque adeo fuiſſe bonis moribus inimicum, ut aſſeveraret, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio, ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet*. Si juſtus ille, qui ſine opere multum credit, non qui multum operatur ; quis bonis operibus, & legi incumbere ſataget ? Valentiniani, Aetiani, Anomæi hanc ſcholam frequentabant. Architectus hujus erroris fuit primus hæreticorum parens Simon Magus, teſte S. Irenæo (*lib. 1. adverſ. hæreſ. cap.* 23.). Calvinus plagam obvolvere vellet hac tænia, ſcilicet ſola fide quidem impium juſtificari, non tamen fide ſola. Verum quid his cavillis obtineat, dum & ipſe bona opera ex fide manantia præparatoria & diſpoſitiva ad juſtificationem excludat, & nil meriti ad ſalutem haberi contendat in operibus ex gratia etiam perpetratis, ſuo loco oſtendetur.

Ex hac doctrina duo inferunt pernicioſiſſima. Primum, opera omnia a juſto patrata, in ſeipſis, & ex ſui natura eſſe peccata, atque ideo nobis non nocere, quatenus paterna a Dei indulgentia nobis non imputantur. Alterum, Deum opera bona præcipiendo, impoſſibilia præcipere. Sic Calvinus (*lib. 3. Inſtit. cap.* 14. §. 4., *& lib. 2. cap.* 7. §. 5.). Quod ab Auguſtino (*Serm.* 191. *de Temp.* nunc 236.) hac cenſura notatur : *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini eſſe a Deo præceptum*.

38. Liberum arbitrium in homine lapſo extinctum penitus fuiſſe peccato originis, uno nunc ſervato titulo ſine re, aſſerit cum Luthero (*lib. de ſervo arbitrio*) Calvinus (*lib. 1. Inſtit. c. 15. §. 8. & lib. 2. c. 2.*) ſubdens : *Qui vero Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo liberum arbitrium adhuc quærunt; inter Philoſophorum placita, & cæleſtem doctrinam partiendo plane deſipiunt, ut nec cælum, nec terram attingant*. Calvinus tamen ſtultiſſime fallitur, dum a ſchola Chriſti, non longe ſit qui in homine lapſo arbitrium quærit, ſed qui minime quærit, vel non invenire ſtudet. Quamobrem Calvinus exul a ſchola Chriſti ad illam ſe transfert Simonis Magi. Is primus ab homine liberum tranſtulit arbitrium, ex teſtimonio vetuſti Auctoris ſub nomine Clementis (*lib. 3. Recognit.*), quem ſequutus eſt Manes Manichæorum Princeps, teſte D. Auguſtino in libris *de liber. arbitr.*, *& lib. 2. cont. Felicem Manich.*, id damnante tanquam errorem in *cap.* 3. 5. *&* 7. Hæc tamen inter Manichæos & Calvinum ceteroſque Novatores notanda eſt diverſitas; nempe (ut advertit D. Auguſtinus *hæreſ.* 46.) illos duo principia, bonum, & malum adſtruiſſe : ſic ex bono, per ipſos, cuncta bona; ex malo, mala cuncta neceſſario fluxu emanabant; cum contra iſti ex eodem, uno, ſolo, optimo, ſancto principio, & bona, & mala, juſtitias, & peccata neceſſario profluere blaſphement. Quapropter Calvinus Deum eodem poſitivo ſuæ voluntatis decreto facit peccatorum æque ac bonorum operum promotorem, adhibita Diaboli tanquam ſui miniſtri opera ad executionem mandatorum. Poſita autem hac doctrina, quo pacto Calvinus negare valeat Deum qua boni, ita & mali auctorem eſſe, alibi demonſtrabitur. Pauca hæc ſufficiant, ut pie lector horreas quod & Manichæos ipſos terruit, qui idcirco Deum malorum artificem finxerunt, ne Dei auctoris bonorum candorem macularent.

39. Religioſos ordines, & ſacra

vota, tot probris, ſannis, jurgiis proteſtantes irrident, & maledicunt, ut nil ſit in quo frequentius, & delectabilius verſentur; hinc vanum expreſſis eorum verbis hic eos evincere, de quo nedum gaudent convinci, ſed convicti gloriantur commendari. Quo magiſterio ea didicerint potius inquiramus. Religioſos dicunt otioſum & inutile pecus. Id duo veterroſi hæretici primo aſſeverarunt; Jovinianus ſcilicet Auguſtino teſte (*Hæreſ.* 82.), & Vigilantius, referente D. Hieronymo. Dehortabatur hic Monachos ab eorum ſtatu, garriens per hunc ſtatum & Eccleſiæ ſervitium impediri, & ſecularia negotia non promoveri. Gnoſtici hos præceſſerunt, deridentes monaſticum ſtatum, & caſtitatis profeſſores. Pſeudoreformatores execrantur cælibatum, & vota; quod & faciebant duo illi hæreſiarchæ. De Joviniano ait D. Auguſtinus virginitatem matrimonio æquiparaſſe: quamobrem nonnullæ ſanctimoniales, maturæ etiam ætatis, ad nuptias properarunt. De Vigilantio refert S. Hieronymus Clericorum cælibatum reprehendiſſe, nec ad Ordines recipi niſi uxoratos permiſiſſe. Præ iſtis Helceſeitæ continentiam oderant & inſectabantur, impellentes omnes ad nuptias, ut refert S. Epiphanius (*hæreſ.* 19.), quos ſcriptis ſuis adortus eſt S. Juſtinus (*Apolog. ad Antoninum*), Athenagoras (*Apolog. pro Chriſtianis*), Tertullianus (*lib.* 1. *contra Marcionem*). Ebionitæ virginitatem reſpuebant; ſed omnium coryphæus fuit Simon Magus, qui nedum genus omne libidinis nefariis ſuis Sacerdotibus conceſſit, ſed ut exemplo ſuo eos efficacius ſuaderet, ſcortum nomine Selenem, vel Helenam ſibi junxit: quem tot poſt ſeculis imitatus eſt Lutherus, Catharinam e Monaſterio raptam uxorem inceſtuoſus ducens, ut ejus diſcipuli ex ipſo diſcerent quid eis impune liceret; quod revera impletum fuit, ut dictum eſt. Hi ſunt magiſtri per quos pſeudoreformatio Chriſtiano orbi reſplenduit; hi ſunt Doctores proteſtantium noſtræ ætatis, qui tamen tanta audacia, & temeritate contra ſanctam virginitatem obloquuntur, quaſi a Chriſto, vel ab Apoſtolis eam inſequendi præceptum haberent. Monachatus ſtatum execrantur quaſi inventum diabolicum; cum alias, ut oſtendetur, eum ſummis laudibus veteres celebraverint.

40. Paganicam ſuperſtitionem dicunt imaginum cultum; qua phraſi utebantur etiam Fauſtus, Felix, & Secundinus Manichæorum proles, damnantes Paganiſmo Chriſtianos, quia templis, & ſimulacris Deum colebant, ut prælaudatus Auguſtinus notat (*lib.* 20. *contra Fauſtum c.* 4. 21. *&* 23.). Quorum æmulatores acerrimi fuerunt Iconoclaſtæ, excitati a quodam Xenaja natione Perſa, ſecta Eutychiano, qui palam deteſtabatur imaginum cultum, ut teſtatur Cedrenus (*in Compend. hiſtor.*), & Nicephorus (*lib.* 16. *cap.* 27.). Hujus bonæ gentis ſpiritus heredes ſunt proteſtantes, reliquias Martyrum, & eorum ſepulcra conculcantes.

41. Profanatio pariter religioſi cultus, & invocationis Sanctorum, Manichæorum hereditas eſt. Fauſtus Manichæus apud D. Auguſtinum (*lib.* 20. *contra Fauſtum* c. 4.) ſic improperabat Catholicis: *Sacrificia eorum* (ideſt Gentilium) *vertiſtis in Agapes, idola in Martyres, quæ votis ſimilibus colitis, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus: ſolemnes gentium dies cum ipſis celebratis &c.* Sic Manichæus ille, ſuorum temporum Piceninus. Quem tamen D. Auguſtinus (*ibid. cap.* 21.) valide oppugnat. Vigilantii aſſeclæ pſeudoreformatores fiunt, quem tamen fuiſſe hæreticum negant; & quamvis illorum temporum Patres, præſertim D. Hieronymus, illum damnent, & Gennadius inter hæreticos recenſeat; nihilominus Beza (*ad* 2. *par. lib. Brentii*) ejus vindicias aſſumit, & S. ipſum Hieronymum idololatria infectum accuſat. En ejus verba: *Illud tamen minime negamus, totum illud Hieronymi ſcriptum, quo Sanctorum invoca-*

vocationem, ideſt manifeſtam idololatriam defendit, nihil nos morari. O infelicem Hieronymum! At damnans idololatriæ D. Hieronymum, panegyrim texat Juliano Apoſtatæ qua idololatriæ deſtructori, qui nempe Crucis, & imaginum cultum evertit. *O miſeri homines* (verba ſunt Juliani apud S. Cyrillum) *Crucis ſignum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingitis?* Recolat hìc lector quæ in hac parte ſit pſeudoreformatorum doctrina, quibus magis lubet Crucis uſum & imagines cum Juliano Apoſtata rejicere, quam cum illorum temporum Eccleſia, tum etiam apud ipſos religione integra, illum recipere.

42. Inſignis ille articulus realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, tanta perfidia expunctus a Sacramentariis, Zuinglio, & Calviniſtis, oppugnatus a Capharnaitis primo fuit, dum dicerent (*Joan.6.53.*). *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Inde Simoniani & Menandriani adverſati ſunt, de quibus Sanctus Ignatius Martyr (in *Epiſt. ad pop. Smyrnæ*) habet: *Euchariſtias, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*; relatus a Theodoreto (*Dialogo* 3.). Veruntamen hujuſmodi hæretici idcirco de carne Chriſti in Euchariſtia male ſenſerunt, ex inſania qua ſibi fingebant Verbum veram carnem non aſſumpſiſſe, ſed dumtaxat apparentem, & phantaſticam; quamobrem a Calviniſtis in hujus erroris radice diſcrepant. Berengarius hunc errorem inſtauravit, de quo tamen pœnituit. Zuinglius vero ex tartaro illum fanaticus excivit, & cum Luthero propterea tot jurgiis, & contumeliis contendit, ut de controverſia cruentum & apertum bellum ſævierit. Zuinglium impulit in hunc errorem ille ipſe qui Luthero ſuaſit abrogare Miſſam. Meditabatur Zuinglius quo Scripturæ textu abuti poſſet, ad perſuadendum ſibi aliiſque verbum *eſt* in formula conſecrationis *Hoc eſt corpus meum*, valere non pro reali præſentia, ſed pro ſola ſignificatione corporis, hunc reddens ſenſum: *Hoc ſignificat corpus meum.* Inter has ambages correptus ſomno Zuinglius, ſibi viſum eſt apparuiſſe *monitorem.* Non ut Lutherus *Diabolum* dicit; ipſe tamen erat. Albus an niger eſſet, ait ſe non valuiſſe diſcernere; ſed certe niger, utpote qui a camino ignis tartarei prodierat. Inde, ait ipſum ſic alloquutum: Heus barde! cur non occurris illo Exodi textu *cap. 12. Eſt enim phaſe. hoc eſt tranſitus*; quo verbum *eſt* ſolius *ſigni* vim habet? Paſcha quippe Hebræorum *ſignificabat* quidem tranſitum ex Ægypto; tranſitus tamen non erat. Sic Zuinglius hoc textu indicato a ſuo *monitore*, inſtituit negare palam veram & realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, & tantum eam aſſerere in ſigno, & figura. En molem hujus falſi dogmatis, quod tanquam fundamentalis articulus a ſecta Calviniana ſuſcipitur, & a Luthero ipſo ut hæreſis reprobatur.

43. Nec facilis exitus, ſi ſingula vellem veterum hæreticorum, & pſeudoreformatorum dogmata invicem comparare. Calvinum, ut indicavi, non puduit ignorantiæ defectum Chriſto tribuere. Quid hoc deterius? Id præſtitum fuit a Gnoſticis veternoſiſſimis hæreticis apud S. Irenæum (*lib. 1. cap. 17.*). Proteſtantes dubitant de divina omnipotentia, Calvinus *lib. 2. Inſtit. c. 7. §. 5. & l. 3. c. 23. §. 2.*, & fidelis ejus diſcipulus Beza. Id mutuatum a Moyſe Barceſa (*p. 3. de Paradiſo*), & ab Elyma Mago, ut teſtatur Dionyſius (*de Divinis nominibus c. 8.*), & a Valentinianis apud S. Irenæum (*lib. 1. c. 5.*). Aſpernantur vocem *Homouſion* explicantem conſubſtatialitatem Filii cum æterno Patre, Calvinus *lib. 1. Inſtit c. 13. §. 52.*, & *in epiſt. ad Polonos*, Lutherus *lib. 1. c. Latomum*; ſic, ut notum eſt, ab Arianis eruditi.

Nullam agnoſcunt Novatores, nec admittunt gradus differentiam inter Epiſcopum, & merum Sacerdotem.

dotem. Ita Lutherus (*de capt. Babyl. c. de Ordine*), & Calvinus (*lib. 4. Inſtit. c. 4. §. 2.*), ubi de ævo Apoſtolorum ait: *Neque tamen ſic honore & dignitate ſuperior erat Epiſcopus, ut dominium in collegas haberet &c.* & Wolebius (*lib. 1. Compend. Theol. c. 26.*): *Paſtoribus omnibus nomen Epiſcopi competit*. Hæc Montaniſtarum lingua, juxta D. Hieronymum (*epiſt. 54.*), & Aerianorum, qui, ut refert D. Auguſtinus (*hæreſ. 53.*) de Aerio illorum Principe ſtatuebant: *Epiſcopum a Preſbytero nulla differentia diſcerni debere*.

44. Exacta jam lata quidem, ſed ſincera collatione inter veteres, & nuperos hæreticos, ad te Picenine redeo, alloquens ſic. Pſeudoreformatores veſtri tot e tartaris excitarunt veterum falſa commenta, quot dogmata adverſus Eccleſiam ſtatuerunt. Falſa ſibi conficta miſſionis larva, Menandri, Baſilidis, Marcionis perſonam repræſentarunt. Deſpicientes Petri cathedram, & Eccleſiam viſibilem aliquando periclitaturam aſſerentes, Donatiſtas ab inferis revocarunt; Arianos, & Pelagianos, ſolas Scripturas, rejectis traditionibus, & ſalutem ſine Baptiſmi lavacro poſſe conſequi adſtruentes. Jejunia deridentes ab Eccleſia ſtatuta, Valentinianos, Aerianos, & Jovinianiſtas; & Aerianos ipſos negando ſuffragia pro defunctis, & Purgatorium. Baptiſmi ritibus proſcriptis, Novatiani, & Pelagiani facti ſunt; & abrogatione Miſſæ, hujus vice precum Sacrificiis ſubſtitutis, Manichæi, & Meſſaliani. Sublata ab Eccleſia Pœnitentia, Novatiani, & Montaniſtæ. Cum Aetianis, & Anomæis partem habent, ſola fide juſtificationis opus conſtruentes; immo etiam cum Simone Mago: cujus pariter fiunt diſcipuli, ſicut & Manichæorum, hominem lapſum arbitrio privantes. Religioſos Ordines irridendo, ſtropham canunt cum Joviniano, & Vigilantio; & cum Helceſeitis, Ebionitis, & Simone Mago, execrando virginitatis, & continentiæ ſtatum. Imagines, Cruces, Sanctorum invocationem, & reliquias conculcantes, nomen dant Vigilantio, Manichæis, & Juliano Apoſtatæ; & realem præſentiam Chriſti ab Euchariſtia excludentes, adhærent Simonianis, Menandrianis, aliiſque hæreticis per omnia ſecula palam proſcriptis.

45. Quibus conſtat qua dextera, ut tecum loquar, porrigatur phiala aurea Babylonicæ meretricis; an ab Eccleſia Romana, vel ab inſigni pſeudoreformatione, quæ lethali lenocinio immunitatis ab omni lege, involuta mentito pallio Evangelicæ puritatis, uno poculo verſat omnis immunditiæ toxicum. Modo innoteſcat qui depoſitum fidei projecit, quique, ſi reviviſceret, cum S. Paulo contenderet. Tuum modo Picenine munus eſt, quæ inique tenes, & peſſime doces, cum his, quæ præcurſores tui jam recenſiti præmiſerunt, certatim conferre; cum autem omnia cohærere deprehendes, quid tibi expediat animadverte. Eccleſia in hiſce fœdiſſimis erroribus ſucceſſive proſcribendis decipi minime potuit; cum juxta Calvinum doctrina & veritate integra tunc convaleſceret, nec adhuc apoſtatica defecerat. Non errat igitur præſens Eccleſia noſtra, dum per proteſtantes iterum excitatos, iterum dejicit & anathematizat, Eccleſiæ antiquæ veſtigis adhærens.

§. V.

Eccleſia Romana ab omni errore immunis.

46. PAtris Segneri tela vitare dum ſimulas, inſidioſe vertere in aggreſſorem niteris; Eccleſiam Romanam incuſans, quod ex ipſa, non ex pſeudoreformatione antiquæ hæreſes reviviſcant. Inſanum hoc commentum contemnere volvebam animo. Veruntamen ne, trito proverbio, ſilentio mendaciis tuis conſenſiſſe videar; tum etiam cum nuper ad manus meas aſcenderit putidum quodam folium, impudice editum a quodam obſcu-

obſcuræ famæ miſero apoſtata appellato *Jacobo Philippo Ravizza* anno 1709., optimum reor, immo neceſſarium, veſtram inſanam vecordiam palàm detegere. Primum tibi Picenine occurram, qui *pag.* 93. ais: *Ergo Reformatores e tartaro excitarunt Marcionitarum hæreſim, qui fingebant ſibi corpus Chriſti phantaſticum?* Puto te hìc intellectum velle corpus Chriſti, qua ratione in Euchariſtia a nobis aſſeritur; viſum tibi *chimaricum*, quatenus inviſibiliter præſens. Peſſime exordiris Picenine; citas nempe D. Auguſtinum *hæreſi* 7., neque ibi S. Pater de Marcionitis, neque de corpore *chimarico* loquitur. De Marcionitis ſermonem habet *hæreſi* 22., ubi aſſerit hos ſibi adoptaſſe Cerdonianorum errores, inter quos: *Chriſtumque ipſum nec habuiſſe carnem, nec vere mortuum, vel quicquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem.* Qua vero niſi tua ſycophantæ facie horrendam hanc blaſphemiam audes Eccleſiæ Romanæ imponere? Hæc credit, & confitetur in Chriſto *verum corpus*, & hoc *verum corpus realiter* credit in Euchariſtia præſens; ſic, ut oſtendam, edocta a verbis Chriſti. Si capere non valeas quomodo corpus, modo inviſibili, adeſſe poſſit, ſtupiditatem tuam accuſare debes, obſequendo fidei; non autem ideo quod non capis, *corpus chimaricum* protinus definire. Verius equidem te Cerdonianæ, & Marcionis hæreſi affinem fieri inferam ego; quandoquidem dum adſtruis in Euchariſtia ſolam haberi corporis Chriſti figuram, indicas Chriſtum in Euchariſtia ſola apparentia adeſſe, non vero corpore inſtructum. Cerdoniani rejiciebant Teſtamentum vetus: *Spernunt etiam Teſtamentum vetus*; tu vero ſi non integrum, plures tamen veteris Teſtamenti libros contemnis, ut videbitur. Quis porro Marcionita, vel Cerdonianus?

47. Addis: *Vel Manichæorum, qui uſum carnium prohibebant, & Sacramentum ſub una tantum ſpecie ſumebant?* (*D. Auguſtinus hæreſ.* 46.). O miſerum falſæ religionis *triplicis excelſi fœderis* Apologiſtam! Manichæi omnem uſum carnium penitus abolebant, eas habentes immundas; Eccleſia autem Romana non ſemper, ſed ſtatis jejunii diebus, carnis eſum prohibet, abſtinentiæ, & macerationis cauſa. Videtur ne tibi res eadem? Si Eccleſia ſentit cum Manichæis propter interpolatam prohibitionem uſus carnium, potiori ratione pſeudoreformatio tua ipſis aſſentietur, abhorrens ab ovis & piſcibus. Si Manichæus ego quia ex lege aliquando abſtineo me ab eſu carnium, contentus ovis, & piſcibus; cur non Manichæus tu, qui ſemper devoras carnes, ovis & piſcibus deteſtatis? Sumebant Manichæi Sacramentum ſub una tantum ſpecie, nec modeſtia fert indicare quid loco vini in Sacramento biberent. Verum ex vini deteſtatione, quod immundum putabant, id faciebant; cum e contra Eccleſia Romana Sacramentum miniſtret abſque ſpeciebus vini, non quod hoc immundum habeat, ſed quod neceſſarium illud non cenſet ad veritatem Sacramenti. Hoc autem tibi videtur Manichæis morem gerere?

48. Subdis: *Vel Oſſenianorum, qui neceſſarium minime credebant preces fundendas eſſe intelligibili idiomate?* Hìc nobis inceſſere præſumis quod vulgi lingua in publicis precibus non utimur. Oſſenianos, ſive *Oſſenos* commemorat S. Epiphanius (*hæreſ.* 19.), quos & hæreticos eos refert temporibus uſque Hebræorum, inſtitutos a quodam Elxai, qui inter cetera commenta, & mendacia, quædam confinxerat incondita verba (ſibi ſoli nota), & his aſſeclas ſuos orare præcipiebat nulla petita interpretatione. Sic S. Epiphanius. Quid autem hìc Romanæ Eccleſiæ ritui conforme? Hæc non vernaculo, ſed latino idiomate Miſſam, & Pſalmos canit, a nobiliori cœtu Eccleſiæ intellecto; plebi autem ea non percipienti ab ejus miniſtris ſermonibus & libris explanantur.

49. Proſequeris: *Vel Helceſeitarum, qui duos fingebant Chriſtos, in*

cælo

Digitized by Google

cælo unum, alterum in terra? & D. Auguſtinum citas *hæreſ.* 74. Revera apud ipſum non legiſti, dum S. Doctor Helceſeitarum ibi non meminit, ſed *hæreſi* 32. Verum neque hìc quidquam de duobus Chriſtis mentionem facit; nec de Ebionitis ſermonem habens *hæreſ.* 10., a quibus originem trahunt Helceſeitæ: quamobrem patet te proferre Patres, quorum volumina nunquam evolviſti. Nicephorus (*lib.* 5. *cap.* 24.) de illis hæc habet verba: *Unum ſiquidem & ipſi rerum omnium conditorem aſſerunt, non autem unum Chriſtum, ſed plures, ac diverſos; ac unum quidem ſurſum eſſe, aliud autem deorſum, quem in multis antea inhabitaſſe, deinde vero in Mariæ filio Jeſu incoluiſſe dicunt.* Hæc Helceſeitarum hæreſis quomodo cum fide Romana cohæreat uſque modo non capio. Ipſi duos fingebant Chriſtos, in cælo unum, alterum in terra, utrumque ex Maria natum. Romana fides docet eundem Chriſtum cælo inhabitantem viſibiliter, in Hoſtia etiam ſacramentaliter adeſſe. Helceſeitis quidem nullo diſcrimine pares fiunt pſeudoreformatores, aliquas Scripturas, æque ac illi, ſuo arbitrio vel acceptantes, vel rejicientes. Ad hæc. Quis duos dividit Chriſtos Calvino magis, qui cum Neſtorio duas in Chriſto agnoſcit perſonas, Filii Dei unam, Mediatoris alteram? (*lib.* 1. *Inſt. c.* 13. §. 9. 23. 24.).

50. Inſtas: *Vel Carpocratianorum, qui imagines colebant?* O tolerantiam! Auguſtinus, quem citas, *hæreſi* 27. de Peputianis tractat, non de Carpocratianis, quos recenſet *hæreſi* 7., quorum ſectæ nomen dediſſe aſſerit quandam Marcellinam, quæ imagines Jeſu, Pauli, Homeri, Pythagoræ una colebat, & thus ipſis adolebat. Quid autem id refert cum cultu, quem unice Dei, & Sanctorum imaginibus nos præſtamus? Superſtitioſum eſt imagines Jeſu, Pauli promiſcue cum illis Homeri, & Pythagoræ adorare; ergo ſuperſtitioſum eſt ſolius Jeſu & Pauli imagines adorare? Deus Philiſtæorum cultum reprobavit adorantium Arcam, & Idolum, & una manu illi, altera iſti thura geſtantium; ergo deteſtabatur Deus Hebræos Arcam adorantes, & thus iſti ſoli adolentes? O belle illatum!

51. Urges: *Vel Tatianorum, qui Matrimonium damnabant?* Hìc etiam mendoſe refers D. Auguſtinum, qui hæreſis Tatianorum non meminit *num.* 39., ſed 25. Hoc tamen dimittatur, non autem reliqua. Hi utique damnabant Matrimonium; ex quo tamen quid contra nos? Nos quippe Matrimonium non reprehendimus, quod ſanctius te honoramus: dum, quod tu negas, illud inter Sacramenta referimus.

Hæreſis Peputiana principatum concedebat mulieribus, quas & Sacerdotio honeſtabat: *Tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur.* Sic S. Auguſtinus *hæreſ.* 27. Hoc pſeudoreformationi valde quadrat, quæ principatum Anglicanæ Eccleſiæ feminæ detulit; ſicut & doctrinæ Lutheri, quæ docet (*lib. de captiv. Babylon.*) *omnes Chriſtianos eſſe æqualiter Sacerdotes, hoc eſt eandem in verbo, & Sacramento quocunque habere poteſtatem,* & conſequenter etiam feminas; quam doctrinam a te pariter receptam oſtendemus. Nos autem ſi mulieribus permittimus baptizare, non ipſis ideo Sacerdotii gradum deferimus; quoniam non Ordinis, & officii, ſed neceſſitatis miniſterio admittuntur.

52. *Vel Cathariſtarum* (ais), *qui ſe jactabant perfecti factores legis?* Quid hìc blateras? Nos ſane legem impleri poſſe confitemur, nec eſſe impoſſibilem facto, ut vos proteſtantes aſſeritis. Sed de hoc non gloriabantur Cathari, qui adeo perfectos ſe reputabant, ut ſine peccato eſſe contenderent. Verba illa Dominicæ orationis *Dimitte nobis debita noſtra* reſecabant, & aliorum non indigere orationibus exaggerabant. Hæc præſumptio. Nos omne meritum noſtrum Deo tribuimus: peccatores vere nos eſſe confitemur, & omne bonum noſtrum a Deo eſſe. Id ſane non eſt

cum

cum Catharis inſanire; cum ipſis quidem deſipit qui pœnitentiam negat, & veniam ſine iſta obtinere præſumit, ut gregales tui.

53. *Vel Priſcillianiſtarum, qui apocryphos libros canonicis libris æquiparabant?* Vos Alogiani, & Manichæi eſtis, qui Scripturas ex ſenſu veſtro apocryphas facitis. Non nos Priſcillianiſtæ, quia libros canonicos ab apocryphis ſecernimus. Non Alogiani, vel Manichæi, quia non qua vos judicium de canonicis, vel apocryphis libris ex nobis ipſis ferimus, ſed ab Eccleſia, cujus eſt judicare, illud exſpectamus.

54. *Vel Pelagianorum, qui in throno arbitrium ſtatuebant?* Vos Simoniani, & Manichæi eſtis, qui arbitrium peſſundatis. Nos nec liberum arbitrium dejicimus. unde nec Simoniani ſumus, nec Manichæi; neque extollimus, ſed gratiæ ſubditum, a qua bene agendi vires ſumere profitemur, unde nec Pelagiani. Tandem evomis: *Vel Nicolaitarum, qui concubinatum præferebant Matrimonio?* Vos Matrimonio nimium adhæretis, qui cælibatum recuſatis. Nos laudabile, & ſanctum dicimus Matrimonium, deteſtabilem concubinatum, ſed perfectiorem commendamus cælibatum.

55. Tuis jam dicteriis, & calumniis, brevi quidem, ſed latiori qua par erat animadverſione rejectis, ſordidum nunc, & impudicum *Apoſtatam Ravizzam* audiamus. Nebulo hic aſſerit Eccleſiam Romanam palam adhærere omnibus erroribus, & hæreſibus jam proſcriptis: nempe ſentit cum *Angelicis, Collyridianis, & Staurolatris in cultu B. Virginis, & Crucis.* Modico tuæ apoſtaſiæ tempore tot tantaque didiciſti? *Angelicos* nos ex Angelorum cultu criminari, præter te perfidum ſycophantam, alius nemo auderet. *Angelici* cultum Deo parem & Angelis præſtabant, ſatores Mundi eos credentes, & ſuperſtitioſis ritibus venerantes. Primum advertit S. Epiphanius (*hæreſ.* 60.); cetera D. Auguſtinus (*hæreſ.* 39.). Nos eos colimus qua Dei creaturas, & proprie loquendo Deum in Angelis veneramur. *Collyridiani* collyridas Virgini offerebant, & ſacrificiis colebant ceu Deam. Nos ſoli Deo ſacra facimus, oblatione corporis, & ſanguinis Filii ſui; Virginem vero non Deam, ſed Dei hominis Matrem veneramur. *Staurolatræ* ſolam nonniſi Crucem adorare volebant. Sic de illis Nicephorus (*lib.* 18. *cap.* 54.) ſcribit. Nos Crucem colimus, quatenus in illa paſſus eſt Chriſtus, quem præcipue adoramus. Hæc ſcire debes; cur ergo contra apertam veritatem latras?

56. Romana Eccleſia nonne cohæret *cum Montaniſtis, Manichæis, Encratitis, & Tatianis, in præceptis Jejunii, & Cælibatus?* De Manichæis & Tatianis jam reſponſum. De Montaniſtis vero, inter eorum Jejunia, & illa Romanæ Eccleſiæ, lata certe patet diſparitas. Illa a ſpiritu privato Montani præcipiebantur, qui Paracletum ſe habere oſtentans, ea dicebat ad ſalutem neceſſaria. Noſtra Jejunia auctoritate Eccleſiæ ſancita ſunt, valentibus neceſſaria *neceſſitate præcepti, non medii*. Illa extraordinaria erant, & pene aſſidua per annum; noſtra ordinaria ſunt, & vetuſtiſſima. Montanus non propterea erat hæreticus ex adjunctis Jejuniis, alias etenim illorum temporum Eccleſia, ut Tertullianus Montaniſta factus (*lib. de Jejun. cap.* 13. 14.) urgebat, Jejunii obſervantia fuiſſet hæretica. Hæreticus ideo Montanus, quod privato ſpiritu præſcripſit præcepitque Jejunia ab illis ab Eccleſia ſtatutis diverſa. Porro ſic procedamus. Montanus in hæreſim lapſus eſt, quia privato & fanatico ſpiritu Paracletum ſibi arrogans, nova Jejunia inſtituere contra diſpoſitionem Eccleſiæ auſus eſt. Ergo hæretici erunt pſeudoreformati Cairæ & Genevæ &c., quia nulla legitima auctoritate de Spiritu Sancto inaniter ſe glorianted, abrogarunt Jejunia ſtatuta, & obſervata ab Eccleſia. Quid ad hæc? Ah miſer Ravizza! Non Montaniſmi periculum, ſed Jejuniorum faſtidium, quo in tuo ſacro Ordine angebaris, ventri tuo nimium indulgens, te in perdi-

perditionem traxerunt. De *Encratitis* nil refert quidquam addere. Hi execrabantur carnes. Romana Eccleſia non ita; ſed ad frænandam concupiſcentiam eas identidem interdicit.

57. Dicis Eccleſiam Catholicam ſentire cum *Pelagianis*, & *Semipelagianis*, *de libero arbitrio*, *operum merito*, & *de perfectione juſtitiæ*. Peto ex te. Cum docendi munus, ut puto, in tuo Ordine exercebas, quæ tua erat in his tractandis mens, & ſententia? Fuerit perverſa mens, ſententia tamen adverſum Pelagium dimicaſſe, negare, niſi ſolemni mendacio, non potes. Profecto & ſacramento doctrinæ, & terrore pœnæ in ſcholis catholicis docere utique cogebaris veritatem arbitrii nonniſi a gratia ad omne bonum directi; merita operum, ſed gratiæ auxilio impetrata; perfectionem juſtitiæ, ſed a Chriſto fonte manantem. Hanc bene noſti unam perpetuam eſſe Eccleſiæ catholicæ doctrinam; cur ergo perfide mentiris hanc te ad Pelagianiſmum coegiſſe? Cum *Marcionitis* & *Peputianis* iterum ais Romanam Eccleſiam deficere. Verum jam oſtenſum eſt, non Romanam Eccleſiam, ſed pſeudoreformationem ad illos cominus accedere; & oppoſita penitus ratione a Manichæis calicis uſum, qua a Romanis, fuiſſe interdictum.

58. Præterea ſubdis, Catholicos imitari *Eſſenos uſu peregrini idiomatis in perſolvendis divinis Officiis*. Hìc a Picenino diſcrepas, qui cum S. Epiphanio *Oſſenos* illos appellat; tu vero *Eſſenos*. Quibus porro adjungimur, *Oſſenis*, an *Eſſenis*? Neque ejuſdem ſectæ binomines iſtos fuiſſe reſpondeas, quos & ritus, & dogmata omnino diverſa dividebant. Utraque quidem Hebræorum ſecta; ſed *Oſſeni* ab *Elxai* pſeudopropheta, ut ſupra dictum eſt, varios errores acceperant; *Eſſeni* vero a Joſeph hebræo deſcribuntur ut Judaiſmi reformatores (*lib.* 2. *de bell. Judaic. cap.* 7., *lib.* 18. *Antiq. cap.* 2.), & de ignoti idiomatis uſu nullus de ipſis ſermo. Ergo ſordide deſertor vides te blaterare quod ignoras. Ad hæc. Cur latinum idioma in divinis Officiis frequentatum ab Eccleſia Romana, non patrium, & commune, quam peregrinum appellas? Uno idiomate Eccleſia Romana, omnibus Eccleſiis communi, in ſuis precibus utitur, quia una eſt Eccleſia, uno etiam idiomate unitatis nodum amplectens. Pſeudoreformatio vero diverſitate dogmatum in plures Eccleſias diſſoluta, variis linguis preces ſuas peragit, ut in diviſione linguarum vera Babylon appareat. Eccleſia autem Romana *eſt terra labii unius*, ad quam omnium nationum gentes congregatæ, unaquæque audit lingua ſua alias orantes; e contra inter pſeudoreformatos communes diverſarum nationum preces eſſe non poſſunt, quarum uniuſcujuſque extraneus, & ignotus eſt ſermo.

59. Nec mentiendo garrire deſiſtis Eccleſiam Romanam adhærere *Euchytis*, *Nudipedalibus*, *Apoſtolicis in monaſticis votis*. Bene habes plures hìc cumulare hæreſes, ut a religioſis caſtris tuis proditoriam fugam obtendas. Faſtidiebas Chorum, idcirco *Euchytas* Monachos appellas. Pedum te nuditatis tædebat, quamobrem *Nudipedales* eos vocas, qui ex inſtituto excalceati incedunt. Paupertas diſplicebat; hinc paupertatis profeſſores *Apoſtolicos* criminaris. Verum attende miſer, & agnoſce cæcitatem tuam. Euchytæ continuis precibus unice exercebantur: *Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur*. Sic D. Auguſtinus (*hæreſ.* 57.). In Ordine quo degebas, quot variis officiis a tuis majoribus addictus fuiſti? Legebas, prædicabas, alia quæque peragebas. Non ergo *Euchyta*; quoniam *Euchytæ* præter ſacrificium precum aliud nullum admittebant. Id modo in apoſtaſia aſſeris; modo igitur factus es *Euchyta*, vel *Meſſalianus*. *Nudipedales* hæretici erant, ut refert D. Auguſtinus (*hæreſ.* 68.), non quod auſteritatis cauſa excalceati incederent, ſed quod ſic ab omnibus faciendum eſſe credebant, ex eo quod Iſaiæ (*cap.* 20. 2.) præceptum

fuit ſic

fuit ſic incedere, & Moyſi (*Exodi cap. 3. 5.*): *Solve calceamentum de pedibus tuis. Ideo ergo hæreſis eſt, quia non propter corporis afflictionem ſic ambulant, ſed quia teſtimonia divina taliter intelligunt.* Ordo cui nomen dabas excalceatum incedere te monebat propter corporis afflictionem; non quia in Scripturis id præceptum crederes. Non eras igitur hæreticus *Nudipedalis*. De *Apoſtolicis* ait D. Auguſtinus (*hæreſ. 40.*): *Ideo iſti hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent.* Dum inter Clauſtra verſabaris, docebant ne te ſalutem poſſe neminem conſequi, niſi tuæ regulæ auſteritatibus impletis? Non vides falſarium, & mendacem te palam deprehendi?

60. Cum *Sampſæis in reliquiarum cultu* Romanam Eccleſiam convenire muſſitas. Nec adhuc inſcitiam tuam agnoſcis? *Sampſæi*, ſive *Helceſeitæ*, *Ebionitarum* errores juxta Epiphanium in omnibus ſequebantur; & apud D. Auguſtinum (*hæreſ. 32.*) duas feminas ceu Deas adorabant, progenitas ex quodam eorum pſeudopropheta *Elxai* appellato: *Ex cujus genere duas mulieres, tanquam Deas, ab eis perhibet adoratas.* Quæ harum convenientia cum reliquiis Sanctorum religioſe veneratis? Cum D. Antonii reliquiam colebas, non alicujus Dei, ſed famuli Dei illam credebas. Sampſæus ergo non eras. Timeo equidem *Sampſæum* te fieri nunc, jam a vera fide apoſtatam. *Sampſæi, cum Helceſeitis, & Ebionitis*, oſtentabant, teſte Nicephoro (*lib. 5. c. 24.*) librum quemdam e Cælo delapſum, in quem credentes ajebant peccatorum veniam recipere, ab ea quam Chriſtus inſtituit diverſam. Tu modo pſeudoreformationem profiteris, quam Lutherus aſſerit e Cælo delapſam, cujus doctrinæ fide, remiſſionem peccatorum obtineri cenſes, modo longe diverſo ab illo Chriſti, qui, ut bene noſti, ad hanc pœnitentiæ ſacramentum inſtituit. Tu vero ſolam putas ſufficere fidem. En igitur te *Sampſæum*, *Helceſeitam*, *Ebionitam*, licentioſæ tuæ pſeudoreformationis triforme monſtrum.

61. *Baſilidianos*, *Carpocratianos*, *& Gnoſimacos*, *prohibendo Scripturas ſacras*, Eccleſiam noſtram ſequi criminaris. Mentiris Eccleſiam Romanam cuiquam prohibere Scripturas ſacras. Tantum non permittit in vernaculam linguam traduci, ne ad manus cujuſque bardi, & ignari hominis veniens (ut inter ſectarios uſu accidit) in pravos ſenſus ex ignorantia diſtrahatur. Verum quid Baſilidianos memoras? Non enim comperio hos cuiquam Scripturas prohibuiſſe. Comperio equidem apud Nicephorum (*lib. 4. c. 2.*) quod Baſilides inter perſecutiones germinare fidem videns, nec quidquam proficere; ad chriſtianos a martyrio coercendos, vulgando licitum eſſe perſecutore inſtante Jeſum Chriſtum negare, immo inſanum eſſe ejus cauſa mortem perpeti, hanc novam inſtituit fraudem. Seductores, & impoſtores homines, qua Ravizzam, adhibuit, qui chriſtianos ſe ſimulantes, ſimplices fallerent, *& ſani, ac ſalutaris verbi diſcendi ſtudium, & deſiderium corrumperent, ac depravarent.* Num hac ipſa arte Diabolus uſus ſit, media Lutheri, Calvini, Picenini, Ravizzæ ope ſi tu detrectas affirmare, quiſquam nullo irretitus præjudicio facillime judicabit. *Carpocratiani* vetus Teſtamentum rejiciebant, cujus plures libros Novatores etiam tui reſpuunt; Scripturas autem alicui prohibuiſſe non lego. Tui hi *Gnoſimaci* in aliquo ex tot quot recenſui hæreticorum catalogos non indicantur. Si *Gnoſticos* intelligas, oſtende quæſo hos Scripturas ſectariis ſuis prohibuiſſe; neque enim id unquam legi.

62. Eccleſiam iterum Romanam adhærere aſſeris *Eutychianis*, *Marcoſianis*, *Helceſeitis*, *circa tranſubſtantiationem.* Qualis erat *Eutychianorum* error? Nempe in Incarnatione Humanitatem in Divinitatem mutatam, & ex duabus unam conflatam fuiſſe naturam. Quid de tranſubſtantiatione nos

fatemur? Subſtantiam nempe panis mutari, & converti in corpus Chriſti; quamobrem poſt conſecrationem nulla panis ſubſtantia remanet, cujus vice adeſt ibi corpus Chriſti. Videtur ne idipſum tibi? Horrenda blaſphemia erat aſſerere poſt Incarnationem non extitiſſe humanitatem; quoniam ſic Chriſtus negabatur verus homo: quo ejus ſancta paſſio, & tota Divina Scriptura peſſum ibat. Errorem autem eſſe credere, ut nos credimus, poſt conſecrationem nullam manere ſubſtantiam panis, ſed ibi eſſe corpus Chriſti, ipſo dicente *hoc eſt corpus meum*, unde probas? Itaque & ego ſic arguam. *Eutychiani*, & alii, errarunt negando in Chriſto realiter adeſſe humanitatem; erras ergo & tu, cum neges in Euchariſtia realiter adeſſe corpus Chriſti. Quæ illatio optima erit, ſi ex te ab Incarnationis myſterio ad Euchariſtiam ratio valeat. Quid *Marcoſiani* aſſerebant? Hi a quodam *Marco* ipſorum Principe edocti, nonnullis magicis verbis quemdam liquorem in purpureum colorem, ac cæleſtem mutabant, quem ſimplicibus, ſtultiſque mulierculis, ad amorem, propinabant. Nos verbis Chriſti, abſque coloris variatione, ſubſtantiam panis convertimus in corpus Chriſti, quod ſumptum a fidelibus, charitatis ardorem in ipſis accendit. Hæc ne eadem? Quomodo autem ex hæreſi *Helceſeitarum* tranſubſtantiationis doctrinam extorqueas non capio; niſi forte ad id te referas, quod inſani illi Spiritum Sanctum feminam Chriſti ſororem fingebant, utrique tribuentes monſtroſum corpus: quaſi indicare velis corpus Chriſti in Euchariſtia *monſtroſum* quemdam habere modum; cum *mirabilem* & *prodigioſum* confiteri deberes, ut ſtato loco tibi oſtendam. Preterquamquod corpus Chriſti a nobis creditum, ſimile eſt alterius cujuſque hominis corpori, & hoc in Euchariſtia adeſſe confitemur. Solus exiſtentiæ inviſibilis modus diverſus eſt. Verum ſi ſemotis cavillis recte perpendas Helceſeitarum errores, illos quos nunc profiteris facile agnoſces. Siquidem comperies omnia ſacrificia Deo oblata abrogaſſe, virginitatem, & continentiam odiſſe, nubere omnibus præcepiſſe; ut notat S. Epiphan. (*hæreſ.* 19. *&* 50.). Helceſeita ergo nemo qua tu.

63. *Heracleonitas* etiam in *Extrema Unctione* nos facis. Hi juxta Epiphanium (*hæreſ.* 36.) inſolito quodam modo moribundos ſuos redimebant, ſuper eorum caput oleum cum balſamo aqua mixto effundentes, addita quadam forma verborum, hebræa lingua, & nominibus concinnata. His cæremoniis credebant eos munitos eſſe contra ſupernas poteſtates, ut ab iſtis nec etiam videri poſſent. Hæc ne Unctio Extrema, quam a D. Jacobo præſcriptam in uſu nos habemus? Quia *Heracleonitæ* abutebantur unctione ſuperſtitioſa, idcirco *Heracleonitæ* omnes, qui *Extrema Unctione* utuntur? Bella dialectica! Marcio abutebatur Baptiſmo, Manichæi nefarie profanabant Euchariſtiam; ergo hæretici omnes, qui Baptiſmum adminiſtrant, & Euchariſtiam? Audi Ravizza quid de Heracleonitis referat Auctor prædeſtinati (*lib.* 1. *c.* 16.): *Hæreſis Heracleonitarum ab Heracleone adinventa eſt, quæ baptizatum hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem, loco Sancti computari docebat, nihilque obeſſe baptizati peccata memorabat, dicens. ſicut non in ſe recipit natura ignis gelu, ita baptizatus non in ſe recipit peccatum.* Quæ doctrina nil diſcrepat ab illa Calvini, qua docet hominem ſemel illuminatum per fidem, neque inter graviſſima crimina, juſtitiam amittere. Sua hæc verba ſunt (*lib.* 3. *Inſtit. cap.* 2. §. 11. *&* 12.): *Semen aliquod, & particulam vivæ fidei manere in homine inter graviſſimos lapſus &c.* Quis igitur *Heracleonitis* Calvino magis cum ſuis ſectariis adhæret?

64. Tandem ſycophanta noſter ſtropham ſuam ſic complet: *Romana Eccleſia omnibus hæreticis conſentit in neceſſitate traditionum, incuſans ſacrum*

ſacram Scripturam imperfectam & inſufficientem. In cauda venenum omnium peſſimum, & mendacium omnium mendaciſſimum. Omnes quippe hæretici in hoc adverſantur, negantes traditiones, & ad Scripturas unice confugientes. De Manichæis, & Pelagianis jam probatum eſt, & de ceteris fidem facit Lutherus, Hoſio teſte, ſolitus dicere Scripturam librum vere eſſe hæreticorum, quoniam ab ipſa omnes hæretici errores ſuos decerpunt; & revera hæretici omnes aliquo textu Scripturæ depravato ſuas tuentur hæreſes. *Scripturarii* ſecta quædam hæreticorum ſunt a pſeudoreformatione propagata, quæ ſtudio Scripturæ, & præſertim D. Pauli dedita, *Pauliniſtarum* nomenclatura gloriatur, nil omnino interpretans ad normam Eccleſiæ & Patrum; de quibus, ſicut de omnibus hæreticis, D. Ambroſius, vel Auctor Commentariorum in Epiſtolas D. Pauli, protulit: *Hæretici ſunt qui per verba legis legem impugnant; proprium enim ſenſum verbis legis adſtruunt, ut pravitatem mentis ſua legis auctoritate commendent*. Si hæretici hi, qui traditionum neceſſitatem admittunt, ſane hæreticus S. Iræneus, qui illas adſtruit, Patreſque Nicæni, qui juxta D. Athanaſium (apud Theodoretum *lib. 1, c. 8.*) *Epiſcopi vero non ex ſeipſis voces commenti, ſed Patrum habentes teſtimonia*, Arianos damnarunt; & in quæſtione de intellectu Scripturæ ad traditionem confugerunt, dicentes: *Priſci enim Epiſcopi, qui ante annos fere centum ac viginti, tum in magna urbe Roma, tum in noſtra civitate ſederunt, eos qui Filium Dei facturam dicerent, non autem Patri conſubſtantialem, reprehenderunt*. En maxima Eccleſiæ quæſtio traditione finita. Omitto eam inter S. Cyprianum & Stephanum, quæ & traditione tractata, & traditione definita fuit. Hos porro omnes qua hæreticos, apoſtata Ravizza, damnare debes, ſi *hæreſim* eſſe velis *traditionum* neceſſitatem affirmare. At quid plura? Enimvero puto te intus ſentire, non ex conſcientiæ ſynthereſi, ſed ex laxæ pſeudoreformationis licentia motum te, & ſeductum fuiſſe longius abire a domo Patris tui, a grege Paſtoris tui.

CAPUT VII.

De dono Prophetiæ qua ſigno veræ Eccleſiæ.

§. I.

Adimpletio Prophetiarum veritatem non confirmat Pſeudoreformationis.

1. Veritas fidei Chriſti invictum ſumit ſuæ veritatis argumentum ex adimpletione ,, omnium, ,, quæ de Chriſto, & ejus Eccleſia ,, Prophetæ enuntiarunt ,,. Hæc proponit P. Segneri *cap. 17.* Capite vero 18. ex perennitate doni prophetiæ in Eccleſia Romana, ſignum certum habere aſſerit, hanc eſſe veram Eccleſiam Chriſti. Primum negare non audes, immo tuæ pſeudoreformationi id accommodare niteris. Secundum negas eſſe principium certum; & quadantenus ad veritatem fidei ſuadendum aſſumi poſſet, iterum contendis hujuſmodi donum in Eccleſia Romana non perduraſſe. Ad primum.

2. *Apolog. cap. 8.* ſic igitur diſſeris: *A Deo revelata myſteria illa credenda ſunt, qua antequam implerentur prænuntiata erant. Ergo non cætera credenda, quorum in libris propheticis nulla habetur mentio. Ergo Sanctorum invocatio, & cultus Imaginum, Indulgentia, & Purgatorium non ſunt credenda, quia in ſanctis libris veteris Teſtamenti non ſunt prænuntiata*. Falſa, & perverſa eſt hæc tua ratio, ſi ex ea inferas nil credendum, quod in litteris *veteris Teſtamenti* non ſit expreſſe revelatum. Quot enim modo creduntur, quæ veteri Teſtamento non indicantur, vel tam arcano, & occulto ſenſu obtenduntur, ut in eo inveſtigando pluri- mi

mi defecerint? Tu mecum credis Incarnationem Verbi; ſecundam perſonam Trinitatis Chriſtum eſſe hominem factum; Deum hominem fuiſſe ex hypoſtatica unione; & in una perſona duas exiſtere naturas. Hæc una ſimul confitemur. Ubi porro Myſterium hoc maximum in *veteri Teſtamento* declaratum, & perſpicue prænuntiatum a Prophetis legitur? Leges ibi Meſſiam hominem futurum, cujus propterea nativitas, vita, paſſio, mors prædicitur; Deum tamen expreſſe futurum media *Incarnatione* potius, quam morali, & affectiva unione, ut blaſphemabat Neſtorius, aut mutatione humanitatis in divinitatem, ut Eutyches, ibi non leges. Ubi in *veteri Teſtamento* habebis ſecundam perſonam Trinitatis carnem ſumpturam; cum ibi Dei unitas maxime commendetur, perſonarum Trinitate vix obumbrata? Hæc tot errorum in primitiva Eccleſia occaſio. Hebræi, quibus certe cordi, & menti eſt vetus Teſtamentum, pertinaciter ſemper negarunt, & negant Trinitatem; & Incarnatio ipſis fabula. Porro ſi duo Myſteria, Trinitas ſcilicet, & Incarnatio, quæ baſes ſunt Eccleſiæ Chriſti, tot tenebris involuta in veteri lege vix indicantur; perſpicue tradita ibi quærentur a te Tranſubſtantiatio, Indulgentiæ, Sanctorum religio, ceteraque a nobis credita? Si tibi placeat quæ fide a nobis tenentur, audire vel veteris Teſtamenti geſtis ſignata, vel ſymbolis a Prophetis prænuntiata, id facturum me ſuo loco non renuam.

3. Inflaris, tuam fidem cernens illi Hebræorum maxime affinem; quamobrem ais *pag. 96. Hi non Imagines volebant, non invocabant Sanctos, non ſerviebant Angelis*. Abſtine Picenine; cave ne te Lutherus audiat, alias fanaticum te, & ignarum reprehendet (*Concione de Moyſe*). Si vis Hebræorum legem nobis eſſe normam, ne ſic extollas tuam cum illorum lege affinitatem. Memento te Chriſtianum, non Hebræum eſſe; & Eccleſiam tuam, ſi veram eſſe aveas, non tabernam, nec ſynagogam Hebræorum, ſed Eccleſiam Chriſti eſſe debere, Judaiſmi quidem ſuccedaneam, ſed multis diverſam. Non Imagines ſynagoga permittebat, non Sanctos invocabat, quia præcavebat, ne fideles ſui valde rudes pro creatura Deum deſererent. Chriſtianus autem magis edoctus, novit adorare Deum tum in ſe, tum etiam in Imaginibus, & Sanctis ſuis: nempe Sanctos colere, & Angelos, qua Miniſtros ſupremi Domini, & Advocatos apud ipſum; quo pacto in terris Aulici Principis venerantur, & intercedunt pro clientibus, abſque læſione ſupremæ Majeſtatis. Verum, ais: *Duo dumtaxat erant ſynagogæ ſacramenta, Circumciſio, & Paſcha, quibus ſubrogata ſunt Baptiſmus, & Cœna*. Falleris, inquit Auguſtinus (*lib. 3. doct. Chriſt. cap. 9., & Epiſt. 118. cap. 1.*); immo plura eorum erant Sacramenta, quam noſtra. *Non alium nos habemus niſi ſanguinem Chriſti*. Veruntamen Sanguis Chriſti ſicut qua effundendus ſanctificabat victimarum ſanguinem, ſic qua effuſus ſanguinem Martyrum ſanctificat. Non alium verum agnoſcimus Mediatorem præter Chriſtum, qui valeat propriis meritis intercedere; ejus tamen infinita merita limitata non credimus, quin valeant Sanctis, & eorum operibus interceſſionis efficaciam elargiri. Sed de his alibi. *Omnes fideles utriuſque Teſtamenti* (tandem concludis) *confitentur eundem Meſſiam, reſpiciunt idem propitiatorium, in eadem gratia ſpem reponunt, eandem gloriam exſpectant*. Bene totum; ſed in alterutra lege alia, & alia ſunt media, alii, & alii ritus.

4. Quamobrem Catholici, abſque injuria, pſeudoreformationem accuſant novitatum plenam: quandoquidem licet antiquata quædam veteris Teſtamenti retineat, & Judaiſmo ſane nimium indulgeat; novis tamen ſubintroductis figmentis, a priſca Eccleſiæ religione, & diſciplina tam longe recedit, quod reformatio potius chriſtianæ ad normam judaicæ religionis, quam doctrinæ Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ praxis,

&

& imitatio videri videatur. Hæc novitas a nobis reprehenditur, novitas ab ipſo Luthero teſtificata, dum gloriabatur (*Concion. ad popul. Domin. donec veneris*) primum ſe, cui Deus illam doctrinam revelavit, & tanta perſpicuitate Evangelium enuntiaſſe, quanta nec Apoſtolorum ætate factum fuerit; tum etiam a Calvino, qui negare non valens ab antiquis Patribus oppoſitum ſuæ doctrinæ fuiſſe traditum, audacter profert ab omnibus ſolemniter erratum. Si nova non docuiſſet Lutherus, neque gloriari debuerat primum ſe, præ Apoſtolis, præclarius enuntiaſſe Evangelium: quinimmo oſtendere debebat idipſum docere, quod fuerat ab Apoſtolis traditum. Si Calvinus antiquitus retenta ſcribebat, veteres ſecum ſenſiſſe proferre debebat, non illos omnes erraſſe. Verum alterius loci negotium erit de tua novitate, ac de meæ antiquitate doctrinæ ſerio agere, & te evidenter convincere.

§. I I.

Prophetia donum ſignum eſt veræ Eccleſiæ.

5. PAter Segneri adſtruit veram habendam eſſe illam Eccleſiam, cui prophetiæ donum perenne conceditur. Notam hanc veræ Eccleſiæ rejicis *cap. 9. pag.* 98. hac ratione: *Si prophetia donum veram Eccleſiam a falſis decernit, cur donum hoc Balaamo, Caipha, Paganis, Sybillis, et ipſi Diabolo a Deo conceſſum fuit? Præterea. Poſt Malachiam Hebræis prophetia defecit, nec tamen vera Eccleſia ab ipſis defecit.* Inſcitia tua, qua non capis aſſertum Patris Segneri, ſciolum te hac tua ratione facit. Donum prophetiæ, ut de miraculis dictum eſt, nec ſanctitatis ſemper, nec veritatis fidei veræ etiam prophetantis indicium eſt. Indicium ſane certum, & tutum eſt veritatis alicujus religionis, hanc prænuntiari, nedum ſuorum profeſſorum, quam eius inimicorum oraculis, quaſi a Deo coacti ſint invita voluntate eam fateri. Sic diſpoſuit Deus veritatem ſui adventus vaticinari non tam a Prophetis Iſrael, quam a Balaamo, & aliis etiam ex Gentibus, & ſuæ mortis neceſſitatem ad noſtram ſalutem ab ipſomet Caipha. Propheticus quippe Dei ſpiritus minime dedignatur os aliquando impii aperire, cogens hunc fateri voce, quod corde nollet, quaſi ipſum torquens ad veritatem. Gentes quæ ita vaticinatæ ſunt ad incrementum fidei Chriſti, veri Prophetæ & graviſſimi teſtes fuerunt veritatis Eccleſiæ a Chriſto erectæ; ut inimicorum teſtimonium ad innocentiæ alicujus veritatem maxime confert. Ita diſſerit D. Auguſtinus (*lib.* 13. *contra Fauſtum cap.* 15.). Audire juvat hunc S. Patrem redarguentem Fauſtum Manichæum, qui antiquæ Eccleſiæ prophetias inceſſebat, qua tu præſentis & veræ Eccleſiæ, dicens Deum conceſſiſſe hoc donum Paganis, & Sybillis: *Sybilla porro, vel Sybillæ, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii Vates, vel Theologi, vel ſapientes, vel Philoſophi gentium, de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad illorum auctoritatem amplectendam; cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos idola et dæmonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt. At illi ſancti auctores noſtri eum populum, eam rempublicam, tale regnum, imperante, et adjuvante Deo propagaverunt, atque rexerunt, ubi ſacrilegium eſſet, quod iſtis religio fuit &c.* Audiatur etiam D. Thomas 2. 2. quæſtione 172. art. 6. ad prim. *Propheta dæmonum non ſemper loquuntur ex dæmonum revelatione, ſed interdum ex inſpiratione divina, ſicut manifeſte legitur de Balaam, cui dicitur Dominus eſſe locutus Num.* 22.*, licet eſſet Propheta dæmonum, quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per Prophetas dæmonum aliqua vera prænuntiat, tum*

tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adverſariis teſtimonium habet, tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Unde etiam Sybillæ multa vera prædixerunt de Chriſto &c.

6. Si vero ſermo ſit de oraculis gentium, quæ ab Idolis, ſive melius a Dæmone reddebantur, certum eſt falſa ſæpiſſime, vel caſu interdum vera, vel adeo implexa fuiſſe, & ambigua, ut in alterutram partem commode interpretari, & pro re nata apte intelligi poſſent: de quibus, Gentilis licet, non minus vere, quam diſerte Cicero (*lib. 2. de divinatione*) de Chryſippo loquens, qui Apollinis oraculis integrum volumen impleverat, ſcripſit: *Partim falſis, ut ego opinor, partim caſu veris, ut fit in omni oratione ſæpiſſime, partim flexiloquis, & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa ad ſortes referenda ſit.* Propoſitio igitur P. Segneri hunc refert ſenſum: Religio quæ tam a ſuis, quam ab extraneis prænuntiatur, veritate carere non poteſt. Illa Eccleſia vera eſt, in qua veræ prophetiæ donum perſeverat, & hoc ſuæ veritatis eſt ſignum certum magis, quam ipſa miracula, ait Auguſtinus (*lib. 12. contra Fauſtum cap. 45.*), quia miracula ſuſpicari poſſunt non vera, & apparentia, vel artis magicæ preſtigia; e contra prophetia impleta notum facit Prophetam nonniſi ex ore Dei fuiſſe loquutum, juxta Iſaiæ dictum 41. 23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos.*

7. Neque verum eſt prophetiæ donum ſoli Eccleſiæ naſcenti fuiſſe conceſſum; neque ex textu Joelis a S. Petro aſſumpto (*Act. 2. 17.*) *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ* id evincitur; quandoquidem hoc ſane dictum fuit a S. Petro Eccleſiæ naſcentis tempore, non ita tamen quod ad illud dumtaxat tempus, ſed ad omnia tempora, immo uſque ad extremum tempus relatum intelligi debeat. Quomodo enim Eccleſiæ naſcenti arctari poſſunt verba illa: *Et prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ?* Profecto prophetia, quæ ſucceſſione in filios effundenda erat, non ad primum illud tempus, ſed ad ſucceſſivum tempus, ſecundum poſteritatem filiorum, propagari quodammodo, & dilatari intra fines veræ Eccleſiæ debuerat. Textus S. Pauli (*1. Corinth. 13. 8.*) *Prophetiæ evacuabuntur, linguæ ceſſabunt*, non hic certe a te inductus fuiſſet, niſi de induſtria cæcum te fingeres. Ibi enim S. Paulus non aſſerit in Eccleſia ceſſaturas prophetias, & linguas, ſed hæc duo dona ibi comparat charitati, & ait, in Cælo, ubi prophetiæ evacuabuntur, & linguæ ceſſabunt, charitas manebit. Quod autem prophetiæ conjunctum neceſſario ſit linguarum donum, hoc plane falſum. Duo hæc dona diſtincta ſunt; & Spiritus Sanctus, qui *dividit ſingula prout vult*, poteſt ea vel ſejuncta, vel unita impartiri. Apoſtolis utrumque largitus eſt. Antiquis Prophetis non linguarum, ſed prophetiæ donum diſtribuit, & affabre quidem; quoniam antiqui Prophetæ vaticinari debebant populo unius ſermonis, quapropter linguarum donum ſuperfluum ipſis fuiſſet. Apoſtoli autem prædicare debebant diverſis nationum populis, & univerſo orbi, unde ipſis prophetia ſine linguis, dum non intelligeretur, inutilis ferme eſſet. Sic plurimis ex Sanctis noſtris conceſſum fuit donum prophetiæ ſine linguis, cum ad populum labii unius mittebantur; e contra cum ad diſſitas, & barbaras nationes deſtinati erant ad enuntiandum Jeſum Chriſtum, tum utroque dono prophetiæ & linguarum ornati fuerunt, ut ſupra oſtenſum fuit de S. Franciſco Xaverio. Dicis *pag. 98. Malachiam Prophetarum ultimum fuiſſe inter Hebræos*; ſed etiam hic de more inſcitiam tuam prodis. Poſt Malachiam extiterunt *Aggæus*, *Zacharias*, & *Eſdras*. Poſt Eſdram, nullus inter ipſos Propheta, præter *Zachariam*, & *Eliſabetham* Baptiſtæ genitores. Hæc tamen Prophetarum defectio, ut notat

rat D. Auguſtinus (*de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 45.) ſignum nimirum fuit defectionis & caſus Eccleſiæ judaicæ, juxta Spiritus Sancti ſententiam (*Proverb. c.* 29. 18.): *Cum prophetia defecerit diſſipabitur populus*; & jam proxima erat Eccleſia Chriſti valde illa præſtantior, juxta Aggæi dictum (2. 10.): *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, plus quam primæ.*

§. III.

Prophetiæ donum in Eccleſia perpetuum.

8. Videndum nunc an prophetiæ donum in Eccleſia Chriſti perſeveraverit. Pater Segneri id aſſerit, & verum aſſerit. Nullum enim, erecta jam Eccleſia, præteriit ſeculum prophetiæ dono vacuum. S. Juſtinus, unus ex primis Patribus poſt Apoſtolos, ait prophetiæ donum cum Eccleſia ab Iſraele ad nos tranſiiſſe: *Apud nos enim* (Dialog. cum Tryphone Judæo) *hucuſque etiam prophetica extant dona, unde & vos etiam intelligere debetis, quæ olim in genere veſtro fuere, ea eſſe in nos translata. Ac quemadmodum apud vos Sanctorum Prophetarum tempore etiam pſeudoprophetæ erant, ita & apud nos permulti ſunt falſi Doctores, quos cavendos eſſe nos Dominus noſter præmonuit &c.* (*pag.* 308.). S. Iræneus (*lib.* 2. *cap.* 32. *contra hæreſes*) teſtatur ſecundo ſeculo Prophetas extitiſſe: *Alii autem & præſcientiam habent futurorum, & viſiones, & dictiones propheticas.* S. Polycarpo facta fuit ſui martyrii revelatio, ut refert Euſebius (*lib.* 4. *Inſt. c.* 15.), & Pontius Diaconus ſcribit id etiam Tertulliano revelatum. S. Luciæ ad ſepulcrum S. Agathæ oranti revelata fuit tum ſanctitas, tum fama, quam ex eius ſepulcro civitas Syracuſana conſecutura erat. In actuali paſſione martyrii prædixit Eccleſiæ pacem, quæ ſequuta eſt Diocletiano mortuo. Nec finis, ſi revelationes omnes, viſiones, prophetias veterum Confeſſorum nominis Chriſti recenſere vellem. Tu autem vis omnes prophetias penitus ceſſaſſe. Id etiam Julianus Apoſtata muſſitabat; adverſus quem S. Cyrillus (*lib.* 6. *pag.* 199.) probabat ceſſaſſe quidem ab hebræis, ſed in Sanctis noſtris perſeveraſſe: *Poſtea quam autem advenit ipſe, ac mortalibus apparuit, ceſſavit quidem prophetia veteris gratiæ; Deus autem nunc quoque Sanctis pro ſua voluntate inſpirat futura, & in ſanctis animabus habitat. Quamobrem ne dicat ſpiritum defeciſſe; ſed nos in novitatem gratiæ translatos.* P. Segneri refert revelationes a D. Athanaſio deſcriptas in Vita S. Antonii Abbatis; tu vero impudenter negas opus illud eſſe Athanaſii genuinum. Sculterus & Servetus illud ſuppoſititium criminantur, ſed noſtri ſeculi eruditi a calumnia hoc ſcriptum vindicant; & D. Gregorius Nazianzenus cum D. Hieronymo in catalogo hoc opus D. Athanaſio tribuentes, digniorem merentur fidem, quam audaciſſimi quidam pſeudoreformationis critici: tum quia S. Athanaſio proximiores, tum etiam quia melioris famæ & notæ viri, quam Sculterus, Servetus, & Piceninus, qui aranea queque fila texunt ad involvendam vetuſtatem oppoſitam eorum novitati. Videatur Natalis Alexander (*ſeculo* 4. *hiſt. Eccleſ. cap.* 6. *ar.* 8. *num.* 21.). Porro ſubdis *pag.* 100., dato etiam veras fuiſſe primorum ſeculorum prædictiones, *de his Romana Eccleſia gloriari nequit, dum fidem habeat ab illis ſeculis oppido diverſam.* Id oſtendendum erat. Verum aliquantulum ſuſtine, & ſtato loco oppoſitum a me probatum tibi conſtabit.

9. *Si quæ proferantur* (ais pag. 100.) *prophetiæ Benedicti, Franciſci, Catharinæ Senenſis, Birgittæ, Catharinæ Raconiſienſis, Hildegardis, quæ recentiores, ut his credam, nova revelatione magis authentica comprobandæ erunt.* In ſumma ad examen eaſdem revocas; & revelationibus S. Birgittæ & S. Catharinæ Senenſis in judicium accitis, ſophiſtica tua dialecti-

ca has ſibi contrarias deprehendiſſe oſtentas; nempe Deiparam revelaſſe S. Birgittæ ſuam *Conceptionem immaculatam*, Catharinæ vero ſuam *Conceptionem maculatam*; unde pag. 102. hanc fers ſententiam: *Quis ſibi ſuadebit ex Virgine habitas has revelationes, quarum una alteram deſtruit? Fabula hæ ſunt conficta a Fratribus, ad aucupandam ſuis inſtitutis famam. Hæ fabulæ injuriam faciunt Catharinæ, Birgittæ, & ipſi Beatiſſimæ Virgini. Hæc commenta incuſant Spiritum Sanctum, quaſi contradictoria afflantem.* Verum inique judicas, & extra cauſam. Quæſtio enim præſens non eſt hanc, vel illam prophetiam veritatem habere, hanc, vel illam perſonam prophetico ſpiritu fuiſſe dotatam, ſed in Eccleſia catholica prophetiæ donum perſeveraſſe, & quempiam fuiſſe ſemper hujuſmodi dono inſignitum. Non inficiaberis veteri lege prophetiæ donum extitiſſe; neque tamen veri Prophetæ omnes, qui Prophetæ dicebantur, cum veris Prophetis pſeudoprophetæ miſcerentur. Inepte itaque infers: Hæc vel illa prophetia falſa eſt, hic vel ille pſeudopropheta eſt; ergo nulla remanet vera prophetia, nullus propheta verus; ergo in Eccleſia prophetiæ donum non perſeverat. Ferme ac ſi diceretur: Hic vel ille falſam enuntiat doctrinam; ergo nemo eſt qui veram enuntiet doctrinam. Quod dictum volo ad redarguendam inſcitiam tuam. Nunc objectis occurram.

10. Antequam tamen putidis, ineptisque calumniis tuis reſpondeam, opportunum cenſeo ex his, quæ a noſtris Theologis communiter docentur, ne æquivocatione ultra labores, te admonere, revelationes utique fieri poſſe, vel univerſæ Eccleſiæ de his, quæ omnibus chriſtifidelibus univerſim credenda proponuntur, vel alicui privatæ perſonæ de aliqua privata re; exempli gratia ſi Deus alicui Sancto revelaret ſive victoriam adverſus Turcam obtinendam, ſive etiam articulum aliquem credendum. Revelationes ab univerſitate fidelium fide ſuſcipiendæ, factæ ſunt Apoſtolorum temporibus, in quibus ædificabatur Eccleſia, & credenda ſtatuebantur; quæ prophetiæ in præſens ceſſarunt.

Quamobrem ſcite D. Thomas a te citatus, ſed in ſenſum tuum diſtortus, optime ajebat *fidem noſtram inniti revelationi, Apoſtolis, & Prophetis factæ*; quanquam decurſu temporum plurima propoſita ſint credenda, quæ prius non videbantur ſolemniter definita, ut in Nicæno Concilio ſtatutum fuit fide tenendum Filium non factum, ſed conſubſtantialem Patri, id tamen non ideo quaſi tum ſolum fuerit a Deo revelatum, ſed quia orta quæſtione num id in Scripturis fuerit a Deo revelatum qua fide tenendum, Eccleſia tum illud propoſuit ab omnibus credendum qua vere a Deo revelatum. Quo fit eoſdem eſſe noſtros, ac antiquæ Eccleſiæ articulos fidei, quamvis non omni tempore ut a Deo revelatos eos credere teneremur, quia hi nondum ut revelati ab Eccleſia propoſiti, nec definiti fuerant. Revelationes vero privatæ, neque quo ad perſonam, neque quo ad rei ſubſtantiam contractæ fuerunt temporibus Apoſtolorum; ſed quoquo tempore fiunt cui Deo placet facere. Quoniam vero certiorari minime poſſumus hujuſmodi revelationes a Deo eſſe, moniti etiam a perſona, cui factæ ſunt, eas a Deo eſſe, adhuc fidem noſtram eis præſtare non tenemur, donec Eccleſiæ judicium non accedat. Quo caſu credam; & ita credam, non quaſi articulum noviter revelatum, ſed ab Apoſtolis jamdiu revelatum, & uſque nunc occultatum: *Innititur enim fides noſtra revelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt; non autem revelationi, ſi qua fuit, aliis Doctoribus facta.* (p. p. q. 1. ar. 8. ad 2.) Hæc D. Thomas, qui non abſolute negat Eccleſiam dono prophetiæ fuiſſe privatam; immo expreſſe docet quoquo tempore dotatam (2. 2. q. 174. ar. 6.

nr. 6. ad 3.), referens textum S. Hieronymi, & Auguſtini, quorum primus ſuper verba *S. Matthæi cap. 11. 13. Omnes enim Prophetæ & lex uſque ad Joannem*, hæc habet: *Non hoc dicitur ut poſt Joannem excludat Prophetas. Legimus enim in Actibus Apoſtolorum & Agabum prophetaſſe, & quatuor virgines filias Philippi. Joannes etiam librum propheticum conſcripſit de fine Eccleſiæ, & ſingulis temporibus non defuerunt aliqui ſpiritum prophetiæ habentes, non quidem* (attende) *ad novam doctrinam fidei depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem, ſicut Auguſtinus refert lib. 5. de Civit. Dei cap. 26., quod Theodoſius Auguſtus ad Joannem in Ægypti eremo conſtitutum, quem prophetandi ſpiritu praditum, fama crebreſcente didicerat, miſit, & ab eo nuncium victoriæ certiſſimum accepit*. Sic D. Thomas. Ad hæc. Si Cajetanum legere digneris ad eundem articulum, accipies non a nobis prophetias omnes inconſulto, ut putas, ſuſcipi, ſed ſequi S. Pauli regulam, qui poſtquam dixerat (*1. Theſſalon. 5.*) *Prophetias nolite ſpernere*; ſubdit: *Omnia autem probate; quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos*.

11. Qua doctrina recte perpenſa, & errores, & machinæ tuæ diſſolvi deberent, quas ſupra revelationes Sanctæ Birgittæ, S. Catharinæ Senenſis, aliorumque Sanctorum inaniter machinaris. Quandoquidem ſi res etiam fidei ſibi revelatas mihi proponant, equidem eas veneror, veruntamen quouſque ab Eccleſia non recipiuntur, & ut a Deo revelatæ Apoſtolis in verbo ſcripto, vel tradito mihi non exhibentur, nulla injuria licebit dubitare necne revelatæ, necne credendæ ſint. Quocirca contradictiones a te allatæ in privatis revelationibus de Conceptione Mariæ Virginis, non inficiunt, nec lædunt meam fidem, quia neutram partem a Deo revelatam credam, quouſque Eccleſia alterutram ſuo judicio tenendam decernat; & ſic tutus ero, innixus præclaro illi Auguſtini effato: *Ego Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me commoveret auctoritas*.

12. Eccleſiæ nomine hìc Concilium intelligo, qua corpus unitum Romano Epiſcopo viſibili capiti. Quamobrem Baſileenſe Concilium, ab eo inſtanti, quo diviſum ab Eugenio IV. factum eſt corpus acephalum, abſque viſibili, & inviſibili capite Chriſto, illud deteſtor cum decretis ſuis ſchiſmaticis, & apoſtaticis, præſertim in his quæ auſum fuit contra auctoritatem Eugenii: & qua tale anathematizatum, & rejectum fuit ab utraque Eccleſia, latina, & græca, quæ illuc licet vocata, audito Romanum Pontificem receſſiſſe ab illo conventu, aliumque Ferrariæ, inde Florentiæ coegiſſe, huc acceſſit, hìc veram agnovit Eccleſiam, cum qua pacem iniit, illam Baſileæ ſpernens qua apoſtaticam; quæ demum a Deo, & ab hominibus derelicta, ceſſit in nihilum. Quo infero, me nulla ratione cogi ad præſtandam fidem revelationibus S. Birgittæ, etiamſi decreto Baſileenſis conventus ſancitæ fuiſſent. Unde de more mentiris, dum *pag. 101.* ais: *Si hoc Concilium probat prophetias Birgittæ, tribunal eſt ſanctum, & infallibile; ſi Papam judicare, & ejus auctoritatem limitatam velit: Abſit, Conciliabulum eſt*. Mentiris, repeto, cum nemo unquam animum adjecerit decreto illius Concilii etiam concernenti immaculatam Conceptionem; & Concilium Tridentinum (*Seſſ. 5. de pecc. orig.*) nec ad ipſum attendit, ſed in hac re Conſtitutionibus Sixti IV. adhæſit: *Declarat Sancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV., ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat*. Id pariter præſtitum fuit a Pio V., Paulo V., Greg. XV., Alexandro VII., a quibus probata fuit opinio affirmativa in favorem Virginis ut pia, nulla inde cenſura pro-

ſcripta opinione oppoſita. *Hoc itaque non eſt judicare fallibilia, & infallibilia Concilia, quatenus favent Jeſuitis*, ut inique garris. Repone ſi vales huic ratiocinio. Nemo vehementius certavit, & certat pro immaculata Conceptione ipſis Jeſuitis. Ergo ſi iſti judicarent fallibilia, vel infallibilia Concilia quatenus ipſis favent, nunquam Baſileenſe Concilium rejeciſſent habens decretum eorum ſententiæ tam benignum. Cum porro illud rejecerint, hoc plane evincit nos Concilia pendere non affectu, ſed veritate; quod e contra Proteſtantes faciunt, apud quos quodlibet Conciliabulum ſuis adhærens blaſphemiis, infallibilem habet Concilii veritatem.

13. Abſtine igitur incondite clamare pag. 202. *Videte Chriſtiani contradictiones, perplexitates, confuſiones illorum infelicium, qui deſerentes Dei verbum ſequuntur ſomnia.* Vehementius quippe ego clamabo, & ad Cælum uſque reclamabo adverſus impudentiam tuam: Videte, inquam, ambages, tenebras, cæcitatem illorum, qui poſthabita Eccleſia ſincera divini verbi interprete, ſe committunt ſomniis Lutheri, Calvini, Picenini. Mea fides non innititur revelationibus privatis vel Birgittæ, vel Catharinæ, ſed verbo Dei Apoſtolis, & Prophetis tradito, & ab Eccleſia præſtito, non a Luthero, Calvino, vel a fanaticis Prædicantibus, qui compoſitis mendaciis miſeras animas ſeducunt. Non ego Simonis Magi auditor, qui teſte antiquo Auctore Recognitionum (*lib.* 2.) aſſerebat legem Dei per omnia infallibilem habere auctoritatem, *modo ſecundum proprium cujuſque ſenſum intelligatur*. Non Dei verbum meo ſenſui, ſed ſenſum meum verbo Dei ſubjicio; neve meo privato judicio aberrem, ab Eccleſia inſtrui peto, a D. Paulo commendata ut columna veritatis. Quouſque ab illa non audio verbum Dei eſſe, & Virginis, quod revelatum fertur Birgittæ potius, quam Catharinæ, fidem meam contineo; unam veneror, alteram non condemno.

14. At Picenine tu qui hic adeo debaccharis, dic quæſo. Quoties in Eccleſia orta eſt contentio de aliquo articulo, necne revelatus eſſet; nonne utrinque a partibus interpoſitæ fuerunt, non revelationes, ſed ipſius divini verbi ſanctiones ſpecie inter ſe pugnantes? Ariani effutiebant Dei Filium minorem Patre, & textus proferebant: catholici contra oppoſitis textibus decertabant. Neſtoriani unionem moralem inter divinam & humanam naturam a Deo revelatam contendebant. Manichæi Verbum apparentem carnem ſumpſiſſe revelatum oſtentabant: catholici contra inſtabant revelatum fuiſſe oppoſitum; & omnes revelationibus inſiſtebant, Dei verbo hærebant. Hiſce pendentibus cauſis, criminabantur ne Spiritum Sanctum oppoſita revelaſſe? Tum ne exclamabant: Videte Chriſtiani ambages? Certum erat Spiritum Sanctum nonniſi oppoſitorum unum revelaſſe, & partium unam veritate ſibi Dei verbum aſſerere, errore alteram. Omnium tamen pendebat fides, donec cognita cauſa ab Eccleſia. hæc definiret cui vere Spiritus Sancti lumen affulſerit. Sic ad præſens. Quid clamare? Non advertis Picenine quæ temere de nobis blateras, de te & tuis poſſe me veritate aſſerere? Si Luthero credamus, Dei revelationem obtinuerat; *Propheta* gloriabatur, & *Evangeliſta* Dei. Ex ore ejus hæc audivimus. Zuinglius item, & Calvinus in verbo Dei ſibi revelato loqui aſſeverabant. In gravi quæſtione de præſentia Chriſti in Euchariſtia, Lutherus aſſerit præſentiam illam eſſe realem; Zuinglius cum Calvino e contra typicam tantum eſſe, & in figura. Utrique ex verbo Dei loqui teſtantur. Utrique ad fidei ſummam id pertinere ſtatuunt. Utrique alterutram partem de hæreſi criminantur. Credendum ne utrumque a Deo revelatum, dum alterutrum repugnat? Commenta, & puta mendacia ſunt hæ Lutheri, Zuinglii, & Calvini revelationes, ab ipſis oſtentatæ ad incrementum, & famam ſuarum partium. Videte Catho-

lici

lici contradictiones, ambages, cæcitatem horum infelicium, qui vera Eccleſiâ poſthabita, cujus eſt de verbo revelato decernere, audent proprio abuti judicio, Scripturas non Dei nutu, ſed ſua vanitate ſuſcipientes.

15. Nec quod a me dictum eſt, non eſſe certa revelatione Dei & Virginis amplectendum quod de immaculata Conceptione ex Birgitta, & Catharina traditum fertur, propterea vel earum ſanctitas, vel veritas tot revelationum, quæ facti perſpicuitate experiuntur impletæ, vel minus certa, vel partim diminuta cenſenda erit. Præterquamquod inter revelationes Sanctæ Catharinæ Senenſi factas, illa non legitur de immaculata Conceptione, nec a Raymundo Capuano diligenti collectore viſionum, & revelationum S. Catharinæ Senenſis hæc memoratur. Et quamvis in uno ex Opuſculis hujus Sanctæ ad calcem Orationis XVI. poſt aliqua de Conceptione Mariæ originali peccato maculata appoſitum ſit: *Tu ſcis, Domine, quia iſta eſt veritas;* hoc nimirum ſuſpicari facit verba hujuſmodi interpolata fuiſſe, tum quia mediat verbum *ſubjunxit*, quod ſuperfluum videtur ſi hujuſmodi verba a Sancta immediate prolata fuerunt; tum etiam quia nulla ex Orationibus ejuſdem ita clauditur: *Tu ſcis, Domine, quia iſta eſt veritas*. Non me latet S. Antoninum, ex opinione Cajetani, in ſua Summa videri indicaſſe hanc revelationem factam fuiſſe Catharinæ: verum nec latet Sanctum Archiepiſcopum (*par.* 3. *hiſt. tit.* 23. *cap.* 14.) fuſe illius vitam deſcripſiſſe, nulla facta mentione hujus revelationis, quæ ſi ab ipſo certa habebatur omittenda non erat.

16. Addi poſſet, Birgittam & Catharinam ſibi ſuaſiſſe a Deo datum, quod ab ipſis fuerat pia mente conceptum: quandoquidem revelationis ſpiritus ex Deo eſt ſolum cum a Deo afflatur, & abſque mora præterit; & ſolus Chriſtus verus Deus, Dei ſpiritum manentem habuit. Ipſe ſolus perenni luce novit arcana omnia, cujus æternæ lucis ſplendore Joanni Baptiſtæ manifeſtatus fuit (*Joann.* 1. 33.): *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*. Ceteris famulis ſuis Deus impartitur ſpiritum moderate, & in incertum, non ad placitum Prophetæ, & ad omnem eventum. Eliſeus (4. *Reg.* 3. 15.) quæſitus a Joſaphat de quodam futuro eventu, novit non habere ſpiritum prophetandi; quem poſtulare debuit. Idem Eliſeus (4. *Reg.* 4. 27.) teſtatus eſt celatam ipſi a Deo filii Sunamitidis mortem: *Anima ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi*. Prophetæ, ſicut aer; remota luce, ſtatim tenebræ: ſicut diſcipulus, cui recedente magiſtro perit ſcientia. Præterea notat D. Gregorius (*hom.* 1. *in Ezech.*) Prophetam, etiam Sanctum, ex uſu prophetandi, interdum proprio ſpiritu reſponſa reddere, quæ ex divino putat ſpiritu habere. Sic Nathan conſultus a David de ædificando Templo Domini, reſpondit (2. *Reg.* 7. 3.): *Vade, & fac, quia Dominus tecum eſt*; quod non ex Dei ſpiritu protulit, cum nocte proxima monitus fuerit a Deo, non Davidem, ſed hujus filium ædificaturum eſſe Templum ſuum. Et tamen Nathan Propheta Domini erat, qui aliis vicibus Dei ſpiritu futura prædixerat. Quale monſtrum igitur ſi ex ſanctis illis feminis prophetiæ ſpiritu ſæpe dotatis, in facto Conceptionis una privato ſui ſenſus ſpiritu locuta ſit? Videatur D. Thomas 2. 2. *qu.* 171. *ar.* 5. Quoniam autem S. Gregorius notat Deum conſueviſſe Prophetam ſuum, aperta ipſi veritate, de ſubrepta hallucinatione cito monere; idipſum Catharinæ accidiſſe non incongrue deduci poteſt ex ſilentio hujus revelationis apud Raymundum Capuanum, alioſque, qui diligenti calamo ſcripſerunt quæque ex Deo vere noviſſe illa Virgo protulit. Denique oblatrare Picenine deſiſtes, ſi leges P. Ludovici Marraci librum inſcriptum: *Vindicatio Sancta*

ſta Catharina Senenſis; ubi quæque tu calumniandi cauſa congeris, ſoluta ibi, immo falſa comperies.

17. Quot autem inde fuerunt prophetiæ factæ a ſanctis hiſce Dei famulis, omnes adamuſſim impletæ? Has calumniari cum nequeas, taces, tantumque amplificas contradictiones, in prælaudatis revelationibus tuo judicio ſcrutatas. S. Birgitta ante annos centum Imperii Græci prænuntiavit interitum, qui & accidit. Græcis, niſi unitatem ſervaſſent cum latina Eccleſia, infinita mala prædixit, excidia, captivitates, quæ, heu nimium, experiuntur. Hæc non indicas. Utique indicas pag. 102. B. Virginem revelaſſe Birgittæ *Romam eſſe agrum fœcundum*; *& Chriſtum addidiſſe*: *Fœcundus eſt, ſed zizaniis*; inde ſubdis: *Neſcio quomodo hoc Jeſuitis placebit*. Diſplicebit ſane chriſtiano cuilibet; ſed quid inde infers? Si Eccleſia Romana illorum temporum malis chriſtianis diſfluebat, id etiam temporibus uſque Auguſtini Donatiſtæ exprobrabant; & Auguſtinus (*Epiſt.162.cont. Donatiſt. pertinaciam,nunc* 43.c.8.) non inficiabatur inter frumenta zizania eſſe commixta, nempe inter bonos etiam malos. At ſubdebat etiam nec propterea bonos dividere ſe a malis debere, ne cum zizaniis eradicaretur & triticum; tum etiam: *Quoniam ne nomen Chriſti per horribilia ſchiſmata blaſphemetur*, *pro bono unitatis tolerant*, *quod pro bono æquitatis oderunt*. Forte quia in Eccleſia boni miſcentur malis, illa amittit Eccleſiæ veritatem? Ager licet ſuperſeminatus zizaniis non propterea derelictus fuit a divino Agricola. Suum illum agnovit, quem ſtato tempore purgandum deſtinavit. Loquatur denuo D. Auguſtinus: *Ad ſummam ſeipſos interrogent* hi novi generis reformatores, alteri Phariſæi alios accuſantes Publicanos. Lutherus, qui pati non poſſe tot mala in Eccleſia aſſerebat, cur tot flagitia ferebat in ſectariis ſuis, tot rapinas, ſtrages, ſacrilegia ſtatim introducta? Georgius Saxoniæ pertæſus tam nefandæ licentiæ, hæc Luthero ſcripſit: *Ex tua tuorumque diſcipulorum doctrina omnes antiquæ et reprobatæ hæreſes renovantur*, *omnis Dei honeſtus cultus aboletur*: *quod ſane a temporibus Sergii tam late nunquam factum eſt*. *Quando plura ſacrilegia*, *quam poſt productum Evangelium tuum*? *Quando plures rebelliones contra ſuperiores*? *Quando plures rapinæ ac furta*? *Quando maritis adempta ſunt uxores*, *aliiſque tradita*, *quod nunc in tuo reperitur Evangelio*? *Quando plura facta ſunt adulteria*, *quam poſtquam tu ſcripſiſti*, *ſi mulier a viro ſuo fœcundari nequeat*, *ut ad alium tranſeat*, *a quo fœcundetur*, *& vir factum illum alere teneatur*, *et contra vir itidem quoque faciat &c.* Neque hæc tantum patiebatur Lutherus, ſed & docebat. Hic ſane ager zizaniis plenus, frumento vacuus: ager a Diabolo ſeminatus, Luthero adhibito tanquam fideli adminiſtro, cui idcirco familiariter aderat, ut Lutherus ipſe fatetur (*lib.* 1. *Collat.*): *Satan multis modis agit mecum*, *& multis modis mihi præ ceteris favet*. Immo illius invocabat opem in cultura hujus agri ſui, dicendo (*lib.* 2. *Collat.*) (horreo ſcribere): *Sancte Satan ora pro nobis*, *non tamen contra te*: *clementiſſime Diabole peccavimus*, *nec a te creati ſumus*, *nec noſtra a te accepimus*. *In manum ſume crepitum ventris* (heu ſordidum!), *cum iſtoque baculo vade Romam*. In ſcena ne unquam ſcurra obſcenior iſto? Hic primus reformationis Eccleſiæ ſator, qui a zizaniis Romam repurgavit, & ex conſcientiæ ſynteresi ab ea ſe ſegregavit. *Ad ſummam ſeipſos interrogent*, & in ſeipſis experientur, quod ſi Chriſtus Birgittæ dixit Romam zizaniis eſſe fœcundam, de pſeudoreformatione dici poteſt *totam eſſe zizania*.

18. S. Catharina Senenſis multa prædixit ſucceſſu comprobata, ſed hæc ſilentio præteris. Grave, & occultum crimen maximo peccatori appellato Franciſco Senenſi aperuit, indicatis loci & temporis circum-

ſtan-

ſtantiis, quibus commiſſum fuerat. In ſua cella manens agnovit periculum quod imminebat duobus Religioſis itinerantibus, ſuamque opem a longe implorantibus, quod eodem momento indicavit conſorori ſuæ. Sub pontificatu Gregorii XI. prænuntiavit horrendum ſchiſma, quod inde diu lacerare debebat Eccleſiam, hortataque eſt Confeſſarium ſuum illud fuſis lacrymis prævenire; quodque prædixerat. funeſtus eventus integre probavit. Hæ & aliæ mirabiles prophetiæ narrantur a Sancto Antonino (*Chron. part. 3. tit. 23. c. 14. §. 9. 10. &c.*) in ejus vita, ſed cuncta diſſimulas, ac unice garris de prophetia, qua prædixit inſignem *reformationem* Eccleſiæ, hancque ſtulte accommodas pſeudoreformationi tuæ, inquiens *pag. 103. Vel Catharina prædicebat reformationem ætate Lutheri ſecutam, vel aliam. Aliam oſtendant. Neque enim unquam audivi Eccleſiam Romanam reformatam &c. Si autem illam Lutheri, cur hanc damnant?* Hanc prophetiam penſemus, ut a D. Antonino narratur. Quæſitum fuit a Dei famula, quid tandem poſt tot prædicta mala ſchiſmatis, quod gravius nimis poſt Gregorium, ſedente Urbano VI., cœptum eſt; ipſaque reſ„pondit: His tribulationibus mundabit „Deus Eccleſiam ſuam, & excitabit „ſpiritum electorum ſuorum. Poſt ſe„quetur in Eccleſia Dei reformatio, „tanta, & Sanctorum Paſtorum in„novatio, quod ſola cogitatione „ſpiritus jubilet.„ Reformatio igitur a Catharina prædicta promovenda a Deo erat in electis ſuis; non igitur illa jactata a Luthero, de qua ipſe faſſus eſt Lipſiæ diſputatione cum Echio: *Hac res neque propter Deum cœpta eſt, nec propter Deum finietur*. Reformatio a Catharina prædicta mundare debebat Eccleſiam. Non illa itaque Lutheri, quæ non mundavit, ſed fœdavit, turbavit, & deformavit Eccleſiam, ac vera diſſipatio fuit, non inſtauratio; qua excitatæ ſunt omnes antiquæ hæreſes, ut oſtenſum eſt, & omnium ſcelerum, & ſacrilegiorum colluvies graſſata eſt, ut ſupra dolebat Georgius Saxoniæ. Ad hæc. Catharinæ reformatio talis futura erat, quod ſola ejus cogitatione illius ſpiritus jubilaret. Quid autem gaudii afferre poterat Catharinæ impia Lutheri prævifa reformatio? Proſpicere Petri cathedram aggreſſam, Papam, cui adeo obſequebatur, Antichriſtum blaſphematum, abrogatam Miſſam, quam devota audiebat, profanatam Euchariſtiam, pro qua deperibat; Sanctos, quos adeo colebar. honore deſtitutos; Purgatorium, Indulgentiaſque proſcriptas, Imagines conculcatas, depravatas Scripturas? Horrere ſane debuerat ejus ſpiritus adſpectu tot abominationum, nunquam lætari; & hanc prænuntiare qua deſolationem, non qua Eccleſiæ reformationem. Reformatio igitur prædicta a Sancta Catharina Senenſi, non in perniciem, ſed in bonum Eccleſiæ, ſequuta eſt evidentiſſime in Concilio Conſtantienſi, in quo ſedato ſchiſmate, & magna tranquillitate in Eccleſia facta electione Martini V., veri Paſtores innovati ſunt, cum remotis ſpuriis ab Antipapis intruſis, ſubrogati fuerunt Epiſcopi legitimi, ad quos promovendos Martinus V. ſummam diligentiam, & curam adhibuit. In hujus electione, & in extinctione ſchiſmatis tanto gaudio exhilarata eſt Eccleſia, quod a fidelibus nec exprimi valebat. Hæc illa exultatio, quam Catharina perſenſerat ſpiritu. Reliquum etiam prophetiæ probavit eventus, videlicet plurimos infideles acceſſuros ad Paſtorem ſuum. Siquidem nedum Bohemi, & alii a Wicleffo & Joanne Hus ſeducti, reverſi ſunt ad Summi Pontificis obedientiam, ſed novi orbis, paulo poſt detecti, populi Chriſto nomen dederunt. En reformationem a Catharina prædictam impletam, quin ea quæratur in ſacrilega pſeudoreformatione Lutheri, vel audiantur clamores proteſtantium de reformatione Papæ, & ejus curiæ. Solita omnium rebellium fraus, pallio zeli,

&

& læſi regiminis, rebellionem ſuam prætexere. Commentum jam a Donatiſtis excogitatum, ſed ab Auguſtino rejectum, nec receptum a Concilio Tridentino qua a pſeudoreformatoribus oppoſitum; qua vero a Principibus quæſitum, in ſacroſanctis decretis *de reformatione*, eorum etiam Legatorum admiratione, & plauſu, appoſita fuit apta, & moderata reparatio. Legere Picenine debes hujus Concilii authenticam, & veram hiſtoriam, non illam a tuo Petro Suavi ex odio, & livore Romanæ Eccleſiæ compactam.

19. Denuo hìc P. Segneri adoriris, ab eo quærens *pag.* 103. *quid de ſuo Xaverio proferat?* Et reſponſo a Segneri, Xaverium univerſum Orientem habere ſuarum prædictionum teſtem; *ſtupendum ſane* (clamas), *de miraculis & prophetiis hujus Sancti niſi poſt mortem nullum ſermonem habitum*. Eja *poſt mortem* in actis authenticis de his juridice inſtitutis; ſed & dum vivebat, magnalia ſua centeni illi teſtes, qui *poſt mortem* ea depoſuerunt, facile & mirabantur, & loquebantur; quamobrem ſi non Italiæ, Orienti tamen nota erant. Miracula Chriſti, & Apoſtolorum, dum fiebant, Galileæ tantum, & Jeroſolymis innoteſcebant, nec niſi poſt vulgata ſunt per univerſum orbem. Tu ea videre voluiſſes, neſcio an ad ea commendanda cum fidelibus turbis, an potius ſubſannanda, quomodo Scribæ, Phariſæi, & Sacerdotes ſubſannabant miracula Chriſti, & Apoſtolorum, ob ipſorum oculos perpetrata. Hìc jam dicta recanias, nempe *Xaverium ex Japponia ſcribendo nullam feciſſe mentionem de præclaris prophetiis ſuis; & tamen geſta ſua omnia nuntiabat. Quod inter barbaros illos velut ſimulacrum verſabatur; ſignum, non habuiſſe linguarum donum, nec conſequenter donum prophetiæ*. Gerræ omnes jam ſupra dilutæ. Videatur *Cap.* 2. *de miraculis* §. 4. *num.* 42. Tres hìc adſtruis calumnias ad probandum revelationes excogitatas fuiſſe pro conteſtandis novis dogmatibus. *Ad ſanciendam* (ais) *Conceptionem, opportunæ erant revelationes Birgittæ. Ad promovendum Roſarium, aſſerendum erat D. Dominicum id accepiſſe a Sancta Virgine. Ad inſtituendum in Eccleſia novum feſtum Corporis Chriſti, fas fuit id nova revelatione commendare, ſomnio ſcilicet ſanctimonialis*. Hebræi pariter calumniabantur miracula Chriſti, velut commenta impoſita ad commendationem ſuæ doctrinæ; & illa Apoſtolorum ad augendam famam doctrinæ magiſtri. Sic Mundus depravatus, ut in præſens populus Cairæ, ſomnium dicebat *revelationem* Noe factam proximi diluvii; & Hebræi obdurati appellabant *commenta* revelationes, & prophetias a Jeremia prænuntiatas. Si *revelationes* S. Birgittæ, D. Dominici, Sanctæ Julianæ *commenta* ſunt, præbe, quæ certe habebis, contraria documenta. Aliis vicibus, ſi qua ementita revelatio vulgata fuit, Deo dante, fraus detecta eſt. Contra has igitur cum nil opponas, & alias a tota Eccleſia veræ hæ habitæ ſint, & habeantur, impudentis, & maligni animi eſt commenta eas venditare, quomodo pagani deridebant quæque in libris chriſtianorum legebant. Innumeræ afferri poſſent prophetiæ, & revelationes quoquo ſeculo a noſtris Sanctis prænuntiatæ. Tales fuerunt celebres illæ S. Vincentii Ferrerii, & Ludovici Bertrandi mei Ordinis, hoc etiam ſingulari dono illuſtratæ, quod intelligebantur a populis barbaris diverſarum nationum & idiomatum, prolatæ licet una lingua hiſpanica. Quemadmodum Apoſtolis Spiritus Sanctus infudit donum, quo omnibus linguis loquerentur; hìc ex oppoſito idem Spiritus populis diverſorum idiomatum diſtribuit donum, quo eadem lingua ab omnibus intelligeretur.

20. Ad duas tantum me revoco revelationes, quæ ſane nimis impletæ, non credo qua commenta & fabulæ rejiciendæ ſint. Prima eſt exitium Imperii Græcorum. Ex quo hi recedere, & diſtrahi cœperunt ab

obe-

Digitized by Google

obedientia Romani Epiſcopi, prænuntiari etiam cœpit eorum caſus, niſi reſipiſcerent. Primus S. Leo; inde S. Gregorius, & alii. Poſtremo Nicolaus V., præſentiens ſe deluſum a Conſtantino Imperatore Græco, prolatante, variis legationibus, ſtatutam, & juratam unionem, ipſi ſcripſit hac phraſi, a Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano mœſtiſſimi ſui cordis ſenſu relata apud Bozium (*tom. 1. de Sign. Eccleſiæ lib. 6. ſign. 19.*): *Optime cuncta novimus, ſed toleramus, in Jeſum reſpicientes ſempiternum Sacerdotem & Dominum, qui ſterilem illam ficum uſque ad annum tertium juſſit aſſervari, agricola jam ad excidendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat.* Conſtantinus his minis minime commotus; quid tum porro? Tertio jam imminente anno capto Byzantio, corruit Imperium Græcum, & grandis illa natio, hebrææ ſimilis, ſub jugo ingemuit compedita, & adhuc gemit.

21. Altera eſt Hildegardis Germaniæ Virginis, quæ *an.* 1180. Germaniæ prædixit cuncta, quæ Lutheri, & oſtentatæ reformationis, vel deformationis, temporibus ſecuta ſunt. Thauleri verbis, qui non diu abſens ab illo ſeculo vixit, relatis apud Bozium (*de Sign. Eccl. tom. 1. lib. 6. ſign. 19.*) hanc reſcribam: *In tantam homines fluctuationem, atque errorem præcipites ibunt, ut cuinam ceu Catholicæ veritatis aſſertori credere tuto poſſint, atque confidere prorſus ſint ignoraturi: & hoc quidem idcirco divina permittet juſtitia, quod nos ex multo jam tempore, ita negligenter, immo & vitioſe vivendo, ipſam fidem moribus, & vita impugnavimus, ac digniſſimum Dei corpus, una cum aliis Eccleſiæ Sacramentis, cum omni denique ſanctimonia chriſtiana tam plane irreverenter, indigne, impure, infructuoſe tractare, & ſuſcipere auſi ſumus.* Et mox: *Quæ nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt: & Dei verba pervertentur, cultuſque divinus pene in oblivionem ibit, & unus huc, alius illuc properabit* (En variæ Proteſtantium ſectæ) *nec facile ſciri poterit quorſum hæc tandem evaſura ſint. Interim tamen fideliſſimus Deus nidulum aliquem habebit* (ut eſt nunc Bavaria, & Lotharingia, ſolæ ab hæreſibus intactæ, & pauciſſimi in variis Germaniæ locis cœtus, ut Dillinga, quam propterea *Nidum Papiſticum* vocant hæretici). *Diſcat ergo quiſque pati, & abnegare ſeipſum, auſcultans intus vocem Patris ſui, quid ille in ſe loquatur, ac foris Matris ſuæ, id eſt Eccleſiæ ſanctæ. Horum quippe vox una; quare qui has voces non didicerit agnoſcere, in æternum pereat neceſſe eſt. Exſurget enim vox fallax, quæ omnes huic paternæ voci auſcultare nolentes in errorem abducet* (En Lutherus). *Sonet autem nobis paterna vox per vocem Sanctæ Matris Eccleſiæ in omnibus doctrinis, præceptis, atque conſiliis illius. Væ proinde, atque iterum væ omnibus voci huic obtemperare nolentibus, ut ſeipſos in veritate parvipendant, & ſtudeant eſſe humiles: hic enim teterrima deſperationis vox inſpirabitur, dicentibus pſeudodoctoribus falſum eſſe, atque confictum, quidquid unquam priſcæ veritatis Doctores hic docuere.* Hæc frequens Lutheri, Calvini, & Proteſtantium loquela, qui falſum venditant quidquid docet Eccleſia, & tradit antiquitas, quoties ſuis adverſetur erroribus. Præclarius ne & gravius deſcribi poterant Germaniæ revolutiones, & extrema fidei pericula ab hac Sancta Virgine, ſi Luthero coæva fuiſſet? Hæc prophetia, nonne, ſeipſa ſola, validum præſtat argumentum, propheticum ſpiritum in Eccleſia omni ætate perſeveraſſe?

22. Inepte opponis (*Apolog. pag. 30.*): *Cur non etiam prædixit Lutherum oppugnaturum Purgatorium? In Eccleſia igitur Romana, in qua viguit ſemper prophetiæ donum, nullus Propheta, vel Propheteſſa fuit hariolans Lutherum oppugnaturum Purgatorium?* Duo inde opponis vaticinia *pag.* 548. adverſus Jeſuitas, alterum ſcilicet Joannis Baptiſtæ *de la Nuza* Epiſcopi

Dominicani, alterum *Cani* hiſpani Epiſcopi. Ad primum. Si Hildegardes non divinavit Lutherum oppugnaturum Purgatorium, divinavit tamen ipſum dicturum *falſum eſſe, atque confictum, quidquid unquam priſca veritatis Doctores hìc docuere.* Hi, ut ipſi fatemini, docuerant Purgatorium eſſe; ergo Hildegardes prædixit Lutherum inceſſurum Purgatorium, Miſſam, Indulgentias, & quidquid antiquitus traditum. Fas ne erat quempiam individue denotare contentionem Lutheri contra hunc articulum? Chriſtus prænuntians falſos illos Prophetas Chriſtum prædicare mentientes, nullam protulit individuam illorum doctrinæ falſitatem: hanc autem circumſtantiam tu ab Hildegarde, vel quovis alio, neceſſario proponendam autumas? Propheta loquitur quæ a Deo revelata immittuntur, nec Deus cuncta ſemper, ſed quæ ipſi placent, infundit. Vide D. Thomam (2. 2. *q.* 171. *ar.* 4.). Reliquis ineptiis tuis ſat habeas ingeniorum commenta diſtare oppido a prophetiæ veritate. Prophetia D. Pauli 2. *ad Timoth.* 3., juxta S. Hieronymum, S. Thomam, alioſque Sanctos Expoſitores, hæreticis accommodatur. Iſtos lege, & enucleatam habebis interpretationem. Quoniam vero Cani mentionem facis, hunc lege *lib.* 4. *cap. ultimo* ad illud oraculum *Apocalyp. cap.* 9. 2. *Et vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi: & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer de fumo putei, & de fumo putei exierunt locuſtæ*; ubi Canus: *Hoc oraculum in Luthero fateor eſſe completum, cui data eſt clavis putei abyſſi, ut errores penitus demerſos, atque defoſſos eruendo, tanta caligine orbem obduceret, ut vel lucem ipſam tenebris circumfudiſſe videretur. Sed affulget adhuc Eccleſiæ lumen his qui oculos habent ad videndum.* Quæ apertiſſime impleta ſunt.

23. Poſtremo ſequenti dilemmate *pag.* 104. contra nos urges: *Vel prophetiæ, quæ ſacris paginis habentur commendant novitates Eccleſiæ Romanæ, vel non. Si primum, ipſis injuriam faciunt, Japoniam uſque tranſmeando ad alias expiſcandas. Si ſecundum, ad Dei gloriam tandem fateantur novitates ſuorum rituum.* Non inficiaberis prophetiæ donum ſaltem Apoſtolis fuiſſe conceſſum, quamobrem ſic tuo dilemmate tecum ago: Vel prophetiæ a Prophetis factæ, & veteri Teſtamento traditæ, commendabant novitatem doctrinæ ab Apoſtolis Orbi enuntiatæ, vel non. Si primum, injuriam illis faciebant, novis prophetiis ſuam doctrinam tuentes. Si ſecundum, Apoſtolorum ergo doctrina penitus nova, nullis Scripturis tradita. O infelix ſophiſta, impari ſemper claudicans tibia, mendaciis innixus! Poterant hi qui novas prophetias & revelationes enuntiari ab Apoſtolis audiebant, inſurgere, & ipſis item dicere: Novis prophetiis non egemus, habentes Moyſen, & Prophetas, tenentes firmiſſimum propheticum ſermonem. Articuli igitur quos credimus, veritates quas profitemur, creditæ, & retentæ ſemper fuerunt, & a Prophetis prædictæ, a Chriſto inſtitutæ, ab Apoſtolis enuntiatæ. Nihilominus tamen Chriſtus prædixit (*Marci* 16. 17.) ad illarum magis amplam commendationem, in Eccleſia, & in credentibus, futura fore ſemper miracula, revelationes, & prophetias; & eundem ſpiritum a principio ipſi collatum, perſeveraturum ſemper uſque ad conſummationem ſeculi (*Joan.* 14. 16.). Certum quippe eſt Joelis oraculum a S. Petro aſſumptum: *Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Ad quæ verba D. Hieronymus (*in Joel cap.* 2.): *Per effuſionem Spiritus Sancti diverſas gratias conſequentur. Alii prophetiam, ut filii & filiæ, qui majoris ſunt meriti;*

alii

alii ſomnia, ut ſenes jam provectioris ætatis; alii viſiones, ut juvenes, qui vicerunt malignum.

24. Neque inficiamur quoſdam falſæ fidei profeſſores interdum a Deo recepiſſe prophetiæ donum, unde perperam in re tam vulgata & trita congeris tot teſtimonia Patrum, inter quos pingui admodum Minerva D. Athanaſium ut auctorem quæſtionum ad Antiochum recenſes. Attamen aſſero religionem illam ad cujus incrementum Deus contulit prophetiæ donum, veram omnino eſſe. Cum autem fauſtiſſima habeantur pro mea religione vaticinia; ſequitur hanc veram eſſe. Lutherus vero incaſſum tentavit Prophetæ perſonam aſſumere; & falſæ ſuæ prophetiæ fœdiſſimum habetur monumentum in epigraphe quæ a Reuſnero in ſuo libro *Imagines illuſtrium virorum* illius iconi appoſita fuit, quam Pomeranus aſſerit ejus ſepulcro inſculptam; videlicet: *Peſtis eram vivens, moriens ero mors tua Papa*; quod inſanum vaticinium tam aberrat a veritate, quo præſtantior, & auctior in amplitudine, & honore poſt Lutherum fulget Papalis dignitas. Unde Luthero accommodari poſſunt a S. Auguſtino (*lib. 18. de Civit. Dei cap. ult.*) Paganis dicta, oſtentantibus ex quodam oraculo Chriſtianam religionem præter *ann.* 365. non eſſe duraturam. Inito igitur calculo, *annos* ſcilicet 365. jam præteriiſſe, religionem autem Chriſti vigere in dies, & dilatari, ait: *Ex quo uſque ad hoc tempus* (videlicet ad ann. 429. quo hæc ſcribebat) *per triginta ferme annos, quis non videt quantum creverit cultus nominis Chriſti, præſertim poſtea quam multi eorum Chriſtiani facti ſunt, qui tanquam vera illa divinatione revocabantur a fide, eamque a completo eodem annorum numero inanem, ridendamque viderunt?* Eja tamen tecum ſentiam. Ad quid Propheta Lutherus, quem decorabat illuſtris doctrina, Chriſtianos ab omni obedientiæ vinculo ſolvebat ſpecioſiſſimo titulo, Chriſtianum ſcilicet, niſi pro ſua voluntate, ullo præcepto poſſe conſtringi? Nulla præterea habebatur auricularis Confeſſio, non Miſſa, non jejunia, non cælibatus, non vota; quorum vice ſuccedebant ſtudia explendarum libidinum, ſub ſpecie verbi Dei, & pietatis? Hac profecto ſuavitate doctrinæ poterat Doctor Lutherus ſatanicam ſuam promovere miſſionem felicius, quam revelationibus & doctrinis. Sic Germaniæ annis paucis profecit; ſed qua Mahometes in Aſia, non qua Apoſtoli per univerſum Orbem.

CAPUT VIII.

Uniformitas in fide & doctrina, & extenſio, ſunt ſigna veræ Eccleſiæ.

§. I.

Proteſtantes non habent uniformitatem dogmatum.

1. Unitas ſpiritus præſtantiſſimum eſt veræ fidei argumentum, juxta D. Pauli dictum (*1. Cor. 6. 17.*): *Qui adhæret Domino unus ſpiritus eſt.* E contra a veritate longe aberrat fides illa, quæ in capita diviſa, tot habet dogmata diverſa, quot profeſſores. Ex perpetua fidei uniformitate retenta ab Eccleſia Romana infert P. Segneri hujus veritatem; ex varietate vero & diſcrepantia in Eccleſiis pſeudoreformatis deducit earum fidei falſitatem. Utrumque audacter Picenine negas, & diſtinguens fidem primitivæ ab illa præſentis Eccleſiæ; de prima capite ſequenti tractaturus, in hoc capite totus es in demonſtranda unitate fidei inter pſeudoreformatos, & diſcrepantia, & varietate a te conficta inter noſtros Doctores. Tua ſequor veſtigia.

2. Hæc pſeudoreformatorum oſtentata unitas verius puto deprehendi nequeat, quam ex ipſis pſeudoreformatorum libris, *Lutheranorum* nempe, *Anabaptiſtarum*, *Puritanorum*, *Calviniſtarum*, *Socinianorum*. Verum *fabula hæc* (ais *pag.* 113.).

Quid ad nos de Socinianis, Puritanis, Anabaptiſtis, quorum execramur errores? Delirat Jeſuita, ſi putet religionem proteſtantem hac edidiſſe monſtra. Senſim quæſo cum his deliriis Domine Jacobe, quæ tua ſunt, non Jeſuitæ. *Anabaptiſtarum* Auctor *ann.* 1522. quidam fuit *Nicolaus Storkius*, ſive *Pelargus* Sileſita. Hic primo Lutheri diſcipulus, ipſi rebellis, & a Witemberga ejectus, diſſeminare cœpit ſectam ſuam titulo *Evangelicæ libertatis*. Huic adhæſit *Thomas Muntzerus*, Lutheranus & ipſe, belli *Ruſticorum* Germaniæ fomes. Monſtrum hoc igitur ex proteſtantium religione prodiit. *Puritani*, Calvini proles ſunt in Anglia, & Scotia. *Socinianorum* Auctores *Lælius*, & *Fauſtus Socini*, patruus, & nepos, ambo Senenſes. Patruus familiariter egit cum *Calvino*, *Melanctone*, *Beza*, *Bullingero*, *Muſculo*, *Munſtero*, *Petro Martyre*, cum quibus ſua dogmata tractabat, & diſputabat. Hi ſi non in recta linea pſeudoreformationis, in laterali ſaltem collocandi erunt. Iſtos exiiſſe ab Eccleſia Romana, ad rem non facit; omnes quippe pſeudoreformationis architecti, Lutherus, Calvinus, & quot alii, exierunt a Romana Eccleſia, cum a vera Eccleſia exeant omnes hæreſes: *Multi, ac pene omnes, qui hæreſes impias condiderunt, exeuntes de Catholica Eccleſia facti ſunt hæreſiarchæ* &c. (*Auguſt. lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 25.)

3. Horum errores Picenine execraris. *Errores* igitur tuentur *Anabaptiſtæ*, *Puritani*, *Sociniani?* An neſcis vos pariter *errores* profiteri & ipſos aſſerere? Cui porro credam? Vobis, an ipſis? Oſtentant & ipſi, vobis non minus, verbum Dei. Hoc male ipſos abuti dicetis; ſed idem & ipſi de vobis. Mihi prohibes credere Eccleſiæ Romanæ dicenti vos in errore verſari; inde petis, quod credam tibi aſſerenti Anabaptiſtas, Puritanos, Socinianos hæreticos? Teneor vel omnes hæreticos, vel neminem credere. Non hoc ſecundum; ergo primum. Tecum tamen malo liberaliter agere. Iſtorum libros projiciamus in emeritas flammas; in manus aſcendant ſoli Calviniſtarum, & Lutheranorum libri, non illis minus flammis digni. Vix magnus ille *Apoſtolus & Evangeliſta ex Dei gratia* Lutherus (hoc enim titulo ſe appellabat) *novum ſuum Evangelium, quod ſub ſcamno* (ut ipſe ajebat) *latitaverat* vulgare cœpit, cum plurimi ex ſuis diſcipulis in ipſum inſurrexerunt. *Carloſtadius* ex odio adverſus Lutherum, ut fert *Melancton*, negare cœpit realem præſentiam Jeſu Chriſti in Euchariſtia; immo ad partes tranſiit *Nicolai Storkii* Anabaptiſtarum Patroni. *Melancton*, Lutheri fidus thraſo, quadantenus receſſit a doctrina magiſtri, ad illam temperandam: faſſus eſt liberum arbitrium, & negavit Deum eſſe cauſam motricem, & approbativam peccati. In articulo juſtificationis, ſi Oſiandro credimus, quoquo occurrente Scripturæ textu opinionem mutabat. Obiit *Melancton*, & mortuus, a rigidioribus Lutheranis, probris laceratus fuit. *Bucerus* nec Lutheranus, nec Zuinglianus, neque realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia cum Luthero admiſit, nec cum Zuinglio negavit. Solam in uſu illam poſuit. *Oſiander* præ ceteris diſcordiæ ſpiritum excitavit inter Lutheranos. Aſſeruit hominem non fide juſtificari, ſed ipſa eſſentiali Dei juſtitia; idcirco a Lutheranis ipſis execratus. *Brentius* Princeps fuit *Ubiquiſtarum*, aſſerens ex vi hypoſtaticæ unionis Corpus Chriſti ubique eſſe; unde etiam ante conſecrationem in pane adeſſe, nec verba conſecrationis *hoc eſt Corpus meum* quidquam conficere, tantumque declarare ejus Corpus eſſe ibi præſens. Quam doctrinam *Schmidelinus*, *Selnexcerus*, & *Kemnitius* licet adoptaverint, velut tamen inſaniam ceteri proteſtantes reprobarunt. *Illyricus* Auctor fuit *Subſtantialiſtarum*, peccatum originale effutiens ipſius hominis ſubſtantiam eſſe. Tempus non fert diutius immorari in recenſendis diviſionibus, & ſubdiviſionibus, in quas, quaſi in fruſta, & fru-

ſruſtula, diſciſſa fuit Lutheri ſchola. Legatur Lindanus (*Dubitant. Dialog.* 2. *loc. comm. claſſ.* 5. *pag.* 30.). Tantum poteſt veritas, ut ab ipſo Puſendorfio extorqueat hanc laudem Eccleſiæ Romanæ, his expreſſis verbis (*in lib. de Monarchia Pontif. Rom. pag.* 134.): *Pontificiorum quoque multo melior eſt conditio, quam proteſtantium: propterea quod illi Pontificem ſummum Antiſtitem Eccleſiæ, & caput eſſe ad unum omnes agnoſcunt, & ſi minus animo, ſaltem ore, & exteriori ſpecie in cultu conſentiunt. Proteſtantes contra, ejuſmodi capite, quod in oculos hominum incurrat deſtituti, fluctuant, & animorum inſuper diſtractione fœde lacerati ſunt, & diſcerpti. Nam ut minores ſectas Arminianorum, Socinianorum, Anabaptiſtarum, ac ſimilium omittam, ipſum quaſi corpus proteſtantium in duas factiones eſt diſtractum, Lutheranorum, & Reformatorum: inter utroſque multi ſunt, qui (turpe dictu) non minore quam ipſos Pontificios odio adverſam partem perſequuntur. Nec etiam apud proteſtantes univerſali quadam deſcriptione cultus divini ratio continetur; ſed ad ſuum unaquæque reſpublica arbitrium hæc omnia adminiſtrat, & moderatur &c.* Quod & præſenſit Lutherus; quamobrem ait: *Timeo, quod iſta doctrina, nobis extinctis, iterum obſcurabitur &c. Sic noſtra Eccleſia pulcherrime inſtituta, ſic ſubverteretur, ut me amplius doctorem ſuum agnoſcere non vellet, id quod aliquando ſiet, ſi non viventibus nobis, tamen ſublatis.* Sane hic Lutherus Propheta fuit, & divinavit, dum in præſens proteſtantes omnes pudeat *Calviniſtas*, vel *Lutheranos* dici; ut ex ore tuo audivimus.

4. Veruntamen quæ a Luthero unanimitas exigi a ſuis poterat, qui tam verſipellis & varius ſibiipſi fuerat? Hic qui Spiritum Dei quaſi in crumena habere jactabat, venditans doctrinam ſuam, non ſuam, ſed Dei eſſe, hodie unum, cras oppoſitum docebat, adeo ut circa ſolum articulum Communionis ſub utraque ſpecie, Joannes Cocleus in ſuo *Septicipite* notet 36. opiniones ſibi contrarias. In verſione, & expoſitione Scripturæ nonne fateri coactus eſt ſe in pluribus erraſſe, de hoc reprehenſum a Bucero, & Oſiandro? De contrarietate ſuorum dogmatum alibi ſermo. Modo diſſeramus ſic, ex ipſo Luthero ratione deſumpta: *Mendacia certius dignoſcere non potes, niſi quando ſibimetipſis contraria ſunt. A Deo enim ita ordinatum eſt, ut impii ſemper ſeipſos confundant, & quod mendacia non conſonent, ſed ſemper contra ſeipſa teſtentur.* Sic ille in *lib. de vot. Monaſt.* Hujus doctrina ſibi non conſonat, ſeipſam confundit, contra ſeipſam teſtatur; falſa igitur eſt. En Lutherus ſibi judex, & reus. Inſuper ipſe teſtatur (*lib cont. Eſmerum*): *Si ſemel deprehenderer mentitus, & falſus, & erraſſe ſtolidus, jam tota mea doctrina, & honor, & fides, & fidelitas finem penitus haberent. Unuſquiſque me pro nequam, & infami nebulone habiturus eſt.* Cum igitur tam ſæpe ſibi mentitus ſit, cur dolet ob oculos ſuos a ſuis diſcipulis ſcholam ſuam diſciſſam videre, & tot oppoſitis doctrinis diſtractam, quas invicem repugnantes 34. ſua ætate *Staſilus* recenſuit, modo vero pluſquam centum numerantur? Quod animadvertens Georgius Saxoniæ Dux, ait: *Hodie Lutherani ignorant quid cras credituri ſint.* Hæ ne illæ piæ & ſanctæ animæ e cælis miſſæ ad reformandam Eccleſiam? Hi ſunt qui a Spiritu Sancto depoſitum divini verbi cuſtodiendum ſuſceperunt?

5. Diſcordias prætereo inter Lutherum, Zuinglium, & utriuſque diſcipulos. Lippis enim, ut ajunt, & Tonſoribus notæ ſunt, Germaniæ præſertim, & Helvetiæ, ubi hæ duæ paleſtræ in aciem inſtructæ, togas cogebant armis cedere. Scio Lutherum dixiſſe „Evangelii indolem eſſe ſeditiones ciere „ nec minus celebre eſt Zuinglii effatum „ Evangelium ſanguinem petere „ (*apud Oſium de adoranda Trinitate*). Ex quo tamen quis non intelligit horum Evangelium non Evan-

ge-

gelium Chriſti, ſed Satanæ eſſe, qui pacis inimicus eſt, & diſcordiarum parens? Pſeudo evangeliſtæ, conſiderate Apoſtolos qua unitate ſpiritus & doctrinæ illud enuntiarunt! Legite Actus Apoſtolorum, nec occurret vobis niſi una parva quæſtio circa legalia, unanimiter tamen definita. Occurret una levis contentio inter S. Petrum, & Paulum, facti, non dogmatis, & brevi compoſita. Ceterum diviſi etiam, & locis diſſiti, omnes idem prædicabant abſque ullo diſcrimine, quoniam idem Spiritus Dei in omnibus loquebatur. Inter credentes vero ſumma concordia, & pax: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* (*Act.* 4. 32.). Cum autem non una, ſed multiplex, & ſibi contraria ſit doctrina veſtra; quæ potior ratio ad eam agnoſcendam non a Deo, ſed a Diabolo eſſe? Evangelium propugnatum eſt ſanguine, ſed Martyrum a Paganis exhauſto, non a Chriſtianis verſato. Ais *pag.* 109. *in Colloquio Markpurgi reformatam religionem* 14. *articulis fuiſſe complexam, quibus conſenſerunt Lutherus & Zuinglius pacatiſſima concordia; una dumtaxat manente quæſtione de articulo, qui non fundamentalis judicatus fuit. Convenere illi Theologi circa realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, aliqua varietate intercedente circa modum.* Quot in una periodo falſitates, & turpia mendacia! Factus eſt Conventus Markpurgi *ann.* 1529. ad ineundam concordiam, falſiſſimum tamen eam obtentam fuiſſe. Lutherus ipſe id fatetur in libello ſuæ Confeſſionis adverſus Sacramentarios, qua aſſerit in Colloquio Markpurgi neque uni adhæſiſſe ex illorum articulis, ſed Zuinglianos in ſententiam deſcendiſſe Lutheranorum: Vellem potius (ajebat Lutherus) centies dilaniari, & comburi, quam illorum doctrinis adſtipulari. Lege Oſpinianum tuum *in p.* 2. *hiſt. Sacram. pag.* 326. An. 1545. in theſibus a Luthero editis contra Theologos Lovanienſes, theſis 27., vel ut aliis placet 28., his erat exarata verbis: *Hæreticos ſerio cenſemus & alienos ab Eccleſia Dei eſſe Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant Corpus, & Sanguinem Chriſti ore carnali ſumi in venerabili Euchariſtia.* Alibi (*Epiſt. ad Jacob. Bremenſ. Eccleſ. Doctorem*): *Mihi omnium infeliciſſimo ſatis eſt una iſta beatitudo: Beatus vir qui non abiit in concilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Zuinglianorum, nec ſedit in cathedra Tigurianorum.* En nova concordia ſinceri Picenini. Ergo vel Lutherus perjurus, ſi fidem Markpurgi juratam violavit, vel decantata concordia nunquam facta eſt. Sic revera accidit. Colloquium Markpurgi (ſcribit Varillas *Hiſt. Hæreſ. lib.* 7. *ann.* 1528.) hunc habuit exitum: Lutherani nec quidquam revocarunt, nec ullam retractationem exhibuerunt. E contra Sacramentarii paratos ſe præſtiterunt convenire in omnibus cum Lutheranis, excepta Euchariſtia, dummodo eorum communioni mererentur admitti, & fratres haberi. Zuinglius ipſe id propoſuit, vel melius deprecatus eſt, plenus lacrymis, & humili geſtu: ſed in obduratos incidit animos, qui nonniſi cum hæretico ſecum agere perſtiterunt, nec ullam partem habere, præter charitatem in Evangelio præceptam erga perditiſſimos hoſtes. An autem quæſtio præſentiæ Chriſti *levis* ſit *momenti* infra videbimus. Lutherus hac ratione Sacramentarios appellat hæreticos; non igitur levis momenti eam cenſebat.

6. Libros vero, & Annales revolvendo Calviniſtarum, diſcordes iſti æque ac Lutherani deprehenduntur. Videatur Natalis Alexander (*hiſt. Eccl. Sec. XV. & XVI. cap.* 2. *ar.* 12. §. 3.) & conſtabit Calviniſtas in quatuor diviſos, non ſectas dicam, ne mihi ſuccenſeas, ſed factiones; nempe in *puros Calviniſtas*, ſub nomine *Reformatorum*, vel *Puritanorum*, in *Piſcatorianos*, *Anglo Calvinianos*, & *Arminianos*. Reformati ſunt puri Calviniſtæ, ut Ugonottæ in Galliis, Proteſtantes in Helvetia, inter quos forte tu Picenine recenſeris. Hi Angliæ &

Sco-

Scotiæ *Puritani* appellantur. Ne vero quis putet has quatuor factiones dividi ferme ac apud nos Ordines, vel Scholæ, ut Thomiſtæ, Scotiſtæ, Moliniſtæ inter ſe differunt, non abs re erit earum diverſitatem oſtendere. *Anglo Calviniani* a *Reformatis*, vel *Puritanis* differunt diſciplina, & doctrina. Epiſcopalem ordinem ordini Presbyterorum præeminere fatentur, Crucem colunt, cujus ſignum adhibent in collatione Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum. Quendam ritum ſervant in conſecrandis Epiſcopis, confirmandis baptizatis, & Presbyteris ordinandis; quæ omnia puri Calviniſtæ deteſtantur, velut Papiſticas ſuperſtitiones. Epiſcopi Angliæ ſuos habent Scribas, Archidiaconos, Eccleſias, & Cathedrales, cum ſuis Canonicis præbendatis, qui ſuo more divina perſolvunt officia, & liturgias. In ſumma quandam ſpeciem Romani ritus ſervant, excepta reverentia, & obedientia ſupremo Capiti Eccleſiæ; vice cujus Regem Angliæ, Anglicanæ Eccleſiæ Caput agnoſcunt, ad cujus tribunal cauſæ etiam fidei deferuntur. *Puritanis* Angliæ accedunt *Independentes*, & *Presbyteriani*, diſtantes a primis non in dogmate, ſed in regimine Eccleſiarum. Iſti a ſolis Presbyteris reguntur. *Independentes* rigidiores ſunt, & ſuos Conventus plerumque in ædibus, quam in Templis habent. Quælibet horum Eccleſia ſuprema eſt, nec ab altera pendet. E contra *Presbyteriani* ſingulas Eccleſias Claſſibus, Claſſes Synodis provincialibus, has nationalibus ſubjiciunt. Sic *Independentes* deſcribit Samuel Pufendorfius (*Introduct. ad hiſt. Europaam cap. 4. pag. 204.*). Explicato tyrannico dominio, quod exercebant *Presbiteriani* in Anglia, hæc ſubdit: *Sed quo minus frui diu dominatu injuſto, ac malis artibus acquiſito .... iſti poſſent, nova prohibuit ſecta monſtroſo Independentium nomine inſignis; quod quidem nomen ex re ſumptum eſſe videtur. Neque enim iſti homines ullis certis cultus divini formulis, aut præceptis adſtringi, nec ab ullo, ſeu eccleſiaſtico, ſive politico dependere imperio volunt, atque omnibus adeo fanaticis tutiſſimum eo nomine perfugium prabent, & ad licentiam feneſtram aperiunt.* Diſſoluta *Independentium* licentia viam ſtravit tutiſſimam ceteris Sectis *Anabaptiſtarum*, *Antinominum*, qui ſpernunt vetus Teſtamentum; *Antiſcripturianorum*, qui eundem habere Apoſtolorum & Prophetarum ſpiritum ſibi adulantes, omnes Scripturas rejiciunt; *Quakerorum*, qui antiquis *Entuſiaſtis* ſimiles, jactant frequentes revelationes, & extaſes; *Ranterorum*, qui libertinorum more nil vitioſum, & illicitum cenſent, quod depravata natura appetat; *Levelleriorum*, qui politiæ ordinem deteſtantur, omnes æquales arbitrantes, qua perſuaſione ſæpiſſime ſeditiones in Principes fovent. Hæc gehennalis hydræ capita Angliam devaſtantia, quæ tamen, infelix, benigne recipit, & fovet, quia adverſus veræ Eccleſiæ Primatum ſingula certatim latrant.

7. *Piſcatoriani* a quodam *Joanne Piſcatore* Argentinæ ſic appellati, qui longe diſcrepans a ceteris Calviniſtis, poſt exquiſitum examen, unanimi ſententia, & publico decreto ab Ugonottis hæreticus dictus fuit, & excommunicatus: quo audito a Joanne Comite Naſſau illius Patrono, miſſi fuerunt duo Theologi anno 1604. ad Academiam Heidelbergenſem, ad hujus explorandam ſententiam. Quibus reſponſum fuit in gratiam Principis, *Piſcatoris* perſonam hæreticam non haberi; ut hæreticas tamen rejici omnes ejus opiniones.

Schiſmata quæ omnes Hollandiæ Ordines exagitarunt, *Jacobi Arminii*, & *Franciſci Gomari* cauſa, notiſſima ſunt, quorum extat juſtum volumen ſub nomine *Salomonis Theodoti*. Academia Lugduni Batavorum, & univerſa Hollandia in duas factiones diſtractæ proſcindebantur, *Arminianorum* ſcilicet, qui & *Remonſtrantes*, & *Gomariſtarum*, qui & *Contraremonſtrantes* dicebantur. Quot Conventus, quot Pſeudoſynodi congregatæ! Tandem in

Con-

Conciliabolo Dordracenſi anno 1618. a Calviniſtis, & delegatis Ordinum Hollandiæ, damnatus fuit Arminius cum ſuis Sectariis, ut depravator religionis, ſchiſmaticus, & ſcandaloſus, & ſecum privati omnes quolibet eccleſiaſtico miniſterio, excluſi ab Academia, uſquequo pœnitentes, exhibita debita ſatisfactione Eccleſiæ, iterum ad communionem reciperentur. Et quia *Barneveltus*, Ordinum Scriba, *Ugo Grotius*, aliique Edicto obtemperare renuerunt, Grotius cum aliis pœna carceris, Barneveltus vero capitis ſupplicio multatus fuit. Quo facto mendax iterum Picenine deprehenderis, qui neminem religionis cauſa a tuis pſeudoreformatis ultimo ſupplicio damnatum falſo ſuadere contendis.

8. Neve ad id confugias, nimirum factiones illas in articulis fidei, ut ajunt, fundamentalibus conſenſiſſe, oppoſitum ſtatim evincam. Miſſo autem pro nunc Luthero, Zuinglianos hæreticos damnante, nonnulla primo referam Proteſtantium teſtimonia, ſecundo vero quædam dogmata, quibus inter ſe diſcriminantur. Tigurini Theologi in præfatione apologetica ad Eccleſias reformatas anno 1578., de Zuinglianis, & Lutheranis hæc habent: *Nec de ſola Cœna Domini, ſed etiam de Chriſti perſona, de divina, & humana natura unione & diſtinctione, de aſcenſione ejus ad Cælos, & ſeſſione ad dexteram Patris, tanto diſputationis furore contenditur, ut non pauca veterum hæreſes, quæ olim damnatæ, & extinctæ fuerant, quaſi ab inferis revocatæ caput rurſus attollant.* Joannes Sturmius in libro *de ratione ineunda concordiæ* fol. 2., relatis quibuſdam differentiis inter Eccleſias evangelicas circa Cœnam, Dei providentiam, perſonam Chriſti, & ejus Aſcenſionem &c., ſubdit: *Quibus præcipui fidei noſtræ articuli labefactantur .... dubium non eſt, quin Eccleſia Chriſti multis hæreſibus inficiatur ... His paradoxis opinionibus fundamenta Religionis noſtræ convelluntur, præcipui articuli in dubium vocantur, multæ hæreſes in Eccleſiam Chriſti invehuntur, & plana ad Mahometiſmum, & Atheiſmum paratur via.* Hoc eſt præclarum unius fidei vinculum inter pſeudoreformatos, ex ipſorum teſtimoniis. Patri Segneri autem, & mihi forte ſuccenſebis, ſi his, quæ tui ipſi factionarii fatentur, dictis noſtris aſſentiamur? Anno 1631. Charentoni Conciliabulum a Calviniſtis habitum eſt, in quo ſtatuerunt Lutheranos ad Cœnam admittere, nulla præmiſſa hæreſum abjuratione. Lutherani his acquieſcere noluerunt, immo in ſuis Synodis Daniæ, & Sveciæ, decretum illud reprobarunt. Eccleſia Anglicana in Conciliabulo Londinenſi 1603. anathemate confixit Puritanos, a quibus e contra ceu hæretici, & idololatræ Angli traducuntur. Tu vero Picenine audes aſſerere nullum eſſe inter ipſos de fundamentalibus articulis diſcrimen?

9. Nunc utriuſque partis articuli invicem conferantur. Omnipotentia Dei in Confeſſione Witembergenſi a Lutheranis aſſeritur. A Calvino, ſi non negatur, inceſſitur *lib. 2. Inſtit. cap. 1. §. 5. lib. 3. cap. 13. §. 2.*

Lutheranis impium eſt Deum ſtatuere auctorem, & cauſam peccati in *Colloquio Montbelgart*. Calvinus hunc ſcrupulum excutit *lib. 3. Inſt. c. 23. §. 4. 7. 8.*

Lutherani in eodem Colloquio unam in Chriſto perſonam confitentur. Calvinus vero *lib. 1. Inſtit. c. 13. §. 9. 23. & 24.*, & Beza, adverſus Brentium duas admittunt. Hæc ſane ipſiſſima Neſtorii hæreſis.

Corpus Chriſti extitiſſe Abraham temporibus ſcribit Beza in *Colloquio Montbelgart*, & adverſus *Heſuſium*, quod in Cerintho jam, & in aliis prædamnatum fuit. Lutherani autem, inter quos Scluſſemburgus *lib. 1. Theol. Calvin. cap. 17.*, illi refragantur.

Lutherus, Muſculus, Jacobus Andreæ, aliique, divinam naturam in Chriſto aſſerunt paſſam, & mortuam. Beza *Epiſt. 61.* id negat.

Lu-

Lutherus in *Confeſſione majore*, & *Serm. de Sac. Corporis & Sanguinis Chriſti*, Chriſtum etiam ſecundum humanitatem ubique eſſe adſtruit. Zuinglius *contra Confeſſionem Lutheri*, & Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 17. §. 30. certatim ipſi opponuntur.

Deſcenſus Chriſti ad inferos pluribus in locis a Luthero conceditur; negatur vero a Zuinglio, Bucero, & Calvino.

Sanctorum animas cæleſti gloria adhuc privari docet Lutherus *ad cap.* 9. *Eccleſiaſtis*, *in Jonam*, *& ad cap.* 5. *Geneſ.* Zuinglius. & Calvinus in *Pſychopannichia* id deteſtantur.

Sanctos pro nobis intercedere in *Reſponſione ad Lovanienſes* Lutherus non negat; bene vero Zuinglius *Reſponſ. ad Luther. lib. de Sacramento*, & cum ipſo Calvinus *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20. §. 20., *&* 24.

Imagines retinere, *contra cæleſtes Prophetas*, *& de Communione ſub utraque ſpecie* Lutherus non prohibet; bene vero Calvinus *lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 3., & cum ipſo Beza in *Colloquio Montbelgart.*

Uſum Crucis, in adminiſtratione Sacramentorum, & Catechiſmo admittit Lutherus; a quo abhorret Beza, & Calvinus.

Originale peccatum nonniſi morbum, & infirmitatem eſſe, Zuinglius *de Baptiſmo tract.* 3., & Oecolampadius adſtruunt. E contra peccatum eſſe Lutherus *tom.* 2. *in Gen.*, & Calvinus *lib.* 2. *Inſtit. cap.* 1. §. 5. tradunt.

Infantes decedentes ſine Baptiſmo ſalutem conſequi negat Lutherus *in Confutatione rationis Latomianæ*; oppoſitum tenet Calvinus *lib.* 4. *Inſt. c.* 16. §. 26.

A Laicis, & Mulieribus Baptiſmum adminiſtrari, urgente neceſſitate, Lutherus permittit *tomo iv. in Gen.*; prohibent vero Calvinus *Epiſt.* 51., Beza, & alii.

Hæc ſatis. Petat lector *Jodocum Coccium tom.* 1. *lib.* 6. *de Signis Eccleſiæ ar.* 9., & alias deprehendet antilogias circa maximos articulos in doctrina Proteſtantium. Hæ autem ſunt, teſte Picenino, animæ illæ piæ & ſanctæ, a Deo illuſtratæ, fide unanimes, Dei ſpiritu inſtructæ ad reformandam Eccleſiam, quibus Dei verbum præclariſſime nitet qua meridiana lux.

10. Ad te modo Picenine redit oratio mea, qui *pag.* 109. aſſeris *Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcripſiſſe Lutherum*, *Calvinum*, *& Melanctonem.* Merum putum hoc mendacium tuum, italico idiomate editum ad ſeducendos plumbeos indigenas tuos. Confeſſio Auguſtana a Calvino *Epiſt.* 313. ita appellatur: *Fax eſt veſtra furia ad excitandum incendium*, *quo conflagret tota Gallia*; addit quod *ejus mollities cordatis diſplicuerit*, *auctorem ejus pœnituerit &c.*, & concludit: *Abſurdum eſſet*, *neglecta Confeſſione Gallorum*, *illam accipere.* Quomodo ergo ſubſcripſit? Cum Auguſtæ habitus eſt Conventus, Calvinus vigeſimum vix attigerat annum. Quomodo igitur ad ſubſcribendum præſens aderat cum Luthero, & Melanctone? Ultimus is, ut refert Georgius Cæleſtinus Lutheranus in hiſtoria illius Congreſſus, teſtatus eſt ſuorum nomine non eſſe receſſurum ab obedientia Romanæ Eccleſiæ, quatenus aliqua ſive diſſimularet, ſive attemperaret. A Calvino nunquam audivimus hujuſmodi officioſa verba; non itaque cum Melanctone ſubſcripſit. *Hæc Confeſſio* (ais) *approbata fuit a nonnullis Principibus.* At non hæc quæſtio Jacobe mi. Si Calvinus ſubſcripſit Confeſſioni Auguſtanæ, cur profeſſus non eſt Articulos ibi ſancitos? Articulo IV. ſancitum *non amplius dicendum nos ſola fide juſtificari.* In VII. *in Eccleſia non ſolos contineri prædeſtinatos*, *ſed & præſcitos.* In X. ſtatuitur vera, & realis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia. In XVIII. admittitur *in homine liberum arbitrium*, *licet nequeat ſine gratia adipiſci juſtitiam.* In XIX. *Deum quidem eſſe auctorem & conſervatorem bonorum; cauſam tamen peccati ſolam eſſe malam voluntatem recedentem a Deo.* In ſumma, ex uno & vi-

& viginti capitulis ad fidem pertinentibus, potior pars cum Catholicis Romanis ſentiebat. Si porro Calvinus illis ſubſcripſit, cur dogmata ibi pacta amplexus non eſt? cur tu eadem negas? Non capis ineptiſſime te fabulari, dicentem Calvinum Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſiſſe?

11. Res eſt, hanc a pluribus Proteſtantibus fuiſſe rejectam, quapropter præter fœdus *Smalkaldicum*, ut nimirum ais, fas fuit Witembergæ *an.* 1536. aliud Conciliabulum haberi. Viſi ſunt Lutherani & Zuingliani quadantenus conſenſiſſe, & dexteram dexteris Theologorum quotquot ibi aderant Lutherus, ut advertis, miſcuiſſe; ex fraude tamen, qua ambigua adeo & involuta relata fuere dogmatum capitula, ut unuſquiſque in favorem ſuæ partis ea commode interpretaretur. Et qua arte Ariani ſuis formulis fidei in Sirmienſi Conciliabulo illuſerunt Catholicis; ſic Lutherus, vulpis licet antiqua, a Zuinglianis captus fuit. Quandiu tamen, fraude a Luthero deprehenſa, unitas valuit? Nonne Zuinglianos, & eorum dogmata deteſtatus eſt acrius, & execratus? In brevi ſua Confeſſione ab Oſpiniano relata *p.* 2. *hiſt. Sacram. an.* 1544. de Zuinglianis ait *Zuinglianos jure vocari poſſe paniveros, vini bibones, immo animarum latrones, neminem pro illis orare poſſe. Blaſphemos in Deum, & Chriſtum, damnatam ſectam, mendaces homines, maledicos, ſuperbos, & arrogantes ſpiritus, Sacramentorum profanatores, ac hoſtes; nec illorum conſortium recipere, nec litteras, libros, ſalutationes, benedictiones &c. admittere decrevit.* An. 1545. Lutherus edidit theſes contra Theologos Lovanienſes, quarum vigeſima octava Zuinglianos vocat hæreticos, & alienos ab Eccleſia Dei. Hæc amici fœderis ſigna poſt datam Sacramentariis dexteram.

12. Calviniſtæ, utpote Zuinglianis affines, Lutheranorum odium & ipſi promeriti ſunt; ad quos componendos Fridericus Witembergæ an. 1581. Colloquium Montbelgart haberi curavit inter utriuſque partis primos Miniſtros, Lutheranos, & Calviniſtas, qui articulos, de quibus diffidebant Confeſſioniſtæ, & Sacramentarii, decernerent. Pro Lutheranis ſtabant *Jacobus Andrea, Lucas Oſiander, Joannes Wolfangus, & Fridericus Scultz.* Pro Calviniſtis *Theodorus Beza, Abraham Muſculus, Petrus Ubnerus, Antonius Fajus,* & alii. Articuli erant *de Cœna, de Chriſti perſona, de Baptiſmo, de Prædeſtinatione.* Hinc voces, hinc ſtrepitus, prætereaque nihil. Quocirca cernens Fridericus nullum concordiæ aditum exhiberi, hortatus eſt ſuos, quod modus componendarum partium ſuppeteret, qua fratres ſaltim agnoſcerent *Bezam*, & ſuos. *Jacobus Andrea* ſociorum nomine id facere detrectavit, ob fœdiſſimas hæreſes quas propugnabant. Obtulit tamen amicitiæ dexteram. *Beza* reſpondit: *Quoniam fraternam negatis dexteram, amicam reſpuimus.* Factum refert Lucas *Oſiander* in ſua *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, & *Jacobus Andrea* in Actis illius Colloquii editis Tubingæ.

13. Opportunum cenſui late deſcribere hanc diſcordiarum Babylonem inter principes, & artifices pſeudoreformationis in articulis fundamentalibus, ut palam conſtet tranquilla Proteſtantium pax, & an injuria eorum diſcordiam exprobraverit Pater Segneri, adhibens illis D. Auguſtini dictum de Donatiſtis: *Pars Donati in minutiſſima fruſta conſciſſa fuit.* Nunc Picenine ex te poſtulo: Hi conſentiebant, necne, in eſſentialibus religionis articulis? Negas? Ergo Patris Segneri aſſertum valet, inter Proteſtantes plures eſſe & varias ſectas in re fidei ſibi oppoſitas. Aſſeris? Ergo cur in commemoratis Conciliabulis pars una aliam hæreticam habet? Cur Lutherani Zuinglianos deſpiciunt qua hæreticos, & Calviniſtæ illis negant fraternam dexteram? *Nonne omnes* (ſubdis pag. 110.) *eundem enuntiant Chriſtum, quem colunt, eandem gratiam, quam credunt, idem baptiſ-*

baptiſma, eandemque cœnam, quam ſuſcipiunt, idem Evangelium, eandemque gloriam? &c. Nec minus hæretici ſunt, & hujuſmodi ab ipſis habiti. Præter hos igitur alii ſuperſunt articuli fundamentales neceſſario credendi. Si Lutherani Calviniſtas hæreticos habent, quod præſentiam Chriſti in Euchariſtia inficiantur; articulus igitur iſte res eſt ad ſummam fidei neceſſaria.

14. Lutherus, inſignis ille pſeudoreformationis dux, laudatus nedum a ſuis, quam ab univerſitate omnium Proteſtantium, a *Calvino* dictus *nobilis ſervus Chriſti*; a *Beza inſpiratus a Deo*; a *Bullingero homo ſanctus, reformatæ religionis benemeritus*; ab OEcolampadio *potens, & purus Theologus*; a *Bucero primus puri Evangelii Apoſtolus*; hic heros e Cælo lapſus, cujus doctrina, & reformatio cæleſtis, cujus teſtimonium, ipſo de ſe præbente, verax eſt, a Deo datum, cujus judicium certum eſt; hic hæreticos dicit commilitones ſuæ pſeudoreformationis in articulis, in quibus ab ipſo recedunt: anathema igitur fas eſt illum habere, qui in multis articulis bene audit, & in aliquibus, immo in uno tantum deficit. Arius cetera licet crederet, in uno tamen aberranti, anathema jure merito ipſi dictum; quamobrem & Lutherus merito anathema dicit Zuinglianis, & eorum ſectariis, Chriſti realem præſentiam in Euchariſtia negantibus: quoniam cum unus & idem Spiritus ſit qui cuncta credenda revelat, non minori injuria afficitur negata ipſi fide de uno, quam de altero. Profecto idem divinus Spiritus & Myſterium Trinitatis revelavit, & realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Non minus igitur Sanctam Trinitatem a Spiritu Sancto revelatam negans credere hæreticus erit cum Ario, quam negans credere CorpusChriſti realiter præſens in Euchariſtia ab eodemSpirituSancto revelatum.

15. Ineptiſſimum autem eſt quod aſſeritur, non omnia uni Deum revelaſſe. Fingitur enim multa Deum Luthero revelaſſe, non omnia; quandoquidem audacter ajebat ex Deo loqui quæ enuntiabat. Ergo ne loquens adverſus Papam ex ſpiritu Dei loquebatur, adverſus vero Zuinglianos ex ſpiritu Satanæ? O commentum nobile! Porro aſſero Lutherum proponendo ſua dogmata vel a Spiritu Sancto ſemper, vel nunquam locutum. Fides, ſicut arithmetica ſupputatio, in uno deficiens, tota corrumpitur. Quamobrem vel Lutherus ex Deo totus, vel ex Patre Diabolo erat. Si primum; Zuingliani & Calviniſtæ hæretici ſunt, & excommunicati, Luthero nimirum aſſerente. Si ſecundum; Lutherus & Lutherani, Calvinus & Calviniſtæ, Lutherum adeo commendantes, omnes hæretici: ſibi ipſis quippe contradicunt; quoniam certantes cum Luthero de fidei ſumma, ſtantes ex adverſo, negant ſibi Dei Spiritum, quem illi concedunt; inſanum enimvero eſt ſibi fingere eundem veritatis Spiritum tam perverſis, & contrariis mentibus contradictoria revelaſſe.

16. Vice verſa, cum Zuinglius & Calvinus Dei verbum, & ſpiritum ſibi vindicent; & Zuinglius Lutherum inſimulet *hominem a Satana poſſeſſum, oſcitanter ex ore ſuo loquentem*, aliiſque titulis oneret haud nefandis minus, quam veris; anceps ſio, & cunctabundus cui potius credam, cum par ſit utriuſque conditio, nullo divino ſigno diſcreta. Nec ſcenæ finis. Nedum Lutherum, Zuinglium, & Calvinum divino ſpiritu & Dei verbo repletos audio, ſed cetera pſeudoreformationis monſtra, *Anabaptiſtas*, *Svenckfeldiſtas*, *Servetiſtas*, *Ubiquiſtas*, *Oſiandriſtas*, *Trekeiſtas*, aliaſque obſcuras tribus, omnes pſeudoevangelicas, ſibi adoptantes audio Spiritum Sanctum, quem ab aliis excludunt. Quid porro agendum in tanta perturbatione rerum? Omnibus credere, contraria licet proponentibus, ſanaratio non fert. Eccleſiam, & antiquos Patres audire pro certa regula hi omnes prohibent, clamantes illam, & iſtos non erroris expertes, immo

obnoxios fuiſſe. Quid ſane reliquum, quam nulli credere, & in Atheiſmum ruere, quod Deus avertat? Hæc Picenine cogita, & reſponde ſi vales.

17. Ego autem hìc comperio Calviniſtarum malas artes, qui nobiſcum decertantes ſimulant fraternam charitatem, extollentes uſque ad ſidera Lutherum, qui primus adverſus Romam & claſſicum cecinit, & vexillum propoſuit. Invicem autem contendentes, ceſſant laudes, & encomia, ſuccedunt probra, ſcommata, maledicta; Sampſonis Vulpeculis non abſimiles, diductis rictibus ad mordendum paratis, caudis tamen ligatis & accenſis ad comburendam Chriſti meſſem. D. Hieronymus (*ad cap. 7. Iſaiæ*) hos comparat Herodi & Pilato privatis hoſtibus, ſed adverſus Chriſtum amicis: *Qui inter ſe diſcrepant, in Eccleſiæ oppugnatione conſentiunt; juxta illud, quod Herodes, & Pilatus inter ſe diſcrepantes, in Domini paſſione amicitia fœderantur.* Audiatur Juſtinianus (*Leg. 8. cap. de Hæreticis*): *Etſi in appellatione eſt diverſitas, tamen eſt in hæreſis pravitate conjunctio, & diſpar quidem nomen, ſed eadem vanitas.* Hæc pſeudoreformationis vera facies. Omnia licent, omnia expediunt, dummodo una omnium ſit perfida mens contra primatum Papæ, Sanctorum invocationem, Purgatorium, Miſſam, Hoſtiæ cultum, & negetur quidquid ab Eccleſia Romana tenetur, errorum ſentina facta, ſi fanaticis Nebulonibus iſtis aures præbeantur.

§. II.

In Eccleſia Romana ſervatur unitas Fidei.

18. Impatiens, & furens tandem erumpis *pag. 111. Parum conſideremus Doctorum Romæ fidei, & doctrinæ unitatem. Quot diviſiones, & ſubdiviſiones in Romana Eccleſia! Quot Ordines, quot familiæ, quot ſectæ! Præſcientiiſtæ, Prædeterminantes, Thomiſtæ, Scotiſtæ, Janſeniſtæ, Antijanſeniſtæ, Moliniſtæ, diſcrepantes non in re parva, & indifferenti, ſed gravi, & neceſſaria; in doctrina naturæ, & gratiæ, de merito operum, de auctoritate Pontificis &c.* Bone Deus! Quot Picenine palpas cæca mente tenebras! Quot tricæ, & fœda mendacia! Rumor iſte tuus de *Præſcientiiſtis, Prædeterminantibus, Thomiſtis, Moliniſtis, Scotiſtis*, ſynonimia eſt, qua repetitis nominibus debaccharis, duas complectens ſcholas, illam nempe quæ gratiam per ſe efficacem fatetur, & alteram quæ efficacem eam vult ex prævisione conſenſus. Doctrina gratiæ in Romanis ſcholis his duabus opinionibus tota verſatur. *Janſeniſtæ* non ſunt ex noſtris, quorum doctrina proſcripta eſt. Aliud porro eſt in Eccleſia Romana varios Ordines, familias, & ſcholas eſſe, diverſis opinionibus, de re indifferenti, diſcrepantes; aliud in ea eſſe diſcrepantiam in articulis, & ſumma fidei. Enimvero Doctores Eccleſiæ Romanæ non ſunt ſibi invicem hæretici, ſicut Lutheranis Calviniſtæ. Ambæ ſcholæ invicem diſcordes in re gratiæ, meriti, & operum, unanimes ſunt in principiis; in ſumma nempe fidei. Eorum diſcordia tota continetur circa quaſdam opiniones, quæ ex articulis revelatis probabili illatione, non vero neceſſaria deduci poſſunt. Res exemplo notior fiet. In doctrina gratiæ adverſus Pelagium una omnium ſententia eſt, gratiam *ad ſingulos actus* omnibus eſſe neceſſariam, & donum eſſe gratuitum, a dono creationis omnino diſtinctum. Sic contra Calvinum, & Lutherum, liberum arbitrium in homine ſimul cum gratia efficaci integrum manere. An vero gratia de ſe efficax ſit, vel efficax fiat ex prævisione futuri conſenſus liberi, quæſtio eſt ſcholaſtica, quæ non proſcindit fidem; ſicut Geneva a Roma proſcinditur. De juſtificatione, nos omnes una voce negamus contra pſeudoreformatos ſolam fidem ſufficere, hanc eſſe ſolam cauſam formalem juſtitiæ noſtræ, & hanc juſtitiam meram eſſe imputationem juſtitiæ Chri-

Chriſti: & adverſum vos credimus, & profitemur meritum operum, quæ ex gratia fiunt. An autem hoc meritum ab intrinſeco valore operum, vel ex promiſſione Chriſti procedat, opinio eſt quæ non adimit ſubſtantiam meriti. Vega nunquam pronuntiavit *digniorem illum eſſe Theologum, qui meritum negat in homine juſtificato*, ſed tantum qui negat omne meritum operibus præcedentibus juſtificationem. Quod ſigna Eccleſiæ plura, vel minora, ab hoc, vel illo recenſeantur; id nonniſi eſt Eccleſiam paucioribus, vel pluribus modis demonſtrare: neque id ad fidem pertinet. Fatemur omnes Romani Epiſcopi Primatum, non ſolius *ordinis*, ſed *ſuperioritatis*, & *jurisdictionis*, quem & infallibilem profitemur.

19. Conceptionem etiam Virginis, de qua inter nos diſceptatur, hìc opponis. Quæſtio tamen hæc adhuc ſub Judice pendet, nec hactenus ulla definitiva lata eſt ſententia, qua alterutra pars damnata ſit, ſicut Lutherus Calviniſmum hæreſis damnavit. Nemo noſtrum (ut apud vos fit) ſuæ communionis conſortio adverſæ partis patronos privavit, ſed ſententiam ab Eccleſia attendimus, cujus judicio privatum noſtrum reverenter ſubjicimus. Eccleſia autem adhuc nil ſtatuit, forte ſuaſa neutram opinionem fidei ſummam lædere. Redarguis *in Eccleſia fuiſſe ſchiſmata*. Quis Catholicorum negat, quod etiam ætate ipſa D. Pauli acciderat (1. *Cor.* 1. 10.) ſervata tamen integritate fidei? Schiſma unitati Eccleſiæ, non fidei opponitur. Ingruente ſchiſmate quæſtio non erat an viſibile caput Eccleſiæ univerſali deberetur, ſed quale, inter tot deſignata, verum & legitimum haberetur. Quo per Concilia ſtatuto, ſtatim unitatis tranquillitas rediit. Uno verbo, non inficior in Eccleſia extitiſſe ſchiſmata, contentiones, diſcordias; ſi enim altercatum eſt ab Angelis in Cælo, quid ni inter homines in hac terra? Veruntamen aſſero in vera Eccleſia nunquam defuiſſe modum ſedandi, & dirimendi ſchiſmata. His enim occurentibus, quæſtio vel ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilia delata eſt; & qui his acquieſcere detrectavit, hæreticus habitus eſt: juxta documentum Chriſti (Matth. 17. 18.): *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut ethnicus, & publicanus*, ut tu, & tui ſimiles. Hæc Apoſtolorum praxis in primo Jeroſolymitano Concilio; hæc in quæſtione de celebratione Paſchatis; hæc in controverſia de Baptiſmo ab hæreticis collato: quod niſi omni ſenſu careas, exploratum profecto habes. Quamobrem vera non negatur Eccleſia illa, in qua aliquando ſchiſmata fiunt; vera tamen negatur, & Babylon potius nuncupanda aſſeritur Eccleſia illa in qua nullo habito viſibili Capite, nulla ratio, modus nullus ſuppetit componendi partes, finiendæ litis. Hujuſmodi tota nimirum, & integra eſt Calvini, & Lutheri pſeudoreformatio. Quilibet ex pſeudoreformatoribus & pſeudoreformatis Spiritum Dei poſſidere præſumpſit ad intelligentiam divini verbi. Lutherus in dono ſcientiæ, & divini Spiritus, eminere ſupra Zuinglium gloriabatur; Zuinglius Luthero non imparem eſſe volebat; Calvinus utrumque excellere donis ſuis ſe reputabat. Pſeudoreformatus nemo in eorum *verbo* jurat. Tibi Picenine non diſplicet Calvinus, abhorres tamen Calviniſtam dici. Lutherani a Luthero nomen ſortiri nolunt. Horum doctrinas alter oppugnat, alter modulatur. In ſumma nemo præceptori ſuo cedere vult, putans ſcire quæ ille ſciebat; quibus apprime competunt quæ de hæreticis ſuæ ætatis Tertullianus ſcribebat (*lib. de Præſcript. adv. hæret. c.* 42.): *Mentior ſi non etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui tradidit. Idem licuit Valentinianis* (bene nota) *quod Valentino: idem Marcionitis quod Marcioni de arbitrio ſuo fidem innovare. Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes,*

nes, in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. Plerique nec Eccleſias habent, ſine matre, ſine ſede, orba fide extorres, quaſi ſibi late vagantur. Apud vos nullum Caput cui obtemperetis, cujus ſententiæ acquieſcere valeatis. Hinc Colloquia, & Conventus, ſed nullus exitus. Lites adhuc pendent, & unuſquiſque de ſuo arbitrio credit. Hæc illa inſignis reformatio, qua iſti hypocritæ triſtes miſeras decipiunt animas.

20. Hujus veritatis teſtis eſt Bernardinus Ochinus, ſui Ordinis & Romanæ fidei miſerrimus Apoſtata, qui cognita inter pſeudoreformatos tanta diſcordia, coactus eſt ſibi optare Eccleſiæ judicium. Audiamus hujus Nebulonis querelas, qui Catholicus primum, inde Calviniſta Genevæ, poſt Tranſilvaniæ Socinianus, Atheiſta tandem ſceleſtiſſimus interiit: *Volunt* (Proteſtantes) *ut totus Mundus credat eorum inventionibus, tanquam articulis fidei, & qui recuſat, hæreticus eſt eorum judicio. De die curant imprimi qua nocte ſomniarunt, eaque accipi volunt quaſi oracula divina. Nunquam retractare volunt ea, neque ſe ſubmittere judicio Eccleſiæ, nec volunt Eccleſiæ credere, ſed ut Eccleſia illud credat.* Sic dolet miſer. Conqueritur de Lutheranis renitentibus judicio Eccleſiæ, quaſi Lutherani idem ipſi & confratribus ſuis, ſicut Eccleſia catholica univerſis Proteſtantibus exprobrare merito non poſſet. Verum, reſponde Ochine, quam Eccleſiam appellas? Romanam, ſolam veritatis Magiſtram? Sed hanc dereliquiſti perfidus, rebellis, & Apoſtata. Hæc Eccleſia, cujus judicium quæris, viſibilis ne eſt, an inviſibilis? Si inviſibilis, ubinam gentium erit? Cur apud tuos potius, quam apud Lutheranos, vel Anabaptiſtas? Si autem viſibilis; cum cuique Proteſtantium ſectæ ſua ſit ſynagoga eiſdem notis erecta, prædicatione ſcilicet verbi Dei, & Sacramentorum recta adminiſtratione, ad quam appellare cogis? Lutherana antiquior eſt, & ceterarum noverca; ſed hæc in Luthero, & Lutherus in ipſa. Hanc ſi audis, jam cauſa cadis, cum eandem habeas judicem, & inimicam. Si tuæ quæ Genevæ eſt judicio acquieſcendum eſſe contendas, quo jure petis Lutheranos a Zuinglianis & Calviniſtis, quibus tua Eccleſia componitur, ſententiam audire? Eorum Propheta Lutherus poteſtatem obtinuiſſe gloriatur ipſos Angelos judicandi; porro vide ſi homines, præſertim qui in adverſa parte ſunt, judices habere velint. Ad hæc. Quis Calviniſtas Lutheranorum judices poſuit? Quomodo vis haberi judices eos, quorum ſententia rejicitur? Scrutare miſer, perſcrutare qua vales; niſi ad Romanam confugias, nunquam veram habebis Eccleſiam.

21. Inficiari cum nequeas pſeudoreformationem diſſenſionibus diſtrahi, aliud effugium machinaris, nempe *Unitatem incertum eſſe vera Eccleſia ſignum.* Propterea ais *pag.* 113. *Quid mirum inter Zuinglium, & Lutherum contentiones interdum interceſſiſſe? Nonne Sancti Patres invicem aliquando ſcriptis pugnabant? Quid Jeſuita dicent de Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, Epiphanio, Theodoreto, & Cyrillo? Spuriam forte religionem habuiſſe contendent, quia non una & eadem de quacunque re mens in omnibus, ſed alter alteri opponebatur?* Diſſidia utique, & contentiones inter Sanctos Patres aliquando interceſſerunt, ſicut & in veteri Eccleſia; ſed diverſa admodum ab illis, quæ inter Zuinglianos, & Lutheranos flagrarunt. Quare illorum religio integra, & legitima erat, iſtorum vero ſpuria, falſa, & ſacrilega apparet. Diſſidia excitata *inter Auguſtinum, & Hieronymum, Chryſoſtomum & Epiphanium, Theodoretum & Cyrillum, Paulum & Barnabam, Victorem, & Orientales Epiſcopos, Cyprianum & Stephanum,* ex veritatis zelo manabant, non ex odio, vel ſtudio falſitatis. Averſabantur ſententia, ſed amplexabantur charitate. Contentionis ardor, unitate, & charitate modulabatur; & Eccle-

ſiæ

ſiæ Capitis, vel Conciliorum voce, componebantur partes. Idipſum oſtende de diſſidiis inter Zuinglianos, & Lutheranos. Proba zelo veritatis promota, & charitate moderata fuiſſe. Tu qui Cypriani & Stephani protendis exemplum, ut cum D. Auguſtino loquar (*lib.* 21. *de Baptiſ. contra Donat. cap.* 7.) Cypriani & Stephani exhibe charitatem. Dum ſcripta auctorum utriuſque partis revolvo, ſola perſtrepunt jurgia, maledicta, contumeliæ, errores. Lutheri vox audita eſt; quæ ſi non adhuc ſatis intonuit, audiatur iterum *tom.* 11. ſuorum Operum germanico idiomate *fol.* 182., ubi de *Cœna Domini* ſic loquitur: *Ego tanquam alterum jam pedem in ſepulcro habens, hoc teſtimonium, & hanc gloriam ad tribunal Domini adferam, quod hoſtes Sacramenti Carloſtadium, Zuinglium, & Oecolampadium, eorumque diſcipulos toto pectore damnarim, ac vitarim: nec litteris, neque ſcriptis, nec verbis, nec factis, ſicut Dominus præcepit &c.* Videatur etiam in *Cap. de Adverſariis*, ubi de Zuinglio ait: *Zuinglius tanquam latro mortuus eſt.* In *Epiſt.* vero *ad Jacob. Preſbyt. Eccleſ. Bremens. Doct.* ſcribit: *Mihi ſatis eſt omnium infeliciſſimo una iſta beatitudo: Beatus vir, qui non abiit in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Zuinglianorum, nec ſedit in cathedra Tigurinorum.* Philippus Nicolai *in compendioſa inſtructione* appellat ſectam Calvini abominationem deſolationis, quæ non in Deum credit, ſed in Diabolum: *Hic enim ipſe eſt Deus Calviniſtarum.* Joannes Schunt (*lib.* 50. *cauſarum*) ait *Calviniſmum, Arianiſmum, & Mahometiſmum eſſe fratres, & ſorores: tres caligas ejuſdem panni: camerinam, in quam multa hæreſes fluxerunt &c.* Joannes Modeſtus in ſuis demonſtrationibus probat *Calviniſtas non eſſe Chriſtianos, ſed Judæos baptizatos.* Eshuſius (*defenſ. contra Calvin.*) ait: *Deo, & Eccleſiæ teſtatum facio, me non colluſiſſe cum blaſphema, & ſacrilega Calviniſtarum ſecta, ſed in acie ſtetiſſe contra eam.* Hæc Lutherani de Zuinglianis, & Calviniſtis confratribus pſeudoreformatis. Nunc vero iſtorum chordam tentemus. Zuinglius Lutherum appellat (*Epiſt. ad Luth.*): *Te seductorem, impoſtorem, & Chriſti negatorem, & ipſo Marcione deteriorem eſſe judicamus.* Videantur quæ hic ſcribit (*Reſponſ. ad confeſ. Luth. & ad Luther. lib. de Sacr.*). Calvinus vero (*Admonit. 3. ad Joachimum Weſtphalum*) his titulis Lutheranos ornat: *Lutherani homines ſunt vertiginoſi, cyclopes, ſuperba factio gigantum, phrenetici, beſtiæ, prodigioſe cæci, deſperate impudentes, nihil aliud quam falſarii, & improbi calumniatores, protervi, plus ſatis bardi &c.* Oecolampadius (*in Reſponſ. ad Confeſſ. Luther.*) de primo, & ſecundo hujus libro ait: *Priorem illum librum a Dæmone auſpicatur nuper; hunc vero ejuſdem auſpiciis abſolvit.* Theologi Tigurini in Confeſſione anni 1544. hanc de operibus Lutheri ferunt cenſuram: *Liber plenus eſt Dæmoniis, plenus impudicis dicteriis, ſcatet iracundia, & furore. Quam mirabilis eſt hic Lutherus, una cum ſuis Diabolis! quam impuris utitur verbis! quot Dæmonibus crepat!* Qui plura velit, adeat Jodocum Coccium *lib.* 8. *de ſignis Eccleſiæ tom.* 1. *art.* 10., & Fiumum *par.* 1. *Schol. verit. orthod. narrat.* 7. *cap.* 1. Sic certatim ſibi invicem alternant Lutherani, & Calviniſtæ. Quæſo Domine Jacobe, audiſtin unquam Sanctos Patres his phraſibus colloquentes, in fervidiori etiam æſtu ſuarum quæſtionum? Hæ ceſſabant conſulto oraculo ſive Papæ, ſive Eccleſiæ in Concilio coactæ. Illæ autem inter Zuinglianos, vel Calviniſtas, & Lutheranos ceſſarunt nequnquam? In tot Conventibus, compoſitæ ne uſquam differentiæ? Zuinglius in Colloquio *Markpurgi* petiit cum ſuis *fratrem* appellari, ſed Lutherus *eis fratris nomen negavit, nomen hæreticorum impegit*; ut refert Oſpinianus *Par.* 2. *pag.* 82. Inſuper audiens Lutherus Calviniſtas gloriari

cum

cum Lutheranis pacem habere, mendaces eos redarguit (*Tom.* 2. *Witemberg.*) his verbis: *Maledicta pax & concordia cum Sacramentariis per omnia ſecula ſeculorum*. In Colloquiis menſtruis ſic loquitur: *Non alia poteſt ſperari concordia inter nos, & Calviniſtas, quam quæ inter Chriſtum, & Judam interceſſit*. In Epiſtola ad Argentorenſes ſic concludit: *Alterutros oportet Satanæ eſſe miniſtros, vel ipſos, vel nos*. Agnoſce igitur, Picenine, impudentiam, immo inſaniam tuam, dum diſceptationes Patrum zelo motas, charitate plenas, veritate anxias, comparare audes diſſidiis pſeudoreformatorum pro falſitate, & mendacio excitatis, maledictis, & ſcommatibus refertis, diſcordia, odio, rabie retentis. Altiſſime pudeat fanaticis hiſce clamoribus Nazianzenum effatum aptare (*Orat. de pace*): *Melius eſt diſſidium pietatis cauſa ortum, quam vitioſa concordia.* Plorare potius cum Luthero debueras *in locis commun. claſſ.* 5., vel cum Calvino *in Epiſt. ad miniſtros ſuos in Friſia Orientali*, & cum Bullingero ea deteſtari, qui in ſuo *Fundamentum firmum* 1.*par.cap.* 1. hæc habet: *Ipſi inter ſe Evangelici acriter pugnant, & pugnant, & hinc audiuntur inter nos infelicia partium nomina Lutheranorum ..... commovet vehemens, & implacabilis diſſenſio non paucos adeo, ut animum velut deſpondentes, dicant ſe poſt hac nihil amplius, niſi quod ipſis libeat credituros; quinimmo fidem abjicientes, clamant: quid, oro, fidei in tot factiones diſtractæ tribuas?* Hæc diſſidia ſunt, quæ orta pietatis cauſa narras. Sic ea deſcribit non Bolſecus, ſed Bullingerus Tigurinum, & Cairinum oraculum, cui propterea eam fidem debes, quam alii præſtare negas.

§. III.

De titulo Catholicæ, quo ornatur vera Eccleſia, & de ejus extenſione.

22. CAtholicum notam eſſe, & characterem Eccleſiæ noſtræ proprium, actum jam ſupra *Cap.* 1. §. 2., & *Cap.* 1. *num* 10. qua tuæ Apologiæ adverſa ratio poſtulabat. Quoniam vero redintegrata cauſa idem contendere niteris novis rationibus, poſtrema hæc tua diluam figmenta. Ais itaque *pag.* 107. *Plaudit ſibi Pater Segneri de nomine Catholici. Elogium hoc ſolis Eccleſiæ Romanæ membris deberi prætendit, quod nec Proteſtantes illud valeant aſſumere*. Merito equidem ſibi plaudit; quod enim oſtendi, Romanæ Eccleſiæ nota hæc tam bene accommodatur, ut eam aucupari pſeudoreformati fruſtra adnitantur. Quæris iterum *quid ſignificet nomen Catholicum?* Nonne ſemel cum Auguſtino dixi *Catholicum* idem eſſe ac univerſale, & per totum orbem diffuſum; quod & oſtendi ad Eccleſiam tum naſcentem, tum Arianorum temporibus optime pertinuiſſe? Falſis autem Eccleſiis hoc poſſe adhiberi pag. 108. aſſeris his verbis: *Judæi quoque catholicos ſe oſtentare poſſunt, utpote per quatuor orbis partes diffuſi. Similiter Ariani, qui parum abfuit, ait Segneri, quin univerſum Orbem inficerent*. Inde ſic differis: *Vel pauciſſimi orthodoxi ætate D. Athanaſii catholicam Eccleſiam componebant, vel non. Si non componebant; Ariani cum veritate aſſerebant ſe catholicos eſſe. Si autem eam componebant; falſa erit explicatio Catholici a Panigarola commendata. Puſillus grex profeſſorum veritatis erat Eccleſia catholica. Hic autem per univerſum orbem diffuſus non erat; ergo Catholicum non eſt eſſe per orbem totum diffuſum*. Ad hæc. *Si Panigarolæ explicatio vera eſt, Proteſtantes ſunt & ipſi Eccleſia catholica, habentes ſuæ fidei profeſſores per ſtatus Imperii, per Indos, per novum orbem, ad Orientem, ad Occidentem, ad Septentrionem, &*

per

per Italiam etiam diffuſos &c. Sic tibi plaudis, quoniam vel non capis, vel non capere fingis quid ſit eſſe per Orbem diffuſum ad veram Catholici notam. Verum repeto, Catholicam eſſe Eccleſiam illam, quæ Jeruſalem orta ætate Chriſti, inde per Apoſtolorum ora in Mundum univerſum evulgata, & enuntiata fuit; *non quod omni tempore, & ubique ab omnibus, & ſingulis gentium* teneatur, ſed quia nec fuit, nec futurus erit ullus terræ finis, in quo enuntiata non ſit, vel in quo non extiterit aliquis ejus profeſſor, uſque ad conſummationem ſeculi; quo tempore, non antea, implebitur ejus extenſio.

13. Id affirmarunt verba Chriſti relata a S. Luca (Act. 1.): *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Id deſignavit donum, quo variis linguis etiam barbaris loquebantur Apoſtoli; linteum viſum a D. Petro, animalibus omnium generum, etiam immundis, plenum, & præceptum manducandi ipſi injunctum; miſſio Apoſtolorum in omnes Mundi partes, & Pauli aſſidua peregrinatio ad converſionem gentium. Videatur D. Auguſtinus (*lib. de unit. Eccl. cap. 11.*). Quibus, Picenine, vide num Hebræi appellari Catholici valeant. Orta ne eorum Eccleſia Jeruſalem ætate Chriſti, an non potius tum extincta? Sunt tamen Hebræi per omnes Mundi partes diffuſi. At qua forte? Judaiſmus ubique exoſus, ubique captivus, abſque Templo, abſque Sacrificio, ſine Sacerdotibus. Ariana Eccleſia illa ne, quæ inchoata Jeroſolymis duratura erat uſque ad conſummationem ſeculi? Orta ab Ario, paulo plus ſeculo percrebuit; nunc autem vix ejus nomen auditur. Proteſtantes Eccleſiæ ante pſeudoreformatores ſuos ubinam gentium erant? Quære iterum, iterumque, nec eas invenies; vel ſi megalographica tua falſitatum laterna eas Picenine pingis, nonniſi ex apocryphis quorundam veterum hæreticorum Eccleſiis repetere vales. Poſtquam Lutherus pſeudoreformatas ſectas introduxit, edidítque, quot Provinciæ, quot Regna uſque nunc earum nomina ignorant? Forte per quatuor Orbis partes occurret Proteſtantium quiſpiam, ſed illuc appulſus pro negotiatione mercium, non zelo religionis, Mercator, non Miſſionarius; propterea ne hinc ſuadebis Eccleſiam tuam per totum Orbem eſſe diffuſam? Non equidem, ſed ad ſummum ex tot ſectis *Reformationis* nomine falſo evulgatis, alterutram in aliqua Mundi plaga incubaſſe. Germaniæ extat Eccleſia Lutheri, non autem tua, quæ eſt illa Calvini, Lutheri judicio hæretica. Hungariam incolunt Ariani, Neſtoriani, Anabaptiſtæ, Servetiſtæ, Sociniani, & ſimiles peſtes. Hi meo judicio tui non ſunt; quos porro cedo, ſi velis. Angliæ omnia ſectarum genera habentur Romanæ Eccleſiæ inimica; inter ſe tamen diviſa, quorum plura deteſtaris. Quamobrem inferre equidem potes, Religiones, & Eccleſias Romanæ inimicas, huc, illucque eſſe diſperſas per Orbem, nuſquam vero de tua Calviniana gloriari poteris ubique eſſe diffuſam; cum vera Eccleſia Catholica, *diffuſa* quidem, ſed *una* etiam ut ſit oporteat. Ex his dilemma tuum facile ſolvitur. Pauciſſimi quippe Orthodoxi Athanaſii temporibus veri erant *Catholici*, quia ad eam pertinebant veram Eccleſiam Jeruſalem ortam, juxta oraculum Chriſti, & per totum Orbem notis ipſi temporibus dilatandam; quæ quamvis tum paucis conſtaret, dignitatis & *Catholicæ* veritatis excellentiam non amittebat, quia illa ipſa erat, cui omnes Gentes datæ erant in hereditatem ſuam. Quæ ratio tota a D. Auguſtino confirmatur (*lib. de Paſtoribus cap. 8. nunc ſerm. 46.*): *Non omnes hæretici per totam faciem terræ; ſed tamen hæretici per totam faciem terræ. Alii hic, alii ibi; nuſquam tamen deſunt, ipſi ſe non norunt. Alia ſecta in Africa, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia verbi gratia. Diverſis locis ſunt diverſa. Sed una mater ſu-*

perbia omnes genuit, ſicut una Mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto Orbe diffuſos. Non ergo mirum ſi ſuperbia parit diſſenſionem, charitas unitatem. Tamen ipſa Catholica Mater, ipſe Paſtor in ea ubique quærit errantes . . . . . alligat confractos, alios ab iſtis, alios ab illis, non ſe invicem ſcientibus. Sed tamen illa omnes novit, quia cum omnibus fuſa eſt. Verbi gratia, eſt in Africa pars Donati, Eunomiani non ſunt in Africa; ſed cum parte Donati eſt hic Catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non eſt pars Donati, ſed cum Eunomianis ibi eſt Catholica. Illa ſic eſt tanquam vitis creſcendo ubique diffuſa: illi ſic ſunt tanquam ſarmenta inutilia agricolæ falce præciſa merito ſterilitatis ſuæ; ut vitis putaretur, non ut amputaretur. Sarmenta ergo illic, ubi præciſa ſunt, ibi remanſerunt. Vitis autem creſcens per omnia, & ſarmenta ſua novit, quæ in illa manſerunt, & juxta ſe, quæ de illa præciſa ſunt. Attenta hac Divi Auguſtini ratione, qui videat Eccleſiam Romanam ubique diffuſam, ibi etiam ubi ſunt Proteſtantium Eccleſiæ; has autem alias hìc, alias ibi, nuſquam tamen ubicunque eſt Eccleſia Romana; facile agnoſcet quæ ſit Mater Catholica, quæ vitis, quæ ſarmenta ab ipſa præciſa.

24. Hinc patet te nulla ratione hanc veritatem inficere, quam ceteroqui alii ſectarii ſincere confitentur. Magdeburgenſes in primis Centuriis fatentur extenſionem Eccleſiæ quatuor primis ſeculis; & Centuria 8. 11. & 12. eandem habitam ſequentibus ſeculis. Oſiander in ſua epitome refert converſiones obtentas per varias, & remotas Gentes, temporibus uſque Florentini Concilii, cui aſſerit adhæſiſſe Armenos, & Indos. Witgiſtus Præfectus Cantuarienſis, ait impleta fuiſſe oracula univerſalitatis Eccleſiæ; quod & affirmat Witacherus *in Præfat. ad Raynald.*, *& lib. 7. contra Duræum*. Napperus *in Apocal.* aſſerit Papale regnum a S. Silveſtro per annos 1260. vaſtum habuiſſe dominium. Oſpinianus *hiſt. Sacramentaria lib. 2.*, ait a temporibus Caroli Magni velut mare effuſum. Philippus Nicolai in *lib. de Regno Chriſti* explicans vaticinia univerſalitatis Eccleſiæ, hanc diffuſam dicit per Aſiam, Africam, Europam, Americam, & remotiſſimas Inſulas; loquens vero de Regnis ad fidem adductis Hiſpanorum, & Portuenſium opera, ultra centumquadragintaquatuor recenſet Regna, quibus enuntiatum eſt Evangelium. Tandem Utterus Witembergenſis in lib. de *Sacrificio Miſſatico* ait: *Libenter concedo idolomaniam Pontificiam, cujus nervus Sacrificium Miſſaticum, totum pene terrarum Orbem invaſiſſe, præſertim ſuperiori proximo millenario.* Hæc & tot reliqua teſtimonia, noſtra, & domeſtica profecto non ſunt, ſed extranea, immo ex inimicis, vel profugis; tu vero Picenine admittere dubitas, quod una aſſerunt confœderati tui? Merito gloriatur P. Segneri, præſertim noſtris hiſce temporibus. Dum enim Lutherus ſuis prædixerat brevi duorum annorum curriculo e throno ſuo exacturum Papam, ac moriens ſepulcro ſuo epigraphem poſuit: *Moriens ero mors tua Papa*; a Luthero tamen uſque nunc, etſi Papæ deperiit aliqua Europæ pars, acceſſit utique novus Orbis in Occidente, & Oriente.

25. Fateri tamen tu etiam cogeris *pag. 109. Sanctos Patres aſſeruiſſe Eccleſiam catholicam per Orbem diffuſam contra Donatiſtas, & Luciferianos. qui in illorum parte eam tantum ſtetiſſe volebant.* Inde ſubdis: *Non id contra nos, ſed adverſus Fratres, qui volunt Eccleſiam coarctatam in ſola communione Papæ.* Quibus te loqui putas Domine Jacobe? Antipodis ne? Quis, præterquam Lutherus cum Donatiſtis, protulit *apoſtatavit orbis terrarum*; & cum Luciferianis *factum eſt lupanar*? Voces a pſeudoreformatione, & a teipſo tot plauſibus receptæ, qui paſſim Romanam Eccleſiam appellas *apoſtaticam, adulteram, ſcortum Babylonicum?* Donatiſtæ, & Luciferiani in ſuam communionem coarcta-

tam

tam Eccleſiam effutiebant, quia aſſerebant ceteras Eccleſias ſecum non communicantes a veritate apoſtataſſe. Vos Sectarii eadem dicitis de Romana, & Græca etiam, non in paucis Romanæ adhærente. Vos igitur ad ſolam pſeudoreformationem Eccleſiam trahitis. Nos ſane concludimus Eccleſiam in ſola communione cum Romana Eccleſia; quo tamen idem aſſerimus, quod a D. Auguſtino contra Donatiſtas, & per omnia ſecula traditum fuit; nimirum veram Eccleſiam Chriſti illam eſſe, quæ Epiſcopum Romæ ſuum caput agnoſcit. E contra vos quæ Donatiſtæ ſentitis; nimirum veram Eccleſiam ſolam eſſe, quæ a Romana Eccleſia dividitur. Reprehendis Panigarolam docentem Eccleſias omnes a Romana exules *apoſtaticas* eſſe, & clamas *pag.* 109. *Oriens*, *Meridies*, *Septentrio*, *Anglia*, *Hollandia*, *Moſchi*, *Ægyptii*, *Aſiatici*, *totum*, *Fratris judicio*, *apoſtaſia eſt*, *omnes ad Diabolum rejicit &c.* Quid hac tua ſtropha machinaris? Vera Eccleſia forte recipere debet Idololatras, Mahometanos, & alias peſtes tua deteriores? Reor te Panigarolam reprehendere quatenus apoſtaticas dixit omnes illarum Regionum Proteſtantes Eccleſias. At ſi ita, cur tu apoſtaticas dicis Anabaptiſtarum, Zuinglianorum Eccleſias, & ſimilia monſtra, quæ tecum non habent partem? Cur Lutherus, & Lutherani, Zuinglianas, & Calviniſticas Eccleſias anathemata vocant? Si vera Eccleſia non pertinet ad ſolam Romanam communionem, ex tot communionibus ab illa ſejunctis ad quam pertinebit?

26. Nodum adhuc in ſcirpo quæris; quamobrem ſic hariolaris: *Eccleſia catholica complectens omnium nationum Gentes, uni ſane regioni conſtricta non eſt. Catholica etiam præſertim dicitur, quia retinet doctrinam catholicam, & Apoſtolicam, & integram ſervat religionem Apoſtolorum, qui veri Doctores Orbis ſunt, catholici, & univerſales. Id totum habere debet Eccleſia catholica.* Hic tamen de more in utramque partem claudicas. Etenim ut certa habeatur notitia, ex tot Eccleſiis ſibi plaudentibus de doctrina *Catholica*, & *Apoſtolica*, & de ejuſdem ſimplicitate, & conſenſu cum Scripturis, quæ illa ſit, cujus teſtimonium verax eſt, cui fidem meam tuto adhibeam, hoc ſignum a Chriſto præſtitum aſſumo, quærens unde cœperit, ubi diffuſa ſit, quæ ab antiquo hanc *Catholici* prærogativam poſſideat; & quam ex illis video Jeruſalem ortam, per totum Orbem diffuſam, perpetuo ſervatam, hanc agnoſco eſſe veram *Catholicam*, veram Apoſtolicam, veram Magiſtram veritatis: cum fieri nequeat quod tot, tamque præclara chariſmata, falſæ Eccleſiæ conveniant. Quotquot fuere ſectæ, ad Scripturas omnes appellarunt, doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum ſequi omnes oſtentabant; quas tamen fuiſſe mentitas omnes deprehendo. Quod de tua Eccleſia, Picenine, jactas, idem repetunt Anabaptiſtæ, Sociniani, quotque ſectæ pſeudoreformationis ſinum proſcindunt. Idem Ariani, Neſtoriani, Pelagiani adſtruebant, omnes ad Scripturas provocantes. In hoc labyrintho poſitus, ne a recto tramite declinem, omnium tot viarum capita inſpicio, & illud quæro, quod lapillis ſuis Chriſtus ipſe ſignavit. Extenſio autem ſi tibi incertum ſignum videatur, incertius mihi, & cuilibet recte animadvertenti, ſignum videtur tua oſtentatio doctrinæ. Cultus vero, quem Angelis, Sanctis, Imaginibus, Reliquiis, Hoſtiæ exhibeo, an a Deo præceptus ſit, & proinde pius, an vero vetitus, adeoque impius; tunc oſtendam, cum de hoc articulo quæſtio erit. Pro nunc dico, ſi ex verbo Dei non eſt expreſſe præceptus, expreſſe tamen non eſt ab Eccleſia prohibitus, quæ fuit ſemper Catholica, & ante pſeudoreformationem, omnium ſententia, ſequuta eſt ſemper doctrinam Apoſtolicam, & utilem, ac pium ſemper propoſuit hunc cultum, quem ſoli pſeudoreformatores impium, & oppoſitum Dei

verbo inceſſunt; mihi melius eſt illi adhærere, quam iſtis nulla fide dignis.

27. P. Segneri ex pſeudoreformatis petit, num quiſque propriam ſectam putet *Eccleſiam* eſſe, & *Catholicam?* Pro omnibus reſpondes *pag.* 110. *Reformatas Eccleſias non eſſe Eccleſiam catholicam, ſed membra Eccleſiæ catholicæ, longe ſaniora Eccleſia Romana.* Parum abſtine Domine Jacobe. Veſtræ reformatæ Eccleſiæ ex te membra ſunt univerſalis Eccleſiæ, non ipſa univerſalis Eccleſia. Membra ſunt componentia corpus, non ipſum corpus: totius ſcilicet partes, non ipſum totum. Quæſo nunc. Dum negas tuas Eccleſias eſſe *univerſalem Eccleſiam*, *& Catholicam*, vel ſumis eas diviſas, & inter ſe diſcretas; vel unitas, ideſt ſimul collectas. Si primum; injuria reprehendis Patrem Segneri, qui Eccleſiam Romanam appellans *Catholicam*, non illam intellexit, quæ Romanis clauditur mœniis, ſed illam, quæ ex omnibus fidelibus colligitur communicantibus cum Romanis, quorum Epiſcopum ut ſuum caput omnes agnoſcunt. Si vero collectionem ſumas Eccleſiarum proteſtantium, nec porro velis hanc collectionem eſſe univerſalem Eccleſiam, ſed membra ejuſdem; tum poſco quæ ſit *Eccleſia univerſalis*, cujus hæ veſtræ Eccleſiæ membra ſunt; quale hoc totum, cujus proteſtantium Eccleſiarum tota collectio ſola pars eſt? Immo quæ ſunt Eccleſiæ reliquæ, cum quibus pſeudoreformatæ Eccleſiam univerſalem componunt? Membra quippe, quæ ſimul integrum non faciunt corpus, alia ſupponunt, cum quibus integritas corporis habeatur. Quæ ſunt igitur reliqua membra, integrum Eccleſiæ corpus componentia? Romana Eccleſia a vobis rejicitur, vos Græca rejicit. Vel igitur abſtine ab injuſta reprehenſione Patris Segneri, & ſuo dilemmati occurre; vel oſtende, ſi vales, reliquas haſce Eccleſias vobiſcum communicantes, ex quibus integra componitur Eccleſia univerſalis, & Catholica. Sane D. Auguſtinus (*contra Epiſt. fundam. c. 4.*) ait: *Cum omnes hæretici ſe catholicos dici velint*; & Lactantius (*Inſtit. lib. 4. cap. 30.*): *Singuli quoque cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicam Eccleſiam putant.* Aſt tam hebes, & cæcus, quin videas duos hos Doctores adverſum te pugnare?

28. Contumeliæ livore, quo ſemper tumes, exprobras iterum P. Segneri, quod redarguerit Proteſtantes *auſos tenus immutare Apoſtolicum Symbolum*, *Catholica* voci ſubſtituentes *Chriſtianam*, quaſi dicerent: *Credo Sanctam Chriſtianam Eccleſiam*. quam: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Quamobrem iratus poſtulas pag. 111. *Qui ſunt hi Proteſtantes?* P. Segneri auctorem nominat. Mentiri eum ais. Ego autem Lutherum tanti facinoris auctorem aſſero, in Symbolo germanico idiomate edito. Quippe ſi Lutherus auſus eſt addere Scripturæ vocem *ſola*, ad ſtatuendum hac interpolatione ſuum mendacium, *ſolam* nempe fidem juſtificare; ſi de tanta temeritate reprehenſus impudentiſſime reſpondit: *Sic vult Magiſter Lutherus*; ſi in Bibliis Ugonotticis (*in cap. 2. ad Galat. num 16.*) interpolatum legitur adverbium *ſolum*: *Seulement par la foi de Jeſus Criſt*; ſi eadem Biblia, tam *in Levit. 26. 1.*, ubi præcipitur: *Non facietis vobis idolum*, quam in *Pſ. 97.*, ubi ſcriptum eſt: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*, per Calviniſtas nomen *Idoli* verterunt in nomen *Imaginis*, ut daretur intelligi vetitum a Deo cultum Sacrarum Imaginum; quæ in recentioribus Ugonotticis Bibliis edita leguntur cum aliis interpolationibus; hinc cur non verum, quempiam auſum fuiſſe invertere vocem *Catholicam* in *Chriſtianam?* Jam concedis Eccleſias Germanicas addidiſſe vocem *Chriſtianam* voci *Catholicæ*: qui autem non timet interpolare Scripturas, forte ne timebit invertere? Vindicta furens prodis Symbolum variis ſcatens erroribus decerptis ex Elucidario Patris Pozæ Jeſuitæ. Si

Digitized by Google

Poza erravit in ſuo Elucidario, ejus liber proſcriptus fuit. Pejora occurrunt, ais *pag. 112. Hac Societas auſa eſt cenſura notare Symbolum Apoſtolicum, primum articulum accuſando ambiguitatis, ſecundum obliquitatis, & nonum etiam Sancta Eccleſia Catholica aſſerendo includere æquivocationes periculis plenas*. Debebas, maledice, dicere hanc Societatem aſſumpſiſſe explicationem quarundam propoſitionum præſeferentium vel ambiguum, vel æquivocum ſenſum, non vero inſtituiſſe cenſuram. Si cenſura appellanda ſit quæcunque declaratio, & expoſitio eorum, quæ nobis ambigua apparent, & obſcura; omnes hi qui teſtati ſunt Scripturas ambigua quædam, & obſcura continere, atque ideo ea plana facere, & enucleare ſtuduerunt, *cenſores* Scripturæ pariter taxandi erunt, ſi per te Jeſuitæ Symboli *cenſores* ſunt. Cenſores, & impudici Ariſtarchi ſunt Lutherus, Calvinus, & omnes veſtri, qui veriti non ſunt erroris accuſare Patres, Eccleſiam, & totam antiquitatem.

29. Succenſes pag. 114. P. Panigarolæ, & Segneri; huic quia ſcripſit *Religionem Romanam diffuſam eſſe per quatuor Mundi partes, pſeudoreformationem vero habere anguſtos fines*; alteri autem quia dixit *Eccleſiam ſuam tres Mundi partes ferme integras tenere, & Europam paulo minus ac totam ſuam eſſe*. Propterea cum tuo *Breverodio (de ling. & relig. orbis c. 14.)* oppoſitum probandum aſſumis, dicens: *In partes triginta ſex æquales dividitur Orbis huc uſque notus; ex his quinas Chriſtiani, ſenas Turca, reliquas Pagani tenent*. Jam dictum eſt ſupra *Cap. 1. §. 2. num. 17.*, & hic etiam *num. 22.* Religionem Chriſtianam non ita diffuſam intelligendam eſſe per partes Mundi, quod ab omnibus Chriſti nomen veneretur, & a nemine deteſtetur, ſed quia per omnes partes enuntianda erit, & a plurimis omnium gentium amplectenda. Eccleſia Chriſti, quæ hac extenſione gloriari merito valeat, illa ſola eſt, quæ honorem primatus, & capitis deferr Romano Epiſcopo, quæ ſola ante Lutherum, & poſt etiam a ſuis Miſſionariis enuntiata fuit rudioribus, & barbaris Gentibus: nova autem pſeudoreformatio, dato eam habere aliquam Eccleſiam in Oriente, hanc habet pro negotiatoribus ſuis illuc tranſmigrantibus, non ex charitate lucrandi Chriſto animas, ſed ex cupiditate aucupandi ſibi divitias. Eccleſiæ diffuſæ per Hollandiam, Angliam, Germaniam, Hungaricam, & Moſchos. nequeunt unam componere Eccleſiam, quia invicem ſegregatæ, & inter ſe ſchiſmaticæ, & illarum non paucæ a tuæ communionis conſortio excluduntur. Id exhantlat Proteſtantes. Videatur Puſendorfius *lib. de Monarch. Pontif. pag.* 133., ubi facto calculo nationum ad quas extenditur auctoritas Romani Pontificis, fateri cogitur ſolos catholicos magis dilatatos omnibus ſimul proteſtantium ſectis.

30. Liberaliter tandem tu agere nobiſcum affectas *pag.* 115., dum ais: *Age ſit ut placet, & loquuntur iſti Monachi Roma præpotentis, & dominantis. Si eorum potentia totum terrarum Orbem ſubjeciſſet, nec eo magis vera eſſet Eccleſia*. Equidem ſi præpotentia Orbem illa ſubjeciſſet, ut Idololatria, non autem, ut revera accidit, ſubjiciendo ipſum ſola prædicatione; quoniam juxta oraculum Chriſti hac via diffundi debebat Eccleſia per omnes Gentes uſque ad extremum terræ, ut probat Auguſtinus ſæpe laudatus adverſus Donatiſtas. Dictum D. Hieronymi *lib. 3. adverſus Pelagium* circa finem, videlicet: *Multitudo ſociorum nequaquam te Catholicum, ſed hæreticum eſſe demonſtrabit*, ad rem pſeudoreformationis non facit; quia D. Hieronymus non demonſtrat extenſionem Eccleſiæ hæreſim comprobare, ſed tantum Pelagiano, cum quo tum contendebat, oſtendit quotquot teſtes falſæ ſuæ fidei adducere poſſet, non eſſe profuturos falſitati doctrinæ, quæ quo plures aſſertores habebat, eo magis ap-

apparebat. Si Panigarola dum gloriatur de vetuſtate ſuæ Eccleſiæ, loquitur ex ore *Pagani Symmachi tom.* 3. *apud Ambroſ. lib.* 5. *epiſt.*, ejuſdem culpæ reus tu quoque deprehenderis, dum quæ docentur in tua Eccleſia probare perantiqua prætendis. Simmachus petebat ratos haberi priſcos uſus Paganicæ Romæ; Panigarola poſtulat ratos haberi priſcos uſus, & divinum cultum Chriſtianæ Romæ. Attende Ambroſii reſponſum (*lib.* 5. *epiſt. epiſt.* 31.): *Nunquid Imperator Gentilis aram Chriſto levavit?* Quo vult inteligi: Si Imperatores Gentiles aras Chriſto erexiſſent, merito de nobis quererentur, ſi a nobis proſtratæ fuiſſent, & juſte poſcerent a nobis reſtitui. Cum itaque Proteſtantes abrogatione Sacrificii aras Chriſti everterint, merito Panigarola de ipſis queritur, & jure poſtulat ab ipſis reſtitui; quoniam Gentiles *dum ea, quæ fuerunt repoſcunt, exemplo ſui admonent quantum Chriſtiani Imperatores religioni, quam ſequuntur, debeant deferre reverentia, quando Gentiles ſuperſtitionibus ſuis omnia detulerunt.* Quid ad hæc Picenine? „ Non inficior omnes ſibi „ aſſerere veram Religionem, non „ minus ac extenſionem „. Verum extenſionis Eccleſiæ veritas facillime, & ad ſenſum probari poteſt, qua cognita, ceu per ſenſibile ſignum, doctrinæ & Religionis veritas conſtat: ſicut in cauſis forenſibus interdum ex conjecturis vehementioribus procedit judicium, quod vix ex diſquiſitione rationum abſolvi poſſet. Extenſionem tum Pagani, tum Ariani oſtentabant, ſed utraque a præpotentia promota fuit, & prima licentioſa diſſolutione morum ſervabatur. Romana Eccleſia, a temporibus Apoſtolorum uſque nunc, diffuſa eſt ſine vi, abſque violentia, ſola prædicatione; nec obſtante morum auſteritate, & præceptis, ab ipſa præſcriptis, ab aliis Eccleſiis neglectis, adhuc late diffuſa eſt, & in ſua extenſione perſeverat; habet itaque certum veritatis ſignum, quo ceteræ carent. Hac ratione probabant veteres Chriſtianæ Religionis veritatem adverſus Idololatriam, & hac ipſa ratione Romanæ Eccleſiæ veritatem nos probamus adverſus ſchiſmaticas Eccleſias. Si vera eſt Romana religio, quia late extendit fines ſuos, vera etiam ſemper erit, etiam ſi inter anguſtos fines concluderetur, quia, ut dictum eſt, ſemper Eccleſia illa erit, quæ Jeruſalem orta, enuntiata fuit univerſo Mundo, nec prædicari ceſſabit uſque ad conſummationem ſeculi.

31. Anguſtam tamen, & inter limitatos fines veram Eccleſiam quærendam eſſe contendis; immo redarguis P. Segneri pag. 115. quaſi *aperte contradixerit Jeſu Chriſto. Jeſus ait Eccleſiam ſuam eſſe puſillum gregem, & Jeſuita ait Eccleſiam ſuam eſſe vaſtum gregem.* Donatiſtæ quos D. Auguſtinus oppugnat toto *lib. de unitate Eccleſ.* eadem prorſus opponebant *cap.* 13. *Lego*, inquit, *nam Henoch unus inter omnes homines placuit Deo, & tranſlatus eſt: & poſtea toto Mundo aquarum inundatione deleto, ſolus Noe cum conjuge, & filiis, & nuribus ſuis in arca meruit liberari. Adjungunt etiam de Loth, quod ſolus cum filiabus de Sodomis liberatus ſit. De ipſo quoque Abraham, Iſaac, & Jacob, quod pauci fuerint Deo placentes, in terra idolis, & Dæmonibus dedita. Poſtremo jam multiplicato populo Iſrael..... commemorant decem tribus diviſas, & traditas ſervo Salomonis, duas autem remanſiſſe filio Salomonis ad Regnum, quod erat Jeruſalem.* Hæc Donatiſtæ; eadem & tu. Audi Auguſtini reſponſum: *His atque hujuſmodi exemplis hæretici ſuam paucitatem commendare conantur, & in Sancta Eccleſia multitudinem toto Orbe diffuſam blaſphemare non ceſſant. Sed quæro ab eis; ſi (quod abſit) nollem credere vera eſſe iſta ipſa, quæ ab eis commemorantur exempla, unde me convincerent? Nonne de Scripturis Sanctis, ubi leguntur tanta manifeſtatione, ut quiſquis illas litteras in fidem recepit, non poſſit niſi & iſta veriſſima confiteri? Porro ſi hæc exempla ideo cogerer credere vera eſſe*

ra eſſe

ra eſſe, quia ibi ſcripta ſunt, ubi non poſſem dicere falſa eſſe quæ ſcripta ſunt, cur non & ipſi de Eccleſia toto Orbe diffuſa eiſdem Scripturis credunt? Ecce nos omnia illa credimus. Credant & ipſi quod ait Dominus .... Credant quod adſcenſurus in Cœlum noviſſime dixit: Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque in totam terram. Et illa & *iſta vera eſſe credantur, & nulla inter nos contentio remanebit, quia nec illis veris iſta, nec iſtis veris illa impediuntur.* Hæc D. Auguſtinus & illis, & iſtis.

32. Chriſtus (*Lucæ* 12. 32.) *vocat Eccleſiam ſuam puſillum gregem, & Jeſuita ſuam Eccleſiam dicit vaſtum gregem.* In magnum cancerem hic de more incidis mi Picenine. Chriſtus nomine *puſilli gregis* non comprehendit omnes fideles, ſed vel Apoſtolos, cum quibus agebat, vel ſolos electos ad Regnum; qui quidem pauci admodum ſunt ad eos qui pereunt. Vel ſuos fideles dicit *puſillum gregem*, non comparative ad ceteros homines infideles, ſed ad cetera animalium, & beluarum genera, quibus comparati fideles ſunt *puſillus grex.* Hunc eſſe litteralem, & obvium ſenſum cogeris fateri, ſi contextum evangelicum conferas. Quare, dico ego, fideles ſuos, quibus paraverat Regnum, *gregem* vocat? *Gregi* quippe Ovile debetur, non Regnum. Et tamen dicit: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Suos itaque appellat nomine *gregis*, cœtum *pecudum*, non *hominum*, quia prævie ipſis Dei providentiam commendaverat ſuper univerſa animalium genera, quibus nil deeſt ad eorum ſuſtentationem. Apta ſermonis ratio petebat fideles ſuos nomine *puſilli gregis* comprehendere, & a *majori ad minus*, ut ajunt, ſic diſcurrere: Si Deus nil deeſſe permittit brutis, quæ tot, & tot generum ſunt, vos ne deſeret, qui coram ipſis *puſillus eſtis grex*, cui complacuit ſibi dare Regnum Cælorum? Minus autem ſibi repugnat P. Segneri, cum aſſerit non poſſe veritatem ſectæ Mahometanæ, & Arianæ ſua extenſione comprobari; quia hìc ſermo eſt de Eccleſia Chriſti. Mahometana ſecta Religio Chriſti non eſt. Sermo eſt de illa Eccleſia, quæ a Chriſto fundata, teſtes ejus & præcones habuit Apoſtolos in Jeruſalem, in Samaria, & in omnibus Gentibus. Secta Arii non a Chriſto, ſed ab Ario ortum habuit; non prædicatione Apoſtolorum diffuſa fuit, ſed Imperatorum præpotentia, & Catholicorum perſecutione; & tandiu ſtetit, quandiu valuit potentia potentum. Romana Eccleſia illa ipſa eſt, quæ a Chriſto orta, Apoſtolorum evangelica tuba enuntiata, & diffuſa, per ſucceſſionem ſeculorum, & legitimam ſeriem Epiſcoporum, ad Irenæi tempora integra pervenit, inde ad illa Optati, & Auguſtini, & hinc uſque ad noſtra tempora. Pſeudoreformatæ Religiones tales non ſunt. Ergo etſi extenſioni inniti vellent, obſtat ipſis invictum hoc argumentum, eas non a Chriſto, ſed a Luthero, & Calvino prodiiſſe, & novas omnino eſſe, non antiquas.

CAPUT IX.

Pſeudoreformationis Novitas, Eccleſiæ Romanæ Vetuſtas, & Epiſcoporum Series.

§. I.

Calumnia adverſus Inſtitutum Jeſuitarum.

1. APologia *cap.* 11. *pag.* 121. in aciem Picenine provocas P. Segneri: *Huc*, ais, *Pater Jeſuita, ingenue conferamus invicem utramque Religionem, & evidentiſſimum erit quæ antiqua ſit, quæ nova, rebellis, ſectaria, novitatum religionis magiſtra.* Poſt tam ſolemnem apparatum pugnæ, ab acie fugis; immo abjectis rationum armis, veneno aſpidis ſub labiis tuis Jeſuitarum Ordinem ſic adoriris; *Veſtra Societas nova eſt. Novato-*

vatores ergo vos Jeſuitæ eſtis. Bella illatio, fœtus ingenio ſuo ſimilis. Hic agendum non eſt, erudite Jacobe, novus ne, an antiquus ſit Jeſuitarum Ordo; ſed nova ne, an antiqua Jeſuitarum fides: ſecus ſi hac facta ratione iſti Novatores ſunt, Novator eris certiſſime & tu. Horum enim Societas tua pſeudoreformatione recentior non eſt. D. Ignatius hujus Ordinis Inſtaurator natus eſt ipſis Lutheri temporibus, divina favente Providentia tum antidotum gigni, cum perniciosa cicuta creſceret. Subdis: *Societas erecta fuit contra Canonem Concilii Lateranenſis.* Te vero, o cuſtos Canonum, moneo tuam pſeudoreformationem irrepſiſſe contra omnia Concilia. Quæſo, Domine Jacobe, vereris ne tu auctoritatem hujus Concilii, damnantis errores veſtrorum Albigenſium? Tu inceſſis hanc Societatem, utpote erectam contra Canonem hujus Concilii, inde perfracte defendis amplectentes errores proſcriptos pluribus ejuſdem ipſius Concilii decretis? Quo ad laudatam Societatem omnis ſcrupulus facile tollitur, dummodo advertas eam per Concilium Tridentinum, ejuſdem plenariæ auctoritatis, fuiſſe probatam. Errores autem tuos Lateranenſi Concilio IV. damnatos, & a te obſtinate retentos, quo poſteriori Concilio habebis non dicam receptos, ſed non anathematizatos?

§. II.

Novitates Pſeudoreformationis Piceuini.

8. QUæris a P. Segneri *pag.* 122. quod *oſtentat Lutherum, & Calvinum ſuam doctrinam appellaſſe novum Evangelium.* Id facile conſtabit, vix legas librum inſcriptum: *Quinti Evangelii Profeſſores*, editum ab Andrea Jurgieviccio Canonico Vilnenſi, typis datum *Monaſterii an.* 1602., in quo depravati, & corrupti probantur omnes Articuli Symboli Apoſtolici. Qui poſthabito vero, aſſumeret enuntiandum velut pium & ſanctum falſum Evangelium, prædicatum nunquam ab Apoſtolis, oſtentans ſe Evangeliſtam a Deo miſſum, & ad ſtatuenda ſua falſa dogmata, ceteris neglectis, Diabolum conſuleret, verum autem Evangelium ſuo pravo ſenſui non accommodatum eraderet, inverteret, interpolaret oſcitanter; is nonne mereretur apud omnes dici Novatorem, doctrinæ falſæ circulatorem, & doctrinæ Chriſti teterrimum impoſtorem? Huiuſmodi nimirum Lutherus fuit pſeudoreformationis primus artifex. Hic exaggeravit (*Conc. ad pop. Domin. Donec venerit*) Evangelium tanta copia, & perſpicuitate ſe enuntiaſſe, quod nec Apoſtolorum temporibus id factum fuerit. Reprehendebat Patres & Eccleſiam univerſam erraſſe *lib. de abroganda Miſſa privata*, *lib. contra Regem Angliæ*, ac pene in omnibus ſuis ſcriptis. Canones ſuæ doctrinæ ſtatuebat juxta documenta Diaboli in domeſticis conferentiis ſecum habitis, quod ipſe teſtatur pluribus locis, præſertim *lib. de Miſſa angulari*, *in Colloq. menſal. &c.* Ubi Scriptura ſibi non arridet, rodit, invertit, interpolat; & loca indicant *Staſilus*, *Wecelius* in libro inſcripto *Retectio Lutheraniſmi*, *Prateolus*, & præ omnibus *Jodocus Coccius tom.* 1. *lib.* 8. *de Signis Eccleſ. ar.* 12. Calvinus, ſcrutatis Patribus, cum non faveant ingenio ſuo, ipſe in novos, & perverſos ſenſus Evangelium & Scripturas detorquet. Quid igitur impedit hos nuncupari novos falſi Evangelii banditores, novæ Eccleſiæ inſtauratores? quanquam dici velint Reformatores antiquæ, a qua tamen abſit tam inſignis deformatio. Cur horum ſectarii male habebunt vocari Novatores, & novi Evangelii concionatores? Novatores erunt apud ipſos qui Evangelium enuntians diverſimode ac ab illis prædicatum, quale nempe ex Luthero, & Calvino nuper intruſis receperunt; nec Novatores ipſi, qui gloriantur illud prædicare diverſimode ac enuntiatum

tum fuit a Sanctis Patribus priſcis temporibus, & ab ipſis Apoſtolis? Quis non videt in his ſpiritum illorum, qui a D. Paulo (2. *Corinth.* 11. 13.) deſcribuntur: *Ejuſmodi Pſeudoapoſtoli, ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.*

3. Fratres explicant Evangelium juxta ſenſum unanimem, & perpetuum Eccleſiæ, decerptum ex teſtimonio veterum Patrum, quos diligentiſſime conſulunt. Pſeudoreformatores ſpernunt omnes antiquos Patres, obtrectantes illos erraſſe. Lutherus in hoc ſibi plaudit Lib. contra Ducem Georgium Saxoniæ: *Hoc certo ſcio, quoniam neque Auguſtinus, neque Ambroſius in hoc mihi æquales ſunt.* Immo *in Colloq. Convival. cap. de Patribus Eccleſiæ*, ſic eos traducit: *Chryſoſtomum nullo loco habeo, non eſt niſi loquaculus.* S. Baſilius *nihil valet, totus eſt Monachus, ne pilo quidem illum redimerem. Apologia Philippi omnes Eccleſiæ Doctores exſuperat, etiam Auguſtinum.* S. Bernardus *nimium tribuit præcepto, & libero arbitrio.* Tertullianus *inter Eccleſiæ Doctores merus eſt Carloſtadius.* Cyprianus Martyr *infirmus eſt Theologus.* S. Ambroſius *ſex libros ſuper Moyſe ſcripſit, ſed quam jejunos!* S. Auguſtinus *nihil ſingulare habet de fide;* inde concludit: *Nec ulla eorum extant in Epiſtolam vel ad Romanos, vel ad Galatas, in quo aliquid, quod purum, vel ſincerum ſit reperiatur.* Ad hæc, in Cap. de Scholaſticis Theologis ait: *Hieronymus inter Eccleſiæ Doctores numerari non debet, nam fuit hæreticus; puto tamen quod per fidem in Chriſtum ſalvatus ſit.* In *Cap. 22. in Geneſ.* conculcat D. Hieronymum: *Quin te Hieronyme conculcamus, cum tua Bethleem, cuculla, & deſerto.* In ſuis ſcriptis, *de fide, & vera religione, & doctrina vera, ne verbum quidem extat.* In Epiſtola ad *Brentium* indignatur, ſtupens quod D. Hieronymus recenſitus ſit inter Doctores Eccleſiæ; & contra *Regem Angliæ* clamat: *Quis eſt Auguſtinus? Quis nos cogit illi credere? Qua auctoritate ejus verbum eſt articulus fidei?* Porro quæ opinio habenda erit tam impudentis detractoris? Antiqua ne cenſenda Lutheri doctrina, qui tanta temeritate ſubſannat & antiquos Patres, & eorum doctrinam? Lutheri, & pſeudoreformatorum doctrinam, novam admodum, & alienam ab antiqua a Patribus traditam, ab Eccleſia receptam, quomodo negare audes, ipſo Luthero fatente, qui in ſui tutelam una hac ratione utitur, Patres ſcilicet, Eccleſiam, Apoſtolos, contraria ſibi docentes erraſſe? Audiamus illum ſuper *cap. 1. ad Galat.*, ubi objectione ſibi propoſita, qua ſæpe urgebatur: *Valde ſpecioſum, & robuſtum hoc argumentum, quod & hodie plures commovet, ſcilicet Apoſtoli, Sancti Patres, & eorum ſucceſſores ſic docuerunt, Eccleſia ſic ſentit, & credit. Impoſſibile eſt autem quod Chriſtus tot ſeculis Eccleſiam ſuam errare ſinat. Tu certe ſolus non ſapis plus, quam tot ſancti viri, & tota Eccleſia.* Si doctrina ſua nova non erat, nec ab antiqua aliena, ſed illa eadem ab Apoſtolis tradita, a SS. Patribus retenta, ab Eccleſia credita; inſiſtere debebat, & falſum oſtendere ab Apoſtolis, Patribus, & Eccleſia, oppoſita enuntiata fuiſſe, ab his, quæ ipſe docebat. Verum non ita ſe expedit, ſed reſpondet: *Quando Satan hoc urget, & conſpirat cum carne, & ratione, perterreſit conſcientia, & deſperat, niſi conſtanter ad te redeas, & dicas: Sive Sanctus Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus, ſive Sanctus Petrus, Paulus, Joannes, immo Angelus de Cælo aliter doceat, hoc certo ſcio, quod humana non ſuadeo, ſed divina.* Poſt autem: *Cum fiducia dicere poſſum: Eſto ſane; Eccleſia, Auguſtinus, & alii Doctores, item Petrus, Apollo, immo etiam Angelus e Cælo diverſum doceant: tamen*

mea doctrina eſt hujuſmodi ..... hic peccare non poſſum. Et quia tantæ temeritati objiciendum ſane ſentiebat: *Eccleſia eſt Sancta, Patres ſunt Sancti*; hæc reponit: *Bene Eccleſia, quamlibet Sancta, tamen cogitur orare: Remitte nobis debita noſtra. Sic Patres, quamlibet Sancti, tamen per remiſſionem peccatorum ſalvati ſunt &c. Firmiſſimum ergo argumentum fuit, & potenter concluſit; nemo enim libenter dicit Eccleſiam errare, & tamen neceſſe eſt dicere eam errare, ſi extra, vel contra verbum Dei aliquid docet. Petrus Apoſtolorum ſummus vivebat, & docebat extra verbum Dei, ergo errabat.* Hæc Lutherus; nec dicendum falſiſſimam, vaniſſimamque doctrinam ſuam novum fuiſſe Evangelium, oppoſitum Evangelio jam enuntiato?

4. Novitatis ut nos carpas *pag.* 222. commemoras *novum Evangelium propoſitum Seculo xiii. ſub nomine Abbatis Joakim, blaſphemiis plenum*; & ſubdis *confutatum fuiſſe ab Academia Pariſienſi; qua tamen præmiata fuit acri cenſura ab Alexandro IV., & librum flammis traditum fuiſſe.* Narratio hæc tua ambigua valde fit, ex inſcitia, & malitia tua. Sane verum *anno* 1250. vulgatum fuiſſe librum inſcriptum *Evangelium æternum*, anonymi Auctoris (fanatici tamen); & ad extollendam doctrinam erroneam Abbatis Joakim, prædamnatam ab Innocentio III. in Concilio *Lateranenſi*, editum fuiſſe alterum librum *de periculis noviſſimorum temporum*, elucubratum a Guilielmo de Sancto Amore, non ab Academia Pariſienſi. *Ad Caput* 8. Evangelii æterni dicitur quod hoc prædicaretur, ſed a Papa, & Epiſcopis impediri: *Quid autem eam detineat ſcitis, nimirum imperium Petri, & eorum qui tenent loca Apoſtolorum*; ideſt Epiſcoporum Galliæ, qui in Concilio Arelatenſi anno 1260. illud damnaverant. En primum mendacium, Alexandrum nempe IV. acri cenſura in Academiam Pariſienſem animadvertiſſe ob damnationem *Evangelii æterni.* Liber *de periculis noviſſimorum temporum* cum ſuo Auctore Guilielmo de Sancto Amore damnatus fuit ab Alexandro IV., & liber flammis traditus jubente etiam Ludovico IX. Galliarum Rege, non ex eo quod reprehenderet *Evangelium æternum*, ſed quod præſertim moliebatur oppugnare Inſtituta religioſa Prædicatorum, & Minorum, quæ illis temporibus erecta fuerant. Hæc ratio fuit cur nedum ab Alexandro IV., ſed ab univerſa Pariſienſi Academia rejectus fuit, & demum a Rege cum ſuo Auctore damnatus Liber *de periculis noviſſimorum temporum*, in quem calamum exercuit D. Thomas, *Opuſculo* ordine xix. Ad Spondanum Lectorem mitto ad *annum* 1258. *num.* 3., necnon ad Natalem Alexandrum *Seculo* 13. *c.* 3. *ar.* 4. & 7. Nunc agnoſce Picenine quam male proficias mendaciis tuis. Porro ſi *Evangelium æternum*, qua novum, jure proſcriptum fuit, Lutheri pariter, & Calvini Evangelium, qua *noviſſimum*, deteſtabile erit omnibus Fidelibus.

5. Quamobrem eleganter aſſerit P. Segneri hos Phæthontem imitatos fuiſſe, currum intentantes regere contra paternum interdictum, non minus Eccleſiæ, quam ſummi Dei, qui ad annuntiandum Evangelium miſſionem præſcribit: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Quis unquam ſe Apoſtolum fecit? Apoſtoli omnes electi fuere a Chriſto, & voce vocati. Paulus de Cælo vocatus, Mathias loco Judæ electus a Collegio Apoſtolico; Paſtores electi ſemper vel ab Epiſcopis, vel a Clero, bono totius populi teſtimonio. Quis vocavit, quis elegit Lutherum? Quis Calvinum? Quid refert vociferari: *Ego ſum Apoſtolus a Deo miſſus*, ut clamabat Lutherus? *Habemus præ omnibus intelligentiam verbi Dei*, ut cum ipſo jactitant reliqui pſeudoreformatores? Cum non oſtendant aliud ſignum ſuæ miſſionis, Apoſtoli, & diſcipuli ſunt non Jesu Chriſti, ſed *Simonis Magi, Menandris, Baſilidis*, ceterorumque, qui nullo exhibito ſigno vulgabant ſe miſſos a Deo. Hæc doctrina neceſſariæ

riæ miſſionis probatur ab ipſo Luthero, ut oſtendimus *Cap.* 2. §. 3. *num.* 17. & 21. Ibi dicta recolantur. Non me latet Lutherum reſponſurum quod ſcripſit *Epiſt. ad falſo nominat. Ord. Epiſcop.* „ vocationem „ non ab hominibus, nec per homines, „ ſed ex dono Dei ſe accepiſſe, & ex revelatione Jeſu Chriſti „. Quaſi novus Paulus eſſet propterea hoc titulo gloriabatur: *Martinus Lutherus Dei gratia Eccleſiaſtes Witemberga*. Quis tamen ipſi fidem præſtabit; quin potius de ſua temeritate indignabitur?

6. Male habes, ſectarios tuos Eccleſiæ Romanæ rebelles a nobis appellari; unde exclamas *pag.* 123. *Audacter ſupponit Segneri ſuam Romanam Eccleſiam ceterarum eſſe Matrem; cui tamen credam, cum probaverit Filiam ætate majorem Matre ſua. Romana Eccleſia poſterior fuit Jeroſolymitana, & Antiochena &c.* Perperam garris. Pater quippe Segneri ſcite adſtruit *Romanam Eccleſiam ceterarum Matrem*, quæ fuit totius vetuſtatis ſententia, cujus teſtes ſunt *Irenæus lib.* 3. *cap.* 3., S. Cyprianus *lib.* 4. *Epiſt.* 8. *ad Cornel.*, ubi Eccleſiam Romanam appellat *Eccleſiæ Catholicæ matricem, ac radicem*. Si Eccleſiarum maternitas ab annorum antiquitate ſumeretur, nec a Primatus auctoritate, & præeminentia, merito quæreres *num filia ſenior ſit matre*. Inter pſeudoreformatas quæ mater eſt? Lutheranam cogeris dicere, qua ſeniorem; hanc tamen non agnoſcis, ſed potius Calviniſticam quanquam juniorem: nec illius, ſed iſtius doctrinam amplecteris. Tuorum dictis, omnes Catholici Angliæ extincti, negantes honorem Primatus Eccleſiæ Anglicanæ Henrico, & Eliſabethæ, *rebelles* habiti ſunt; & tamen ipſi pariter prætextabant (& jure merito) ſuam renitentiam crimine iniquæ uſurpationis, manifeſtæ apoſtaſiæ Religionis, & horrendi monſtri nunquam auditi. Et vitare vultis notam *rebellionis* ab Eccleſia Romana, in qua vos cum proceribus veſtris nati eſtis, dicentes obedientiæ jugum excuſſiſſe, proſpicientes eam adulteram, & apoſtaticam? Vultis omnino *rebelles* qui obedire negant Principibus, legitime etiam excommunicatis, & proſcriptis; negatis inde vos eſſe *rebelles*, retractantes licet obedire Eccleſiæ, quam ſpuriam, & apoſtaticam nonniſi vos dicitis, actores ſimul, & judices? Quæ poteſtas, quæ ratio vos impellebat manifeſtare Eccleſiæ crimina? Paſtores ne vos a Deo poſiti ad ejus regimen, cum onere admonendi populos? *Adultera erat Romana Eccleſia, proſtituebat filias ſuas*, ut vulgabant Apoſtatæ Lucenſes Genevæ. Si adultera fide erat, Paſtorum & Conciliorum erat id inquirere, non veſtrum, qui plebei, & ſubditi, obedire tenebamini. Lege Lutherum in *cap.* 1. *ad Galatas* ſupra citatum. Verum nec erat, nec adultera unquam Eccleſia fuit. Hujuſmodi eam vos inſimulaſtis, de adulterio accuſantes, quia pro veſtro arbitrio vobis ea abuti non permittebatur; hinc cum perfidis accuſatoribus in inſontem conſpiraſtis. Verum etſi videri vobis videbatur ejus morum candor in aliqua filia proſtitutus, maternæ turpitudinis revelatione gloriari minime debebatis; præcepto enim præcipitur (Levit. 18. 2.): *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies. Mater tua eſt, non revelabis turpidinem ejus.* Neque Cham, Patrem Noe deridentis, imitatores fieri, ſed potius Sem, & Japhet exemplo, pallio charitatis eam occultare debebatis. Dicetis *eam vos monuiſſe; quam tantum abfuit pœnituiſſe de ſuis fornicationibus, quin potius interdictis, & minis vos abſterrere intentavit.* Merito ſane minitabatur vobis, agnoſcens revera vos abominationes & fornicationes longe majores machinari, his quibus eam inſimulaſtis.

7. Opportune hic cadit inſtantia P. Segneri, nempe: „ Qui reformatores eſtis? Morum non equidem, „ quandoquidem doctrina veſtra qua-

„ tis virtutis propugnaculum, immo „ diſperdit ejus fundamenta. Eſtis „ igitur legis reformatores? At Re- „ ligio Chriſti reformari nequit „. Quem tamen te deridentem audio *pag.* 123. his verbis: *Quam futile hoc dilemma! Dato quod Religio Chriſti nequeat reformari, poterat ſane, immo debebat reformari Religio Eccleſiæ Romanæ; hinc Reformatores plura dogmata rejecerunt, quæ peſſundabant Religionem Chriſti*. Nervoſum plane, non futile eſt Patris Segneri dilemma, qui optime inanem præoccupavit inſtaniam tuam, cum dixerat: „ Si Eccleſia ſenſim erraverat in do- „ ctrina articulorum fidei, non i- „ gitur extabat ante Lutherum,& Cal- „ vinum vera Religio Chriſti. Ergo „ Religio Chriſti reformari nequit; „ & idipſum eſt eam reformare, ac innovare „. Urgebis, „ *Religionem Chri-* „ *ſti non fuiſſe tum in Romana Ec-* „ *cleſia* „. Ubinam igitur tum Religio Chriſti? Ante Lutherum, & Calvinum, Eccleſiæ ferme omnes Romanæ obtemperabant, eamque fidei Magiſtram habebant. Eccleſia Græca ſi ab obedientia receſſerat, ad ipſam tamen accedebat in doctrinis multis, quas vos dicitis *fornicearias ſuperſtitiones*; quamobrem vera Religio per vos in ipſa non erat. Ubinam gentium igitur ſtabat?

8. Subterfugis iterum, quærendo a P. Segneri *quæ ſint hæ virtutes diſperſæ a pſeudoreformatoribus?* Lutherus diſperſit Caſtitatem, eam peſſundando ſub Matrimonio, contra ſententiam D. Pauli; & Sermonibus ſuis fœdiſſimis, quibus ſcripta ſua putent, de ea tractans *lib. de vita conjugali tom. 1. epiſt. latin. fol. 334. ad Philippum; in Colloq. latin. tom. 1. cap. jocoſa, & feſtiva; in Colloq. Germanic. cap. de Matrimonio*, & alibi. Diſperſit bona opera, omnia tribuens fidei, cum dixit (*Tom. 1. edit. Witemberga fol. 54.*): *Non ille juſtus eſt qui multum operatur, ſed qui ſine opere multum credit in Chriſtum.* Charitatem præ omnibus evertit, cujus nec veſtigium reliquit, non tam erga Catholicos, quam erga ſuos. Quid plura? Virtutes a Luthero promotæ legi poſſunt in Epiſtola ipſi ſcripta a Georgio Saxoniæ, quæ non refert niſi diſſolutionem ſine lege, ſacrilegia, rebelliones, rapinas, adulteria, furta &c. Lutherus tamen Patriarcha fuit hujus ſanctæ reformationis. Tu, qui Lutheranus non es, meliores profiteris virtutes, præter charitatem, quæ a te profligata eſt peſſimis ſcriptis tuis, refertis livore, odio, maledicentia. De Patre Segneri ais: *Indi are vult Jeſuita, nos abegiſſe ab Eccleſia jejunia, abſtinentias, macerationes, cælibatum; id tamen falſum. Neque enim abrogavimus jejunia præſcripta in verbo Dei, ſed ſuperſtitioſa inducta ab hominibus. Neque cælibatum, ſed quempiam proprio ſuo arbitrio committimus, ſi donum habeat continentiæ.* Libentiſſime ſtato loco audiam, cur jejunia ſuperſtitioſa erant in Eccleſia ante pſeudoreformationem. Si pravus mos erat abſtinere a carnibus, quod (ut blateras) *dilatent ventrem piſcibus, aliiſque deliciis*, poterant ſane pſeudoreformatores tui, ſi non odio habebant, ut ais, jejunium & abſtinentiam, a *carnibus* abſtinere, ſimulque a *piſcibus, aliiſque deliciis*, nec eliminare penitus a reformatione jejunia jam ſtatuta, & uſu conſecrata a Sanctis utriuſque Teſtamenti. Si autem cælibatum pſeudoreformatores commendarunt, cur a reformatione illum abegerunt? Cur tot ſcommata & deriſiones contra ejus profeſſores?

§. III.

Quo lateret Religio recens profeſſa a Proteſtantibus, antequam a ſuis Auctoribus vulgaretur.

9. Petit P. Segneri num reformata religio nova ſit, an vetuſta? Cui reſpondes *pag.* 125. *Reformatio, & reformatores novi ſunt. Religio autem quam profitentur vetu-*

ſtiſſ-

ſiſſima eſt, & illa ipſa pura ſeptemdecim ab hinc ſeculis enuntiata ab Apoſtolis, ſignata ſanguine Martyrum. Verbum Dei, firmiſſimum vetuſtatis argumentum, oſtendit hanc religionem novam non eſſe. Hæc rejicit omnes novitates a Papiſtis receptas. Ab initio quippe non fuit ſic. Tum etiam ego dicam verbum Dei id firmiſſime præſtare, quod mea religio illa ſit, quæ ab Jeruſalem orta, & hinc diffuſa, dilatari debet uſque ad conſummationem ſeculi, ut probatum eſt ex Auguſtino. Si ætate D. Auguſtini hoc argumentum valebat, cur non modo? Si ex verbo Dei probandum aſſumis Eccleſiam tuam illam eſſe puram ab Apoſtolis erectam, tibi pariter ex Dei verbo probandum incumbit hanc Eccleſiam nonniſi quinque ſeculis futuram fore intactam; ab hinc vero in adulterium lapſam, per novem, & amplius ſecula in fornicationibus verſari, quo uſque tandem per reformatores tuos a ſuis immunditiis liberata, primigeniam indolem, & puritatem aſſequeretur. Solum blateras verbum Dei, firmiſſimum argumentum vetuſtatis, oſtendere Eccleſiam tuam novam non eſſe, quia hæc rejicit novitates, quas nos profitemur, *nec a principio fuiſſe ſic*. Non vides quam jejune nulla ratione garris, dum a te ut certa ratio ſtatuitur ipſa quæſtionis ſumma? Tum etiam ego cenſeo meos ritus antiquos eſſe, & illos ipſos, qui juxta Dei verbum fuerunt ab Apoſtolis Eccleſiæ traditi. Tu autem oppoſitum contendis ex eodem ipſo verbo Dei, quod *ſcriptum* dumtaxat præſumis; ego vero *ſcriptum* partim aſſero, partim *oretenus traditum*, & ſucceſſive ad nos traductum. Me falli dices; falli autem te, & tuos dicam ego, nec tantum dicam, ſed ſuo loco ipſo Dei verbo *ſcripto*, quod unice admittis, evidenter evincam. Quid quod ſoli etiam verbo *ſcripto* innixus falli certe potes, ſicut & pſeudoreformatores tui falli utique potuerunt? Omnes hæretici de vetuſtate doctrinæ gloriati ſunt, atque id ex verbo Dei *ſcripto* probare contendebant; nihilominus erraſſe illos tu ipſe fateris, immo eos deteſtaris, nec partem ullam ipſis habere permittis cum vera Eccleſia Chriſti, cujus membrum tuam Eccleſiam eſſe cæca mente prætendis.

10. Leviſſimum igitur eſt ſola voce aſſerere Eccleſiam tuam ex verbo Dei vetuſtam oſtendi, niſi probes eandem cum antiqua tenere fidem, ritus, cæremonias, & cultum. Hæc eſt res facti, non ex Scriptura probanda, quandoquidem in Scriptura præſcribi poteſt ritus, cui alter oppoſitus ab Eccleſia antiqua ſervaretur; & ſic vel nunquam fuit vera Eccleſia, vel pſeudoreformatores tui decepti ſunt, putantes verbum Dei, quod non eſt. Conſulendæ itaque ſunt traditiones eorum, qui in prima Eccleſia vixerunt, & ſtare in his eorum dictis. Sicut ad cognoſcendum an antiquitus in Galliis iidem mores eſſent, ac in præſens, illorum qui tum vivebant conſulenda eſt auctoritas; ſic pariter ex moribus temporum, in quibus, ex mente etiam pſeudoreformatorum, Eccleſia pura erat, veram inde intelligentiam ex Scripturis decerpere. Quoniam ſi dicas: Sic mos erat, quia id ex Scriptura decernitur; cum ex antiquis habeam diverſum fuiſſe morem, concludam, vel quod nunquam ea fuit ratio morum, juxta ſenſum illum ex te Scripturæ accommodatum, vel te Scripturas intelligere diverſimode ac intelligerent antiqui; & hoc plane certiſſimum.

11. Poſito itaque verbi Dei integritatem, & puritatem ſervatam fuiſſe per quinque ſecula, hæc ſcrutanda ſunt, & Patres conſulendi, qui tum floruerunt. Fas eſt animadvertere quid in Eccleſia, tum latina, tum græca, ſcripſerint temporibus illis uſu ſervatum, idque conferre cum utriuſque præſentis Eccleſiæ moribus, nempe Romanæ, & pſeudoreformatæ. Quo conſtabit quæ adhæreat, vel non adhæreat novitati. Neve ulla recti judicii diligens ratio fugiat, conſulen-

ſulendi præſertim vetuſti illi erunt, qui in utraque Eccleſia, latina, & græca Paſtores fuerunt, ac proinde utramque Eccleſiam rexerunt, & repræſentarunt. Inter Latinos inſignes ſunt Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus. Inter Græcos Irenæus, Athanaſius, Chryſoſtomus, Baſilius, Nazianzenus. Hic lector ſiſte, & recole quæ *Cap.* VI. §. 4. & 5. dicta ſunt, ubi agnoſces doctrinam ſub falſæ *Reformationis* nomine a recentioribus hiſce Evangeliſtis traditam, eandem eſſe, quæ per diverſa tempora a variis Novatoribus ſubintroducta fuit, & ſucceſſive qua hæretica a Sanctis Patribus damnata. Lege, & objicietur tibi *Simon Magus* negans liberum arbitrium, adoptatus inde a *Manichæis*, ut teſtantur Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus; *Novatiani* abrogantes Confeſſionem, & abſolutionem, Cypriano, & Theodoreto teſtibus; *Ariani* ſubſannantes Monachos, tum temporum apud Catholicos venerabiles, & inſectantes Romanam Eccleſiam, ſedem Apoſtolicam, Sacerdotes mactantes; *Donatiſtæ*, teſte Auguſtino *hæreſ.* 69., & Optato Milevitano teſte oculari, projicientes canibus Euchariſtiam, quæ in Eccleſiis ſervabatur, ab eisdem autem canibus ipſi proinde dilaniati, ut teſtatur idem Optatus, Sacri Chriſmatis ampullas conterentes, Altaria evertentes, Virginum velata capita nudantes; *Euſtatiani* loca SS. Martyrum, Baſilicas, & jejunia Eccleſiæ profanantes; *Eunomiani* docentes ſola fide hominem ſalutem conſequi, unde retenta, vel recuperata fide nil ipſi officere lapſum, vel pertinaciam cujusquam criminis, ut ſcribit D. Auguſtinus *hæreſ.* 54., quod dogma, quanquam atheiſmo puteat, impium tamen minus eſt pſeudoreformatorum dogmate, adſtruentium fidem, & juſtitiam ſemel aſſequutam, nunquam amitti; *Aeriani* rejicientes ſacrificia pro vivis, orationes, & eleemoſynas pro defunctis, jejunia ſextæ feriæ & Quadrageſimæ abrogantes, teſtibus Epiphanio, Auguſtino, Iſidoro; *Julianus Apoſtata* redarguens Chriſtianos de cultu Crucis, & de ejus ſigno in fronte ſignato; *Jovinianus* adſtruens peccata omnia æqualia, jejunia autem, & abſtinentias nil prodeſſe, damnans cælibatum Sacerdotum, & Sanctimonialium, ut teſtatur D. Auguſtinus *hæreſ.* 82.; *Vigilantius* injuriis, & ſcommatibus inſultans Sanctorum Reliquias, eorumque invocationem obtrectans, merito a D. Hieronymo deteſtatus ceu *portentum in ultimas deportandum terras*; *Pelagiani* aſſerentes infantes abſque Baptiſmo ſalutem conſequi; quod teſtatur D. Auguſtinus *Lib.* 1. *de peccat. merit. c.* 9. Mitto *Iconomachos*, utpote recentiores, furentes in ſacras Imagines, eas comburentes, juxta hæreſim *Felicis*, & *Secundini Manichæorum.* Hæc inſignia vetuſtatis monumenta, in unum faſciculum recollecta, ſuorum clientum naribus pſeudoreformatores objiciunt, ad faſcinandas animas. In his floribus delectatur pſeudoreformatio, redimita non una, ſed omnibus hæreſibus, quas vetuſta Eccleſia prædamnavit.

12. Hac acceptione juſte, Picenine, doles de Patre Segneri, novitatis redarguente pſeudoreformatorum ſectam, quaſi primis ſeculis ignotam; & de Panigarola inquirente ubi Eccleſia pſeudoreformata ante pſeudoreformationem haberetur. Merito, inquam, conquereris; & quod æquum eſt tibi reddam ſic. Injuria ſane, Pater Segneri, aſſeris *novam* admodum, & primis ſeculis ignotam eſſe Picenini religionem. Nimium heu perantiqua eſt, & primis ſeculis impreſſa ejus veſtigia, ad quæ delenda ſancti Patres tot laboribus inſudarunt. *Nova* eſt Babylon iſta, ſed perantiquis lateribus conſtructa. Ignotus plane priſcis ſeculis tot errorum cumulus, ſed errores ipſi huc illucque per varia tempora diſtracti certe notiſſimi. Tu vero Pater Panigarola ne audeas amplius a Picenino ſciſcitari ejus Eccleſiam ante pſeudorefor-

ma-

mationem; ſed certiſſime tene vetuſtiſſimam illam, utpote ab Apoſtolorum temporibus, ut ipſe aſſerit, originem repetentem. *Simon Magus* fundamenta jecit; inde *Novatiani*, *Ariani*, *Donatiſtæ*, *Eunomiani*, *Aeriani*, *Julianus Apoſtata*, *Jovinianus*, *Vigilantius*, *Pelagiani*, aliique cæmenta, & tigna præſtiterunt architecto Luthero, ad ſui Pantheon ædificium. Agnoſcite nunc errorem veſtrum, novam incuſantes Eccleſiam, in ſuis ſaltim partibus vetuſtiſſimam, & quam merito vos Picenimus redarguat. Retractamini igitur, & hæc ſit ſententia veſtra: Dogmata pſeudoreformatæ religionis cognita fuere qua perverſa commenta contra Dei verbum, & proinde damnata ceu oppoſita doctrinæ ab Apoſtolis traditæ vetuſtæ illi Eccleſiæ, quæ utriuſque partis conſenſione habetur pura, & evangelica. Ergo patet pſeudoreformatos declinare ab Evangelica puritate, neque hæreſis notam vitare poſſe, cum collatione facta tot veterum errorum, iſtos palam fidelibus exhibent; quapropter infelices illaqueant animas, & decipiunt populos, dum venditant eadem ipſis præbere dogmata ab antiqua Eccleſia retenta, & ejus fide conſecrata.

§. I V.

Ante primos Pſeudoreformatores Lutherum & Calvinum, eorum Religio reperiri nequit.

13. LUtheri, & Calvini religio, a pſeudoreformatis recepta, non ex articulis poſitivis, vel negativis, quos ipſi profitentur, quatenus eorum ſeries huc illucque per varias ſectas diſperſa ſit deprehendi poteſt, ſed aliqua habenda eſt Religio, quæ univerſam articulorum ſummam, quam ipſi profitentur, quo ad eſſentialia ſaltem complectatur. Enimvero etiam ſi ſecta aliqua ante pſeudoreformatores objiceretur, quæ pleraque eorum dogmata profeſſa fuiſſet, in uno tamen, vel altero eſſentiali articulo diſtet, non eadem ſane religio reputanda eſſet. Sic Ariani, Neſtoriani, Manichæi, Eutychiani, Pelagiani, aliæque peſtes in omnes ferme cohærentes articulos, ex unius, vel alterius diſcrimine, nedum a Catholicis, ſed etiam inter ſe religione diſcindebantur: quod & tu Picenine reapſe concedis, cum Anabaptiſtas, Socinianos, alioſque nuperos, ut de Lutheranis taceam, a communione tuæ religionis excludis; quoniam licet pluribus articulis tecum adverſus Romanam Eccleſiam aſſentiantur, ex unius tamen, vel alterius diſcrepantia, eos tecum partem habere non permittis. Quo poſito, te patienter audio.

14. Fratres in ſcenam ducis, *petentes a Reformatoribus, ubi veſtra Eccleſia erat ante Reformationem?* Et reſpondes *pag. 129. hanc extitiſſe in ipſa Romana Eccleſia, ſicut ſepteni illi mille in Eccleſia Iſraelis erant Idola colente*. In ſchola Donatiſtarum, ut dictum eſt, hæc reſponſa reddere didiciſti. Videatur D. Auguſtinus (*Lib. de Unit. Eccl. cap. 13.*). At quinam hi ſepteni mille intacti puriſſimi, in quorum medio, velut inter lilia, ante Lutherum, & alios pſeudoreformatores, Chriſti ſponſa tuta commorabatur? *Manſiſſe* ais *veram Eccleſiam inter Waldenſes, Albigenſes, Huſſitas, a Pontificibus exagitatos*. Male, Picenine, ſi Eccleſiam tuam nonniſi inter lenones, & ganeones iſtos, omnibus ſeculis proſcriptos, vere cubantem agnoſcas. Putabam eam audire incedentem cum Paſtoribus gregis, Irenæo, Athanaſio, Auguſtino, Ambroſio, & innumeris aliis, quorum vigilantia, & fides nulli ſuſpecta fuit. Profecto cauſam tuam prodis, dum inter ſolos hæreticos Eccleſiam tuam quæris. Ante *Albigenſes*, *Waldenſes*, & *Huſſitas*, ubinam gentium Eccleſia tua? *Waldenſes* ſolo duodecimo ſeculo aliena a noſtris poſuere caſtra, & *Petrus Waldus* dux erat. Per undecena retro ſecula unde illa erat? Falſum nos fateri Waldenſes extitiſſe S. Sil-

veſtri temporibus, minus vero Apoſtolorum ætate irrepſiſſe. Sane verum *Waldenſes* inter ceteros errores, ut Reinerus refert, aſſeruiſſe Romanam Eccleſiam non eſſe Eccleſiam Chriſti, quam S. Silveſtri temporibus, adepto temporali Dominio, defeciſſe adſtruebant; eos tamen S. Silveſtri temporibus, ſive ante, ſive pone, extitiſſe nemo concedit. Quamobrem ab Apoſtolis uſque ad duodecimum ſeculum, nempe uſque ad annum 1160., quo Petrus Waldus vexillum ſuæ ſectæ compoſuit, Eccleſia tua unde erat? A ſeculo Apoſtolorum, uſque ad quartum ſeculum Silveſtri Papæ, plurimæ hæreticorum ſectæ inſurrexerunt, inter quas tamen tuam non agnoſces. Agnoſces ſane plurimos cohæſiſſe nonnullis erroribus tuis, ſed non omnibus; præterquamquod alios errores comperies ſibi adoptaſſe, quos tu execraris. Eccleſia *Simonis Magi* tua non erat, quoniam liberum arbitrium utique exterminabat, & de operibus bonis male ſentiebat, cetera tamen tuæ pſeudoreformationis dogmata non profitebatur; quinimmo alia concinnabat, quæ impia deteſtaris. *Gnoſticos*, *Marcionitas*, *Montaniſtas*, *Novatianos*, *Manichæos* quadantenus pſeudoreformati ſequuntur, ut oſtenſum eſt, non undequaque tamen, immo ab illis in pluribus abhorrent. *Apoſtolici* forte, nomine, & re tibi placerent, ſecundi ſeculi hæretici, qui cum pſeudoreformatis Apoſtolorum imitatores in omnibus haberi volebant; verum cum non admitterent uxoratos, ſive uxoribus coutentes, nec temporalia bona poſſidentes, certiſſime teneo ſecum te non eſſe communicaturum. Ad hæc. Cum hi omnes hæretici habiti ſint ab Eccleſia, dum nulli adulterio obnoxia caſtiſſima ſponſa erat, Calviniſticam Eccleſiam cum illis componere, foret erroris notam ipſi impingere. Quare iterum peto ubinam gentium erat pſeudoreformata Eccleſia primis *purioribus* ſeculis? Ubi ſancti, & pii illi viri, qui eadem quæ nunc dogmata in pſeudoreformata Eccleſia profitebantur?

15. A quarto ſeculo uſque ad duodecimum quæro eam, & non invenio. Non in *Donatiſtis*, qui ſi Eccleſiam dicebant apoſtaticam, Romanam cathedram deſpiciebant, Euchariſtiam dabant canibus, Chriſma conculcabant &c., in reliquis tamen adverſabantur. Virtutem quippe Baptiſmi a ſanctitate miniſtri pendere aſſerebant, viſiones & miracula ſomniabant; quæ omnia a Proteſtantibus rejiciuntur. Non inter *Euſtatianos*, damnantes quidem ſtatuta jejunia, ſepulcra, & Baſilicas Martyrum contemerantes; ſed nuptias inde prohibebant, uſum carnium horrebant, benedictionem, & communionem ab uxorato Sacerdote oblatam reſpuebant: quæ omnia pſeudoreformationi ſummopere diſplicent. Neque inter *Eunomianos*, qui operum licet neceſſitati reſiſterent, totos ſe committentes fidei; cum *Arianis* tamen Filium abſimilem Patri, & Spiritum Sanctum creaturam eſſe contendebant, quod certe Proteſtantes non audent. Neque inter *Aerianos*, utpote Arianorum errores ſibi adoptantes a pſeudoreformatis deteſtatos; hinc partem cum illis habere negabis, quanquam tecum ſentiant jejunium Quadrageſimale hebraicam eſſe ſuperſtitionem, orationes, & ſacrificia vivorum nil prodeſſe defunctis, ſimplicem Sacerdotem eſſe Epiſcopo parem. *Julianus Apoſtata* pſeudoreformatam Eccleſiam non inſtituit, licet Crucis cultum, & Chriſti imagines abegerit, cum Magus alias, & Apoſtata a Chriſto fuerit. *Seleuciani* ſane Deum auctorem mali blaſphemabant; verum non aqua baptizabant, & reſurrectionem negabant, unde a veſtra Eccleſia in hoc deficiunt, ſi in primo conveniant. *Jovinianus* forte aliquam veſtræ Eccleſiæ ſpeciem præſefert. Is peccata omnia æqualia habebat, jejunia, & abſtinentias aſpernabatur, Sanctam Virginitatem Matrimonio æquiparabat; ſed baptizatum hominem impeccabilem, & Mariam Vir-

ginem

ginem in partu non Virginem contendens, cetera quoque veſtra dogmata non recipiens, integram veſtræ Eccleſiæ faciem non repræſentat. *Pelagiani* quandam uniformitatem habent vobiſcum, traditiones non ſcriptas detrectantes; ſed tribuentes omnia arbitrio excluſa gratia, a veſtra Eccleſia longe aberrant. In *Neſtorianis*, & *Eutychianis* nullum puto veſtræ Eccleſiæ veſtigium inveniri; nec reor *a Xenaja Perſa*, vel a *Jacobitis* eandem inquirendam eſſe, quia licet ille cultum Imaginum rejiceret, iſti Sacramentalem Confeſſionem, cum ille tamen, tum iſti, *Eutychiana* ſectæ nomen darent, ipſis Eccleſia veſtra non adhæret. Neque cum *Armenis*, & *Iconomachis* unam cenſeo Eccleſiam habere velitis; quandoquidem negabant quidem Purgatorium, & efficaciam Sacramentorum, ſed Quadrageſimale jejunium auſteriſſime obſervabant. Affirmabant ante paſſionem Chriſti omnes in æternum periiſſe, & Imagines incendebant; verum Sanctos colebant, & invocabant, contrarium vero aſſerentes anathemate configebant.

16. Apud *Photium*, alioſque *Græcos* ab Eccleſia Romana diviſos, tuam Eccleſiam ſtetiſſe non effuties, cum hi, præter ſchiſma, nil habeant commune vobiſcum; quinimmo abſtinentiam a carnibus, Quadrageſimam, Sanctorum invocationem, Imaginum cultum, ſeptem Sacramenta, tranſubſtantiationem in Euchariſtia, ceteraſque divinas veritates profitentur, quas pſeudoreformatio *abominationes* appellat. *Petrobuſiani* Cruces & Crucifixos incendebant, Euchariſtiæ & Purgatorii veritatem negabant, ſicut & preces pro defunctis; Infantes tamen Baptiſmo tingere, nuptias vero ac plurium ciborum uſum prohibentes, Calviniſticam Eccleſiam præſeferre nequeunt. Duodecimum jam *Waldenſium* ſeculum attigimus, nec tuam Eccleſiam, Pecenine, deprehendere uſque modo valuimus. Nonnulla quidem vetera fruſta, & ſparſa rudera, ex uno, vel alio ſeculo eruuntur; ædificium tamen integrum, & totius pſeudoreformatæ doctrinæ ſtructura in nullo ſeculo apparet. Ubi igitur erat Eccleſia tua ante duodecimum ſeculum? Quod etſi ex congerie tot ruderum, quæ per ſingula ſecula contrita a vera Eccleſia, & reprobata fuerunt, Eccleſiam tuam ædificare niteris, jam ſatis vides quam Eccleſiam habebis, ex deteſtabili acervo tot hæreſum congeſtam. Inter SS. Patres Eccleſiam tuam inquirere deſtiti, tum quia Lutherus & Calvinus, pſeudoreformationis artifices, eos ſcriptis ſuis ita deſpiciunt, ut alieni ab ipſis penitus videantur; tum quia ſi SS. Patrum ſcripta revolvam, certus ſum meam, non tuam reperturum Eccleſiam: cum veteres Patres ſeptenni illi mille non ſint, quos quæris, & ſomniaris inter antiquitatis tenebras. Re vera *Foxius* nec unum auſit in ſuum Kalendarium referre.

17. Reliquum porro eſt ſcrutari num ſaltem in duodecimo ſeculo Eccleſia tua in illa *Waldenſium* eſſe cœperit? Quod abſolute nego. Quippe quod in *Waldenſibus* pſeudoreformata Eccleſia ſtatui nequit, niſi *fundamentalia* quælibet, non aliqua tantum pſeudoreformationis dogmata cum illis communia fuerint; quod certe adſtrui minime poteſt. *Scultetus* enim (*Decad.* 2. *Annal. ad annum* 1530.) refert: *Waldenſes in Provincia Gallica ſupra ducentos annos vixerunt, e Pedemontio in Provinciam profecti, ubi magno labore terram ſterilem fœcundam reddiderunt. In exigua cognitionis luce inſigni pietate Deum coluerunt &c. Baſilæam cum veniſſent, ſalutato Oecolampadio ſtatum Eccleſiæ ſuæ expoſuerunt, & quibus de rebus ab eo erudiri vellent indicarunt.* Inter ſuæ Religionis articulos hi recenſentur. I. Eorum miniſtri uxores non ducebant. II. Ex eleemoſynis in communi victitabant. III. Non duo tantum, ſed quatuor Sacramenta admittebant. IV. Baptiſmum reiterare ſoliti erant; quod a pſeudoreformatis in Anabaptiſtis damna-

damnatur, ut patet ex Calvino (*Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 16. §. 1., & 31.). V. Credebant ſumentes panem Cœnæ ſumere verum & naturalem, inviſibile licet, Corpus Domini: *Waldenſes panem, & vinum eſſe verum Chriſti Corpus, & Sanguinem, & Chriſtum eſſe in Sacramento cum ſuo naturali corpore, ſed per aliam exiſtentiam, quam in dextris Dei.* Ita Grotius. *Rivet. Apolog. diſcuſſ. pag.* 688. Non tamen illud adorabant, quia credebant Chriſtum non eſſe adorandum, niſi ubi viſibiliter exiſtit. VI. Confeſſionem, ut ajunt, auricularem admittebant, ac utilem eſſe fatebantur. VII. Fatebantur etiam liberum arbitrium in actis ſalutaribus, ſicut virtutem in plantis, herbis, & lapidibus, quod pſeudoreformatio, ceu Pelagianam hæreſim, deteſtatur. Videatur Georgius Rhætus in ſua Converſione *ration.* 35. Præterea aſſerebant Deum omnes prædeſtinare ad gloriam; dignitatemque Epiſcopalem, & Preſbyteralem gradus eſſe ab Apoſtolis inſtitutos, & D. Petrum ordinatum fuiſſe a Chriſto eorum caput. Non hæ paleæ, ut ſtulte aſſerunt *Molinæus*, *Stuchius*, & *Scultetus*, ſed diſcrepantiæ ſunt in fundamentalibus religionis; neque ſuaves, quinimmo ingratiſſimæ ſunt palatui pſeudoreformatorum, qui eas damnant ut abominationes Eccleſiæ Romanæ, & ut prætextus ſui ſchiſmatis. Eccleſia igitur nuper pſeudoreformata eadem erit cum illa Waldenſium? Audiantur quæ ex Sculteto ſequuntur (*Decad.* 2. *ad ann.* 1530.): *Georgius Maurelius Concionator Waldenſis, Merindolium reverſus cum libris, & litteris, & mandatis, quæ ab Eccleſia Germanorum adferebat, omnia Legationis ſuæ capita expoſuit, eiſque declaravit publice IN QUOT, ET QUANTIS ERRORIBUS VERSARENTUR, in quos veteres ipſorum miniſtri eos conjeciſſent. Populus his auditis tanto ſtudio Eccleſiæ emendandæ commotus fuit, ut ex ſociis, quos in Apulia, & Calabria habebant, natu grandiores, & uſu rerum peritiores acciverint, ut cum his de emendatione Eccleſiæ conſilium caperent.* Quibus ſic. Duæ Eccleſiæ diſcrepantes in numero, & doctrina Sacramentorum, & gratiæ, aliiſque quæſtionibus, jam habitis ut ſufficienti cauſa ſchiſmatis, nequeunt unam eandem Eccleſiam componere. Hujuſmodi ſunt Waldenſis, & nuper pſeudoreformata Eccleſia. Iſta igitur ab illa prorſus diſtat; ac propterea *in rerum natura* ante ſeculum XVI. non fuit, quo quidem improbe prodiit ex ſuperbia & flagitiis iniquiſſimorum hominum.

18. Si autem apponas, errores *Waldenſium* irrepſiſſe ex inſcitia Miniſtrorum, ac propterea errores fuiſſe inculpabiles, Eccleſiæ veritatem a *Waldenſibus* non excludentes; reponam ſtatim, errores etiam, qui per adverſarios ſenſim irrepſerant in Romanam Eccleſiam, erant juxta Calvinum intruſi vel ex inſcitia, vel malitia ejus Paſtorum; & tamen pſeudoreformati abſolute aſſerunt Eccleſiam Romanam, ſtatim ac ipſa prætenſos errores amplecti cœpit, cecidiſſe a veritate Eccleſiæ Chriſti. Ergo *Waldenſium* etiam Eccleſia, ex quo fœdari permiſit, amiſit Eccleſiæ veritatem. Quapropter ducentennis quæſo illis annis, in quibus Waldenſes, inter prærupta montium, ignorantia & erroribus laborabant, ubi erat vera Eccleſia? Non in Romana, minus in Græca, neque in Waldenſi. Eccleſia igitur Dei ante pſeudoreformationem penitus in Orbe perierat, contra notiſſimum oraculum Chriſti pluribus in locis ſui Evangelii, & contra ipſorum pſeudoreformatorum ſententiam. In hujuſmodi abſurda impingunt, iniqua & perverſa hujus gentis principia, & aſſerta.

19. Scrutemur modo, an ſaltim Eccleſia pſeudoreformata in Waldenſibus ſteterat, cum primo iſtorum Eccleſiam *Petrus Waldus* inſtituit. Waldenſes docebant ſoli Deo obtemperandum, Prælatorum autem nemini; Eccleſiaſticos debere bona non poſſidere, ſed ſuis manibus, ut Apoſtoli faciebant, laborare. Damnabant omnia

Con-

Concilia, & Conventus Eccleſiæ, ut refert Raineruis, Elandrus, Claudius Seinſellus *in Libro contra Waldenſes*; quæ certe pſeudoreformatis non placent. Præterea docebant Baptiſmum infantibus non prodeſſe; non licere quacunque ex cauſa, neque coram Judice jurare, nec quempiam morti addicere; omnes Principes, & Magiſtratus damnari; ad explendam libidinem licitam eſſe quamlibet carnalem copulam, ſive inter mares, ſive inter feminas; has poſſe Sacramenta adminiſtrare, dummodo inſtructæ eſſent; & quamplurimos alios errores, quos referunt Æneas Silvius de *Origine Bohemor. c.* 35., Eymericus *Direct. p.* 2. *q.* 14., Guido Carmelita *Summ. de hæreſ.*, Perrinus *Lib.* 3. *de Doctor. Wald.*, Prateolus, aliique. Quæſo, Picenine, ſi hodie quis iam benignas teneret ſententias, reciperes ne illum in tuam Eccleſiam Cairæ? Eccleſia Waldenſium igitur tua non eſt.

20. Ad hæc. Waldenſes in varias ſectas diviſi ſunt, ut refert Reinerus *cap.* 6., videlicet I. In *Roncaros*, qui enormiſſimum hoc proferebant, a cingulo & infra nullum peccatum committi. II. In *Sciſchindenſes*, in hoc a Waldenſibus diverſos, quod Euchariſtiam admitterent. III. In *Ortlibenſes*, qui omnes fidei articulos in ſenſu myſtico accipiebant, & Sanctiſſimam Trinitatem ante Chriſtum extitiſſe negabant, ſicut & Chriſtum fuiſſe Dei filium antequam ex Maria naſceretur. Mundum ponebant æternum. Nullam eſſe reſurrectionem. Carnalem copulam etiam inter conjuges eſſe peccatum. Hebræos in ſecta ſua ſalvari, & alias vomebant horrendas blaſphemias. IV. In *Ordibaros*, Mundum credentes æternum; Chriſtum Filium Mariæ & Joſeph, & peccatorem eſſe, negantes eum paſſum; aliaſque texentes blaſphemias, æquales, immo peiores prædictis. V. In *Catharos*, Diabolum effutientes hujus Mundi auctorem; Baptiſmum, & Sacramenta nihilum prodeſſe, nec vera eſſe Chriſti Sacramenta, ſed deceptoria; Matrimonium autem, & ejus uſum peccatum eſſe lethale, Non licere, urgente etiam neceſſitate, carnes, ova, aut caſeum manducare; aliaque adſtruentes fœdiſſima monſtra. Hi porro diviſi ſunt in *Albanenſes*, qui præter præfatos errores duo fatebantur principia, boni unum, mali alterum, aſſerentes Trinitatem unum Deum non eſſe &c. In *Contorezenſes*, errantes & ipſos circa Trinitatem, vetus Teſtamentum velut Diaboli opus rejicientes, & Chriſtum non hominem, ſed Angelum eſſe affirmantes: qui ſi habuit corpus, hoc depoſuerat, illud reſſumpturus in die Judicii. In *Bagnolenſes*, aſſerentes animas a Deo ante Mundum creatas, & peccaſſe; quod & Beatiſſima Virgo Angelus erat, & Chriſtus ab ipſa carnem non aſſumpſerat; alioſque fundamentales errores aſſerebant. Peto iterum in quo ex tot ramis Waldenſium inſita erat vera Eccleſia, tua videlicet, ante pſeudoreformationem? Attendam, ſi audeas harum alterutram amplecti.

21. Ex *Waldenſibus* propagati ſunt *Albigenſes*, tanquam ex vite palmites. In his fortaſſe fundatam eſſe tuam Eccleſiam, Picenine, inſtabis. Verum plurima licet, quæ tu, ipſi ſentirent, nonnulla tamen, quæ tum Lutheri, tum Calvini pſeudoreformatio deteſtatur dogmata, ipſi profitebantur. Cum Manichæis duo principia commentabantur; duos ſcilicet Deos, bonum unum, alterum malum; Reſurrectionem negabant; Baptiſmum rejiciebant; Animas de corpore in corpus tranſmigrare putabant; & Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini blaſphemabant, hunc aſſerentes in pane non magis, quam in ceteris rebus adeſſe. Hæc & hujuſmodi, hæreſes certe ſunt etiam apud pſeudoreformatam Eccleſiam. In Albigenſibus igitur iſta non erat. Hine repeto ubinam tum Proteſtantium Religio?

22. Præter Waldenſes, & Albigenſes, tibi *Wicleſiſtas* adoptas, quos liberaliter cederem, niſi eoſ-

ipſos inſpicerem plura tenuiſſe, quæ a pſeudoreformatis quoque tuis putæ cenſentur blaſphemiæ. Aſſerebant Deum Diabolo obedire debere; Creaturam omnem Deum eſſe; Deum non poſſe niſi quod producit producere; cuncta neceſſario evenire. Quid, quod Wicleſus reliquias eſſe venerandas fatebatur (*Tractat. de Eucha. cap. 9.*), tum etiam Sanctorum Imagines (*Lib. 18. epiſt. 45., & de Eucha. cap. 9.*), Sacramentum Confirmationis, & Miſſam admittebat (*de apoſtaſia cap. 18.*), Pœnitentiam ut Sacramentum agnoſcebat (*ad c. 1. prima ad Cor. ad cap. 5. Jacobi*), ubi aſſeruit peccata eſſe confitenda, & hujuſmodi, quæ a pſeudoreformatoribus vocantur *ſuperſtitiones Eccleſiæ Romanæ*? Eccleſia igitur pſeudoreformata neque in Wicleſo eſt. Ubinam autem illa quæſo?

23. Non equidem in *Huſſitis*, quia *Joannes Hus* eum Eccleſia Romana credebat Sanctorum merita, eorum interceſſionem, & invocationem, Imaginum cultum, Sancti Petri, & Papæ primatum (*quæſt. de credere, & de Eccleſia cap. 7.*), Indulgentias, Sacerdotum Cælibatum, Quadrageſimam, Eccleſiæ Jejunia, ſeptem Sacramenta, Miſſam, & alios articulos Romanæ fidei, a pſeudoreformatione anathematizatos. Inter Huſſitas igitur tua Eccleſia, Piceniпe, non erat. Itaque pſeudoreformatorum Eccleſia, univerſa nempe dogmatum ſumma, quæ illa tenet, in nulla ex his, quæ ab Apoſtolis uſque ad Lutherum & pſeudoreformatores exortæ ſunt ſectæ, vel religiones, agnoſci poteſt. Bene habent igitur P. Segneri, & Panigarola, aſſerentes Eccleſiam pſeudoreformatorum nunquam ante pſeudoreformationem extitiſſe, religionem eſſe prorſus novam, nudiuſtertius ortam, in omnibus & per omnia purum putum, opus Satanicum.

24. Jam prope naufragus omne bacillum ſtringis, nimirum hanc tuam Eccleſiam ante pſeudoreformatores quaquaverſum quæritans. Quamobrem pactis omnibus, quos adverſus Romam obloquutos fuiſſe deprehendis, quaſi in his agnoſcas tuæ Eccleſiæ faciem, apud illos eam ſtetiſſe niteris demonſtrare. Falleris tamen, Picenine mi; non unus color rem facit eandem. Debes oſtendere non in uno, vel alio dogmate, ſed in omnibus tuam cum alia Eccleſia cohæſiſſe, & Romanæ fidei in omnibus tuæ pſeudoreformationis articulis illam etiam opponi. Hine *Berengarius* ad rem tuam non facit, qui Romæ quidem circa articulum præſentiæ Chriſti ſeſe opoſuit, ſed in reliquis non tuam, ſed Romanam tenebat fidem, & in illo eodem articulo, in quo contendebat, pœnitentia ductus, ſupplex pacem impetravit. Neque (ut blateras) Eccleſiam certe tuam *Petrarca* propoſuit; quanquam enim, nonnullis cantionibus a te citatis, laxos mores aulæ Avenionenſis illorum temporum vellicet, nullam tamen unquam partem tecum habere voluit, qui & Catholicus fuit, & piiſſimus vir. Submurmuras de Conciliis; ſed citanda erant: alias ea merito ſuſpicamur hæreticorum tui ſimilium eſſe Conciliabula.

25. Audes *pag. 150.* ſic mentiri: *Nos habemus regia capita, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Ugonem Capetum. Hi omnes ante Calvinum oppugnarunt Papæ auctoritatem, Imaginum cultum &c., & alios Romæ errores.* Bone Deus, quæ perfidia! Carolum Magnum tam obſequioſum, & devotum Eccleſiæ Romanæ, qui, referente Eginardo in ejus vita: *Nec ille toto Regni ſui tempore quidquam duxit antiquius, quam ut Urbs Roma, ſua opera, ſuoque labore veteri polleret auctoritate*; hic ipſe Magnus Carolus exoſum habuit ſacrarum Imaginum cultum? Quam mentiaris ſuo loco oſtendam. Ludovicus Pius, qui tam impenſe coluit Romanam Eccleſiam, quod audiens eam vexatam a Lothario Filio ſuo, Legatos huic miſit, nuntiantes una cum Regno Italiæ ipſi etiam dono dediſſe tutelam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quamobrem illam, quam ab hoſtibus ipſe liberaverat, non

per-

permitteret a ſuis affligi, ut refert Aſtronomus in ejus vita? Et hic Imperator ex tuis eſt? Ugo Capetus adeo Eccleſiæ favit, ut ejus Amaſius, & Athleta promeruerit nuncupari, & Monaſticum Ordinem largiſſimis donis, & beneficiis cumulavit. Quare hi tam longe diſtarunt a ſenſibus Eccleſiæ tuæ, ut ad perpetuam ignominiam tuam a ridiculo, & infami tuo catalogo eos expungere debeas. Viventibus hiſce piiſſimis Imperatoribus, una levis umbra pſeudoreformatæ Eccleſiæ, quæ caligaſſet, ſplendore veræ catholicæ religionis, quo fulgebant, mox diſſipata evanuiſſet. Inſani porro hominis, & fanatici eſt Patrem Segneri monere, ut a noſtris Dominicanis, & Inquiſitoribus, hæreſum oppugnatoribus, poſtulet quinam fuerint novæ ſectæ proteſtantium veteres auctores; quandoquidem profligaſſe quidem Albigenſes, Wicleſiſtas, Huſſitas hi affirmabunt, & inter iſtorum conventicula animadvertiſſe varias deteſtabiles abominationes; nunquam tamen totam illam nequiſſimam dogmatum colluviem, quam Eccleſia tua una ſuſcepit; quapropter iſtius auctores agnoſci in illis neutiquam poſſunt. Uno verbo, Eccleſia pſeudoreformata ante Lutherum nunquam audita, nec viſa, & commenta tua non ſunt niſi vana deliria, a te conficta ad miſeras capiendas animas.

26. Lutherus ipſe gloriabatur ſe Archontem fuiſſe reformationis, & inter tot mendacia hanc unam veritatem incautus protulit. Non ad Waldenſes, Albigenſes, Huſſitas, Wicleſiſtas reſpexit, ſed (*Conc. ad popul. Dom. donec venerit*) ait: *Fui primus, quem Deus in hunc campum miſit. Is quoque fui, cui hæc primo revelavit, ad prædicandum vobis*. Si Lutherus hanc ſibi gloriam tribuit, cur eam illi invides? Si ille primus cui *Deus revelavit hoc Evangelium reformatum*, cur hanc laudem illi arripere ſtudes, ad exaltandos Waldenſes? Lutherus ejecit a ſua Eccleſia *Waldenſes et Huſſitas*, utroſque appellans hæreticos. Videatur *in Cap. de Suvermeris*, *in Cap. de Antichriſto*, *in Cap. de Miſſa*, ubi refert dogmata quibus *Waldenſes*, & *Huſſitæ* ab ipſo diſcrepabant. In *Colloquiis German. cap. de Sacram. Altar.* interpellatus num liceret accipere Euchariſtiam ab Huſſitis, & Waldenſibus, vel Piccardis, abſolute negavit; & quo ad Huſſitas neque permiſit cum ipſis communicare, quia pendebant ad partes Papæ, & Miſſam celebrabant. Circa Wicleſum videatur Melancton *Epiſt. ad Fridericum Moyonium, in Apol. cap. de humanis traditionibus, & in loc. commun. cap. de poteſtate Eccleſiaſtica*, ubi refert varios errores Wicleſi. Si porro iſti, qui prima capita fuere pſeudoreformationis, in ſuis Eccleſiis habere noluerunt nec Waldenſes, nec Huſſitas, qua temeritate tu, aliique tui ſimiles, intentant illos nanciſci anteſignanos, atque patronos, quos veri magiſtri, & auctores veſtri dignati non ſunt habere diſcipulos, & ſectatores? Jam, ut puto, evidenter oſtenſum, Eccleſiam tuam ante tuos pſeudoreformatores non extitiſſe; non ab ætate Apoſtolorum uſque ad IV. ſeculum, non a IV. uſque ad XII., non in Waldenſibus, Albigenſibus, nec Huſſitis. Evidentiſſime igitur conſtat Eccleſiam Proteſtantium, nunquam cognitam, immo nunquam *in rerum natura* fuiſſe ante impios pſeudoreformatores. Quocirca Patres Segneri & Panigarola appellantes eam religionem novam, noviſſimam, pro veritate locuti ſunt, cui nequit reſiſti. Ego autem Proteſtantibus dicam quod D. Auguſtinus (*Lib. 13. contra Fauſtum cap. 6.*) Manichæis: *Si ergo nec Scripturarum antiquitatis auctoritas, nec miraculorum poteſtas, nec morum ſanitas, nec rationis veritas vos aſſerit; abite confuſi, & redite confeſſi*. Si autem nec abire confuſi, nec redire confeſſi velitis; reſpondete: Vos qui Reformationem prædicatis, quid reformare veniſtis? Eccleſiam ne Romanam? Bene. At, aliam ne habetis Eccleſiam, in qua doctrinam quam ſtatuere vultis, & verbo propoſita, & uſu conſecrata fuerit? Quippe hanc

niſi

niſi oſtendatis, fide digni non eritis. Ubi igitur erat hæc Eccleſia, in qua juxta articulum ſeptimum veſtræ Auguſtanæ Confeſſionis perpetua ſervabatur veritas prædicationis verbi Dei, & recta Sacramentorum adminiſtratio? Nonnullos Doctores huc, vel illuc indicare, identidem docentes doctrinas, quas enuntiatis, quatenus etiam id concederetur, nil obtineretis; quoniam exhibere debetis integrum Eccleſiæ corpus, viſibilem aliquem cœtum, in quo Sacramenta adminiſtrarentur juxta veſtram regulam; corpus inquam compoſitum ex Paſtoribus, & plebe, & corpus viſibile. Hoc vos non oſtenditis, nec, ut probavi, oſtendere poteſtis. Quare cum D. Auguſtino repetam: *Abite confuſi, & redite conſeſſi.*

§. V.

Vetuſtas Romanæ Eccleſiæ ex ſucceſſione Epiſcoporum probatur.

27. Vetuſtatem quam novæ Eccleſiæ tuæ non vales adipiſci, vaniſſimis ratiunculis Eccleſiæ noſtræ niteris ſuffurari. Hinc cum Panigarola inferat ex perpetua ſerie Epiſcoporum, qui Eccleſiam noſtram rexerunt, hujus vetuſtatem, argumentum hoc nullius eſſe ponderis *pag.* 126. hac cantilena redarguis: *Vos gloriamini de veſtra Epiſcoporum ſucceſſione; lineam hanc extenditis ad Linos, Clementes, & Petrum. Inanis tamen eſt hæc veſtra pompa, niſi probetis Epiſcopos ipſos Romæ inhæſiſſe veſtigiis doctrinæ Lini, Clementis, Petri. Hic nodus Pater Franciſce. Non ſunt heredes Petri, quibus deeſt fides Petri. (Ambroſ. lib. p. de pœnit. cap. 6.).* Veritatem, & vetuſtatem Eccleſiæ probare, & oſtentare ex Epiſcoporum ſerie, ſi neſcias, nos docuerunt S. Irenæus, Origenes, Auguſtinus, Optatus, qui hoc argumento valide pugnabant. Succeſſionis Epiſcoporum individua ſane comes eſſe debet doctrina: idque, quo contentus ſis, brevi oſtendam, ex ipſo tuorum teſtimonio. Profecto cum probatum jam ſit veteres Eccleſias, Orientalem, & Occidentalem, una ſimul damnaſſe quidquid hodierna Roma proſcribit & damnat in Proteſtantium Eccleſiis; ſatis tibi hoc eſſe debuerat, quo plane agnoſceres hodiernos Romæ Epiſcopos, in Sede, & doctrina ſucceſſiſſe *Lino*, *Cleto*, *Petro*, ceteriſque antiquis.

28. Nolo me in ea quæſtione verſari, merito, an injuria malæ fidei Panigarolam redarguas, quaſi Calvino imponat, quæ minime dixerat. Tantum, quanti valeat, pendere placet Calvini argumentum (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 2. §. 2.) quod *invictum* pag. 127. his verbis proponis: *Si in Africa, Aſia, Ægypto vera Eccleſia non eſt, quia ibi ceſſit ſucceſſio Epiſcoporum, fas eſt, ex vi oppoſitorum, veram Eccleſiam in Græcia eſſe, ubi intacta perſeveravit laudata ſucceſſio.* Antequam hunc haſtatum Achillem aggrediar, certiorem te facere debeo, veram Eccleſiam ex perpetua Paſtorum, & Sacerdotum ſerie nos dum probamus, duo neceſſario ſupponimus; nempe veram Eccleſiam abſque Paſtoribus & Epiſcopis eſſe non poſſe, quod S. Cyprianus (*Lib.* 4. *Epiſt.* 9.) tradit: *Unde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe, et fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus non habentes, obrepunt &c.* Idque innititur regulæ a D. Paulo expreſſe traditæ: *Attendite vobis, et univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* (*Act.* 20. 28.). Quod D. Paulus dixit, ex eo quod futurum præviderat (*Act.* 20. *verſ.* 29. 30. 31.): *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoria retinentes &c.* Quamobrem Epiſcopis & Paſtoribus, quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, D. Paulus commiſit vigilare, & cuſtodire intactum depoſitum de-

Digitized by Google

doctrinæ, adverſus aggreſſores, & latrones. Propterea eo momento, quo nos legitimam Epiſcoporum ſeriem & Paſtorum probamus, ipſam etiam oſtendimus continuationem doctrinæ, cujus veritatem agnoſcimus in illa Eccleſia, quæ ſemper habuit Paſtores legitimos, quos *Spiritus Sanctus poſuit* hanc ipſam *regere*.

29. Alterum quod ſupponimus, probando veram Eccleſiam perpetuam habuiſſe ſuceſſionem Epiſcoporum, eſt non quamcunque ſuceſſionem probare veritatem Eccleſiæ, ſed illam ſolam, quæ ab Apoſtolis ex vera, & legitima ſerie uſque ad noſtra tempora deſcendit. Quandoquidem Apoſtoli primi Eccleſiæ Epiſcopi, & Sacerdotes fuerunt; a quibus alii ordinati ſunt cum poteſtate alios ordinandi ad regimen Eccleſiæ, & ſic ſuceſſive, ita quod qui ordinati fuere ab Epiſcopis illegitimæ ſucceſſionis ab Apoſtolis, nunquam habiti ſint Paſtores, ſed Lupi, & Latrones gregis Chriſti. In lege Evangelica legitimus Sacerdos, & Paſtor non eſt, qui legitima ordinatione per Apoſtolos non deſcendit a Chriſto. Quamobrem Tertullianus ſic diſſerebat (*lib. de præſcrip. adverſus hæreſ. c.* 32.): *Ceterum, ſi quæ* (hæreſes) *audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo* (bene adverte) *Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnaeorum Eccleſia, habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert, ſicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit, itidem perinde utique & cetera exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habent. Confingant tale aliquid hæretici.* Quam apte accommodatur pſeudoreformatis Tertullianicæ doctrinæ proceſſus! Veſtram religionem ætati Apoſtolorum, vos Proteſtantes, audetis interſerere. Quod ſi verum eſt; doctrina igitur Apoſtolorum ſuccedentibus Epiſcopis tradita, qui ab illis nunquam receſſerunt, uſque ad pſeudoreformatores veſtros intacta deſcendit. Edite igitur originem Eccleſiarum veſtrarum; evolvite ordinem Epiſcoporum veſtrorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut ex primo illo, qui ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, ordinatus, alii, & alii ad vos uſque pervenerint. Nos Romani Clementem a Petro ordinatum oſtendimus; & ſi Apoſtolici ſeminis traduces a Clemente uſque ad IV. Seculm noſcere avetis, Irenæum, Optatum, Auguſtinum audite. Si a Seculo IV. uſque ad præſens, omnes Hiſtoricos conſulite; ſed de hoc iterum infra. En argumenti Panigarolæ efficaciam, quam te non intelligere diſſimulas. Nunc mihi rationem redde. Ubi ſunt hi Paſtores veſtri gregem veſtrum paſcentes, qui Apoſtolici ſeminis traduces habentur? Si non in Romano catalogo, in alio ſaltim alicujus Apoſtolicæ Eccleſiæ mihi eos oſtendite. Profers *Zuinglium*, *Lutherum*, *Calvinum*, *Bezam*, *Oecolampadium*, & hujuſmodi. Hi, quem auctorem, & anteceſſorem habuerunt? A quo ordinati ſunt? Quis ante ipſos eorum regebat Eccleſias? Jam probatum, nullum habuiſſe anteceſſorem, niſi in fanatico tuo hariolante cerebro. Exhibe tamen ſi quid magni aliquid in mentem venerit. Argumentum Tertulliani affirmativum non eſt, ſed negativum. Pro nunc detur ſucceſſionem Epiſcoporum non eſſe argumentum evidens veritatis Eccleſiæ. Evidens tamen erit ad probandum veram Eccleſiam non eſſe, quæ legitima caret Epiſcoporum progenie. Tum ſic. Vera Eccleſia non eſt, quæ ab Apoſtolis per Epiſcopos ſuos traductum oſtendere neſcit Apoſtolicæ doctrinæ ſemen. Eccleſia pſeudore-

for-

formata per Paſtores ſuos traductum ab Apoſtolis horum doctrinæ ſemen oſtendere neſcit. Vera igitur Eccleſia Chriſti non eſt, ab Apoſtolis propagata. Sic differebat Tertullianus, & cum ipſo quiſque ſanæ mentis homo.

30. Nec ad hanc texendam genealogiam *Huſſitas*, *Wicleſiſtas*, *Waldenſes* in medium proferre potes, quippe quod ad tuam non pertinere Eccleſiam præcedenti §. late oſtenſum fuit. Præterquamquod iſtorum unum alteri ſucceſſiſſe, atque legitima propagatione ab Apoſtolis deſcendiſſe, nunquam probabis uſque in ſempiternum. Forte dices, pſeudoreformatores tuos hominum progenie, nec ordinatione egiſſe, quatenus nuperi Apoſtoli erant a Deo ſpecialiter miſſi. Sed ad hanc rimam te exſpectat Tertullianus (*Lib. de præſcr. adverſ. hæreſ. c.* 30.), teque & tuos ſic aggreditur: *Probent ſe novos Apoſtolos eſſe: dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum reſuſcitatum: ſic enim Apoſtolos ſolet facere; dare illis præterea virtutem eadem ſigna edendi quæ & ipſe. Volo igitur*, Pſeudoreformatorum, *& virtutes eorum proferri; niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt.* Quod optime alludit inſigni miraculo Calvini ſupra relato.

31. Occurramus tandem Calvinianæ objectioni, quam *invictam* timoratus diſcipulus reputas; eam tamen ſæpe contrivimus. Calvino veram cedo non eſſe illam Eccleſiam, in qua ſucceſſio Epiſcoporum defecit. Pari tamen benignitate faveat Calvinus cum ſuo diſcipulo Picenino & mihi cedere ſuam Eccleſiam veram non eſſe, quæ, ut probavi, hac ſucceſſione privatur. Det pariter mihi illuſtre habere veritatis ſignum Eccleſia illa, in qua perſeverat ſucceſſio, & ordo Epiſcoporum uſque ad præſens; nec porro inferat Græcas Eccleſias in veritate uſque ad hodiernum diem manere: quandoquidem non video quomodo ſervatam uſque nunc oſtendere poſſint ſucceſſionem Epiſcoporum, quam in Aſiaticis, Ægytiiſque Eccleſiis jam infectam concedit ipſe Calvinus. Ubi modo ſunt Patriarchæ Antiocheni, Alexandrini, Jeroſolymitani, qui ab Apoſtolis ſuæ ſedis originem ducere poſſint? Sit autem ex illis quiſpiam, & Patriarcha Conſtantinopoli hodie ſedeat, aliique habeantur; nec propterea illorum ſucceſſio legitima eſt. Atque hic tua valeat, & Calvini doctrina; non eſſe nimirum legitimum ſucceſſorem Apoſtolorum, nec Epiſcoporum, qui ab eorum doctrina aperte recedit. Græci Epiſcopi alieni ſunt a doctrina Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui eos præceſſerunt; non itaque ſunt eorum ſucceſſores legitimi. Græca Eccleſia nobis, & vobis hæretica eſt. Nobis, quia negat quod nos fatemur, Primatum ſcilicet Romani Epiſcopi, proceſſionem Spiritus Sancti a Filio, alioſque adoptat errores a nobis, & a majoribus ſuis proſcriptos, qui Apoſtolicæ doctrinæ traduces erant. Vobis etiam hæretici ſunt, quia plura ipſi profitentur, quæ vos negatis. Veneratio, & cultus Sanctorum, & Imaginum, Miſſa, Jejunia, Quadrageſima, auricularis Confeſſio, aliaque dogmata ſunt ipſis religioſa, vobis exoſa; quamobrem neque veſtrum ſententia dici poſſunt a majoribus ſuis legitime deſcendiſſe.

32. In rem præſentem affabre cadit Tertulliani ſententia, a te Picenine citata. Africanum iſtud nobile monſtrum, probato jam Eccleſias Apoſtolicas oſtendi ex legitima Epiſcoporum origine uſque ad Apoſtolos, hæreticos alloquens (*Lib. de præſcript. adv. hæreſ. cap.* 32.) ſic eos agreditur: *Confingant tale aliquid hæretici... Sed etſi confinxerint, nihil promovebunt.* Cur? *Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diverſitate, & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicuius auctoris eſſe, neque Apoſtolici;*

quia

quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent, ita et Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent , niſi illi qui ab Apoſtolis deſciverunt, et aliter prædicaverunt . Sic Lutheranis , & Calviniſtis pariter dicam, tunc poſt editum catalogum Epiſcoporum Romæ a S. Petro uſque ad Benedictum XIV. Confingant tale aliquid & ipſi. Sed etſi confinxerint, & ab Apoſtolis uſque nunc ſomniatam quandam ſucceſſionem duxerint, nihil promovebunt ; ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolis comparata, & cum Apoſtolicis viris, ex diverſitate, & contrarietate ſua ſe prodet, nec Apoſtolos, nec virum Apoſtolicum auctorem habere, quoniam ſicut Apoſtoli nunquam contraria docuiſſent, ſic nullus pariter Apoſtolicus vir, ſed illi ſolum qui ab Apoſtolis deſciverunt, quales ſunt Lutherus, & Calvinus. Audi Picenine qua ratione tecum agam. Si argumentum ex ſucceſſione rejicias, cum in tua Eccleſia tale aliquid non habes, & confugias potius ad argumentum ex doctrina ſumptum, quidquam, mihi crede, neque ex hoc promovebis. Apoſtoli contraria non docuiſſent. Lutherus igitur & Calvinus contraria docentes, tanta diverſitate, qua alter alterum hæreticum habeat, ut oſtenſum eſt, Apoſtoli non ſunt, nec doctrinam profitentur Apoſtolorum. Ad hæc. Viri Apoſtolici nec doctrinam doctrinæ Apoſtolorum contrariam docerent, nec ea dogmata ſibi adoptarent, quæ proſcripta fuerunt vel ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris ab Apoſtolis edoctis. Vos Proteſtantes doctrinam aſſumitis doctrinæ Apoſtolorum contrariam, & alienam a viris Apoſtolicis, ab Irenæis, Tertullianis, Cyprianis, Auguſtinis, & vera dogmata creditis, quæ ab iſtis ut falſa, & erronea damnata fuerunt. Non itaque vos Apoſtoli, nec Apoſtolicæ, ſed apoſtaticæ ſunt Eccleſiæ veſtræ.

33. Tertullianum porro attentius legere debueras, quo recte illum caperes (*Lib. de præſcrip. cap.* 32.), ubi non de ſe leve & inane judicat argumentum ſumtum ex ſucceſſione, ſed dumtaxat probat duplici ratione hæreticos poſſe conſtringi; nimirum & ſucceſſione, & doctrina. Eccleſiæ illæ quæ ab Apoſtolis deſcendunt, utpote ab iiſdem erectæ, & quæ ſeriem ſuorum Epiſcoporum uſque ad Apoſtolos repetere poſſunt, validum habent ex ſucceſſione contra ipſos argumentum. Illæ autem quæ recentiores ſunt, quæque ſeriem ſuam deducere nequeunt vel ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, doctrina pugnare poſſunt: *Ad hanc itaque formam* (doctrinæ) *provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, ut multo poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur; tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreſes* (attende) *ad utramque formam a noſtris Eccleſiis provocatæ, probent ſe quaqua putant Apoſtolicas*. Et ſcire ſi cupias quomodo Tertullianus convenientiam probat, vel deformitatem doctrinæ, ipſum audi *c.*33.: *Adhibeo ſuper hæc ipſarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc ſub Apoſtolis fuerunt, ab iiſdem Apoſtolis et demonſtratæ, et dejeratæ*. Ad hanc duplicem formam nos probamus ſolam eſſe Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, nimirum ex non interpolata ſucceſſione Sacerdotum a S. Petro uſque ad præſentem Epiſcopum, & ex conformitate doctrinæ cum illa Apoſtolorum. E contra pſeudoreformatores neque ex progenie Paſtorum ab Apoſtolis, vel a viris Apoſtolicis Eccleſias ſuas Apoſtolicas probare queunt, neque minus ex affinitate doctrinæ, cum probatum jam ſit tot eſſe eorum dogmata, quot hæreſes, damnatæ jam vel ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris. Quid ergo prætenditis? Lege diligentius Tertullianum citato loco cap. 33. & 34., & agnoſces, damnando hæreticos ſuæ ætatis, hodiernæ ætatis pſeudoreformatos ſimul damnaſſe, & me docuiſſe, quod jam implevi, ad vos convincendos, comparare do-

ctrinam Apoſtolorum,& Apoſtolicorum hominum cum illa hæreticorum. Confer etiam EccleſiamGræcam ſchiſmaticam, & dogmata quæ nunc tenet, cum illis quę jam docueruntApoſtoli,& profeſſi ſunt Apoſtolici viri Eccleſiæ ſuæ, Irenæi videlicet, Athanaſii, Baſilii, & comperies nec ſucceſſionis, nec uniformitatis doctrinæ poſſe amplius gloriari.

34. Hinc arbitror jam loquacitati tuæ modum impoſuiſſe, qui garris *pag.* 127. *Antiqui Patres proferebant ſucceſſionem Epiſcoporum, unitam tamen proceſſui doctrinæ.* Quamobrem reſpondeo: Quis negat? Sed tum etiam ex ſucceſſione Epiſcoporum procedebant ad demonſtrandam doctrinæ affinitatem, hac ratione: Eccleſiæ illæ, quæ ab Apoſtolis fundatæ, & edoctæ fuerunt, horum doctrinam in perenni ſucceſſione ſuorum Epiſcoporum perpetuo ſervarunt; hæc igitur eſt vera doctrina, quam Apoſtoli tradiderunt: cum impoſſibile ſit doctrinam ab Apoſtolis ad nos uſque per tot eorum ſucceſſores transfuſam, non eſſe Apoſtolicam. Hæc erat S. Irenæi mens (*Lib.* 3. *adverſ. hæreſ. cap.* 3.). Ex traditione probabat veritatem doctrinæ, inquiens: *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto Mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, qui vera velint videre; et habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, et ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.* His nempe indicare volebat S. Irenæus, illos qui legitima ſucceſſione ab Apoſtolis deſcenderunt, talia nunquam docuiſſe quæ iſti delirant, & propterea horum doctrinam non eſſe Apoſtolicam; quæ eadem ratio eſt qua nimirum nos pſeudoreformatos urgemus. Hincque oſtenſa ſucceſſione Epiſcoporum Romæ a S. Petro uſque ad Eleutherium, concludit Irenæus veram eſſe doctrinam ad nos uſque traductam: *Hac ordinatione, et ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, et veritatis præconatio, pervenit uſque ad nos. Et eſt* (bene nota) *pleniſſima hæc oſtenſio, unam et eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, et tradita in veritate.* Ejuſdem Irenæi textus, a te quanquam ſumma malitia relatus, rem tamen tuam non promovet, immo dicta confirmat; integriori tamen fide illum afferre debueras. Ait itaque (*Lib.* 4. *adverſ. hæreſ. cap.* 43. *ſeu* 26. §. 2.): *Quapropter eis qui in Eccleſia ſunt Preſbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis ſicut oſtendimus; qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris, acceperunt. Reliquos vero qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, & quocunque loco colligunt, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes; aut rurſus ut hypocritas, quæſtus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate.* Hæc Irenæus. Obediendum igitur illis Epiſcopis, qui cum ſucceſſione ab Apoſtolis chariſma habent veritatis, & ſuſpecti habendi ſunt, quaſi hæretici, & malæ ſententiæ illi, qui abſiſtunt ab hac ſucceſſione. Tum ſic. Romani Epiſcopi ſucceſſionem habent Apoſtolorum, & conſequenter chariſma veritatis. Pſeudoreformatores longe abſunt ab hac ſucceſſione. Illis igitur obediendum, non iſtis, quos ſuſpectos, quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, habere debeo. Hæc colligo ex hoc perantiquo Patre. Sane poſt ſubdit: „ Fas eſt ſequi eos „ qui, ut antea diximus, cuſtodiunt „ doctrinam„. Verum hic etiam mendoſe, & fraudulenter carpis textum Irenæi; quandoquidem ibi ſermonem habuerat aliquorum, qui a plurimis quidem creduntur Paſtores, ſed ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti: & hos ſubdit cavendos, & illos ſequi monet qui Apoſtolicam doctrinam cuſtodiunt cum ordine Preſbyterii: *Sermonem ſanum, et converſationem ſine offenſa præſtant ad confirmationem, & cor-*

correptionem reliquorum. Inde ſubdit: *Tales Preſbyteros nutrit Eccleſia*. Profecto Proteſtantium quidam non habent Epiſcopos, qui oſtendere poſſint ſucceſſionem Apoſtolorum, ut Calviniſtæ. Quidam Epiſcopos habent, qui aliquam ſucceſſionem oſtentant, & tales ſe exhibent plurimis, quales tamen revera non ſunt. Angliæ proponuntur Epiſcopi, qui licet antiquis in ordine videantur ſuccedere, tales tamen non ſunt, quia ſuam ducunt originem vel a quodam Joanne Scorio, vel a Matthæo Parkero, qui obrepſerunt nova, & illegitima ordinatione, & abſque Eccleſiæ auctoritate: *Ab omnibus talibus abſiſtere oportet*, ſubdit Irenæus. Videatur P. Maſsuet (*diſſert. in Iren. ar. iv.*). Denique concludit S. Irenæus: *Ubi igitur charismata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio, et id quod eſt ſanum, et irreprobabile converſationis, et inadulteratum, et incorruptibile ſermonis conſtat*. Immorari paululum plus oportuit in verbis hujus Sancti Patris, cum id flagitet præſens quæſtio.

35. D. Gregorii Nazianzeni textum a te relatum de perſona Athanaſii Orat. 21., nempe: *Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejuſdem quoque throni ſocius eſt; qui autem contrariam ſententiam tuetur, adverſarius quoque in throno cenſeri debet*, tantum abeſt quod officiat meæ cauſæ, quin potius uſque dicta confirmat, videlicet: Qui throno inſidet Apoſtolorum, inde ab eorum diſſidet doctrina, contraria docens, quanquam Apoſtolorum ſucceſſor videatur, talis tamen non eſt, ſed fur, ac latro; & ſedere licet videatur in eodem throno, revera tamen non ſedet, quia invadit alienum, cum de eo dici nequeat: *Tales Preſbyteros nutrit Eccleſia*. Intentum Nazianzeni erat probare Gregorium ab Arianis vi intruſum, & contra omne jus in Alexandrinam ſedem, gloriari non poſſe S. Marci ſucceſſorem ſe eſſe, ſed ſolum Athanaſium; quandoquidem non ſufficit eandem ſedem tenere, ſi eadem doctrina non retineatur: *Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejuſdem quoque throni ſocius eſt; qui autem contrariam ſententiam tuetur, adverſarius quoque in throno cenſeri debet, atque hæc quidem nomen, illa vero rem ipſam, & veritatem habet ſucceſſionis. Neque enim qui per vim irrupit ſucceſſor habendus eſt, ſed qui vim perpeſſus eſt: nec qui leges violavit, ſed qui modo legibus conſentaneo electus eſt. Nec qui contraria dogmata tenet, ſed qui eadem fide præditus eſt; niſi quis fortaſſe ita ſucceſſorem dicat, quemadmodum morbum ſanitati, & tenebras luci, et tempeſtatem tranquillitati, et mentis alienationem prudentiæ ſuccedere dicimus*. Nunc Picenine tu cum tuis redde rationem Nazianzeno, quomodo tui uſurpatas Eccleſias invaſerint, exactis Epiſcopis, qui eas legitime tenebant. Legitima ne electione ingreſſi ſunt, eandem doctrinæ dotem exhibentes; an potius vi irruperunt, ut Gregorius in Alexandrinam Cathedram, violato omni jure, abſque electione, exactis Athanaſiis, qui legitime ſedebant; contrariis etiam depravantes doctrinis? Quod cum ita ſit, ut heu nimium conſtat, Angliæ, Genevæ, Germaniæ, Hollandiæ, & in omnibus Eccleſiis quas ipſi latrocinio invaſerunt, nomen quidem oſtentant, non rem ipſam tamen, nec veritatem habent ſucceſſionis; quam ſi adhuc affectent, cum Nazianzeno aſſeram, quemadmodum morbum ſanitati, tenebras luci, tempeſtatem tranquillitati, & mentis alienationem prudentiæ, ita eos Apoſtolis ſucceſſiſſe. E contra vero Romani Epiſcopi, aliique Catholici, legitima ordinatione vocati, & non intruſi, quorum eadem doctrina fidei ejuſdem quoque throni ſocia eſt (ut oſtenſum fuit, & infra latius oſtendetur), ſua ſucceſſione argumentum habent validiſſimum, quo oſtendant ſe veros Paſtores, quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*. Hæc ex Nazianzeno infero.

36. Quapropter fieri non poteſt

in Apoſtolica Cathedra veram haberi ſucceſſionem abſque veritate doctrinæ; unde inſanis utique Picenine, clamans: *O quam incerta, & fallax eſt Epiſcoporum ſucceſſio! Caiphas ſucceſſor fuit Aaron, & tamen Eccleſia Judaica hunc habens Pontificem, Synagoga erat Satanæ. Hoc Calvini argumentum eſt invictum; quod Panigarola nec aggredi auſus eſt.* Argumentum hoc eſt Calvini, & Picenini ſane proprium, nimirum erroneum, & ſophiſticum. Tam ignarus Calvinus tuus, quod neſciret Aaronicam ſucceſſionem ceſſaturam in adventu Chriſti? Ætate Caiphæ Chriſtus jam advenerat. Nullus igitur tum futurus erat legitimus Sacerdos, nec vera Synagoga, quæ ipſi obediret. Eccleſia autem Chriſti, & ſucceſſio Sacerdotum perſeverare debet uſque ad conſummationem ſeculi, juxta oraculum Chriſti. Rectiſſime igitur procedimus, ex ſucceſſione Sacerdotum probantes veritatem Eccleſiæ. Immo ſic diſſero. Succeſſio Sacerdotnm ab Aaron uſque ad Caipham, in quo Synagoga ceſſavit, validum præſtabat argumentum veritati Eccleſiæ Iſraeliticæ. Succeſſio igitur Sacerdotum a Petro, & ab Apoſtolis, validum præſtat argumentum veritati Eccleſiæ Chriſti. Quid, quod Caiphas illegitimus erat ſucceſſor Aaron? Quia, ut notat D. Hieronymus (*in cap. 26. Matth.*), *Moyſes Deo jubente praeceperat, ut Pontifices Patribus ſuccederent, & generationis in Sacerdotibus ſeries texeretur. Refert Joſephus, iſtum Caipham unius tantum anni Pontificatum ab Herode pretio redemiſſe. Non ergo mirum eſt, ſi nequam Pontifex inique judicet.* Rurſus. Quis Calvino revelavit Caipham non fuiſſe verum Pontificem? Evangelium verum illum agnoſcit: *Cum eſſet Pontifex anni illius.* Quanquam ſceleſtiſſimus, donum habuit prophetiæ: *Prophetavit.* Quis definivit Judaicam Eccleſiam eo tum Synagogam fuiſſe Satanæ? Chriſtus itaque, qui ei obedire injunxit, & legem implevit Circumciſionis, & Paſchatis, veram probavit Synagogam Satanæ? Synagoga extingui debuit in Morte Chriſti, cum dixit *conſummatum eſt.* Synagoga igitur ætate Chriſti vera erat Eccleſia, licet pleriqne ejus profeſſores ſceleſtiſſimi eſſent. Hoc gladio ex utraque parte acuto, quaqua ex parte feriatur, Calvini *invictus Achilles* proſternitur.

37. Æſtiva tamen Picenine cicada, querulo cantu arbuſta rumpis; unde *pag.* 128. iterum garris: *Paulus Samoſatenus hæreſiarcha fuit, Antiochena Cathedra Apoſtolorum ſucceſſor. Neſtorius, & Macedonius Sancto Andreæ in Conſtantinopolitana Sede ſuffecti fuerunt: perniciciſſimam tamen docebant doctrinam. Ad hæc. Ubi tua Eccleſia erat, graſſante Schiſmate tuorum Pontificum? Audivi unum Papam Romæ, Avenione alium, alterum in quadam Italiæ Urbe vos habuiſſe. Ubi tum Eccleſia tua, quæ gloriatur de viſibili capite? Ubi ſucceſſio a Lino, Clemente, & Petro?* Paulus Samoſatenus ſucceſſor fuit Apoſtolorum. Quoniam vero a præclariſſimo illorum doctrinæ genere deſecit, propterea a catalogo, loco, & dignitate Apoſtolicæ ſucceſſionis dejectus, inter illos non amplius meruit cooptari. Idem dicendum de Neſtorio, & Macedonio, qui eadem cauſa honore ſucceſſionis, & Epiſcopatus privati, illis non adſtipulantur; primus quippe a Cæleſtino I. in Concilio Romano, & Epheſino; alter, utpote intruſus in Conſtantinopolitanam Cathedram, turpiſſime hinc exactus fuit. Quamobrem hæc & ſimilia exempla rationi factæ non opponuntur, quæ veros Paſtores, & legitimam ſucceſſionem eorum reſpicit, quos Eccleſia aſſumpſit, & nunquam reprobavit. Etenim peto: Si probaturus perpetuitatem Regni Galliarum, id facerem ex ſucceſſiva ſerie ſuorum Regum, nonne recte procederem? Nec officeret inter veros Reges forte obrepſiſſe Tyrannum quempiam, perinde exactum; hic quippe inter legitimos Reges collocandus non eſſet. Idem de re noſtra. Ex quibus ſic arguo. Vera Eccleſia illa eſt, in qua cum ſucceſſione Epiſ-

copo-

coporum perſeveravit integritas, & ſinceritas doctrinæ; quatenus ejus Epiſcoporum nemo unquam palam docuit, aut profeſſus eſt pravam doctrinam, & hæreticam. Talis ſemper fuit ſola Romana Eccleſia; quandoquidem Eccleſia Conſtantinopolitana violata fuit a plurimis hæreticis Epiſcopis, Macedonio, Neſtorio, Antimo, Acacio, Sergio, Petro, Paulo, aliiſque; Antiochena a Paulo Samoſateno, Eulalio, Euzojo, Joanne, Petro, Gnapheo, Macario &c.; Alexandrina a Georgio Cappadociæ, Sergio, Lucio, Dioſcoro, Timotheo; & Jeroſolymitana a Joanne Origeniſta, Saluſtio, Arſenio, Hilario &c., qui hæretici fuere omnes. In ſola Eccleſia Romana, qui Cathedram Petri tenuit, ejuſdem doctrinæ Petri ſucceſſionem comitem habuit; neque indicabitur quiſquam ex ſuis Epiſcopis notorie hæreticus. Sola hæc igitur fuit vera Eccleſia: ſecus vel concedatis oportet, Eccleſiam omnino deperiiſſe, & portas Inferi adverſus eam prævaluiſſe, contra oraculum Chriſti (*Matt.* 16. 18.): *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, & Chriſtum promiſſioni factæ non ſtetiſſe (*Matt.* 28. 20.): *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*; vel indicetis ubi illa ſteterit. Non in Oriente, quia deficientibus quatuor illis Patriarchalibus, ceteræ Eccleſiæ illarum obedientiæ defecerunt. Ubinam gentium igitur Eccleſia duravit, ſi in Romana Sede non ſtetit? Aſſerere in Waldenſibus ſtetiſſe, inter quos latentem, & profugam nactus eſt Evangeliſta Lutherus, fabula eſt. Etenim ubi apud illos Paſtorum, & doctrinæ ſucceſſio perpetua, ab Apoſtolis uſque in præſens? Schiſmata exorta in Eccleſia Romana, violarunt quidem pro illo tunc unitatem, nunquam vero ſucceſſionem, & veritatem. Ubi vero ingruente ſchiſmate eſſet Eccleſia Romana, abſque viſibili, & legitimo capite, tum dicam, cum mihi dixeris ubi ſit Regnum, eo cum nullus eſt Rex, & ſchiſmata propterea in Regno & bella ardent. Quamobrem ſicut Regnum ſemper idem eſt, etiamſi interdum nullus ſit Rex legitimus, ſic Eccleſia ſemper eadem eſt, etiamſi interdum viduata ſit ſuo viſibili legitimo Sponſo. Verum de his infra.

38. Nec valet quod pag. 128. ſubdis: *Longa tua ſeries nil facit, niſi oſtendas tuum Papam intactam ſervaſſe doctrinam D. Petri.* Primo quippe cum jam probaverim Proteſtantium doctrinam oppoſitam eſſe doctrinæ ab Apoſtolicis viris receptæ, ſatis oſtendi Pontificum Romæ doctrinam eandem eſſe ac illam D. Petri. Secundo infra directe oſtendam hodiernam doctrinam Romæ illam vetuſtam eſſe, quam profeſſi ſunt viri Apoſtolis coævi. Poſtremo, probata legitima ſucceſſione Epiſcoporum, illorum nempe quos agnovit & recepit Eccleſia, oſtendo eos integram, eandemque ſervaſſe doctrinam ab Apoſtolis traditam Linis, Clementibus &c. Una ferme res eſt intime conjuncta, ſucceſſio legitima, & identitas Apoſtolicæ doctrinæ, ut una alternatim aliam inferat; & idem eſt dicere: legitimi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, habent igitur eandem doctrinam Apoſtolorum; ac dicere: eandem tenent Apoſtolorum doctrinam, ergo ſunt legitimi Apoſtolorum ſucceſſores; quoniam ſi oppoſitam quis auſus eſſet docere doctrinam, ſucceſſor Apoſtolorum habitus non eſſet. Patres tamen argumento ſucceſſionis probarunt perpetuam identitatem doctrinæ, tanquam ex magis noto ad minus notum procedentes: quemadmodum generis nobilitas paſſim probatur ex genealogia illorum, qui a mechanicis artibus ſe abſtinuerunt.

39. Papæ autem in catalogo deſcripti, ſi legitimi ſucceſſores D. Petri, & Apoſtolorum non fuerint in doctrina, ſicut erant in Cathedra; profer quæſo Picenine quando eorum quiſpiam ab Apoſtolica doctrina errare cœperit. Profer Concilium, in quo quis fuerit legitime damnatus, vel a legitimo judice de cauſa hæ-

reſis

reſis judicatus; & perinde Romana Eccleſia ſecum in errore conſenſerit. Exhibe documenta, ſed certa, quæque plane ſuadeant. Quod ſi nec tempus oſtendere valeas, nec perſonam, quæ Romanam Eccleſiam in errorem traxerit, ſimul cum ceteris Apoſtolicam doctrinam ſequentibus, ne doleas ſi merito te impoſtorem appellem. Et revera, quis auſus unquam fuit Papis inceſſere de profanata vetuſtate doctrinæ, niſi pauci quidam miſeri deſertores a Conciliis damnati, & ultimis hiſce temporibus Lutherani, & Calviniſtæ? Verum hi actores; ego autem judices quæro legitimos. In Eccleſia Romana perſeveraſſe Apoſtolorum doctrinam ſeculo ſecundo, Irenæi teſtimonio id aſſero (*Lib. 3. adverſ. hæreſ. cap. 3.*), qui propterea vult omnes Eccleſias illi adhærere, *in qua ſemper ..... conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. Tertio ſeculo teſtimonio Tertulliani (*de præſcript. cap. 36.*): *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt*. Quarto, & quinto, Optati, & Auguſtini; quibus addo D. Hieronymum, qui Teophilo ſcribens (*Epiſt. 62. nunc 58.*) ait: *Scito nobis nihil eſſe antiquius, quam Chriſti jura ſervare, nec Patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cujus ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur*. Per ſubſequentia ſecula, agnoverunt intactam cum ſucceſſione ejus doctrinam omnes Patres, Concilia, & Doctores; qui, & ſemper, eam unitatis centrum venerati ſunt, a quo nemo verus catholicus ſeparari poteſt. Hinc ipſi Baſileenſis Concilii Patres, quanquam aperto ſchiſmate adverſarentur Eugenio IV., nihilominus teſtati ſunt: *Nec poſſumus a Romana Eccleſia ſeparari, dum univerſalis Eccleſia retinemus unitatem, in qua tam ipſa Romana Eccleſia, quam alia ſingula Eccleſia includuntur*. Quando igitur a doctrinæ ſinceritate receſſit, & a doctrinæ veritate defecit? Quando cum ſuis Papis ſe adulterio fœdavit? Hoc vulgare, & tritum in tabernis Proteſtantium, ad ſeducendas animas, cur non probatur? Audio S. Hieronymum (*Lib. 3. adverſ. Rufinum*): *Scito Romanam fidem, Apoſtolica voce laudatam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annuntiaret, quam ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari*. Si D. Hieronymus falſum narravit, cur non evincitur? Audio Concilium Tridentinum, aſſerens: *Sancta Romana, & univerſalis Eccleſia, a Chriſto Domino & ejus Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, & docuit*. Si hoc non verum, cur non oſtenditur; non tamen gerris, & technis? Quis primus ex Papis ipſam hac prærogativa privavit, & pro iſtiuſmodi flagitio ab Eccleſia proſcriptus fuit? Hoc ex te enixe poſco. Quod ſi (quod nunquam admittam) noſtri Papæ damnati fuiſſent de violata integritate doctrinæ, ipſis ne forte Proteſtantes, eorumque Paſtores ſubſtituendi eſſent? Quis eos ad hoc munus aſſumpſit? Qua auctoritate Eccleſiæ regimen ſuſceperunt? Qua legitima poteſtate ordinati fuerunt? Non audiunt S. Paulum eos redarguentem (*ad Heb. 5. 4.*): *Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron?* Quis Epiſcopum, ſive Paſtorem Witembergæ Lutherum inſtituit? Quis Baſileæ Oecolampadium? Quis Genevæ Calvinum? Profecto Concilii Nicæni I. canon eſt, imo ipſorum Apoſtolorum, Epiſcopum a tribus Epiſcopis ordinandum. Quis porro hos ordinavit? Oecolampadius ſuo Sepulcro hanc Epigraphem poſuit: *Joannes Oecolampadius .... auctor Evangelica doctrina in hac Urbe primus, & Templi hujus verus Epiſcopus*. Si Evangelicæ doctrinæ *Primus* auctor, ubi ſucceſſio doctrinæ? Si verus Epiſcopus illius Templi, ubi ſuæ ordinationis formatæ litteræ ex Epiſcopis veterum ſucceſſoribus? Si pſeudoreformatorum Eccleſia in doctrina ſuccedit Apoſtolis, nunquam ferre debuerant hæc apponi ejus monumento ver-

verba: *Auctor Evangelii, & doctrina primus*; his quippe fatentur non antiquam, ſed noviſſimam habere Eccleſiam.

40. Epiſcoporum ſucceſſio apud iſtos velut inane argumentum rejicitur, quia novam penitus, & ab ipſis confictam habent Eccleſiam. Seipſos elegerunt Epiſcopos, veris, & legitimis exactis, ſub vaniſſima ſpeciæ prædicationis puri Evangelii. De ipſis locutus eſt D. Cyprianus (*Lib. de ſimplicit. Prælat.*): *Hi ſunt qui ſe ultro apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordininationis lege conſtituunt, qui, nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt &c.*. Nunc capio cur clament adverſus argumentum ſucceſſionis Epiſcoporum. Hac poſita, actum eſt de ipſis, & Eccleſiis ſuis. Veruntamen ajo: Si ex vobis ipſis Paſtores; veri Paſtores non eſtis. Hoc D. Cypriani argumentum contra Novatianum (*Lib. 1. Epiſt. 6. ad Magnum*): *Novatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, a ſeipſo ordinatus eſt ... aut Paſtor haberi quomodo poteſt, qui, manente vero Paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & a ſeipſo incipiens, alienus fit, & profanus &c.* Hanc Cypriani ſententiam pſeudoreformati attendant, & quatenus ipſis debetur accipiant.

41. Reliquum nunc, quod tibi Picenine debeo, ſolvam. *In Eccleſia Romana fuerunt ſchiſmata.* Sic clamitas. Quid inde? Tum etiam in veteri lege Core & Abiron cathedram erexerunt contra Moyſen, & Aaron; Jaſon, & Menelaus ſchiſma fecerunt adverſus Oniam: nec propterea legitima Sacerdotum ſeries corruit. Novatianus contra Cornelium, Felix contra Liberium, Urſicinus contra Damaſum ſchiſma excitarunt; nec propterea Sacerdotalis linea intercepta fuit. *In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis.* Hæc Auguſtinus *Epiſt.* 165. nunc 53., poſt contextam Romanorum Pontificum ſeriem uſque ad ſua tempora. Antiqua ſchiſmata legitimam ſucceſſionem non macularunt, cur porro id poſteriora fecerunt? Schiſma fieri poteſt habita jam Electione, & Electi pacifica poſſeſſione, & acceptatione legitima, quale fuit ſchiſma Novatiani in Cornelium, Felicis in Liberium, & poſt Baſileenſe Concilium Felicis in Eugenium IV. Tale Schiſma non lædit Electi poteſtatem, & poſſeſſionem. Fieri etiam poteſt imminente Electione, in qua diſcrepantibus Eligentium votibus, his inde diſciſſæ partes, & factiones, ſingulæ ſingulum ſibi eligunt Epiſcopum. Id intelligis, dum ais: *Audivi vos habuiſſe Papam unum Romæ, Avenione alterum &c.* Quo caſu nemo ex electis Papis certus eſt ſucceſſor Petri. Si petis: *Ubi tum Eccleſia tua?* Peto ex te: Ubi Poloniæ Regnum, cum Electorum diſſidio, vel plures eliguntur Reges, vel diu differtur electio? Si electio plurium Regum legitimam Regum in Regno ſucceſſionem non lædit; cur plurium Pontificum electio legitimam eorum in Eccleſia ſucceſſionem intercipit? Quemadmodum re dubia nemo certus Rex habetur, & Regum catalogo tum quis adſcribitur, cum vere Rex deſignatus eſt, & acclamatus; ſic ingruente ſchiſmate nemo certus Papa, nec ſucceſſioni admittitur, niſi cum ab Eccleſia verus Papa declaratur, ſive uni ex electis adhærendo, ſive alterum eligendo, ut Conſtantienſi Concilio actum fuit: *Si qua ex ipſa Romana Sede orta ſunt Schiſmata, ea orta ſunt ex electionibus controverſis: quod ubi evenit, Imperatoris, & Regum eſt curare, ut coeat Concilium univerſale, & ei permittere, ut aut de jure electionem judicet, aut novam electionem*

con-

conſtituat. Grotii verba ſunt (*in Animadverſ. Riveti ad art. 7.*); quo tempore Eccleſia caret viſibili capite, ſicut iſto caret illo ſpatio temporis, medio inter Papæ mortem, & alterius electionem.

42. *Pag.* 128. ſuccenſes P. Panigarolæ, qui de Epiſcoporum ſucceſſione tractans, ſubdit: *Non per totas Diœceſes eam ſcrutati ſunt, ut Calvinus facit, ſed Roma eam invenire ſatis ipſis fuit &c., ut fecere Auguſtinus, Tertullianus, quanquam Africani.* Non inficiamur veteres Patres, ad expugnandos efficacius ſuorum temporum hæreticos, & ſucceſſionis Epiſcoporum argumento eos convincendos quam longe a vera Eccleſia, & ſincera doctrina abirent, inveſtigaſſe quidem ſucceſſionem tum ab Eccleſia Romana, tum ab aliis Apoſtolicis Eccleſiis, oſtendentes omnes Epiſcopos ſucceſſores Apoſtolorum, ſive Romæ, ſive alibi, oppoſita docuiſſe his, quæ ab hæreticis edocentur; quo conſtaret, eorum doctrinam aberrare ab illa Apoſtolorum. Nihilo tamen minus inficiari nequis nonnullos Patrum una una ſucceſſione Romana contentos fuiſſe; & ſi aliarum Eccleſiarum ſucceſſionem recenſebant, eorum tamen ratio tota innitebatur ſucceſſioni Pontificum Romæ, quam ſemper auctam laude ſuper alias extollunt. S. Irenæus (*Lib. 3. adverſ. hæreſ. cap. 3.*) a te neglectus, Lugdunenſis licet Epiſcopus, prætermittit aliarum Eccleſiarum catalogum, & in una ſiſtit Romanorum Pontificum ſerie; & traditione delata per iſtorum ſucceſſionem ad Eccleſiam, de falſitate doctrinæ hæreticos convincere intendit. Audi Picenine, & erubeſce in his quæ S. Irenæus ſecundo ſeculo ſcribebat: *Sed quoniam valde longum eſſet in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maxima, & antiquiſſima, & omnibus cognita, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata, & conſtituta Eccleſia, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Præſtantius ne poterat S. Irenæus præeminentiam, & magiſterium Romanæ Eccleſiæ ſuper alias extollere?

43. Tertullianus, a te laudatus (*Lib. de præſcript. adverſ. hæret. cap. 36.*), recenſet aliarum Eccleſiarum ſucceſſionem, quo latius argumentum pateat, ſed non illas pares facit Romanæ Eccleſiæ, ut tu falſo ipſi imponis. De hac enim loquitur cum aliqua excellentia, & prærogativa ſuper alias: *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt.* Tu hæc verba vertis *pag.* 129. *Habes Romam, unde habemus quoque promptam unam auctoritatem.* Verum hac tua verſione falleris, & alios fallere ſtudes. Tertullianus non intendit habere ab Eccleſia Romana *unam auctoritatem*, ſive *unum argumentum*, ad probandum illius Eccleſiæ ſucceſſionem, ſicut & ceterarum; ſed intendit proponere auctoritatem, præeminentiam videlicet ejus doctrinæ, & magiſterii ſuper alias. Audi quid ſequatur, a te ſubdole diſſimulatum: *Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes, poſtquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit.* Hæc Tertullianus dicit de Romana Eccleſia.

44. D. Auguſtinus in prælaudata *Epiſt.* 165., contexto catalogo Epiſcoporum Romæ a Petro uſque ad Ana-

Anaſtaſium, ex eo probat Donatiſtas in Eccleſia non eſſe, quia nemo ipſorum proferre poterat ſeriem æqualem ſucceſſioni Epiſcoporum Romæ; atque ex ipſis nemo unquam in hanc Romanam adoptatus fuerat: *In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus reperitur.* Si par ratio igitur erat de quacunque Apoſtolicæ Eccleſiæ ſucceſſione, cur Auguſtinus ſumpto catalogo cujuſque Africanæ Eccleſiæ non dixerat: *In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus reperitur?* Si omnes Eccleſiæ pares, cur Donatiſtæ ad captandam Catholici famam, unum ex ſuis Epiſcopis clanculum Romæ eſſe curabant, ut eadem Epiſtola D. Auguſtinus ipſos redarguit? Nonne ſatis erat in una Eccleſia Africæ illum habere? Hoc ipſo argumento alibi utitur (*Pſalm. contra partem Donati*) ſic aggrediens Donatiſtas: *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt inferorum Portæ.* Et (*Lib. cont. Epiſt. fundam. cap. 4.*): *Tenet me* (in Catholica Eccleſia) *ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum.* Auguſtinus teſtatur, inter alias, hac ratione in Eccleſia teneri, nempe ſucceſſione Sacerdotum a D. Petro uſque ad Epiſcopum ſuæ ætatis, & tu miſer Picenine audes infirmum dicere *argumentum* deſumptum ex iſtiuſmodi ſucceſſione? Auguſtinus abjicit Donatiſtas a vera Eccleſia, quia in ordine Romanæ ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus reperitur; tu vero præſumis in Catholica eſſe, cum nullus pſeudoreformatorum fuerit hujuſmodi catologo adſcriptus? Quamobrem ſic diſſeramus. Cum D. Auguſtinus intulit non eſſe in vera Eccleſia Donatiſtas, ex eo quod nullus in ordine Romanæ ſucceſſionis Donatiſta Epiſcopus reperiretur; aut accurata diſſeruit ratione, aut inepta. Si inepta; cauſam oſtende, cur ita ſit, & Auguſtinum corrige. Si accurata & recta ratione; cur ego ex eo quod *in hoc ordine ſucceſſionis nullus Calviniſta, aut Reformatus reperitur,* mala, & inepta ratione concludam, Calviniſtas & Reformatos non eſſe in vera Eccleſia? Non inficior alibi Auguſtinum quæſiviſſe etiam aliarum Eccleſiarum ſucceſſionem; nunquam tamen, quemadmodum in Romana, eam ſcrutatus eſt, teſtando hujus ſucceſſionem eſſe unam ex rationibus, qua in Eccleſia Catholica teneretur, & non eſſe in vera Eccleſia, qui in hoc ordine ſucceſſionis nullum habet locum.

45. Milevitanus Optatus & ipſe etiam Africanus erat Epiſcopus; tamen poſtquam probavit Romanam Sedem primam eſſe, & unam ſuper ceteras Eccleſias, texit catalogum Epiſcoporum Romæ a S. Petro uſque ad Siricium (*L. 2. de ſchiſm. Donat. cap. 2. & 3.*): *Cum quo nobiſcum totus Orbis commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Inde ad Donatiſtas reverſus: *Veſtræ* (ait) *Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.* Quare ergo non licet mihi eadem pſeudoreformatis dicere? D. Epiphanius Epiſcopus Salaminæ in Cypro, numerata Epiſcoporum ſerie a Petro uſque ad Anicetum, ſubdit (*hæreſ. 27.*): *Et ne quis miretur quod ſingula ita exacte recenſemus; per hæc enim ſemper claritas oſtenditur.* Euſebius Epiſcopus erat Cæſareæ in Palæſtina, & tamen ipſe pariter refert (*Lib. 5. hiſt. cap. 6.*) & probat ut argumentum pro traditione firmum ſeriem Epiſcoporum Romæ ab Irenæo contextam. De Cypriano taceo, qui, licet Africanus, oſtendit (*Epiſt. 52. ad Antonian., Epiſt. 76. ad Magnum*) Novatianum nequaquam verum poſſe dici Epiſcopum, quia nulli Romano Epiſcopo ſucceſſerat. Et pſeudoreformati, qui nedum ſucceſſionem non oſtendunt a Romanis Epiſcopis, ſed a nullius Chriſtiani Orbis Epiſcopo, quomodo prætendunt paſtores fieri, & paſcere gregem Chriſti in ovili ſuo, quod eſt Eccleſia? Adjuro te mi lector ut

ctor ut modo judices, ſed ingenue, quis mendax, & fallax deceptor ſit, Franciſcus Panigarola, an Joannes Calvinus, cum ſuo fideli diſcipulo Picenino.

§. VI.

Comparatur doctrina retenta ab Eccleſia Romana, & pſeudoreformatis, cum doctrina veteris Eccleſiæ.

46. QUo Picenine abſque ulla dubitatione cognoſcas, cum ſucceſſione Epiſcoporum intactam, puramque ad nos uſque comitem deſcendiſſe vetuſtæ Eccleſiæ doctrinam; & e contra in Eccleſiis tuis a nobis alienis utrumque defeciſſe, nedum ſcilicet Epiſcoporum, quam ipſius doctrinæ ſucceſſionem, opportunum cenſeo articulos omnes ſingillatim comparare, atque ita agere, ut manifeſte appareat, quæ, ipſorum etiam pſeudoreformatorum teſtimonio, fuerit fides antiquæ Eccleſiæ, quæ illa ſit hodiernæ Eccleſiæ Romanæ, quæque tandem illa Proteſtantium. Neve evadendi ullus ſuperſit aditus, de antiqua Eccleſia in primis quinque ſeculis, in quibus Novatorum ſententia intacta adhuc erat, doctrinæ examen inſtituetur.

De Primatu S. Petri, & Eccleſia Romana.

47. Eccleſia antiqua agnoſcebat Primatum S. Petri, nedum ordinis, ſed juriſdictionis, & in Romano Epiſcopo ſupremam directionem Eccleſiarum totius Orbis. Primum non audet negare Calvinus *Lib.* 4. *Inſtit. c.* 6. §. 6., Bullingerus *decad.* 5. *ſerm.* 3. §. *ultimo*. Secundum fatetur Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. c.* 7. §. 5. *Nullum fuit tempus, quo non Romana Sedes imperium in alias Eccleſias appetiverit*; & *lib.* 4. *cap.* 7. §. 1., ubi refert Primatum Eccleſiæ Romanæ ad tempora Concil. Nicæni I., quod late oſtendit Grotius (*Rivetiani Apologet. diſcuſſ. pag.* 696. *&c.*). Taceo Cyprianum, Optatum, & Auguſtinum ſupra citatos.

Præſens Eccleſia Romana idem credit.

Eccleſiæ pſeudoreformatæ negant Primatum juriſdictionis D. Petro. Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 6. *At nonnulli ex Patribus ſic expoſuerunt; ſed eum reclamet tota Scriptura, quid eorum auctoritas adverſus Deum prætenditur?* Et Bullingerus ſupra citato loco: *Veteres Eccleſiæ Scriptores quos illi nobis objiciunt neſcio quid de Primatu Petri teſtificantes. Uno verbo reſpondemus, non perinde nos curare quid ſenſerint veteres, quam quod inſtituerit Chriſtus.*

De Sacramentorum numero.

48. Eccleſia antiqua profitebatur ſeptem eſſe Sacramenta. Admittit Calvinus *Lib.* 14. *Inſtit.* c. 19. §. 1. *Verum illa de ſeptem Sacramentis opinio, omnium fere ſermone trita, ſcholaſque, et conciones pervagata, vetuſtate ipſa radices egit.*

Eccleſia Romana credit & confitetur ſeptem eſſe Sacramenta.

Eccleſiæ pſeudoreformatæ id negant qua falſum, & erroneum. Videatur Calvinus *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 19. §. 1.

De virtute, et efficacia Sacramentorum.

49. Eccleſia antiqua credebat Sacramenta non mera eſſe ſigna, ſed re vera conferre gratiam. Teſtatur Calvinus *Lib.* 4. *cap.* 14. §. 17. *Cavendum eſt ne in errorem hujus affinem nos abducant quæ ad amplificandam dignitatem paulo magnificentius a veteribus ſcripta ſunt, ut ſcilicet arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis adnexam, affixamque eſſe, qua ipſa per ſe Spiritus Sancti gratias nobis conferant.*

Eccleſia Romana credidit, & credit in præſens, quod antiqua credidit.

Eccleſiæ pſeudoreformatæ dicunt Sacramenta eſſe mera ſigna, & oppoſitam

ſitam opinionem *peſtiferam*, & *diabolicam* damnant. Calvinus *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 14. §. 14., ubi loquens de ſententia Sacramentis favente, ait: *Quæ ſententia dici non poteſt quam ſit exitialis, & peſtilens, eoque magis quod multis ante ſeculis magna Eccleſiæ iactura in bona parte Orbis obtinuit; plane certe diabolica eſt.*

De neceſſitate Baptiſmi.

50. Eccleſia Romana profitetur Baptiſmum eſſe omnibus neceſſarium ad ſalutem.

Creditum idem in Eccleſia antiqua teſtatur D. Auguſtinus *Serm.* 2. *de verbis Apoſtoli*, *lib.* 3. *de Anima & ejus origine cap.* 12. & 13. *&c.*, inter Proteſtantes Bullingerus *decad.* 5. *ſerm.* 8. §. *cum Pelagio*, & Beza *quæſt. part. ult. qu.* 114. *Atqui non modo recentiores, ſed vetuſti multi Patres eouſque ſaltem neceſſarium Baptiſmum cenſuerunt.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ aſſerunt Baptiſmum Infantibus non eſſe neceſſarium ad ſalutem. Sic Calvinus *Lib.* 4. *Inſt. c.* 16. §. 26., addens doctrinam veterum circa Baptiſmum promiſſa Dei evacuare, ſalutem ligare ſigno, & abbreviatam reddere manum Dei. Cui ſubſcribit Bullingerus *dec.* 5. *ſerm.* 8. §. *Objiciunt.*

De Baptiſmo S. Joannis.

51. Eccleſia Romana docet Baptiſmum S. Joannis diſtinctum eſſe a Baptiſmo Chriſti.

Id tenebat antiqua Eccleſia. D. Auguſtinus *Lib.* 5. *de Baptiſ. cont. Donat. cap.* 10., & Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. c.* 15. §. 7. *Neminem perturbet quod alterum ab altero diſcernere veteres contendant, quorum non tanti eſſe nobis debet calculus, ut Scripturæ certitudinem patefaciat.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ hæc duo Baptiſmata unum faciunt, diverſis ſolum manibus collatum. Calvinus citato loco: *Quo etiam certiſſimum ſit, idem fuiſſe prorſus Joannis miniſterium, quod Apoſtolis poſtea delegatum eſt. Non enim alium Baptiſmum faciunt diverſæ manus, quibus adminiſtratur.* Contrarium autem aſſerere, erroneum dicunt, Scripturæ oppoſitum, & veterum hallucinationem: *Sed quam hic ſint hallucinati, alibi ſuo loco explicabitur.* Ibidem §. 8.

De Cæremoniis Baptiſmi.

52. Eccleſia Romana Baptiſmum adminiſtrat benedictione Aquæ, Cereo, Chriſmate, ſufflatione, Exorciſmo &c.

Quæ & in uſu erant in veteri Eccleſia, teſte D. Auguſtino pluribus locis ſuorum operum, ut facile videri poteſt. Calvinus quoque id confirmat *lib.* 4. *Inſt. c.* 15. §. 19. *Etſi autem me non latet quam vetuſta ſit adventitia hujus farraginis origo, reſpuere tamen mihi, & piis omnibus fas eſt.* Secum ſentit Bullingerus *decad.* 5. *ſerm.* 8. §. *Tertullianus*, ubi refert loca D. Auguſtini, in quibus commemorantur hæ cæremoniæ.

Pſeudoreformatæ Eccleſiæ præfatas omnes cæremonias rejiciunt ut præſtigias, pollutionem aquæ, adventitias farragines, Satanicum commentum. Sic Calvinus præfato loco: *Quaſi res eſſet contemptibilis ex Chriſti præcepto aqua baptizare, inventa eſt benedictio, vel potius incantatio, quæ vera aqua conſecrationem pollueret. Additus poſtea cereus cum chriſmate; exſufflatio vero januam ad Baptiſmum aperire viſa eſt .... Cum autem vidiſſet Satan, ſtulta Mundi credulitate abſque negotio fere inter ipſa Evangelii exordia receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora ludibria prorupit. Hinc ſputum, & ſimiles nugæ palam in Baptiſmi probrum effrani licentia inventa.* Magiſtrum ſequitur diſcipulus Bullingerus præcitato loco.

De Miſſa.

53. Eccleſia Romana Miſſam celebrat.

Eccleſia antiqua pariter Miſſam cele-

celebrabat. Quod fatentur S. Ambroſius *Epiſt.* 33. *ad Marcellin. Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi a populo Caſtulum;* D. Auguſtinus *Serm.* 251. *de tempore,* & Confeſſio Helvetica. *Miſſa qualis aliquando fuerit apud veteres, tolerabilis, an intolerabilis, modo non diſputamus.* Centuriatores *Cent.* 4. *cap.* 4. *pag.* 165. & *Cent.* 5. *c.* 6. *pag.* 406. & *Cent.* 6. *cap.* 6. *pag.* 167.

Pſeudoreſormatæ Eccleſie deteſtantur Miſſam ceu abominationem, & commentum Satanicum. Lutherus, Calvinus *Lib.* 4. *Inſt. c.* 18. §. 1. & *ſeqq.*, Joannes Petrus Carminati *Op. de Sacrif. Miſſa*; ubi evomit tot blaſphemias contra Sacrificium Miſſæ, quod horream referre.

Eccleſia Romana docet, & credit Miſſam eſſe verum, & perfectum Sacrificium, in quo a Sacerdote offertur Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Quod & docebat, & credebat vetuſta Eccleſia. Id ſenſiſſe S. Irenæum ſecundi ſeculi Patrem ſatentur Centuriatores *Cent.* 2. *cap.* 4. *pag.* 49., & S. Cyprianum *Cent.* 3. *c.* 4. *pag.* 37., & Tertullianum *ibidem c.* 6. *pag.* 96., & Gregorium Nazianzenum *Cent.* 4. *pag.* 164. Fatentur etiam Calvinus *Lib.* 4. *Inſtit.* c. 18. §. 1., & Lutherus *tom.* 7. *pag.* 415. bis verbis: *Aliqui vetuſti Patres appellant Miſſam Sacrificium, ut Irenæus, Cyprianus, Auguſtinus.* Zuinglius *de canone Miſſæ: Qui oblationem a morte* (Chriſti) *diſtinguunt, rem eandem, ſed aliter appellatam, nullis Scripturarum ſuffragiis, ſed ſola Patrum vociferatione nituntur.*

Pſeudoreſormatæ Eccleſiæ horrendam putant blaſphemiam, Miſſam aſſerere Sacrificium diſtinctum a morte Chriſti. Calvinus *Lib.* 4. *Inſtit. c.* 18., Lutherus *contra Regem Angliæ tom.* 2. *pag.* 344., qui relatis ſententiis Patrum ſtatuentium Sacrificium Miſſæ, neſciens contradicere, ſubdit: *Divina Majeſtas mecum facit, ut nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent. Auguſtinus & Cyprianus, ſicut omnes electi, errare potuerunt, & errarunt.* Quid præſtantius?

De reſervatione Euchariſtiæ.

54. Eccleſia Romana ſervat in Eccleſia Euchariſtiam, quam deſert ad ægrotos.

Idem mos erat in veteri Eccleſia. Calvinus id ſatetur *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 39. *Qui enim ſic faciunt, habent veteris Eccleſiæ exemplum, fateor.* Beza *lib. quæſt. p.* 2. *qu.* 241. *Fuit veteris Eccleſiæ initio hæc conſuetudo, ut ægrotis, a publico conventu abſentibus, tranſmitteretur per Diaconum Euchariſtia.* Petrus Molinæus. *L.* 4. *c.* 3. §. 1. *anat. Miſſæ.*

Eccleſiæ pſeudoreſormatæ vanum, & extra ordinem putant ſervare Euchariſtiam, magno periculo erroris. Calvinus *loc. cit.*

De Patrum Limbo.

55. Eccleſia Romana fatetur doctrinam de Limbo Patrum.

Fatebatur idem vetuſta Eccleſia, teſte D. Auguſtino *Epiſt.* 57. *ad Dardanum, Epiſt.* 99. *q.* 3., & Calvino ipſo *Lib.* 2. *Inſt. cap.* 16. §. 9. *Sed hæc fabula, tametſi magnos auctores habet* (videlicet Juſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum) *nihil tamen quam fabula eſt.*

Pſeudoreſormatæ Eccleſiæ Calvinum ſequentes hanc fabulam dicunt, puerile reputantes carcere animas detinere; & vanum eſſe aſſerere neceſſarium fuiſſe illuc deſcenſum Chriſti ad earum liberationem.

De Juſtificatione.

56. Eccleſia Romana docet ad juſtificationem peccatoris non ſufficere ſolam fidem, ſed opera etiam concurrere, gratiæ viribus patrata.

Eccleſia antiqua hanc tenuit fidem. Fatetur Calvinus *Lib.* 3. *Inſt. c.* 11. §. 19. *Hoc ingenioſum ſubterfugium habent, quod tametſi non excogi-*

cogitarunt ipſi, ſed ab Origene, & quibuſdam veterum ſumpſerunt, ineptiſſimum tamen eſt. Opera legis excludi garriunt, non moralia &c. Fatentur Centuriatores *Centur. 2. col. 60.*, citantes S. Clementem, & *Cent. 4. col. 291.* adducentes Teophilum.

Eccleſiæ pſeudoreformatæ aſſerunt dogma de juſtificatione non ſola fide, ſed operibus aſſequenda *ſtultiſſimum eſſe*. Sic ex cathedra peſtilentiæ decernit Calvinus.

De libero arbitrio.

57. Eccleſia Romana fatetur in homine lapſo liberum arbitrium.

Antiqua etiam id fatebatur, quo pleni ſunt Sanctorum Patrum libri, præſertim Auguſtini. Neque Calvinus id negat; quinimmo illos reprehendit, dicens: *Quasi integer adhuc ſtaret homo ſemper, apud Latinos, et arrogantius adhuc apud Græcos, liberi arbitrii nomen extitit. Lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 4.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ hominem peccati originalis labe infectum libero arbitrio privant. Calvinus, Lutherus *de ſervo arbitrio*, & ex ſuis ſectariis plurimi.

De Sacramento Pœnitentiæ.

58. Eccleſia Romana neceſſariam credit ſecretam Confeſſionem Sacerdoti factam, tanquam Pœnitentiæ partem.

Antiqua Eccleſia idem credebat. A S. Clemente Papa id invaluiſſe teſtantur Magdeburgenſes *Cent. 2. c. 4. pag. 48.*, & ſeculo ſecundo uſu retentum *Cent. 3. c. 6. pag. 89.* Dalleus *de Confeſſ. Lib. 4. c. 12.* id cœpiſſe autumat a Sancto Antonio Abbate, & *Lib. 3. cap. 1.* ait: *Neque illud abnuimus, veteribus cognitam, ac laudatam fidelium cum ſuis Paſtoribus communicationem, qua illi apud hos peccata ſua...... velut medicis nudant &c.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ ſecretam Confeſſionem velut peſtem inceſſunt. Calvinus *Lib. 3. Inſt. cap. 4. §. 19. Nihil itaque mirum, ſi auricularem illam Confeſſionem, rem adeo peſtilentem, totque nominibus Eccleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam de medio cupimus.* Et ad minus eam negant neceſſariam ad remiſſionem peccatorum. Idem ipſe §. 24. legem Confeſſionis dicit *legem non Dei, ſed hominum, impoſitam a tyrannide, Deo injuriam* &c.

De præſentia Chriſti in Euchariſtia.

59. Eccleſia Romana Chriſtum credit realiter præſentem in Euchariſtia, & tranſubſtantiationem panis & vini in ejus Corpus & Sanguinem.

Hæc antiquæ Eccleſiæ fides. Quo ad præſentiam realem fatetur Lutherus contra Sacramentarios *tom. 7. pag. 391. defenſio verbo Cœnæ: Hoc certe admiratione non eſt indignum, quod nullus ex Patribus, quorum infinitus eſt numerus, de Sacramento ſic locutus eſt ut Sacramentarii.* Quoad tranſubſtantiationem non negat Calvinus *Lib. Inſt. cap. 17. §. 14.*, licet eam trahat ad errorem ſuum: *Fateor nonnullos veterum converſionis voce interdum fuiſſe uſos.* Poſita reali præſentia Chriſti, tranſubſtantiationem ſequi infert Calvinus in opuſculis *defenſ. 2. contra Weſtphalum*, & Zuinglius *tom. 2. de Cœna pag. 275.*, Oſpinianus *præfat. p. 2. hiſt. Sacrament.* De adoratione hæc ſcribit Calvinus contra Eſhuſium & Zuinglium *in Exegeſi ad Martin. Luther. Si enim Chriſtus hic in Sacramento eſt, cur non peccent qui non adorent?* Videatur Oſpinianus *præfat. p. 2. hiſt. Sacrament. Elevatio, adoratio, circumgeſtatio, & aſſervatio tranſelementati panis in reale, & ſubſtantiale Chriſti Corpus, ſunt quaſi comites, & pediſſequæ individuæ.* Lutheri autem teſtimonio vetuſta Eccleſia credebat realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, ex qua, fatentibus etiam ipſis Calviniſtis & Zuinglianis, ſequebatur tranſubſtantiatio, adoratio, aſſervatio, circumgeſtatio, & elevatio.

Pſeudoreformatæ Eccleſiæ, ut omni-

omnibus conſtat, in hoc articulo opponuntur. Lutherana fatetur realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed ſimul coexiſtentiam panis, & negat tranſubſtantiationem, & adorationem. Zuingliana, & Calviniana negat præſentiam realem Chriſti.

De Ordine, & Matrimonio.

60. Eccleſia Romana Ordinem, & Matrimonium ut Sacramenta recipit. Hæc tanquam Sacramenta habebat Eccleſia etiam antiqua. *De Ordine* fatetur Lutherus *tom. 7. de Miſſa privata, & unit. Sacerdot. pag. 242. Nam verum Sacramentum Ordinis, vera ordinatio eſt vocatio ad Paſtoralem curam.* Melancton *act. Ratiſbonenſ. ar. 11. de Sacr. Ord.*, & Calvinus *Lib. 4. cap.* 19. §. 28. indicat Presbyteratum credere Sacramentum: *Quantum vero ad Presbyterii munus, libenter eo loco habeo; illa enim cæremonia eſt primum ex Scripturis ſumpta &c.* Magdeburgenſes *Cent. 4. col.* 873. fatentur perantiquam ordinationem Miniſtri, & citant Cornelium Papam, Sanctum Ignatium Martyrem, & Concilium Carthaginenſe IV.

Matrimonium a Luthero Sacramentum aſſeritur *tom. 1. cap. 13. de Matrimonio*, & a Melanctone *act. Ratiſbonenſ. art. 1. de Sacram. Matrimon.*

Eccleſia pſeudoreformata Calvini nonniſi duo agnoſcit Sacramenta, Baptiſmum, & Cœnam. Sic illa Zuinglii. Calvinus *Lib. 4. Inſt. cap.* 19. §. 22. ridet ut *ineptias*, & *inſaniam*, Ordinem & ordinationem; & §. 34. a Sacramentis expungit Matrimonium. Lutherana Eccleſia confuſe procedit. In ſumma Lutherus excludit a Sacramentorum numero tam Ordinem, quam Matrimonium. *De capt. Babyl. cap. de Ordine: Sacramentum Ordinis Eccleſia Chriſti ignorat.* Et *cap. de Matrimonio: Matrimonium Sacramentum eſt non divinitus inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum.*

De Confirmatione, & Extrema Unctione.

61. Eccleſia Romana Confirmationem, & Extremam Unctionem inter Sacramenta recenſet.

Idem tenebat antiqua Eccleſia. *De Confirmatione* teſtantur Centuriatores *Cent. 7. cap.* 75., Conciliabulum Londinenſe *can.* 63., Forbeſius *Inſtruct. hiſtorico-theologic. Lib. 9. cap. 6.* §. 8., Dalleus *de cultu Latin. Religioſ. lib. 2. c. 1.*, Calvinus *Lib. 4. Inſtit. c. 6.* §. 4. Quoad Extremam Unctionem teſtantur Centuriatores *Cent. 8. cap. 6. pag.* 204., & Calvinus *in Epiſt. Jacob. cap.* 5., ubi ait: *Fateor equidem Extremam Unctionem pro Sacramento habitam a Chriſti diſcipulis; neque enim illis aſſentior, qui medicamentum fuiſſe putant.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ, poſt hanc ſinceram vetuſtatis confeſſionem, utramque rejiciunt. Calvinus loco citato §. 5. loquens de Confirmatione ait: *Poſterior ætas, re prope obliterata, fictitiam neſcio quam Confirmationem pro Dei Sacramento poſuit.* Et verba faciens de Extrema Unctione ait: *Qua majori ratione Sacramentum ex hac unctione faciunt, quam ex aliis quibuſvis ſymbolis, quæ nobis in Scriptura commemorantur?* Sic in §. 19. *lib. 4. Inſt. cap.* 19.

De Ordine Monaſtico.

62. Romana Eccleſia recipit, & commendat ſtatum Monaſticum.

Huic conſentit & antiqua. D. Auguſtinus *Lib. 2. Confeſſionum cap. 6., de bono perſeveran. cap.* 15. Calvinus id fatetur *L. 4. Inſtit. cap.* 13. §. 8. & 9., ubi memorat Monachatus antiquitatem præſertim ex D. Auguſtino, inquiens: *Veteris Monaſtices formam nobis depingit.*

Pſeudoreformatæ Eccleſiæ rejiciunt Monaſticum Ordinem. Lutherus, & Calvinus locis citatis, & §§. *ſequen.*

De Cælibatu.

63. Eccleſia Romana præcipit Cælibatum Monachis, & Sacerdotibus.

Id exigebat & vetuſta Eccleſia. De Monachis negare neſcit Calvinus

Lib.

Lib. 4. *Inſt. cap.* 13. §. 17. *Fateor quoque antiquitus fuiſſe receptum hunc morem*; & Centuriatores id confirmant *Cent.* 2. *cap.* 4. *colum.* 60., referentes D. Ignatii Epiſtolas. De Sacerdotum Cælibatu teſtatur idem Calvinus *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 4. §. 10.

Pſeudoreformatæ Eccleſiæ damnant Cælibatum ceu immodicam ſeveritatem, & praxi impoſſibilem. Calvinus *Lib.* 4. *Inſt. c.* 13. §. 17. in Monachis, & *Lib.* 4. *c.* 4. §. 10. in Sacerdotibus & Epiſcopis: *Veteres tantum peccarunt hic immodica ſeveritate, quod plus requirere voluerunt in Epiſcopo, quam Paulus requirat, ac præſertim ſucceſſu temporis, cælibatum.*

De Jejuniis.

64. Eccleſia Romana obſervat Jejunia, præſertim quadrageſimalia.

Hanc praxim tenuit antiqua Eccleſia, etiam teſtimonio Centuriatorum *Cent.* 2. *cap.* 6. *pag.* 91. *Quando hæc jejuniorum diverſitas cœperit, non uſque adeo certum eſt. Videtur ſtatim poſt Apoſtolos, & has, & alias diverſitates in Eccleſia ortas eſſe. Irenæus, Euſebio referente, de diverſitate jejunii, ut de re valde vetuſta loquitur. Cent.* 3. *cap.* 6. *pag.* 95. *Frequens apud ſcriptores hujus ſeculi* (ideſt tertii) *occurrit jejuniorum mentio, adeo ut & in opinionem meriti jejunia abiiſſe jam tunc viderentur.* Et poſt: *Origenes dierum quadrageſimalium meminit jejuniis conſecratorum, item quarta, & ſexta feria, in quibus ſolemnia fuiſſe dicit jejunia.*

Pſeudoreformatæ Eccleſiæ execrantur Jejunia præſcripta, præſertim quadrageſimalia, ceu obſervantias ſuperſtitioſas. Calvinus: *Qua in parte non in totum excuſare audeo veteres, quin & ſuperſtitionis quadam ſemina jecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt ... & tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa Quadrageſimæ obſervatio.*

De invocatione Sanctorum, et eorum cultu.

65. Eccleſia Romana invocat, & colit Sanctos, & fidit in eorum interceſſione.

Id in Eccleſia perantiquum. Sic Centuriatores *Cent.* 3. *c.* 4. *de invocatione Sanctorum: Videas in Doctoribus hujus ſeculi* (tertii) *non obſcura veſtigia invocationis Sanctorum; habes enim formulam apud Origenem, O beate Job, ora pro nobis ... Angelos etiam, invocandos putavit Origenes Cent.* 4. *c.* 14. Dalleus uſque a IV. ſeculo id agnoſcit in S. Gregorio Nazianzeno: *Cum jam cœpiſſet, ac in dies creſceret cæca illa in Divos ſuperſtitio.* Et *de cultus religioſi objecto cap.* 8., ubi ſubdit: *Invocandæ Mariæ ſtudium, quo Gregorius ex ſui ævi morbo laboraſſe contendunt Latini, neque nos negamus.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ una ſimul deteſtantur ut idololatriam invocationem & cultum Sanctorum. Beza *adv.* 3. *p. lib. Bren. Illud tamen minime negamus, totum illud Hieronymi ſcriptum, quo Sanctorum invocationem, ideſt manifeſtam idololatriam defendit, nos nihil morari.* Aſſentitur Calvinus *Lib.* 3. *Inſtit. cap.* 20. §. 20. & 24.

Eccleſia Romana diſtinguit inter cultum Latriæ ſoli Deo debitum, & cultum Duliæ Sanctis exhibitum.

Eccleſia antiqua hanc cultus differentiam agnoſcebat; quod Calvinus non negat *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 12. §. 2.

Eccleſiæ pſeudoreformatæ id ſubſannant importunum, & inane. Calvinus: *At complures ex veteribus hac diſtinctione uſi ſunt. Quid tum, ſi omnes eam proſpiciunt non modo impropriam eſſe, ſed penitus frivolam?*

De cultu Reliquiarum.

66. Eccleſia Romana colit Sanctorum Reliquias.

Eccleſia etiam antiqua eas venerabatur. Aſſerunt Magdeburgenſes

Cent. 3. *cap.* 6. *pag.* 96., *Cent.* 4. *cap.* 6. *pag.* 256., Dalleus *de cultus religioſi objecto lib.* 1. *cap.* 8. *Gregorius id habuit amore ſui ſeculi* (nempe quarti) *quo cum ſolemne jam eſſet Martyrum Reliquias oſculari, et, ut ipſe loquitur, adorare* &c., Blondellus *Lib.* 2. *de Sibyllis cap.* 36.

Pſeudoreformatæ Eccleſiæ hunc cultum reprobant ceu idololatricum.

De cultu Imaginum, & Crucis.

67. Eccleſia Romana recipit tanquam pium, & religioſum Imaginum cultum.

Quod item ſenſit vetuſta Eccleſia. Centuriatores *Cent.*3.*cap.*6.repetunt uſum Crucis ab anno uſque a Chriſto nato ducenteſimo, ætate ſcilicet Tertulliani: *Ob hoc enim Ethnici Chriſtianis objiciebant, quod Crucis religioſi eſſent. Scribit Euſebius vidiſſe ſe aſſervari a fratribus aliquibus in Aſia Imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ipſius Chriſti. Sic Lampridius Alexandrum Severum optimum Imperatorem, in privato, quod domi habebat, larario ſuo. Chriſti & Abrahami Imagines habuiſſe narrat.* Et *Cent.*4.*cap.*6. loquuntur de Imagine Chriſti quam fieri curavit Hæmorrhoiſſa. Dalleus *Lib.* 3. *de Imaginibus cap.* 1. idem confirmat. Et *cap.* 4. ait: *Unde conſtare poteſt, tum Romæ, tum in vicinis Italiæ Provinciis jam ante quarti ſeculi exitum Imagines in Eccleſia admiſſas eſſe.*

Eccleſiæ proteſtantes pingunt ſuperſtitioſum, & idololatricum Imaginum & Crucis cultum. Calvinus *Lib.* 1. *Inſt. c.* 11. §. 13., & ceteri Novatores.

De Purgatorio.

68. Eccleſia Romana fatetur poſt hanc vitam Purgatorium, & orat pro Defunctis.

Id fatetur etiam antiqua Eccleſia, teſte Calvino *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 5. §. 10. Dalleus *de pœnis & ſatisf. lib.* 5. *cap.* 7. id tribuit Auctori de Sibyllinis libris, qui eorum ſententia vivebat ſecundo ſeculo. Blondellus *de Sibyllis lib.* 2. *cap.* 13. fatetur S. Juſtinum Martyrem, ſuaſum habuiſſe fidelium animas decedentes ex hac vita vivorum precibus maxime indigere, & Chriſtianos II. III. & IV. ſeculi huic opinioni adhæſiſſe. Blondellus *lib.* 2. *cap.* 9., & *cap.* 14.

Eccleſiæ Proteſtantes de Purgatorio, & precibus pro defunctis fabulas componunt, eas ridentes quaſi humanum commentum. Calvinus ci.lo. *Atque ipſi etiam veteres, qui preces fundebant pro mortuis, & mandato Dei, & legitimo exemplo ſe deſtitui videbant; cur ergo audebant? In eo dico aliquid humani paſſos eſſe.*

De Traditionibus.

69. Eccleſia Romana præter Scripturas, admittit Traditiones divinas, & Apoſtolicas.

Eccleſia antiqua illas pariter recipiebat. Id aſſerit D. Auguſtinus *Epiſt.* 118. *ad Januarium, lib.* 4. *de Baptiſ. contra Donat. cap.* 24., ut fatetur Calvinus ipſe *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 10. §. 20. *Nec moror, quod alibi idem ipſe Auguſtinus alia quoque Apoſtolis adſcribit; nam cum nihil præter conjecturas habeat, non debet ab ipſis de re tanta conjectura fieri.* Et Szegedinus *tabul. de caremon. in genere* ait: *Non eſt negandum quin aliqua fuerint Apoſtolorum traditiones non ſcripta. Non poſſumus autem certo ſtatuere quinam ritus Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate traditi ſint ſine ſcriptis.*

Eccleſiæ pſeudoreformatæ in pertinacia concordes omnes Traditiones reſpuunt. Sic ſtatuit legislator Calvinus.

70. Tuum modo eſt prudens lector, comparatione facta inter Romanam, pſeudoreformatam, & antiquam Eccleſiam, judicare qui *Novatores* ſint, nos, an illi; & cum D. Hieronymo ſtatuere *Dialog. adverſ. Lucifer. circa finem: In illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, uſque ad diem hanc durat.* Ex proprio ipſorum ore audivimus antiqui-

antiquitus retentum quidquid præſens Romana Eccleſia profitetur; & e contra tanquam inane, fabuloſum, puerile, & verbo Dei oppoſitum &c., ab ipſis poſthabitum, ac reprehenſum quidquid ab antiqua Eccleſia uſu fuerat conſecratum. Præterea *Cap. VI.* §. *IV.* ab antiqua Eccleſia proſcriptum vidimus in antiquis hæreticis quidquid pſeudoreformati tenent ceu dogmata, & verbum Dei. Cui porro credes? Eccleſiæ Romanæ, aſſerenti, & damnanti totum id quod antiqua aſſerebat, vel damnabat; an potius pſeudoreformatis Eccleſiis, aſſerentibus damnata ab antiqua Eccleſia, & aſſerta damnantibus? Antiqua Eccleſia in dogmate & fide primis illis ſeculis non erravit, ut ipſi fatentur. Errabunt igitur pſeudoreformati, dum illi non adhærent, immo opponuntur. Non me latet ipſorum nonnullos auſos fuiſſe Eccleſiam inceſſere primis etiam illis ſeculis erroris, & Satanicæ apoſtaſiæ; cum fallacium hominum mos ſit negare conceſſa, & negata concedere. Verum ſi ita ſ quid Picenine jactas, Eccleſias tuas eſſe antiquæ pediſſequas? Qua ratione ſuadebor Eccleſiam a latere Chriſti vix dimanantem, recenti Apoſtolorum doctrina nutritam, protinus extenuatam erroribus defeciſſe, atque venerabiles illorum temporum Patres ſeductos fuiſſe, quam veternoſos illos hæreticos, quos ipſi damnaverant; ſicut & Lutherum, Zuinglium, Calvinum, damnatas ſectas inſtaurantes? Semel auſum contendere Eccleſiam antiquam, & veteres ejus Patres erraſſe, rationabilius certe dicendum erraſse pſeudoreformatores. Quid impedit aſſerere pſeudoreformatas Eccleſias, una cum doctoribus, & ſectariis ſuis turpiſſime quidem fuiſse deceptas, ſi petulantius liceat dicere antiquam Eccleſiam potuiſse falli, imo in ſuis Patribus, & Conciliis erraſſe? Cur non dicendum illas erraſſe Dordraci damnantes Remonſtrantium dogmata, & in Conciliabulis Galliæ proſcribentes *Jeremiam Ferrerium*, *Teophilum Branchetum*, *Joannem Piſcatorium*, alioſque? Si antiqui fallaces erant quia homines, Dii ne eſtis vos, & quotquot Calviniſticas Synodos componebant? Veteres etiam callebant Scripturas, & Scripturis loquebantur. Quas ſi ipſi male intelligebant, quod falsiſſimum eſt, eas ne perſpicuas, et ſine periculo erroris apertas habuiſſe Proteſtantes dicemus, homines pietate, et doctrina ab illis oppido diſtantes?

71. Ad te tandem Picenine ſermone revertar. Perſiſtis ne adhuc cæca tua opinione dicere: *Ab initio non fuit ſic*? Habes modo ex tuorum dictis certum teſtimonium quod *ab initio fuit ſic*. Attende porro ſermonibus meis. Tu Primatum negas Eccleſiæ Romanæ, ſeptenarium Sacramentorum numerum, & eorum efficaciam. *Ab initio non fuit ſic*. Miſſam eſſe negas Sacrificium, præſentiam Chriſti in Euchariſtia, neceſſitatem operum ad juſtificationem, liberum arbitrium. *Ab initio non fuit ſic*. Monachatum, Cælibatum, Jejunia, Sanctorum invocationem, Purgatorium, Imaginum cultum, Traditiones, & cetera irrides. *Ab initio non fuit ſic*. Verum ab initio etiam fuit ſic; nempe tunc temporis negabantur quæ tu pariter negas; ſed a quibus? Jam oſtendi, nec tibi ignotum eſt. A *Simone Mago* ſcilicet, a *Menandro*, ab *Eunomianis*, a *Manichæis*, *Arianis*, *Aerianis*, *Pelagianis*, *Vigilantio*, *Joviniano*. Si cum iſtis acquieſcis, & ego dicam: *Ab initio fuit ſic*. Iſti lapides dolarunt ad Babelem tuæ pſeudoreformationis conſtruendam; quæ licet ab antiqua Eccleſia diruta, & diſperſa fuerit, a Calvino tamen, & Luthero, novi ædificii genere, ex tot ruderibus incondite reſtauratam habes, non Eccleſiam, ſed Eccleſiæ monſtrum.

§. VII.

Vera Eccleſia eſt viſibilis.

72. PAtres Segneri, & Panigarola aſſerunt quod vera Eccleſia viſibilis eſſe debet, & ſicut ci-

vitas in monte poſita. Tu ſtudes id interpretando confundere, ut diſſimulando neges. Quippe ais *pag.* 131. *Eccleſiam eſſe viſibilem in partibus eam componentibus, ideſt viſibiles eſſe particulares Eccleſias, univerſalem tamen eſſe inviſibilem.* Hoc profecto novum, partes ſcilicet *viſibiles* eſſe, quarum totum, & compoſitum inviſibile ſit. Apud Dialecticos certe partes ſimul ſunt totum, quod plane non eſt niſi ipſæ partes. Civitas eſt ipſa Civium ſocietas, & collectio, & nihil amplius. Quapropter univerſalis Eccleſia, quæ eſt totum, & ex illis quæ eam componunt ſocietatibus reſultat, ſola erit ipſa ſocietatum collectio, & nihil amplius. Si ſocietates igitur ſingulæ viſibiles ſunt, tota collectio etiam viſibilis erit, quæ eſt ipſa Eccleſia. Nunquam vidi corpus inviſibile ex partibus viſibilibus componi. *Societates componentes Eccleſiam amittere ſuam claritatem, cum ab hæreticis oppugnantur,* falſum eſt; immo D. Auguſtinus (*de vera Relig. cap.* 8.) ait hæreticos clariores reddere Eccleſiæ partes: *Sunt enim innumerabiles in Eccleſia Sancta Deo probati viri, ſed manifeſti non fiunt inter nos, quandiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati dormire malumus, quam lucem veritatis intueri.* Ariani *Athanaſios*, *Baſilios*, *Hilarios* præclaros reddiderunt; Pelagiani, & Manichæi *Auguſtinum* & alios. Proteſtantes quoque in Eccleſia Romana illuſtres haberi plurimos fecerunt, qui ſine ipſis ignoti forte, & neglecti neſcirentur. Deus permittendo hæreſes in Eccleſia, facit quod vinitor vitem putando; reſcindit inutilia ſarmenta, ut valeat vitis copioſiorem fructum reddere: *Oportebat ut eadem vitis ... putaretur, & ex ea præſcinderentur infructuoſa ſarmenta, quibus hæreſes, & ſchiſmata per loca facta ſunt ſub Chriſti nomine, non ipſius gloriam, ſed ſuam quærentes; per quorum adverſitates magis, magiſque exerceretur Eccleſia, & probaretur, atque illuſtraretur & doctrina ejus, & patientia.* Falſum igitur ſocietates componentes Eccleſiam, per hæreſes ſplendore extenuari. Nihilominus id mitto; quo tamen non *inviſibilis*, ſed magis anguſta fit Eccleſia. Quo quippe pacto *viſibiles* ſunt ſocietates ab ea deficientes, ſic *viſibiles* remanent ſocietates in ipſa conſiſtentes.

73. Petis *pag.* 130. *Qua viſibilitate perſpicua erat Eccleſia Eliæ temporibus, qui credebat ſe ſolum manſiſſe veri cultus profeſſorem? Septem mille illi, qui genua non curvaverant ante Baal, inviſibiles erant ipſi Prophetæ Sancto.* Falleris Picenine; *viſibilis* quippe erat temporibus Eliæ Eccleſia, in paucis licet anguſta. Septem mille, qui Idola non coluerant, *viſibiles* erant, & agnoſci poterant dum non flectebant genua Idolis, ut ceteri faciebant. Quod autem Eliæ inviſibiles eſſent; vel melius, licet Eliæ nec perſpicui, nec noti, non propterea inviſibiles erant, quemadmodum ſeptem mille eleemoſynas in aliqua civitate largientes, non ideo *inviſibiles* quatenus me latent. Addo, quod cum Elias dixit ſe ſolum manſiſſe (3. *Reg.* 19. 4.), non intellexit ſe ſolum manſiſſe inter credentes, quaſi quod ipſe ſolus in fide manſiſſet, ſed quod ipſe ſolus Propheta relictus eſſet, cum alii gladio periiſſent, ut ipſe putabat, furente Jezabele; unde ajebat: *Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus,* ideſt ex Prophetis. Præterea non capio cur ſciſciteris *viſibilitatem* Eccleſiæ Iſraelis Eliæ temporibus, cum manifeſtiſſima eſſet. In Tribu Juda regnabat Joſaphat, qui impenſe promovebat divinum cultum, et Idololatriam exterminabat, Levitas, & Sacerdotes mittebat ad evertendas Aras &c. Si vero de ceteris Tribubus loquamur; notum certe erat Eliæ præter Michæam alios eſſe Prophetas occultos, ipſi indicatos ab Abdia; notum pariter Prophetarum filios manſiſſe. Fuit igitur hyperbole quædam Eliæ (3. *Regum.* 18. 13.), quemadmodum illa Iſaiæ (*cap.* 64. 7.) cum dixit: *Non eſt qui invo-*

invocet nomen tuum, dum adeſſet Rex Ezechias, Oſeas, Michæas, qui invocabant Dominum; vel illa Davidis (*Pſ.* 13. 3.): *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, cum, ut ipſe fatetur, adeſſet generatio juſtorum, *cuius Dominus ſpes ejus eſt*; vel illa S. Pauli (*Philip.* 2. 21.): *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*, attamen Timotheus, Epaphroditus, Clemens, aliique erant quærentes ea quæ Jeſu Chriſti. Uno verbo. Tum ſeptem illi mille, qui Eliæ temporibus, tum illi, qui tuo dictu componebant veram Eccleſiam ante pſeudoreformationem, Eccleſiam plane viſibilem repræſentabant. Quandoquidem vel iſti (ut blateras) a Pontificibus perſequuti, quemadmodum illi a Jezabele, profitebantur extrinſecus ſuam fidem, prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum adminiſtratione, contemnentes perſecutiones, ſicut antiqui Chriſtiani coram Tyrannis libere profitebantur Jeſum Chriſtum, hunc prædicantes, & in unum cœtum convenientes: qua ratione viſibilem, & perſpicuam exhibebant Eccleſiam; vel occultabant ſuam fidem, contenti corde eam retinere, extrinſecus autem falſo cultui, ſuperſtitioſis ritibus, abominationibus Romæ (ut muſſitas) adhærentes: quo pacto certe non repræſentabant veram Eccleſiam, ſed Synagogam Satanæ; quoniam coram hominibus negantes veram fidem, a Chriſto tanquam ſui negabantur (*Matt.* 10. 33.): *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt*. Quapropter ſeptem hi mille, quos oſtentas, Eccleſiæ inviſibili tuæ nil conferunt; immo neque Eccleſiam viſibilem Chriſti efficiunt, cum jam oſtenſum ſit quinam fuerint Waldenſes, & Albigenſes hi tui, gens perverſa, excommunicata, odibilis Deo, & hominibus; a quibus ſi originem ducere honore habeas, tametſi alienum id a veritate oſtenderim, adhuc permittam.

74. Neque Arianorum temporibus minus *viſibilis* fuit Eccleſia; quod patet ex conſtantia, & fortitudine tot heroum pro Catholica veritate doctrina & ſanguine ſtrenue pugnantium. Non in ſolo manſit Athanaſio, & Paulino, ſed plerique per univerſum Orbem Arianam impietatem deteſtati ſunt, ut fidem faciunt Concilia contra ipſos coacta. Si D. Hieronymus (*Dialog. adverſ. Lucifer.*) ait: *Totus Orbis ingemuit, & Arianum ſe eſſe miratus eſt*, infectis omnibus Ariana labe, uno Athanaſio, & Paulino excepto; hæc pariter hyperbole erat, ad ſignificandum in Eccleſia Chriſti agrum nullum fuiſſe ab his zizaniis immunem. Neque Antichriſti ætate *inviſibilis* fiet vera Eccleſia, quia plurimi palam ſanguine; plerique vero in ſpeluncis, & cavernis terræ latitantes licet, tamen *viſibiles*, Jeſu Chriſto corde & ore cultum deferent. Tametſi vero grave deliquium paſſura foret, quantocius tamen clarificabitur. Vos autem eam oppreſſam vultis per annos 1260., inde reparatam. Quorum opera? Lutheri, & Calvini. Notum autem faciam qua de cauſa recentiores pſeudoreformatores ſomniare finxerint hanc inviſibilem Eccleſiam. In primis ſuis Conventiculis, Auguſtano ſcilicet, Smalkaldico, Witembergenſi, Bohemico, Argentoratenſi, tractatum de Eccleſia habentes, eam ſemper definierant viſibilem cœtum, viſibili conſtantem prædicatione doctrinæ, & Sacramentorum adminiſtratione. Experti tamen hac perpetua viſibilitate Eccleſiæ ſummopere angi & vexari a Catholicis, ſciſcitantibus ubinam ante ipſos eſſet hujus Eccleſiæ doctrina, quam ipſi oſtentabant; nullam nec magnam, nec parvam indicare valentes, anguſtiis oppreſſi, præſertim Calviniſtæ, excogitarunt eſſentiam, & naturam Eccleſiæ invertere, & ex viſibili inviſibilem fingere, diffamantes, juſto Dei judicio, veritatem divini verbi, ejus cultum, & catholicam fidem adeo obſcuratam fuiſſe, quaſi extincta, & inviſibilia facta eſſent ſicut Eliæ temporibus &c. Ipſe Jurieu (*Siſt. pag.* 226.) id cogitur

gitur fateri, inquiens: „ Quod adegit reformatos quoſdam doctores (omnes reformatas Eccleſias melius diceret) „ in illam difficultatem in „ qua verſantur, & ad negandam „ perpetuam viſibilitatem Eccleſiæ, „ profecto fuit, quod eam concedentes, premebantur reſpondere quæſtioni, qua paſſim ipſos urgebat „ Eccleſia Romana, videlicet: Ubi „ veſtra Eccleſia erat centum quinquaginta ab hinc annis? Si Eccleſia ſemper fuit viſibilis, veſtra Eccleſia Calviniſtica, et Lutherana „ non eſt vera Eccleſia, nunquam „ viſibilis facta ante Lutherum, et „ Calvinum „. En a Calviniſta revelatum arcanum de inviſibili Eccleſia.

75. Redarguis Patres Panigarolam, & Segneri, quod oſtendentes Eccleſiam viſibilem, eam agnoſcant in illa civitate a Chriſto deſcripta (*Matth. 5. 14.*) ſupra montem poſita, quæ non poteſt abſcondi; & textum uſurpent *Pſ. 18. 6. In Sole poſuit tabernaculum ſuum*; & ſubdis *pag. 131.* de primo, *Chriſtum ibi loqui non de Eccleſia, ſed de munere Apoſtolorum*; de altero, *hoc erratum eſſe vulgata noſtra; unde juxta primigenium textum legendum eſſe: In ipſis poſuit tabernaculum ſuum Soli.* Verum ſi hi aberrarunt, cum Auguſtino errarunt, qui *viſibilitatem* Eccleſiæ probaturus Donatiſtis eam negantibus, ut vos facitis, aſſumit eoſdem textus, & ait (*Lib. 2. contra litter. Petiliani cap. 32.*): *Hic fit ut Eccleſia neminem lateat, unde eſt illud quod in Evangelio ipſe dicit: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta; ideoque in eodem Pſalmo connectitur: In Sole poſuit tabernaculum ſuum; ideſt in manifeſtatione.* Et alibi (*Epiſt. 116.*): *In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Ipſa eſt Eccleſia in Sole poſita, hoc eſt in manifeſtatione omnibus nota uſque ad terminos terra.* Permiſſo tamen tibi civitatem ſuper montem poſitam deſignare Apoſtolos, hi tamen Eccleſiam repræſentabant; & ſi hi, ut commentaris, quia *poſiti in eminenti gradu perſpicui omnibus e*rant, Eccleſia igitur occultari nequit, & inviſibilis fieri. Ad hæc. D. Hieronymus, a te citatus, deſcribit Apoſtolos ſupra montem, ne ob metum abſcondantur: *Docet fiduciam prædicandi, ne Apoſtoli abſcondantur ob metum, & ſint ſimiles lucernæ ſub modio, ſed tota libertate ſe prodant, ut quod audierunt in cubiculis prædicent in tectis.* Hæc Hieronymus. Septem igitur mille fideles, in quibus ante pſeudoreformationem vera Eccleſia perſeverabat, quid inter montes latitabant ob metum Papæ? Debebant tota libertate ſe prodere. Facti igitur inviſibiles, opponebant ſe Chriſti præcepto. Demus autem verſiculum *Pſ. 18.* legendum in hebræo textu: *Soli poſuit tabernaculum in ipſis*, non vero juxta vulgatam ex ſeptuaginta: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*; peto: Quis Sol iſte, niſi Chriſtus? Quod hoc tabernaculum, vel tentorium Soli poſitum, niſi Eccleſia? Si Eccleſia igitur tentorium hujus Solis, qui Chriſtus eſt, collocata eſt in Cælo, inviſibilis ne, & abſcondita erit, an viſibilis, & ſplendida? Non me latet D. Auguſt. (*Epiſt. 80. ad Heſyeh.*) dixiſſe: *Quando Sol obſcurabitur ..... Eccleſia non apparebit, impiis tunc perſecutoribus ultra modum ſævientibus;* & D. Hieronymum (*in caput 1. Sophon.*): *Noviſſimis temporibus, multiplicata iniquitate, refrigeſcet charitas, & ſplendor Solis recedet a Jeruſalem, ideſt ab Eccleſia.* Interea tamen uterque aſſerit Eccleſiam antea futuram fore illuſtratam, & manifeſtatam a Sole, quod Piceninus negat. S. Auguſtinus ait: *Eccleſia eſt enim Sol, & Luna, & Stella.* Inſuper hi duo Patres aſſerunt quod Eccleſia deſeretur a Sole, & obſcurabitur, ſed in noviſſimis diebus prope univerſale judicium, in ſecundo Chriſti adventu. Hoc autem non convenit cum doctrina Proteſtantium, qui Eccleſiam volunt primis diebus obſcuratam, a V. ſcilicet ſæculo ferme uſque ad XVI. Breitingerus (*Opuſc. de Sectis*) ait *Eccleſiam per annos 1260. perditam quodammodo, & occultatam fuiſſe in Pa-*

patu

patu, ac demum detectam fuiſſe a reformatione, & hujus ope; cui accommodat illud Apocalypſis (*cap.* 11. 2.): *Quoniam datum eſt gentibus, & civitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus*; & aliud (*cap.* 12. *v.* 6. & 14.): *Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo... Et data ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Lector animadverte quam longe diſtet Picenini doctrina ab illa Hieronymi & Auguſtini. Quod in fine ſeculi obſcurari debeat Eccleſia, id conſentiunt Auguſtinus, & Hieronymus, & ex Scriptura deducitur; ſed quod obſcurari deberet poſt annos 300. 400. & 500., ex qua Scriptura eruitur? Quis Patrum aſſerit? „ Credo (ajebat Auguſtinus contra Donatiſtas *lib. de Unit. Eccleſ. cap.* 13.) Eccleſiam veteris teſtamenti obſcuratam fuiſſe, & illa credo quæ in Scripturis Sanctis leguntur de Henoch, de Abraham, de Iſaac, de duabus Tribubus, quæ ſolæ in fide ſteterunt, & de ſeptem millibus qui non curvaverunt genua ante Baal „. Hanc autem Eccleſiæ defectionem, quam dicitis per annos 1260., ſi in Scripturis non legitur, cur credam? *Si autem non ea de Scripturis Sanctis legunt, ſed ſuis contentionibus perſuadere conantur, credo illa quæ in Scripturis Sanctis leguntur, non credo iſta, quæ ab hæreticis vanis dicuntur*. Si in ipſis Scripturis legitis Chriſtum Regem, Sacerdotem in æternum, & Eccleſiam hereditatem ſuam æternam, indefectibilem; ſi primum creditis, quare ſecundum negatis, quod videtis? Auguſtinus (*Epiſt.* 166.): *Si Chriſtum ipſum tenetis, ipſam Eccleſiam quare non tenetis? Si in ipſum, quem legitis, et non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Eccleſiam negatis, quam et legitis, et videtis?* Bene habet igitur Panigarola, dum ait quod ſcientes Calvinus, & alii Eccleſiam eſſe in terris eorum judicem: *Dic Eccleſiæ*, juxta ſententiam Chriſti; quærunt occultare judicem, ne damnationis ſententiam ſuſtineant: quemadmodum Adam poſt peccatum fugiebat a facie Domini, qui eum judicaturus accedebat.

76. Poſtremo reſtat ſolvendum dilemma, quod proponis *pag.* 131. *Vel Chriſtus loquitur de univerſali Eccleſia, vel de particulari. Si de univerſali, hæc eſt inviſibilis. Nos eam credere fatemur in Symbolo. Fides autem eſt ſperandarum rerum, argumentum non apparentium, ait S. Paulus. Si vero Chriſtus loquatur de particulari Eccleſia, hæc nedum poteſt delinquere, vel inviſibilis fieri, ſed in apoſtaſiam penitus reſolvi*. Chriſtus loquitur de *univerſali* Eccleſia, de collectione ſcilicet omnium Eccleſiarum quæ diffuſæ ſunt per univerſum Orbem, & de communione omnium fidelium; jamque hanc non eſſe *inviſibilem* dixi, quinimmo maxime certe *viſibilem*, utpote prædicatam, & erectam ab Apoſtolis, & viſibiliter profeſſam *viſibilibus* Sacramentis a *viſibilibus* Chriſtifidelibus. Porro ſi partes eam componentes, & modus qua componitur *viſibiles* ſunt, quomodo univerſalis Eccleſia, quæ totum eſt compoſitum, *inviſibilis* erit? Regnum Galliarum eſt *viſibile*, quia viſibiles ſunt Civitates, & Provinciæ, quæ illud componunt. *At in Symbolo Eccleſiam credimus: Credo Sanctam Eccleſiam catholicam; ergo Eccleſia eſt inviſibilis*. Belle illatum! Peto: Credis Scripturam? Nil frequentius iſta in ore verſas; eam tamen & vides, & legis. Ergo eſt *viſibilis*. Credis Baptiſmum & Cœnam? Indubitanter. Hæcne ſunt *inviſibilia?* Poteris igitur Eccleſiam etiam credere, quam vides. Animadvertere autem debes, quod quemadmodum S. Thomas Apoſtolus videns tangenſque Chriſtum qui reſurrexerat, aliud vidit, aliud credidit, humanitatem vidit, & divinitatem credidit, unde ſubjunxit: *Dominus meus, et Deus meus*; ſic in Eccleſia aliud videtur, aliud creditur. Videtur corpus hoc plebis, & Paſtorum,

rum, omniumque fidelium, communicantium in eodem cultu, ritu, eiſdemque Sacramentis; & hoc corpus videtur, non creditur. Fides porro, ſpes, charitas, gratia interior, omnia quibus hoc corpus Chriſto ſuo capiti unitur; totum hoc creditur, non videtur. Sic in homine videtur corpus, anima non videtur, homo tamen eſt viſibilis. Hæc univerſalis Eccleſia, ideſt corpus Eccleſiæ viſibilis, nec defecit unquam, nec deficiet. Huic promiſit Chriſtus(*Matt.16.19.*): *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam... Ecce vobiſcum ſum* (in prædicatione Evangelii, & adminiſtratione Eccleſiæ) *omnibus diebus* (non dicit per aliquod tempus) *uſque ad conſummationem ſeculi* (*Matth.* 28. 20.). Poſt tale promiſſum a Chriſto habitum, dicendum ne eam perditam dereliquiſſe per annos 1260? Vel Chriſtus verbo ſuo non ſtetit, vel vos mendacia confingitis ad decipiendas animas, ut facitis. Quos melius monere neſcio, quam S. Auguſtini verbis (*Lib.* 13. *contra Fauſtum cap.* 13.): *Propter hos enim motus parvulorum, qui poſſunt ſeduci ab hominibus, manifeſtationem claritatis Eccleſiæ Dominus quoque prævidens ait: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta; quia utique ſedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra, ut non audiantur illi qui ad religionum ſciſſuras traducunt, dicentes: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. Partes enim oſtendant, dicentes: Ecce hic, ecce illic. Cum illa civitas ſuper montem ſit; quem montem, niſi eum, qui ſecundum prophetiam Danielis ex parvo lapide crevit, et factus eſt mons magnus, ita ut impleret univerſam terram? Nec illi audiantur, qui ſub nomine quaſi ſecreta, et apocrypha unitatis, et hominum paucitatis dicunt: Ecce in cubiculis, ecce in deſerto; quia non poteſt abſcondi civitas ſupra montem conſtituta, quia ſedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra.*

§. VIII.

Antiquitas cultus Mariæ Virginis.

77. Cum Pater Segneri de laceſſito honore B. Virginis Lutherum accuſet, *facientem* (ut mendaciter aſſerit) *quamlibet mulierculam illi ſanctitate parem*; hic ejus vindicias aſſumis, eas ornans contumeliis in Eccleſiam Romanam, *ob novos titulos* (ais pag. 113.) *tributos Virgini, & novum cultum*. Lutherum obloquutum fuiſſe de Virgine negare nequis, ſi verax credi velis. Verum equidem, quod varius ſemper & nugax in ſuis opinionibus, interdum de ipſa bene loquutus eſt. In Evangelio Conceptionis B. M. *immunem eam facit ab omni peccato;* ſed *in Dominica prima poſt Epiphaniam* id negat, & aſſerit majorem ipſa peccatorem eſſe neminem. Sic in Sermone *de Nativ.* audet *parem ſe illi facere in ſanctitate*. Reſpondes *id intelligendum de ſanctitate Chriſti, omnibus fidelibus æque communem, & reſpectu hujus omnes eſſe æquales; & tales*, *ut fatetur Bellarminus, ſunt opiniones omnium Proteſtantium*. Verum id alius eſt error, velle omnes æque juſtos apud Deum, per juſtitiam Chriſti æque imputatam. Ex hoc capite prætendens Lutherus parem ſe eſſe Virgini in ſanctitate, audere etiam poterat juſtum ſe Chriſto æqualem facere; dum ea juſtitia qua Lutherus juſtum ſe reputabat, non tantum Virgo, quam Chriſtus ipſe juſtus ſit. Si omnes æque juſti apud Deum, quid Gabriel honoris cauſa ſuper alios Virginem ſalutavit: *Ave gratia plena, benedicta inter mulieres?* Etenim Lutherus quoque illi æqualem ſe reputabit, & plenum gratia, inter homines benedictum, cum eadem ſanctitate Jeſu Chriſti, qua ſancta erat Virgo, ſanctus etiam Lutherus eſſet, eademque omnibus æqualiter imputetur. Profecto non ita D. Auguſtinus loquebatur (*Ep.* 57. *ad Dardanum*): *Deus* (ait) *totus adeſſe rebus omnibus poteſt, & ſingulis totus, quamvis in quibus habitat habeant*

beant eum pro ſua capacitatis diverſitate, alii amplius, alii minus . . . Unde in omnibus Sanctis ſunt alii aliis ſanctiores, niſi abundantius habendo habitatorem Deum? Et alibi (*Epiſt.* 29. *ad Hieron.*, *Tract.* 6. *in Joan.*): *Induti ſunt Sancti juſtitia, alius magis, alius minus. Ipſi ſpirituales Sancti in Eccleſia ſunt alii aliis ſanctiores, alii aliis meliores.* Porro autem quod Lutherus ſuperbus, impudicus, mendax, virginitatis ſubſannator, ut oſtendi, æquiparet ſe ſanctitati Mariæ humillimæ, puriſſimæ, veraciſſimæ; ſuæ virginitatis tam anxie cautæ, ut ſolo nuncio divinæ maternitatis *turbata eſt in ſermone*; id nonne ſatis probat Lutherum impium blaſphemum, Picenino ſimilem? Quid refert Chryſoſtomum (nullo citato loco) inducere, *redarguentem Virginem incredulitate*, & D. Ambroſium in *Lucam* aſſerentem: *Arguitur Mater, quia adhuc quæ humana ſunt exigit?* Neque enim caſtiſſimi hi Patres hoc loquendi modo intendunt Virgini tribuere hujuſmodi defectus; ſed indicare ex ejus ſermone, & reſponſione Chriſti, quempiam ſuſpicari potuiſſe ipſam vel fiducia lapſam, vel humanum aliquod paſſam fuiſſe. Si autem hic de Virgine Patres illi, minori quam par ſit obſequio loquuti videantur, quot inde laudibus alibi illam extulerunt? Pſeudoreformatores vero unanimes ſunt ejus detrahendo dotibus. Sic Calvinus (*Harmon. Evang. ad c.* 1. *Lucæ num.*34.): *Videtur Sancta Virgo non minus maligne reſtringere Dei potentiam, quamprius Zacharias.* (*Num.*38.): *Non mirum eſt quod Dei potentiam Mariæ Angelus prædicat, cujus diffidentia fidem promiſſionibus ut plurimum detrahit.* Hæ Calvini laudes de Virgine; malignam eam aſſerere, divinam potentiam coarctantem, ac diffidentem divinis promiſſionibus. Præterea (*cap.* 12. *Matth. num.* 40.) ait importunam a Chriſto dictam fuiſſe: *Non dubium eſt, quin his verbis carpatur Mariæ importunitas, & certe præpoſtere curſum doctrinæ ejus abrumpere tentabat.* Legatur *cap.* 2. *in Joannem*; tum etiam Brentius *Lib. de omnipotentia carnis*, Carolus Molinæus, aliique.

78. Tu ipſe, quin longius quæram, hujus maledicentiæ argumenta præbes. Nos quippe rides, pie eam credentes peccato originis immunem, quod novum doctrinæ ſpecimen vocas. Falleris; novum non eſt: Patres enim de hac re quæſtionem habuerunt. Unuſquiſque ex Scripturis id poſſe deduci autumat; de qua re conſulantur Tractatores. *Patres decertabant in exaltanda ſanctitate Chriſti.* Optime quidem; ſed etiam in exaltanda puritate Virginis. S. Auguſtinus teſtatur (*Lib. de nat. & grat. c.* 6.): *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem.* Honor itaque, & ſanctitas Chriſti non impedit, ſed promovet Matris ſanctitatem; quam qui a peccato immunem pie credit, honorem etiam Filio pie defert. Nonne major Chriſti adaugetur gloria, ſi merita ſua efficacia credantur, nedum ad liberandum hominem peccato irretitum, quam ad præſervandum eum, qui, ſine illis, neceſſario infectus fuiſſet? *Patres decertant in extollendis prærogativis conceptionis Chriſti* (ut tu ſubdis). Verum late diſtant Chriſti conceptio, & illa Virginis. De Spiritu Sancto conceptus Chriſtus, hujuſmodi conceptione nedum peccatum non habuit, ſed nec habere potuit. Virgo virili ſemine concepta, peccato originis obnoxia fieri debuerat; quod vero gravium Doctorum ſententia illud non habuerit, ex gratia accidit. Chriſtus redemptione non indiguit, quæ Virgini ſicut ceteris neceſſaria fuit. Ipſa, cum ceteris, in voluntate Adami peccatoris fuit, a natura corrupta originem duxit, & generali lege maculam contrahere debuerat, a qua redempta ſpeciali privilegio fuit; & quemadmodum alii rediṁuntur a contracta ſervitute peccati, B. Virgo redempta fuit a lege ipſa peccati.

79. *Evangeliſtæ Mariam Mulierem appellant.* Talem etiam eam nos

fatemur,

fatemur, deteſtantes *Collyridianos* Deam eam venerantes, & Calvinum mentiri dicimus, dum *c. 2. in Joan.* oppoſitum nobis imponit. Nos redarguis, nomina Virgini nova admodum tribuentes, quæ non agnovit antiqua Eccleſia. *D. Lucas eam vocat Matrem Jeſu.* A nobis autem dicitur *Maris ſtella, Janua Cæli, & Regina, Mater gratiæ, infelicium ſpes, refugium peccatorum, ad eam confugimus, corpus & animam ipſi commendamus nunc, & in hora mortis noſtræ. Antiqua ne* (clamas) *ſunt hæc nomina? Antiquus ne cultus iſte?* De nominibus primum, poſt de cultu. Nomina quibus Virginem colimus, in Scripturis non leguntur; quid porro? Neque in Scripturis profecto legimus vanos titulos, quos ſibi arrogabat Lutherus, *Evangeliſtæ, Reformatoris* Eccleſiæ. In Scripturis nec verbum quidem de inſigni iſtorum reformatione, quam tamen tueri prætendunt. Aſt in propoſito Virginis ſiſtamus. *Scriptura non vocat Virginem niſi Matrem Jeſu.* Id falſiſſimum. Etenim (*Lucæ* 1. 43.) ab Eliſabetha dicta eſt Mater Domini: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ni autem Neſtorianum te fieri velis, non tam Matrem Jeſu, quam Dei Matrem eam vocare teneris. Ex eodem textu eam Calvinus ipſe Dei Matrem fatetur. Offendunt te hi tituli, quaſi Dei & Chriſti proprii? At Chriſti proprium eſt plenum gratiæ dici: *Plenum gratiæ* (*Joan.* 1.) attamen id Angelus Mariæ tribuit: *Gratia plena* (*Lucæ* 1.); immo et Stephano tribuitur (*Act.* 6.): *Stephanus autem plenus gratia.* De ſeipſo Chriſtus ait: *Ego ſum lux Mundi* (*Joan.* 9. 5.), quo tamen titulo ipſemet Apoſtolos ſuos honeſtavit: *Vos eſtis lux Mundi.* Paulus Apoſtolus (1. *Theſſal.* 2. 19.) non dubitavit Theſſalonicenſes appellare ſpem ſuam, gaudium, gloriam, & coronam; nec licebit nobis, abſque nota erroris, eadem Dei Matri tribuere? D. Hieronymus (*Serm. de Aſſumptione*), vel ut placet Eraſmo D. Auguſtinus, poſt multas laudes Virginis, concludit: *Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minus profecto eſt, quam dignitas tua meretur?*

80. Agnoſco equidem quid tibi in his titulis diſpliceat; nempe quod magnam Virginem Advocatam noſtram, & mediatricem apud Chriſtum invocemus, & ſpem noſtram in ejus interceſſione reponamus, implorantes illius opem in vita, & morte. Hæc cauſa cur novi apud te ſint hi tituli, novus iſte cultus. Spero inferius id enucleate tecum tractaturum. Pro nunc ſcito: Nos Mariam agnoſcimus, & veneramur Matrem Dei mediatoris apud Patrem, & ſperamus ſola Matris interceſſione eam impetraturam nobis a Jeſu eius filio gratiam, gloriam, & quodcunque bonum. Id ne novum dogma? Profecto vetuſtiſſimus, non novus eſt S. Irenæus, qui (*Lib. 5. adverſ. hæreſ.*) opponens Evam Mariæ, hanc illius Advocatam appellat: *Et ſi ea* (Eva) *inobedierat Deo, ſed hæc* (Maria) *ſuaſa eſt obedire Deo, uti Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata: & quemadmodum adſtrictum erat morti genus humanum per Virginem, ſalvaretur per Virginem &c.* Antiqui ſane S. Athanaſius, S. Epiphanius, Sanctus Ephrem; primus tamen (*Evang. Deipar.*) eam vocat Dominam. & Reginam; ſecundus (*Serm. de laudibus Deiparæ*) Cæli & Terræ mediatricem; & tertius (*Serm. de laud. Dei Matris*) deſperantium ſpem, ſcalam, & Cæli portam. Hieronymus inter antiquos Patres reputatur, qui tamen *Sermone* ſupra citato *de Aſſumptione*: *Neque enim* (ait) *dubium eſt, illam quæ meruit pro liberandis ferre pretium, poſſe impartiri ſuffragium liberatis. Noſtra inter hæc jugis oratio ad Dominum dirigatur &c.* Et ibidem: *In Chriſto fuit plenitudo gratiæ ſicut in capite influente, in Maria vero ſicut in collo transfundente.* Videatur etiam Sermo antecedens, elogiis Virginis plenus; quæ etſi Hieronymi non eſſent, vetuſto tamen adſcribuntur Auctori. *Virginem dicimus, quæ Matremr Filio ſuo imperare.* Id novum? Nonne in Evangelio

lio ſcriptum de Chriſto: *Erat ſubditus illis?* Chriſtus olim mortalis obediebat Mariæ, qua Matri; nunc vero glorioſum in cælis indecens erit Matris precibus ita conſtringi, quaſi ejus nutu, & imperio gratias impartiri videatur? Oh pſeudoreformatorum perfidia! Novum non eſt ſervum, qualis Moyſes erat, precibus ſuis Dei manus quodammodo obligare, & quod audiatur (*Exodi* 22. 10.): *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus*. Novum non eſt Joſue Soli imperantem (*Joſue* 10. 14.) Deum quaſi ſibi obtemperantem cohibere: *Obediente Deo voci hominis*. Et novum erit a Catholico dici interceſſionem Mariæ, utpote Matris, tantæ efficaciæ apud Chriſtum Filium ejus eſſe, quod preces ſuæ quędam præcepta videantur? Novum ſane impietatis genus id negare, quemadmodum piiſſimum eſt id aſſerere. *Virgo honorabilis eſt, ſed nobis colenda non exhibetur*. Sic opponis S. Epiphanii nomine (*hæreſ.* 79.). Verum adverſus quos loquebatur Epiphanius? Contra *Collyridianos* hæreticos, adorantes Virginem cultu Deo parem, quaſi Dea fuiſſet; quare ibi refert quaſdam mulieres obtuliſſe Mariæ in Sacrificium quandam ſpeciem panis in quadrato curru. Hinc recte Epiphanius: *Hac ſpecie cultus adoretur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; nemo autem ſic Mariam adoret, quoniam Sacrificium ſoli Deo eſt offerendum*. Interim ea tibi de Mariæ cultu proferam, quæ Grotius Riveto ſcribebat de cultu, vel invocatione Angelorum (*diſcuſſ. Rivet. Apologet.*): *Si per invocare intelligit in Angelis tanquam omnipotentibus fiduciam ſuam collocare, aut etiam ſacrificia ipſis offerre; habet pro ſe Auguſtinum, & bonos omnes. Sin vero invocare dicitur is, qui orat Angelos, ut preces ſuas ad Deum deferant, eique eas commendent, habet contra ſe veteres*. Nos hac ratione invocamus Virginem, & Angelos; cui dum repugnas, tum novum dogma introducis. De ea autem querela quam in Patrem Segneri inſtruis, quod Lutherum & Calvinum inique accuſaverit, obloquutos fuiſſe de Chriſto, & Scriptura; aliqua dicam ad calcem hujus Capituli.

§. IX.

Alia catholica dogmata antiquitati vindicata.

81. Quæ ſupra §. 6. de antiquitate catholicorum dogmatum oſtenſa ſunt ipſo proteſtantium teſtimonio, & collatione primęvæ, Romanæ, & pſeudoreformatæ Eccleſiæ, ſatis, ut puto, eſſe debuerant ad fręnandam audaciam tuam; ne tamen quidquam integrum pręteriiſſe videamur, audiamus quæ *pag.* 135. iterum revolvis: *Antiquum eſt illud, quod a principio fuit, & ab Apoſtolis deſcendit. Ad nos igitur Jeſuita; conferamus hoc axiomate utramque Religionem. Deum colere ſine imaginibus, ut mea docet Religio, cultus eſt vetuſtiſſimus, Mundo coætaneus, a Deo præceptus, & obſervatus ab Eccleſia ante Redemptoris ortum, & pluribus ſeculis poſt etiam retentum*. In Synagogam ingredi ad quærendam rituum vetuſtatem, Judaiſmum male olet. Quot enim tu ipſe damnas, quæ retinent Hebræi ut a Deo ordinata? Memento Lutherum (*Conc.* de *Moyſe*) dixiſſe Moyſis legem Hebræis datam, non Chriſtianis. In Eccleſia Chriſti Imaginum uſus arbitrarius fuit, a ſeculo tamen ſecundo inolevit, ut tuorum teſtimonio probavi. Julianus Apoſtata Chriſtianis Cruces abſtulit, ergo uſu habebantur. Loco ſimulacri Chriſti ſuum poſuit, ergo Chriſto erigebantur Statuæ. Novum affirmo earum uſum reprehendere, & ſtato loco id oſtendam; non autem novum, immo antiquiſſimum eas ponere. Cujus auctoritatis ſit Polydori Virgilii dictum a te citati, Voſſius ipſe tradit (*de hiſt. Lat. lib.* 3. *c.* 12.) ad quem lectorem mitto.

82. *Recitare preces, & ſacra facere lingua populo nota, quod retinet mea Eccleſia, antiquiſſimum eſt. Ab*

initio fuit, *& ab Apoſtolis traditum*. *E contra*, *antiqua Romana lingua uti*, *quod in tua Eccleſia fit*, *mos eſt noviſſimus*. Sic nugaris *pag.* 113. *Antiqua Roma* lingua nos orare fateris, inde hæc orandi ratio *morem noviſſimum* dicis. Eccleſia Romana antiqua qua lingua orabat; nova, an *antiqua*? Antiqua, profecto dices. *Antiquam* igitur *Romæ* linguam adhibentes, id facimus, quod Romana Eccleſia antiqua faciebat. Quomodo igitur mos iſte noſter noviſſimus? Oſtende antiquiſſimum fuiſſe morem, lingua vulgo nota orare. Ego oppoſitum comperio. Poſt Chaldaicam captivitatem hebræa lingua a vulgo obſolevit, cui Syriaca lingua vernacula erat; & tamen in Synagoga Scriptura Hebræa legebatur. Quoniam vero populus ignorabat quæ legebantur, Nehemias, Eſdras, et Levitæ ea explicabant. *A diebus Eſdræ* (Sic R. Maimonides *de precibus*, *& benedict. Sacerdot. c.* 12. §. 10.) *mos eſt* (in Synagoga) *interpretem interpretari populo, quod ex lege lector legit, ut intelligant omnes ſenſum eorum quæ leguntur*; addendo ſcilicet lectioni Hebraici textus verſionem in linguam vulgi, quo inductæ ſunt variæ paraphraſes, Chaldaica, et Syriaca, quæ vulgares linguæ Hebræis illorum temporum erant. Textus tamen ſemper hebraicum idioma retinuit. Et quanquam Eſdras characteres mutaverit Hebraicos in Chaldaicos, idioma tamen integrum ſervavit. Sic Eccleſia Chriſti antiqua. Apoſtoli per varias Mundi partes Eccleſias fundarunt. Sanctus Irenęus refert (*Lib.* 1. *adverſ. hæreſ. c.* 3.) Eccleſias in Oriente, Libya, Ægypto, Hiſpania, Germania, Gallia, Italia &c. erectas. Attamen non omnium nationum linguis Evangelia ſcripſerunt. Hæc enim ſcripta ſunt Hebræa, Græca, et Latina lingua. D. Paulus Gręce ad Romanos ſcripſit, neque hæc erat Romanis lingua gentilitia. Petrus et Jacobus ad Hebræos ſcripſerunt, nec tamen Syriace, ſed Græce ſcripſerunt. Verſiones inde factæ, vel græca, vel latina, vel alia matrici lingua exaratæ fuerunt. His omnes utebantur, quanquam non omnibus notæ eſſent; nec unquam audivi ſingulas gentes ſingulas verſiones proprias vulgari lingua habuiſſe. Hebræi uſque modo legunt Biblia in lingua hebræa; quis autem aſſeret miſeræ huic Genti ubique diſperſæ hanc eſſe vulgarem linguam?

83. Antiquæ Eccleſiæ mos uſque ad pſeudoreformationem fuit legere Scripturas, et preces publicas habere lingua Latina, Græca, Illyrica, et Hebræa. Inſolentiſſimum igitur, dicet Auguſtinus *Epiſt.* 118., eſt prætendere contrarium fieri: *Contra id quod univerſa facit Eccleſia diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*. Divina Officia, et publicæ preces, quæ in Miſſa, et Choro a Sacerdotibus perſolvuntur, ab ipſis intelliguntur. Si populus ea non intelligit, nihil refert, quoniam non populo, ſed Deo offeruntur propter populum; idcirco ſufficit quod ea intelligant oratores, et Deus exoratus. Quot vicibus Eccleſia orat pro his qui non audiunt, nec præſentes ſunt, nec poſtulant pro ipſis orare? Preces autem iſtæ, ideo quia non exaudiuntur, nil proſunt? Sed in antiquitate ſiſtamus. D. Thomas a te citatus abſolute non affirmat in antiqua Eccleſia vulgari lingua orari ſolitum, ſed ait: *Hoc forte fuit in Eccleſia primitiva*, quoniam tum inſtructi non erant quid ejuſmodi precibus, et benedictionibus ageretur: *Sed poſtquam fideles inſtructi ſunt, & ſciunt quæ audiunt, in communi Officio fiunt benedictiones in latino.* Quare Jacobe mi ſincera fide integrum non refers, ſed mancum et mutilum hujus S. Doctoris textum? Cur ejus ſententiam laceras? Et tandem cur non expedit Latinæ Eccleſiæ latino ſuo idiomate uti? Eccleſia Hebræa hebræam linguam in ſuis precibus retinuit, tum etiam cum hæc a vulgo obſoleſceret. R. Maimonides id teſtatur præcitato loco *c.* 1. §. 5.

84. Mos hic non heri, nec nudius-

dius-

diuſtertius invaluit. Revolve vetuſtas Liturgias, non eas invenies editas niſi lingua Latina, Græca, vel alia primigenia lingua pluribus nationibus communi, ſolis Doctis nota, & Miniſtris Sanctuarii, qui eas minutæ plebi explicant, ut ab iſtis inſtructa valeat reſpondere *Amen.* Non hi nos ſumus, qui populo Deum proponamus loquentem peregrina lingua; id autem accideret, quotieſcunque vel Germanica, vel Anglica lingua, in Italia, vel Galliis Deum alloquentem induceremus. Non enim extranea eſt lingua illa, quæ ignaris licet ignota ſit, communis tamen eſt, dum ubique ſit qui illam exerceat, & viris doctis, & Miniſtris præſertim familiaris. Barbara eſſet, ait D. Paulus (1. *Corinth.* 14. 11.), ſi ignota eſſet loquenti, & audientibus: *Si neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus: et qui loquitur, mihi barbarus.* Verum cum nota ſit loquenti, qui eam populis explicat, idem eſt ac ſi vulgari lingua uteretur. Id frequenter faciunt Parochi in parœciis ſuis, Concionatores ex ſuggeſtibus; proferunt latine ſententias & textus Scripturæ populo, & immediate illas explicant, & docent, doctrina Patrum, & Eccleſiæ, verum illorum ſenſum. Scriptura panis eſt, non omnium dentibus integer conterendus, ſed illius tantum, qui forti, & virili acumine valet. Parvulis miniſtrari debet in fruſta, & micas. *Non omnes capiunt verbum hoc*, Chriſtus ajebat (*Matth.* 19. 11.). Quamobrem & antiqua, & prudentiſſima eſt Eccleſiæ meæ conſuetudo exponendi Scripturas, & publicas preces ab illa decerpias recitandi idiomate ſolis viris doctis noto, qui a Patribus antiquis inſtructi, enucleare valeant verum, & legitimum ſenſum; non idiomate omnibus noto, & communi etiam ignaræ, & rudiori plebi, dum huic frangi debeat panis iſte juxta captum eorum, & modum, in inſtructionibus & Catechiſmis. Quocirca refert Theodoretus (*lib.* 4. *hiſt. cap.* 17.) quod pronuntiato a coquo Imperatoris quodam Scripturæ textu, in hunc modum eum reprehendit S. Baſilius: *Tuum eſt de pulmentis agere, non dogmata divina decoquere.* Quid porro Sanctus hic Pater exclamaret, videns monſtrum hoc novum a pſeudoreformatis introductum, lanios nempe, ſutores, veteramentarios, paraſitos, & deliras anus Scripturis ſenſa dare?

85. Audiamus te iterum *pag.* 136. *Habere in Euchariſtia veram Communionem, in qua fideles omnes communicent, mos eſt antiquiſſimus, a Chriſto preceptus: Accipite, & manducate; a S. Paulo praſcriptus, a primitiva Eccleſia uſu frequentatus.* Certum eſt veteres Chriſtianos ſolitos fuiſſe quotidie communicare; quod affirmat Hugo a te citatus (*in Spec. Eccleſ.*): *Dicitur Communio, quia in primitiva Eccleſia populus communicabat quotidie.* Quare Calviniſtæ hunc uſum non retinent? Ex his qui in Eccleſiam conveniebant primævis temporibus, plurimi digni non erant, alii conſcientia non ita probata, & pura; hi certe juxta præceptum Apoſtoli non communicabant. Non omnes itaque qui intererant communicabant. Sic plane nos facimus. Non omnes qui Miſſæ adſtant communicant, ſed ſoli illi, qui diſpoſiti, & probati ſunt; & hoc novum? Chriſtus dixit: *Accipite, & manducate*; non autem: *Accipite, manducate, & aliis diſtribuite.* Poſſunt Sacerdotes aſſumere Euchariſticum panem, comedere, nec aliis ſemper diſtribuere, vel quia nullus ſit cui detur, vel quia adſtantes diſpoſiti non ſint. Apoſtolis dixit *quod ipſe fecerat, & illi facerent.* Id tamen intelligendum *pro loco, & tempore*, ideſt quod ipſi acciperent, & manducarent, & ceteris diſtribuerent, ſi tamen adeſſent, & diſpoſiti eſſent. Si Durandum citare tibi placuit, non tamen eum rodere Mus Cairinæ debueras. Is quippe Auctor ait (*In Rat. divini Offic. lib.* 4. *cap.* 53. *n.* 3.): *Ceterum in primitiva Eccleſia omnes, qui celebrationi Miſſarum intererant,*

 ſingu-

ſingulis diebus communicare ſolebant. Quare verba intermedia, ſcilicet *ſingulis diebus*, taces? Quippe ſi hujus Scriptoris ſententia nos a primitivæ Eccleſiæ more recedimus, non diſtribuentes fidelibus Communionem per ſingulas Miſſas; Eccleſiæ etiam pſeudoreformatæ in hoc ab illa deficiunt, quod *ſingulis diebus* non communicant, immo Miſſam ipſam abrogarunt. Quapropter fateri cogeris in hoc juxta diverſa tempora varios ritus fuiſſe introductos, non quo ad juge ſacrificium, quod quotidie ſemper oblatum fuit, ſed quo ad Fidelium Communionem; quia, ut Innocentius III. a te citatus (*can. Quotidie, de Conſec. diſt.* 2.) monet, aucto Fidelium numero, & forte tepeſcente fervore Charitatis, ſancitum fuit ut Dominicis ſaltem diebus communicarent; perinde, ter ſaltem in anno; & tandem ſemel tantum in anno (*extra de pœnit. & remiſſ. pecc. c. Omnis*). Ætate D. Joannis Chryſoſtomi adeo Communionis deſiderium in Chriſtifidelibus defecerat, ut quotidie licet offerretur, nemo tamen accedebat ad Communionem; quare dolebat (*hom.* 3. *in Epiſt. ad Epheſ.*): *Fruſtra habetur quotidiana oblatio, cum nemo ſit qui ſimul participet*. Non itaque contrarium eſt Chriſti præcepto, nec vetuſtati, quod Sacerdos celebret, quanquam nemo ſit qui ſimul communicet. In ſumma: hi ſunt ritus, quorum obſervantia libera eſt, & varia pro temporum diverſitate, & circumſtantiarum. Sic S. Auguſtinus (*Epiſt.* 118.): *Alia vero, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt quod alii jeiunant Sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Dominico, & ſi quid aliud animadverti poteſt: totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes*.

86. Inſiſtis *pag.* 137. *Diſtribuere in Euchariſtia panem & vinum omnibus, ritus eſt vetuſtiſſimus*. Sed non neceſſarius, nec ſemper ſervatus; unde male ſubdis: *Tollere populo uſum Calicis, abuſus eſt noviſſimus*. In Actibus Apoſtolorum, dum ſermo habetur de Communione Fidelium, panis mentio fit: *Erant autem perſeverantes in oratione, & doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis* (*Act.* 2. 42.); & hic ſermo eſt de pane Euchariſtico, ut ipſe Lutherus fatetur (*Ser. de Euchariſtia*) & Calvinus (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 35.), quinimmo credibile eſt inter illorum temporum Chriſtianos nonnullos fuiſſe Nazarenos, voto obſtrictos ad vini abſtinentiam; quare valde probabile eſt Apoſtolos, tum etiam legales obſervantias permittentes, his ſolum panem miniſtraſſe; non enim credibile Communione illos omnino privaſſe. A Divo Paulo (1. *Cor.* 10. 16.) commemorato pane Euchariſtico, dicitur: *Panis quem frangimus*. Loquente autem de Calice, non dicitur Calix, quem propinamus, ſed: *Calicem benedictionis, cui benedicimus*. Et de omnibus Fidelibus participantibus Euchariſtiam, ait: *Omnes qui de uno pane participamus*; nec ſubdit *de Calice*. Agnoſcat ex his lector, cujus perfrictæ frontis Piceninus ſit, qui Italiæ venditare audet qua certiſſimum, quatuordecim ſeculis uſum Calicis in Eccleſia Laicis conceſſum, cum Apoſtolorum uſque temporibus ſolum panis uſum habitum fuiſſe aliquando conſtet. Antiqua Eccleſia utriuſque ſpeciei uſum habebat, non tamen neceſſarium putabat, quare ſæpe in una ſpecie communicabat. In Paſchate conſueverant Epiſcopi, in charitatis ſignum, alternatim Euchariſtiam mittere. Laicis per aliquod tempus ſolitum fuit Euchariſtiam tradere, ut ſecum deferrent, & domi ſervarent. Itinerantibus etiam impertiebatur. His profecto ſolus panis diſtribuebatur, dum Calix nonniſi in Eccleſia miniſtraretur, ut oſtendit Cyrillus (*Catecheſ.* 5.). Illi Fideles qui domi ſumebant Euchariſtiam, ſicut & itinerantes, ex conſenſu Eccleſiæ id faciebant,

&

Digitized by Google

& ſancte communicabant. Cur audes igitur aſſerere uſum diſtribuendi communicantibus ſolum panem eſſe *Sacrilegium noviſſimum?* Ex his, innumeriſque aliis exemplis ſuaſa S. Mater Eccleſia, nunquam cenſuit neceſſarium miniſtrare communicantibus Laicis panem ſimul, et vinum, ſed id cenſuit liberum eſſe, et indifferens. Concilium Conſtantienſe, non ex levi et ridicula ratione, ſed ex honeſta et graviſſima, motum fuit ad illud prohibendum; unde ſanxit (*Seſſ. 21.*) *non recte colligi utriuſque ſpeciei communionem a Domino præceptam eſſe*. Videnſque inde *Huſſitarum*, & *Wicleſiſtarum* pertinaciam, utriuſque ſpeciei uſum ſibi contendentem ut a Chriſto præceptum, et coeſſentialem Sacramento, optimum cenſuit confirmare uſum iam inolitum communicandi Laicos ſub una tantum ſpecie, et damnare aſſerentes ſumptionem utriuſque ſpeciei neceſſariam ex præcepto Chriſti. Perperam autem et fruſtra laboraſti noſtrorum dicta colligens, ut oſtenderes uſum utriuſque ſpeciei fuiſſe antiquitus frequentatum; id quippe negare nunquam ſomniavimus. Negamus equidem antiquitatem id cenſuiſſe neceſſarium ad veritatem Sacramenti, ſicut et utriuſque ſpeciei diſpenſationem neceſſariam, non vero liberam habuiſſe, et circumſtantiis accomodatam. Quare Divus Thomas a te citatus, poſtquam dixerat: *Secundum antiqua Eccleſiæ conſuetudinem omnes ſicut communicabant Corpori, communicabant & Sanguini;* ſubdit (*In Cap. 6. Joan. lect. 7.*) quod hoc ſua etiam ætate a quibuſdam Eccleſiis retinebatur; in aliis vero: *Propter periculum effuſionis ſolus Sacerdos communicat Sanguini, reliqui vero Corpori*; et concludit: *Nec enim eſt contra ſententiam Domini, quia qui communicat Corpori, communicat etiam Sanguini, cum ſub utraque ſpecie totus Chriſtus contineatur, etiam quantum ad Corpus, & Sanguinem.* Hæc autem Sanguinis ſumptio, ſolis Sacerdotibus reſervata, reſpondet praxi antiquæ legis, in cujus ſacrificii de libaminibus ſoli Sacerdotes participabant: *In lege autem veteri de libaminibus nihil habebant offerentes, ſed ſoli Sacerdotes: per quæ ſignificabatur potus hujus Sacramenti; de Sacrificiis autem habebant, quibus ſignificabatur cibus hujus Sacramenti.* Sic idem *D. Th. in 4. diſt. 11. qu. 2. ar. 1. queſt. 1. ad 3.*

87. Falſiſſimum pariter eſt, *Tranſubſtantiationem* in articulum fidei ſancitam fuiſſe in Concilio Lateranenſi anno 1200. Hujus vocabuli res eadem antiquitate gaudet, ac Euchariſtia, *Tranſubſtantiationis* licet nomen ante illud Concilium forte non fuerit auditum. Permiſſo a Concilio Lateranenſi fuiſſe impoſitum nomen ad ſignificandum, rei tamen ſignificatæ ſubſtantia, ſcilicet converſio panis & vini, in Corpus & Sanguinem Domini, non ab ipſo primo ſancita, cum ſemper a quocunque Catholico hæc credita fuerit. A Concilio etiam Nicæno primo impoſitum fuit nomen *Omouſion*. Ideo ne dicendum, Filium Patri eſſe conſubſtantialem, ante illud Concilium ad fidem non pertinuiſſe? Nonne mendax hæc, & affectata ignorantia, tendit ad ſeducendos puſillos, & ſimplices, ut novum credant, quod cum ipſa Eccleſia antiquum eſt? Propterea ſcito: *Ad invenienda nova nomina, antiquam fidem de Deo ſignificantia, coegit neceſſitas diſputandi cum hæreticis. Nec hic novitas vitanda eſt, cum non ſit profana, utpote a Scripturarum ſenſu non diſcordans.* Sic D. Thomas *1. p. q. 29. ar. 3. ad primum*. Vox igitur *Tranſubſtantiatio*, ſi nova tibi videtur, redargue Berengarium, Lutherum, Calvinum, alioſque tui ſimiles, qui contradicentes vetuſtæ Myſterii veritati, Eccleſiam ſolicitarunt ad hanc novitatem.

88. De Feſto, quod *Corporis Chriſti* dicitur, iterum ſermo. Immemor forte *Cap. 2. §. 4. n. 37.* jam ad nauſeam uſque de eo loquutum, eandem hic, ut ajunt, crambem recoquis

coquis *pag.* 137., inquiens: *Hoc certe novum; conſtitutum quippe fuit ab Urbano IV. ex ſomnio mulierculæ.* Senſim quæſo. Aliud quippe eſt myſterium, aliud myſterii feſtum. Myſterium eſt Euchariſtia, & hæc vetuſtiſſima, utpote a Criſto inſtituta. Feſtum vero inſtitutum fuit ab Urbano IV., ſed non ex ſolo ſomnio *Mulierculæ*, ut oſtendi citato loco. Novum itaque feſtum, quanquam pſeudoreformatione antiquius; myſterium tamen novum non eſt. Fidei autem articulus eſt myſterium, non feſtum. Pater Segneri *Novatores* appellat hoc feſtum negantes, quatenus hujus negaudi perfidia procedit ab ipſa negatione myſterii, ideſt a perfidia negandi realem & adorabilem præſentiam Chriſti in Euchariſtia. Neceſſarium porro eſt myſteria antiqua eſſe; feſta autem *noviter* etiam introducta quid obſunt?

89. *Antiquiſſima* (ſic ais pag. 137.) *eſt doctrina, quæ propria rejicit merita, & unice ſiſtit in juſtitia Chriſti*. Vel Picenine loqueris de meritis innixis naturalibus liberi arbitrii viribus ſemota gratia, quo ſenſu doctrina propria rejiciens merita antiquiſſima eſt, et adverſus Pelagium eam teneo. Vel de proprio merito hominis gratia viribus adjuti loqueris, quaſi quod homo gratia per Jeſum Chriſtum ornatus nullum opus meritorium elicere valeat, ſed omne meritum ipſi a Chriſto ſit imputatum: quo ſenſu doctrina quæ adverſatur propriis meritis error eſt antiquiſſimus; quæ vero illis adhæret, dogma eſt antiquiſſimum, a Scriptura, & Patribus acceptum.

90. In Purgatorium deſcendimus, quod tibi videtur novum ædificium, *inter articulos fidei* (ut ais pag. 138.) *anno* 1439. *adſcriptum*. Antiquiſſimum autem illud ego aſſero, quod et Magiſtri tui Calvini teſtimonio oſtendi. Hoc pertinere ad fidem declaratum fuit ab Eugenio IV.; non quaſi quod antea ad fidem non pertineret, ſed quia tum ejus fide negata, neceſſarium fuit proponere Eccleſiæ antiquam fidei veritatem. Si Arius IV. ſeculo natus diebus hiſce noſtris vixiſſet, et ad ejus proſcribendum errorem Concilium Nicænum cogeretur, in quo definiretur adverſum ipſum, eſſe Filium ejuſdem eſſentiæ cum Patre, auderesne dicere divinitatem Filii articulum *novum* eſſe, et *novitatem*? Cur autem hoc de Purgatorio, Indulgentiis, ceteriſque muſſitas? Dogmata ſunt antiquiſſima, ab antiqua Eccleſia credita, et venerata; vos vero perfidi pſeudoreformatores erroris *novitate* ea renovare coegiſtis, quatenus per *nova* decreta adverſum vos vetuſta veritas fuit confirmanda, ne ab antiqua, et pacifica poſſeſſione deturbaretur. Circa ea quæ de ritibus murmuras, pro nunc habeas a Chriſto non fuiſſe præſcriptos, ſicut nec omnes ab Apoſtolis, ſed arbitrio Eccleſiæ commiſſos. Quare quemadmodum antiqua Eccleſia poteſtatem habuit eos rationabiliter introducendi, ſic Eccleſia præſens poteſtatem retinet eos rationabiliter immutandi. Quam veritatem ipſi fatentur tuæ pſeudoreformationis miniſtri (*in præfatione ad Confeſſ. Helvet. an.* 1566.): *Tametſi vero in diverſis Eccleſiis quædam deprehenditur varietas in locutionibus, & modo expoſitionis doctrinæ. IN RITIBUS ITEM, ET CÆREMONIIS, eaque recepta pro Eccleſiarum quarumlibet ratione, opportunitate, & ædificatione, nunquam tamen ea ullis in Eccleſia temporibus materiam diſſenſionibus, & ſchiſmatibus viſa eſt ſuppeditare. SEMPER ENIM HAC IN RE CHRISTI ECCLESIÆ USÆ SUNT LIBERTATE, id quod in hiſtoria Eccleſiaſtica videre licet.* Diligens lector attente recole hanc adverſariorum doctrinam, quæ non raro opportuna erit, ad garrulum, et importunum os Picenini obſtruendum.

91. Nunc venio ad *Canonizationem Sanctorum*, cujus pag. 138. Auctorem appellas *Leonem III.* Vel ritum hic, vel ſolemnitatem, vel rem ipſam intelligis, referendi aliquem inter Sanctos. Si de ritu ſermo ſit, facile dabo morem hunc, et

for-

ſormam hodie ſolemnem in ſanctificatione Sanctorum novam eſſe, et ejus inſtitutorem fuiſſe Leonem Summum Pontificem. Si vero ſermo ſit de re ipſa, nempe de publico illo teſtimonio, quod præbet Eccleſia circa alicujus inſignis viri jam defuncti Sanctitatem, in qua proprie conſiſtit Canonizatio Sanctorum, hanc antiquiſſimam aſſero; nam in Eccleſia ſcribebantur Martyrum nomina, et ſignato Die Martyrii, anniverſaria eorum memoria celebrabatur. D. Cyprianus id teſtatur (*lib. 3. epiſt. 6. num. 37.*): *Dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus &c.* Videatur etiam *lib. 4. Epiſt. 5. nunc Epiſt. 34.* Poſtea publica populorum acclamatione Sancti habebantur. Verum cum abuſus irrepſiſſe viderentur, ſtatutum fuit hoc judicium reſervandum ſoli Romano Epiſcopo. Canonizatio itaque Sanctorum habita eſt omni ætate, nec nova eſt; tu vero attentius Bellarminum legere debebas *Lib. 1. de SS. Beat. cap. 7. & 8.*

92. Tandem perorationem inſtituis, declamando abſurda *novitatis*. Verum cum ſatis ſuperque oſtenſum ſit non nos, ſed vos eſſe novitatum artifices, tecum ipſo condolere, & conqueri poteris; et comperto te eſſe miſerum illum a S. Auguſtino (*Epiſt. 23.*) deſcriptum in foveam lapſum, exclamare debes ad Dominum, ut det tibi ſuam Gratiam; nec membrum eſſe ſani corporis adulari tibi debes, cum tu cum corpore tuo in plagis, tenebris, et peccatis totus ſis a planta pedis uſque ad verticem capitis: cum tot ſint errores, et delicta tua, quot dogmata Romanæ Eccleſiæ opponis. Ne tamen in fine hujus capitis te penitus neglexiſſe videar, querelam illam aſſumam adverſus Patrem Segneri *pag. 134.* a te confutam, qua de illo doles Luthero inceſſiſſe, quod is *a Catalogo Sacrorum Librorum tria Evangelia expunxerit*, quodque Redemptor Chriſtus ab eo dictus ſit *Peccator, immo Peccatorum maximus, latro, adulter, homicida, fur, ſacrilegus, blaſphemus; immo unicus, ut alius præter eum nullus ſit peccator.* Lutherum a Catalogo ſacrorum Librorum expunxiſſe aliquos veteris Teſtamenti libros, eos nempe omnes, qui in Canone Hebræo relati non fuerunt, quanquam eos cerneret adſcriptos in Canone Eccleſiæ, certe non negabis, cum in hoc crimine tuo Magiſtro conſentias: ſicuti et rejeciſſe ex novo Teſtamento Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, illam Sancti Judæ, tertiam S. Ioannis, D. Petri ſecundam, Apocalypſim, et illam D. Jacobi; quanquam poſtea ſe retractaverit, ſibi adoptato dicto S. Auguſtini (*lib. de dono perſev. cap. 11.*): *Scripturas ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, immo ſacrilegio, quod volunt ſumant, quod nolunt rejiciant.* Auctores communiter idem tradunt. Expunxiſſe autem tria Evangelia a Catalogo Librorum Sacrorum, fateor apud quemquam me nunquam legiſſe. Puto potius cuncta quatuor quot ſunt deleviſſe, quoniam ea verſio, quam iſtorum inſtituit in idioma germanicum anno 1530. tot ſcatet variationibus, interpolationibus, quibus ea fœdavit, et adulteravit, ut teſtantur Emſerus, Staſilus, Vicelius, quod verius dicendum, Lutherum expunxiſſe a Canone Evangelia ab Evangeliſtis ſcripta, ut ſua ſubrogaret.

Porro Lutherum dixiſſe, Chriſtum maximum eſſe, immo unicum inter Peccatores, non negabit quiſquis legerit Commentarium ſecundum ſupra *Caput 3. ad Galatas.* Præſumis eum vindicare, ex eo quod dicis *Lutherum appellaſſe Chriſtum peccatorem reſpectu eorum, quæ S. Paulus ait: Deus fecit peccatum eum, qui non novit peccatum. Chriſtus peccator eſt, non in ſe, quia non novit peccatum, ſed in nobis, cum ipſe peccata noſtra tulerit.* Sed intelligi debet D. Paulus. *Deus fecit peccatum*, ideſt *victimam, & Sacrificium pro peccato*; ut apud Oſeam *cap. 4. Comedent peccata populi mei*, ideſt oblationes & victimas pro peccato; vel *Deus fecit peccatum*, ideſt damnando illum morte,

quæ

quæ ſolita eſt peccatorum pœna, peccatorem credi illum fecit; juxta Iſaiæ dictum cap. 53. *Et cum reputatus eſt. Hoc eſt quaſi peccatorem condemnari permiſit, & quaſi maledictum mori.* Ita S. Joannes Chryſoſtomus (*hom. 11. in cap. 5. 2. ad Corinth.*). Sed Lutherus terminos quos Patres noſtri poſuerunt tranſgreditur, & vult Chriſtum vere peccatorem fuiſſe, quemadmodum vere paſſus, crucifixus, & mortuus eſt. Quare præſentiens poſſe opponi: *Valde abſurdum, & contumelioſum eſt Filium Dei appellare peccatorem, & maledictum*; reſpondet: *Si vis negare eum eſſe peccatorem, & maledictum, negato etiam paſſum, crucifixum, & mortuum. Non enim minus abſurdum eſt dicere filium Dei ..... crucifixum pœnas peccati, & mortis ſuſtinuiſſe, quam peccatorem, aut maledictum dicere.* Quocirca deſcribit conflictum peccati cum juſtitia, cum illa aggreſſa ſunt perſonam Chriſti: *Sed quia in eadem illa perſona, quæ eſt ſummus, maximus, & ſolus peccator, eſt quoque æterna, & invicta juſtitia, ideo congrediuntur illa duo, ſummum, maximum, & ſolum peccatum, & ſumma, maxima, & ſola juſtitia.* Quis præter Lutherum auſus eſt unquam de Chriſto tam contumclioſe obloqui? Eum præterea appellat latronem, homicidam &c. *Et quidem omnes Prophetæ viderunt hoc in ſpiritu, quod Chriſtus futurus eſſet omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, ſacrilegus, blaſphemus &c., quo nullus maior unquam in mundo fuerit.* Et infra eadem ipſi dicta confingit ex ore æterni Patris: *Tu ſis Petrus ille negator, Paulus ille perſecutor, blaſphemus, & violentus, David ille adulter &c.* Sic igitur verbis tuis concludo: *Nullus, niſi furiis invectus, dicet Chriſtum latronem, adulterum homicidam, ſacrilegum &c.* Totum hoc tamen Lutherus dicit. Lutherus igitur agebatur furiis; & bene habet Pater Segneri, illum proponens Catholicis qua indignum blaſphemum.

Neque hic finis tuarum querelarum fuit. Adhuc doles Patrem Segneri accuſaſſe Calvinum quod deſcripſerit Chriſtum ceu *deſperatum, damnatum, & reum quacunque maledictione.* De primo autem, nempe de *deſperatione*, ais Calvinum quaſi *inquirendo, non opinando id dixiſſe*; damnationem autem intellexiſſe Calvinum Jeſu Chriſti ſupplicium; denique ſi Calvinus maledictum dicit Chriſtum, cum D. Paulo in ſumma loquutum. Non Pater Segneri primus, qui Calvinum accuſaverit Chriſto impoſuiſſe deſperationem. Vivente ipſo etiam, accuſatus fuit; unde purgare ſe tentavit (*Lib. 2. Inſt. c. 16. §. 12.*). Revera tamen ipſe non negat Chriſtum motu aliquo deſperationis fuiſſe correptum, quanquam in ſola inferiori parte, ut videre eſt in Harmonia in *Cap. 27. Matt. n. 46.*, quemadmodum timore, & triſtitia commotus fuit: nec vero videt quam late hæc diſtent; quandoquidem triſtari, & pavere mortem, non eſt reapſe peccatum, quemadmodum deſperare. Illa veritatem carnis, hoc vitium indicat; & tamen Calvinus, non inquirendo, ſed aſſeverando, deſperationem ponit in Chriſto. *Num. 47. Sic videmus (Chriſtum) omni ex parte fuiſſe vexatum, ut deſperatione obrutus, ab invocando Deo abſiſteret, quod erat ſaluti renunciare.* Quid ad hæc Picenine? Sic Calvinus damnatum ſenſit Chriſtum, nedum ſupplicio Crucis, ſed pœnis Inferni, ubi omnes damnatorum pœnas expertus eſt, hac ſola differentia, quod non poterat detineri. Hæc habet in *Lib. 2. Inſt. cap. 16. §. 10. Ex Propheta nuper retulimus, fuiſſe propter ſcelera a Patre percuſſum, attritum propter noſtras infirmitates. Quibus ſignificat, in locum ſceleratorum, ſponſorem, vadem, adeoque inſtar rei ſubmiſſum, qui dependeret, ac perſolveret omnes quæ ab illis expetendæ erant pœnas: uno hoc dumtaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et §. 11. ait *implicitum fuiſſe doloribus, quos parit maledictio, & ira Dei*; & quod *manu Dei percuſſus, & afflictus, omnia irati, & punientis*

Dei

Dei ſigna expertus eſt. Si Chriſtus omnes damnatorum expertus eſt pœnas, deſperationem igitur expertus erit. Te vero Picenine non pudet aſſerere hanc putidam horrendam blaſphemiam haberi in ſcriptis Patrum? Oppido diſtat ab illo Calvini D. Pauli ſermo (*Galat.* 3. 13.) cum ait: *Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum*. Calvinus enim Chriſtum facit peccatorem: *Peccator, & maledictionis reus*; & qua talem illum rejicit inter damnatos, ut vidimus. S. autem Paulus Chriſtum *maledictum* aſſerit, quatenus ſuſtinuit pro nobis Crucis pœnam, quæ ſolis ſceleratis, & maledictis debebatur; unde ſubdit: *Scriptum eſt enim: maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Hæc ſatis, ne pius lector moleſtius ſtomachetur. Sic de Chriſto loquuntur hi duo pſeudo-reformatores. Bene habet igitur P. Segneri, dicens: „ Hi, qui loquuntur de Chriſto horrendis & execrandis verbis, Chriſtiano etiam brutali furore correpto nefandis, hodie in ore ſuo cuſtodient verbum Dei purum purum? „

CAPUT X.

Contradictiones in Doctrina Proteſtantium.

§. I.

Contradictiones in Doctrina Lutheri.

1. SAncti Baſilii textum (*Epiſt.* 73.) a quo Capituli 12. exordium ſumis: *Impoſſibile eſt ut accuſantium ora cobibeamus*, tibi ſane, et Proteſtantibus tuis, quam Patri Segneri accommodare debueras, eo vel magis quod Divus Baſilius Arianis improperabat, qui quanquam a Catholicis victi, cohiberi tamen nequiverant: *Immo credibilius eſt noſtris illos apologiis irritari quoque, ut majora, ac pejora contra nos machinentur*. Ut ut tamen ſit, in ipſo exordio doles de P. Segneri, quod *illaſis prætermiſſis Mahometanis, & Hebrais, totam atram bilem egerit in Proteſtantes*. Si de Patre Segneri hac de cauſa dolendum, item de Divo Auguſtino conqueri debes, quod dimiſſis Paganis, ſuo zelo totus exarſerit adverſus Manichæos, Arianos, Pelagianos, et Donatiſtas, ſuæ ætatis hæreticos; rationem adducens, quæ ſane tibi dura, et injuria videbitur: *Cum pejor utique ſit deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator ejus effectus, quam ille, qui non deſeruit quam nunquam tenuit*. (*Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 25.). Omnes qui ſe reformatores inaniter fingunt, cum revera ſint deſertores, & oppugnatores illius fidei, quam majores ſui tenuerunt, a Patre Segneri zeli ſui ardore merito appetuntur, dimiſſis Mahometanis, & Hebræis, qui fidem non deſerunt, quam nunquam habuerunt. Quoniam autem teſte S. Paulo (*ad Tit.* 3. 11.) hæreticus proprio judicio damnatur: *Cum ſit proprio judicio condemnatus*; tum etiam quia mendacium & falſitas immemorem ſe prodit, ex tot antilogiis per omnia eorum ſcripta diſperſis; ex his invictum ſumit argumentum de eorum falſitate doctrinæ.

2. Calviniſtæ Lutheranis hæretici ſunt, & utriuſque partis ſcripta contumeliis, injuriis, & ſcommatibus plena ſunt, ſe invicem laceſſentia. Nihilominus quia hìc fidei Romanæ cauſa agitur, adverſus quam offenſivo, & defenſivo fœdere conjurarunt, ex hæreticis invicem ſtatim amici & fratres fiunt; quare nil mirum quod tu Picenine, quaſi Lutheranus ſis, Lutheri tutelam aſſumas. Clamas itaque *pag.* 142. *Jeſuitam imponere, minime vero probare, nec indicare antilogias decerptas ex libris Lutheri. Ubi conſtat Lutherum ſibi contradici de re Eucbariſtica? Ubi de re Sacramentaria? Ubi de doctrina Juſtificationis? Vanum eſt, Leſſio, & Prateolo inſana fide adhibita, Italia venditare mendacia &c.* Tot ſcatent contradictionibus Lutheri ſcripta, quod Pater Segneri, ne vana forte temporis mora detineretur, loca indicare ab-

ſtinuit, ſibi ſuadens curioſum lectorem ea poſſe facili negotio ſuis oculis intueri. Lutherum de ſola Communione ſub utraque ſpecie 36. diverſas opiniones poſuiſſe, teſtis eſt Cocleus in *ſuo Septicipite*. Quæ vero in decurſu ſuorum Operum occurrunt, nonnulla attingam.

Libro *de ſervo arbitrio* Deum facit peccati auctorem; in *Cap.* vero *9. Exod.* & in *Cap. 16. ſupra S. Joannem* id negat.

In annotatiuncula *de feſto Nativitatis Chriſti*, fatetur in Chriſto duas naturas, humanam, & divinam; *in ſua Confeſſione* vero id negat, & Eutychianas partes ſumit; quare Muſculus apud Sculterum *ad ann.* 1533. coactus fuit dicere: *Bone Deus! quam perniciose Lutherus de Chriſto ſenſit, si quod ibi ſcripſit revera ſenſit! An hoc non eſt duas naturas in Chriſto confundere, ut fidei noſtræ fundamenta de incarnatione, de morte, deque una juxta hominem in cælos exaltatione prorſus aut ſubruat, aut reddat incerta?* Muſculus, non Leſſius, nec Prateolus eſt, aut unus ex noſtris. Scluſſemburgus fatetur (*lib. 2. art. 13. Theolog. Calvin.*) Lutheranos hac de cauſa a Calviniſtis Eutychianos appellari.

De interceſſione, meritis, invocatione, & cultu Sanctorum, quam inconſtans fuit! *Serm. de decem præcept. cap.5., Concione de mort., Reſponſ. ad Lovanienſes*, interceſſionem, & patrocinium fatetur, quod poſtea negat ſcribens ad Waldenſes *de adoratione Sacramenti*. Agens de primo præcepto ait quærenda eſſe ſuffragia Sanctorum, ſed in Sermone *de mammona* ait: *Pro meritis Petri ne unum quidem obolum darem, ut me juvaret; ſeipſum enim adjuvare non poteſt.* Supra primum præceptum, & *in purgatione quorundam articulorum,* fatetur Sanctos eſſe colendos, quod confirmat *ſuper Magnificat*, & *de præparatione ad mortem*; verum *ad Waldenſes de adorat. Sacram., in articulis ad Concilium Mantuanum, ad Cap. 14. Joan.,* aſſerit invocationem Sanctorum eſſe inter abuſus Antichriſtianorum. Super primum præceptum probat Sanctorum cultum; & contra Waldenſibus ſcribens, iſtos laudat, quod illos non colant.

In Proteſtatione, & Epiſtola ad Marchionem Brandemburgenſem, approbat Traditiones; quas inde in aſſertione articulorum Leoni X., & *de ſervo arbitrio* negat.

Eccleſiam non poſſe errare aſſerit ſupra decem præcepta, et in Reſponſione ad dialogum Silveſtri Prieratis; quod et fatetur de Conciliis *in diſputatione Lipſica contra Zuinglium, & in declaratione Eucharistica*; in utroque tamen ſibi contradicit in libro *de abroganda Miſſa*, in annotatiunculis ſuper Evangelium primæ Dominicæ poſt Epiphaniam, *contra Regem Angliæ, ad c. 15. Actorum, de formula Miſſæ*, ubi habet: *Nos Chriſtum habemus; Concilia nec morari, nec audire volumus.*

In reſolutionibus fatetur Primatum S. Petri; ſed in aſſertionibus *ar. 25.* ait: *Omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro.*

In Epiſtola Leoni X., Thomæ Cajetano, in appellatione 1. Leoni X., in reſolutionibus ſuper Indulgentias *concl. 69.*, in reſolut. ſupra 13. *propoſ. de poteſtate Papæ*, admittit Primatum Epiſcopi Romani: *Nec ego nego Romanum Pontificem eſſe, fuiſſe, fore primum .... Primum, quod me movet, Romanum Pontificem eſſe aliis omnibus, quos ſaltem noverimus ſe Pontifices gerere, ſuperiorem, eſt ipſa voluntas Dei, quam in ipſo facto videmus.* Poſt pauca: *Ad hoc facit unus ille conſenſus omnium fidelium, qui hodie ſub Romano Pontifice ſunt &c.* Hunc vero Primatum deteſtatur *Lib. de capt. Babylon.*, in Reſponſ. ad Catharinum, & ad Regem Angliæ.

In expoſitione Orationis Dominicæ homini tribuit liberum arbitrium, quod negat *de ſervo arbitrio contra Eraſmum*. Quid plura? Legatur Jodocus Coccius in Theſauro controverſiarum *Lib. 8. de ſignis Eccleſiæ art. 7.*, ubi referuntur octoge-

næ

nę contradictiones,citatis locis & verbis Lutheri; his etiam adduntur quatuordecim Melanctonis, fidiſſimi Achatis Lutheri.

3. Petis *pag.* 142. ubi Lutherus ſibi contradixerit de *re Euchariſtica?* In Serm. *de Euchar.* tranſubſtantiationem admittit: *Panis in verum, & naturale Corpus Chriſti, & Vinum in verum, & naturalem Sanguinem Chriſti transmutatur.* Et in Serm. *de Venerab. Sacramento tom.* 7. *German. fol.* 20. id repetit; ſed in *Lib. Captiv. Babylon.* tranſubſtantiationem appellat fabulam *contra Regem Angliæ: Impius (ait) eſt, & blaſphemus. ſi quis dicat panem tranſubſtantiari;* quod repetit adverſus Lovanienſes.

Quid, quod *contra Lovanienſes Theologaſtros, & de adoratione Sacramenti tom.* 7.*German. fol.* 370., aſſerit adorandam eſſe Euchariſtiam, & oppoſitum inde ad *Waldenſes* ſcribit? Euchariſtiam ſervandam eſſe, & deferendam Infirmis probat *tom.* 7. *fol.* 361. *de utraque ſpecie Sacramenti*; quod poſtea improbat *de adoratione Sacramenti*, dicens: *Ædicula quibus Euchariſtia pro infirmis ſervatur, & proceſſiones in feſto Corporis Chriſti,rejicienda ſunt.* Hæ autem non ſunt contradictiones in *re Euchariſtica?*

Petis iterum *ubi habeantur contradictiones circa numerum Sacramentorum?* Ubi? Pluribus in locis. In *Lib. de poteſt. Papæ* ſeptem ea fatetur, in *lib.* vero *de captiv. Babyl.* ſeptem ea negat, & *tria* dumtaxat, inde *unum* ponit; demum *duo* admittit, *Baptiſmum*. & *Panem*. In *viſitatione Saxonica* Pœnitentiam recenſet inter Sacramenta, quod confirmat in *reſolut. de Indulg. concl.* 2., & in *ſerm. de Pœnitentia tom.* 7. *German. fol.* 3., & alibi, ut dictum eſt *Cap.* 1. Verum *de captiv. Babylon.* & *diſput. contra Antinomos* negat eſſe Sacramentum. Idem ſentit de Extrema Unctione, Confirmatione, & Ordine, de quibus modo ait, modo negat eſſe Sacramenta. Videatur Coccius citato loco. Hæ non ſunt contradictiones in *numero Sacramentorum?*

Demum pulſas: *Ubi ſunt contradictiones in re Juſtificationis?* Vis noſſe? Lege apud ipſum *in viſitatione Saxonica*, & agnoſces ipſum improbantem eos, qui audientes hominem juſtificari per fidem, *fingunt omnia peccata ſibi remitti per fidem.* Lege inde de *captiv. Babyl.*, & excipies quod baptizatus, *etiam volens, non poteſt perdere ſalutem ſuam, niſi nolit credere. Nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas &c.* Hęc non ſunt expreſſa contradictoria de re Juſtificationis? Hę contradictiones uſque modo recenſitę decerptę ſunt ex libris Lutheri ſcriptis poſt apoſtaſiam a Romana Eccleſia. Cur porro ſtultiſſime garris, poneaquam Lutherus deſtitit eſſe *Papiſta inſaniſſimus*,nunquam ſibi contradixit? Nunc judicet univerſus Orbis, quæ Lutheri doctrina ſit, quę Picenini procedendi ratio; & pronunciet num accuſantes Lutherum, noſtrę partis teſtes adhibeamus, vel rem ipſam facti, & notiſſima ſcripta, quę nonniſi a cęcis legi nequeunt.

4. Tot contradictoria in iſto homine, qui frequentiſſime in ore verſabat *ſe miſſum a Deo, a quo habebat revelatum quod enuntiabat;* Spiritum Dei os ſuum aperire; omnes præter ipſum erraſſe! Impoſſibile eſt mentiri Deum; cujus Spiritus,cum ſit ipſa veritas, nequit mutari in hanc modo, mox in aliam ſententiam. Non habebat igitur Lutherus divinum Spiritum, & impie ac ſoleminiter mentitus eſt, cum in libro contra Regem Anglię blaſphemavit: *Certus ſum dogmata mea habere de cælo.* Si autem velis Lutherum modo qua mendacem hominem, modo qua divino Spiritu afflatum fuiſſe locutum, peto quando ex Deo locutus ſit, quando vero ex ſeipſo? Sit certa de hoc, & infallibilis regula. Num cum ea fatetur, quę Romana Eccleſia credit, an forte cum ea negat? Cur non contradixit ſibi in deducenda pſeudoreformata religione, ſi modo ait, modo negat? Res profe-

cto eſt, quod Lutherus in ea deducenda nunquam Spiritum Dei, ſed ſpiritum habuit Diaboli, ut ipſe teſtatur, & faſſus eſt in *Lib. de abroganda Miſſa*, excitatus ſtimulis eructantis conſcientię ſuę, dum trepido calamo ſcripſit: *Tu ſolus ſapis? Tot ne errant univerſi? Quid ſi tu erras, & tot tecum in errorem trahas, damnandos aqualiter?*

5. Quoniam vero & ſua pertinacia deterior, & potentior in iniquitate factus eſt, unde velut unda vento fluctuans, qua ſemita accedit, ipſa recedit; ejus tandem ore victus cedat, & ſuo ipſius judicio damnetur: *Sit proprio judicio condemnatus* (ad Tit. 3. 11.). In *Lib. de Votis monaſticis* ait: *Mendacia certius dignoſcere non potes, niſi quando ſemetipſis contraria ſunt; a Deo enim ita ordinatum eſt, ut impii ſemper ſeipſos confundant, & quod mendacia non conſonent, ſed ſemper contra ſeipſa teſtentur*. Et libro *contra Eſmerum* teſtatur: *Si ſemel deprehenderer mentitus, falſus, & craſſe ſtolidus, jam tota mea doctrina, honor, & fides, infidelitatis finem penitus haberent. Unuſquiſque me pro nequam, & pro infami nebulone habiturus eſſet*. Hæc ille; quibus palam fit proprio judicio condemnatus. Cum enim, ut probatum fuit, contra ſeipſum plurimis locis teſtatus ſit negando quod affirmaverat; ſequitur nequam ipſum, & infamem nebulonem ſua ſententia habendum. Ne iraſcaris Picenine de hac forma judicii, & ſententiæ; cuncta quippe a legislatore Luthero prǽſcripta ſunt; nonniſi ego ejus verba caſtigatius retuli. Alia mendacia, & contradictoria in doctrina Lutheri, & in ceteris ſectariis, deprehendit Illuſtriſſimus Dominus Jacobus Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis in ſua inſigni *Hiſtoria de variationibus Eccleſiarum Proteſtantium*. Hunc ad animi tui ſolatium Picenine lege.

§. II.

Contradictiones Calvini in ejus dogmate Eccleſia inviſibilis.

6. POſt vacuas, & inanes Lutheri vindicias, ad illas Calvini te transfers, inceſſens Patri Panigarolę contradictionis Calvinum accuſanti, quem porro *pag. 142.* ſic adoriris: *Hic contradictionis Calvinum calumniatur, quatenus hinc doceat in Eccleſia eſſe hypocritas, ſuperbos, avaros &c., hinc iſtos doceat membra non eſſe Eccleſia; viſibilem eſſe Eccleſiam ex una parte aſſerat, ex alia vero nullam habere apparentem ſpeciem. In his duabus theſibus duo contradictoria Panigarola oculi ſpeculantur*. Hinc dialecticę prǽcepta revolvis, quibus conaris inſignem prǽceptorem tuum a contradictionis nota liberare; quippe ais: *Contradictio reſpicit idem ſubjectum, ſub eadem ratione, eodemque tempore. Hac apud logicos certiſſima. Quę igitur in primis Calvini propoſitionibus contradictio? Eccleſia interdum ſumitur ipſa electorum ſocietas, interdum vero hominum multitudo, qua per orbem diffuſa profitetur unum Deum, unum Chriſtum, unum Baptiſma. Prima acceptione hypocrita non ſunt membra Eccleſia; bene vero in altera*. Arte tua igitur *Eccleſia viſibilis eſt, & inviſibilis. Viſibilis qua hominum congregatio, inviſibilis qua fidelium ſocietas; nec ulla in Calvini theſibus contradictio occurrit*. Demum concludis *Calvinum cum SS. Patribus loquutum, cum dixit hypocritas eſſe in Eccleſia, & non eſſe de Eccleſia*; quod ipſius Auguſtini ſententiis oſtendere niteris *Lib. de Baptiſmo c. 3. lib. 7. c. 51., & contra Creſc. lib. 2. c. 21.*

7. Hucuſque magnum aliquid retuliſſe videris; verum affectu magiſtri excęcatus, nec ejus mentem, nec Panigarolę objectam contradictionem aſſecutus es. Calvinus, ut ſe opponeret Anabaptiſtis, aſſerentibus juſtitiam, & charitatem unicum eſſe vinculum fideles in Eccleſia complectens,

ctens, quo ſoluto, quiſque ſtatim ab Eccleſia diſſolvitur, ut ad eam amplius non pertineat, ſtatuit (*Lib.* 4. *Inſt. c.* 1. §. 7. *&* 8.) *in Eccleſia plurimos eſſe poſſe peccatores*. §. autem 9. hos ab Eccleſia rejicit. Vel itaque Calvinus peccatores ad Eccleſiam pertinere aſſerit, vel negat. Si negat, Anabaptiſtis adhęret; cur igitur illos oppugnat? Si aſſerit; cur illos ab Eccleſię ſocietate rejicit? Peccatores igitur ab Eccleſia excludit, & non excludit; ſic Calvinus ſibi contradicit. Nec vanis verbis tuis ludas, quaſi illos excludat ab Eccleſia inviſibili, *quæ revera eſt coram Deo*, non autem ab Eccleſia *viſibili*, quę viſibiliter unum Deum colit, unum Chriſtum, *& Baptiſmo initiatur ejus fide*. Quandoquidem nec Anabaptiſtę aliter ſentiunt. Non enim & ipſi ab Eccleſia viſibili occultos pręſertim peccatores excludunt, qui ſoli Deo noti ſunt. Calvinus igitur una ſentit cum Anabaptiſtis ſolos juſtos revera membra eſſe verę Eccleſię, quę talis eſt coram Deo; quod indicare videtur §. 7., ubi ait: *Interdum cum Eccleſiam nominant, eam intelligunt, quæ revera eſt coram Deo, in quam nulli recipiuntur, niſi qui & adoptionis gratia filii Dei ſunt, & Spiritus ſanctificatione vera Chriſti membra*. Si eadem eſt Anabaptiſtarum ſententia, cur eos oppugnat? Sic Panigarola diſcurrit.

8. Verum ubinam Calvinus duas Eccleſias apud nos deprehendit, *viſibilem* unam complectentem bonos, & malos, *inviſibilem* aliam, in quam ſoli electi admittantur? Qui ſunt hi boni? Vel ſoli electi, vel juſti quilibet, quanquam non electi, vel juſti ipſi intelliguntur, una & electi. Si ſoli electi, cum poſſit, immo ſępiſſime accidat, inter electos adſciſci quiſpiam, qui in pręſens peccator ſit, & infidelis; plures peccatores, immo infideles, in Eccleſiam Calvinus admittet. D. Petrus erat in numero electorum, ſicut & Divus Paulus; ille tamen peccavit, iſte infidelis aliquando fuit. Aſſerere igitur debet non ſemper electos eſſe in Eccleſia, vel Eccleſiam inviſibilem habere peccatores, & infideles, qui ſint in numero electorum. Si ſoli intelligantur juſti, quanquam non electi, quales ſunt non perſeverantes in juſtitia uſque ad mortem, tum vera, & *inviſibilis* Eccleſia non conſtabit ſolis electis. Tandem ſi qui electi una & juſti ſunt ſoli intelligantur; tum peto: Qui in pręſens juſti ſunt, juſtitia Chriſto conjuncti, non autem electi, cur ad veram Eccleſiam non pertinent? Qui vero electi, ſed modo non juſti, quam Eccleſiam componunt? Vide Picenine quot ambagibus tua te logica implicas.

9. Jam vero videatur qua confuſione Calvinus militantem in terris Eccleſiam cum illa miſceat quę regnat in cęlis. Duę uniones, & duo vincula (ait Panigarola Lectione prima) Chriſto nos conjungere valent; nempe confirmata & irrevocabilis juſtitia, ſicut & vera fides. Hi ſunt duo illi cœtus duas componentes Eccleſias, *Triumphantem* ſcilicet, et *Militantem*, quatenus alii jam ſalutem conſequuti, in gratia firmati, et inamiſſibiliter juſti, hac perpetua juſtitia Chriſto adhęrentes, Eccleſiam conficiunt *Triumphantem*; alii vero non in gratia firmati, dum quotidie peccare poſſint, vel peccent, credentes tamen ea omnia, quę credenda ſunt, conjuncti vinculo verę fidei, qui nec ſchiſmatici ſint, nec excommunicati, componunt Eccleſiam *Militantem*, quę ſola eſt et unica in terris Eccleſia. Hinc habetur diſtinctio de duabus Eccleſiis frequens apud Patres; una tota in patria, alia tota in via; una ſemper *triumphans*, alia ſemper *militans*; una impeccabilis tota, peccabilis alia; prima comprehenſorum tota, altera viatorum tota. At Calvinus, horrenda confuſione & mixtione, confundit vivos. et mortuos, beatos, et viatores, triumphantes, et militantes. Juxta ipſum, prędeſtinati, qui vivunt, duplicis Eccleſię membra ſunt; ſcilicet uniuntur Sanctis in cęlo, et præſcitis in terra. Quare una Eccleſia partim in cęlo eſt, partim in terra; altera in terra tota

ra tota verſatur, ſed partem habet cum illa, quę in cęlis eſt. Hęc fanatica, et horrenda confuſio eſt vivorum, et mortuorum, viatorum, et comprehenſorum. Sic diſſerit Panigarola, cui reſpondere, ut debueras, modeſtia tua Picenine auſus non es.

10. Hæ autem duę Eccleſię a Calvino in terra cognitę, quarum una *viſibilis* complectitur omnes fideles, ſive bonos, ſive malos; *inviſibilis* altera, quę ſolos continet juſtos, ſi in Scripturis (ut ais) aliquam ſuę veritatis rationem haberent, textus proferrentur; nec Sanctorum Patrum, pręſertim Auguſtini, notitiam fugiſſent. Donatiſtæ rejiciebant a vera Eccleſia peccatores, hypocritas, avaros &c. Si Auguſtinus Calvini magnum myſterium noviſſet, facile cum Donatiſtis convenire poterat, & diſtinctis duabus Eccleſiis, *viſibili* una, alia *inviſibili*, monere eos poterat, peccatores ad Eccleſiam externam & *viſibilem* pertinere, non ad internam & *inviſibilem*, in qua nonniſi juſti, & electi congregantur. Verum D. Auguſtinus, apud ipſos ignarus, & imperitus, cui Calvini, & Picenini arcana nota non erant, de una tantum loquitur Eccleſia hìc in terris, quam ex teſtimoniis Scripturæ vult eſſe *viſibilem*, bonos, & malos congregantem; eamque areæ comparat, in qua ſunt frumenta, & paleæ; agro tritici, zizaniis mixto; reti ex omni genere piſcium congreganti. Nondum tempus advenit, ajebat S. Doctor, ſegregandi electos a reprobis, bonos a malis: *Etiam ipſi cupidi* (Auguſt. *Epiſt.* 89. *nunc* 157. *ad Hilar.*) *& avari male his utentes; & in terreno theſauro eor luteum figentes, quia & ipſos neceſſe eſt uſque ad finem portet Eccleſia, ſicut illa retia uſque ad littus piſces malos, tolerabiliores in ea ſint, quam iſti, qui talia ſermocinando, & diſſeminando, ita ſe videri magnos volunt, ut ejus hereditatem, quæ uſque ad finem terræ dilatatur, atque diffunditur, hac doctrina non ſana perturbare, atque evertere moliantur*. *Sana* itaque, hujus S. Patris ſententia, non eſt *doctrina*, qua tu cum tuo legiſlatore Calvino ad ſolos electos & juſtos coarctas Eccleſiam hujus ſeculi, hereditatem Chriſti; cum illud rete eſſe debeat, quod ad littus trahit bonos, & malos piſces, uſque ad conſummationem ſeculi. *Doctrina* igitur *non ſana* Auguſtino videtur opinio, hìc in terra decernens unam *inviſibilem* Eccleſiam juſtos dumtaxat complectentem, aliam *viſibilem*, juſtos, & peccatores admittentem. Una tantum hìc Eccleſia habetur, & hæc *viſibilis*, in qua congregantur omnes fideles, ſive juſti ſint, ſive non juſti. Non tibi, nec Calvino, ſed Angelis committitur eos ſeparare (*Matth.* 23. 47.): *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum*. Quod vero Eccleſia ſit fidelium ſocietas, non ideo *inviſibilis* cenſenda eſt, quoniam fidelium ſocietas eſt *viſibili* cultu Chriſto conjuncta, baptiſmi *viſibilis*, verbi Dei prædicatione, & *viſibilium* Sacramentorum communione connexa; nimirum una *viſibili* fidei profeſſione: hæc autem in hoc univerſo unica & vera Eccleſia eſt, non ſpecie tenus *apparens*, ut tu videris confinxiſſe. Auguſtinus intendebat Donatiſtis indicare veram Eccleſiam, quam illis deſcribebat qualis eſt civitas in monte poſita, quaſi Sol oriens ſuper bonos, & malos; Donatiſtæ autem, ęque ac tu, inter ſolos juſtos Eccleſiam abſcondere contendebant. Videantur quæ Sanctus hic Doctor tradit *Lib.* 3. *contra Petil. c.* 2. 9. 12. & 28., *Lib. de Unit. Eccleſię cap.* 13. 15. & 16., *contra Donatiſtas poſt collat. cap.* 46.

11. Jam, ut vidimus, D. Auguſtinum in tuum errorem inflectere niteris, textus propterea referens hujus S. Doctoris in *Lib. de Baptiſ. cont. Donatiſ.*, & *contra Creſcon.*, ubi mali ab Eccleſia rejici videntur. Verum enimvero aperte indicas vel revera ignoraſſe, vel dolo malo ignorare te ſimulaſſe libros Retractationum. Extant hi tamen, quos legere debueras

ras, præſertim *Lib. 2. c. 18.*, & expreſſis notis declaratum intellexiſſes: *Ubicunque autem in his Libris* (de Baptiſmo contra Donatiſtas) *commemoravi Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, non ſic accipiendum eſt ut quaſi jam ſit; ſed quę preparatur ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum* (nota malos ſua membra dici) *habet unde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita noſtra.* Sic pariter legere debueras *Lib. 1. retract. c. 7. & cap. 19.* Si Eccleſia tota, quæ nunc in mundo eſt, *habet unde quotidie dicat: Dimitte nobis debita noſtra*, ſane ſequitur in eam ingredi peccatores, & tanquam quidquam ſui ad ipſam pertinere. Electos a reprobis velle nunc ſeparare, idem ac tribuere ſibi munus illud, quod proprio ore Angelis ſuis in conſummatione ſeculi Chriſtus commiſit. Commentum illud tuum, quo tibi plaudis, diſtinguens inter illos qui ſunt *in Eccleſia*, & illos qui ſunt *ipſius Eccleſia*, inferens *hypocritas in Eccleſia eſſe, ſed Eccleſia non eſſe*, ineptia tui propria eſt, & *luſus verborum*. Ad hoc ut quis *in Eccleſia* ſit, *& Eccleſia* Chriſti ſit, ſufficit quod vocatus ſit, & veniat. Sic D. Paulus (*ad Coloſ. 3.15., & ad Rom. 1. 6.*): *In qua & vos vocati eſtis in uno corpore. In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti.* Non autem omnes vocati etiam electi; immo: *Multi ſunt vocati*, & veniunt: *Pauci vero electi.* Hi vocati, venientes ad Chriſtum ejus fidei profeſſione, non tamen electi ad gloriam, vel in Eccleſia, & Eccleſiæ membra ſunt, vel non ſunt. Si ſunt membra Eccleſiæ; non igitur ſoli electi in Eccleſia, & Eccleſiæ ſunt: Si vero membra non ſint; Calvinus D. Auguſtino adverſatur aſſerenti: *Quia & ipſos neceſſe eſt uſque ad finem portet Eccleſia*; immo adverſatur ſententiæ Chriſti, dicentis velle in Eccleſia ſua triticum, & paleam, bonos, & malos commixtos eſſe. Doctrinæ D. Thomæ attendere Calvinus, & tu quoque debebas (*in 3. Sent. diſt. 13. quæſt. 2. ar. 2. quæſtiune. 2.*). Quemadmodum quippe in corpore phyſico non omnia membra eundem actum habent, nec eandem vitam participant, ſed aliud alio perfectius eſt; ſic in corpore myſtico Eccleſiæ, ejus membra non eandem perfectionem, & unionem habent cum Eccleſia, & ejus capite Chriſto. Aliqua enim unita ſunt Eccleſiæ & Chriſto charitate perfecta, & conſummata, & hi ſunt beati; alia charitate quidem, nondum tamen conſummata, & hi ſunt juſti in hac via; alia tandem uniuntur ſola fide, ſicut peccatores, qui in hoc corpore imperfectiorem vitæ gradum participant, atque ideo ſunt membra imperfecta, & tolerata, ab ipſa tamen rejicienda quando apparebit glorioſa. Electi ſemper fuerunt, & erunt electi. Quamobrem ſi ſoli electi dici debeant in Eccleſia, & Eccleſiæ, in ipſa igitur, & ipſius ſemper fuerunt, & erunt. Ergo Paulus, cum eſſet inter electos, in Eccleſia, & Eccleſiæ erat, tum etiam cum eam perſequebatur. Si neges; ergo nec electio cauſa erit cur quis in Eccleſia, vel Eccleſiæ ſit. Bene vero electio faciet quod quis aliquando Eccleſiæ futurus ſit, ſicut ex reprobatione fiet, quod quanquam quis aliquando in Eccleſia fuerit, in Eccleſia tamen uſque in finem futurus non ſit. Quocirca S. Auguſtinus *Tract. 31. in Joan.*, ad illa verba: *Servus non manet in domo in æternum*, ait: *Eccleſia eſt domus, ſervus peccator eſt. Non enim dixit: Servus non erat in domo; ſed: Non manet in domo*, quia cum præſcitus ſit, ejicietur tandem ab Eccleſia, in qua, & a qua ſuſtinebatur: *Non audeo ego* (D. Hieronymus *Comment. cap. 5. in Joannem*) *eos, etiam peccatores, & gehennæ reos, negare membra magni corporis Chriſti, & grandis Eccleſię, ſpecioſę, & fuſcę, quos Apoſtolus dicit in uno Spiritu baptizatos.* Membra ergo Eccleſiæ ſunt quicunque receptam in baptiſmo fidem ſervant, dummodo ſchiſmati-

mati-

matici non ſint, nec excommunicati. S. Hieronymus non audet negare membra magni corporis Chriſti peccatores, & gehennæ reos; Calvinus autem, & Piceninus, ſupra maximum Doctorem præſumentes, nedum negare, ſed & docere id audent.

12. Hinc *pag.*143. audacius inſtas: *Vel hypocritæ, ambitioſi, avari &c. extrinſecus profitentes veram Religionem, ſunt, vel non ſunt membra Eccleſiæ. Si Frater aſſerat; tum ſic: Sancta hercle erit Eccleſia, ſi hypocritas, & ſceleratos recipit. Ergò perfidorum ſocietas, ſi in fide maneat, Sponſa Chriſti eſſe poterit, & corpus ejus myſticum componere? Si Frater autem negat; neceſſaria tunc erit diſtinctio Calvini eorum qui in Eccleſia ſunt, ſed non ſunt Eccleſiæ; eorum qui profitentur religionem in ſocietate viſibili, ſed non ſunt vera membra Chriſti &c.* Nec Panigarola, neque ego, nec ullus Catholicus, timet fateri hypocritas, & ſuperbos, dummodo non extrinſece tantum, ſed intus quoque ſervent veram fidem in Baptiſmo ſuſceptam, Eccleſiæ membra eſſe, quanquam imperfecta; attamen Eccleſia Sancta eſt, non quaſi quod cuncta ejus membra Sancta ſint, alias unde quotidie diceret: *Dimitte nobis debita noſtra?* Eccleſia hìc formoſa eſt, ſed fuſca: *Fuſca ſum & ſpecioſa* (*Cant.* 1. 5.), de quo D. Auguſtinus (*Lib.* 3. *de doctrin. Chriſtia.*): *Non enim ait fuſca fui, & ſpecioſa ſum......... ſed utrumque ſe eſſe dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piſcium bonorum, & malorum.* Sancta & formoſa eſt Eccleſia hæc noſtra, & pura, ex ſanctitate, & juſtitia legis, qua quodlibet membrum alteri copulatur; ex integritate dogmatum quæ profitetur, & ab omnibus fidelibus unanimi conſenſu ſuſcipiuntur; ex præſtantia Sacramentorum &c. Quanquam vero non omnes Sancti ſint, id non officit Eccleſiæ, cujus nuncupatio nominis non ex quibuſcunque partibus deſumitur, ſed ex præcipuis, quibus ſpeciatim conſtituitur; quemadmodum recta, & juſta nuncuparetur illa Reſpublica, cujus leges rectæ, & ſanctæ eſſent, etſi non omnes ejus Cives juſte & recte viverent. Societas igitur errorum fidei expers, Eccleſia utique Chriſti dici debet, etſi perfidi, & ſcelerati moribus aliqui in ea congregentur. Juxta Calvinum ipſum (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 1. §. 9.) *ubicunque verbum Dei ſincere prædicari, atque audiri, ubi Sacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrari videmus, illic aliquam eſſe Dei Eccleſiam nullo modo ambigendum eſt, quando ejus promiſſio fallere non poteſt: Ubicunque duo, aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum.* Propterea Eccleſia (*Cant.* 2.) aſſimilatur lilio inter ſpinas: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ad quæ verba D. Auguſtinus (*Lib. de unit. Eccl. c.* 14.): *Unde appellat ſpinas, niſi propter malignitatem morum? Et eaſdem unde filias, niſi propter communionem Sacramentorum?* Removere ab Eccleſia peccatores, Novatianæ doctrinæ ſapit, & Lutheranæ; Calvinus vero ſolos reprobos excludit, & in ſuam *inviſibilem* Eccleſiam electos ſolos admittit. An non vero accidere poteſt prædeſtinatum quempiam interdum peccare? Peccavit S. Petrus, & plurimi alii peccarunt, qui, quatenus electi, perinde pœnitentiam egerunt. Quo tempore in peccato ſteterunt, erant *in Eccleſia*, & *Eccleſiæ*, vel non erant? Si primum; peccatores itaque *in Eccleſia*, & *Eccleſiæ* membra eſſe poſſunt. Si ſecundum; Eccleſia itaque electorum ſocietas non eſt, cum aliqui electi haberi poſſint, quin iſti ejus membra reputentur.

13. Pertinacia tamen tua adhuc reſiſtis, immo errorem tueri prætendis Bellarmini auctoritate (*lib.* 3. *de Eccl. cap.* 15.) ubi aſſerit unum in Eccleſia haberi, quod videmus; aliud vero, quod non videmus, ſed credimus: *Videmus hominum ſocietatem, quæ eſt Eccleſia; hanc autem ſocietatem veram eſſe Eccleſiam Chriſti*

non

non videmus, ſed credimus. Viſibilis igitur, & inviſibilis eſt Eccleſia: viſibilis qua hominum ſocietas, qua vero fidelium, inviſibilis. Sic ludis *pag.* 143. Optime Deus! Qua impudica fronte audes tuæ *inviſibilis* Eccleſię Bellarminum patronum aſſerere, cum egregius iſte Doctor (probata *cap.* 12. Eccleſia *viſibili*) in ipſo *cap.* 15. argumenta ſolvat, eam *inviſibilem* contendentia? Si aſſererem in homine unum videri, alterum non videri, corpus ſcilicet eſſe *viſibile*, animam autem *inviſibilem*, duos ne ideo adſtruerem homines, *viſibilem* unum, alterum *inviſibilem*? In Chriſto unum videbatur, aliud vero non, ſed credebatur. Humanitas viſibilis erat, inviſibilis vero credebatur divinitas. Duo ne propterea adſtruendi ſunt Chriſti, quorum unus homo ſit, & *viſibilis*, alter Deus, & inviſibilis? Bellarminus explicare intendit duo haberi in Eccleſia viſibili, unum *viſibile*, nempe fidelium ſocietatem, profitentem fidem Chriſti ſub legitimis Paſtoribus; aliud *inviſibile*, nempe hujuſmodi ſocietatem veram eſſe Eccleſiam; quod procedit ex hac propoſitione: Eccleſia Chriſti ſocietas eſt perſonarum profitentium fidem Chriſti ſub legitimis Paſtoribus. Quæ propoſitio, cum articulus fidei ſit, non experientia, ſed fide conſtat.

14. Perpendamus duos textus D. Auguſtini, quos refers *pag.* 144., primum ſcilicet (*Lib.* 6. *de Baptiſmo cap.* 3. & *lib.* 7. *ca.* 51.): *Scimus quoſdam qui dicuntur eſſe in domo, qui tamen non pertinent ad ſtructuram domus, ſed ibi ſunt ut palea in tritico*; alterum (*contra Creſc. lib.* 2. *cap.* 21.): *Damnati a Chriſto non ſunt in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. quia Chriſtus nequit habere membra damnata.* D. Auguſtinus primo citato textu vult eos, qui fidem ſuam bonis operibus non exercent, ad ſtructuram futuræ Eccleſię non pertinere, quando glorioſa apparebit. In altero autem textu expreſſe loquitur de hęreticis, etiam occultis, jam a Deo damnatis qua hujuſmodi, nondum licet proſcriptis ab Eccleſia; & ait: *Qui enim mente perverſa videtur intus eſſe, cum foris ſit, ab ipſo Chriſto jam judicatus eſt; ipſe quippe ait: Qui non credit jam judicatus eſt.* Tandem, ne ulla dubitandi ratio ſuperſit, ac perſpectum omnino ſit D. Auguſtinum, & catholicam vetuſtatem nunquam tuas haſce duas Eccleſias noviſſe, immo nec hęreticos ipſos illorum temporum eas admiſiſſe, videatur *Breviculum collat.* 3. *diei cap.* 10., ubi Donatiſtę Catholicos calumniantes, iiſdem imponebant quaſi duas ponerent Eccleſias; quos Catholici hoc pacto oppugnabant apud D. Auguſtinum: *De duabus etiam Eccleſiis calumniam eorum Catholici refutarunt, expreſſius oſtendentes quid dixerint, id eſt non eam Eccleſiam, quæ nunc habet permixtos malos, alienam ſe dixiſſe a regno Dei, ubi non erunt mali commixti; ſed eandem ipſam unam & ſanctam Eccleſiam nunc eſſe aliter, tunc autem aliter futuram; nunc habere malos mixtos, tunc non habituram; ſicut nunc mortalem, quod ex mortalibus conſtaret hominibus, tunc autem immortalem, quod in ea nullus eſſet vel corpore moriturus, ſicut non ideo duo Chriſti, quia prior mortuus poſtea non moriturus: dictum eſt etiam de homine interiore, & exteriore, qui cum ſint diverſi, non tamen dici duos homines; quanto minus dici duas Eccleſias, cum iidem ipſi, qui nunc boni, tolerant permixtos malos, & reſurrecturi moriuntur, tunc nec mixtos malos habituri ſint, nec omnino morituri.* Sic vetuſtas loquebatur, probrum cenſens de duabus Eccleſiis accuſari, una bonis, & malis permixta, alia quę ſolis electis conſtaret, in Cælis regnatura; hinc declarabat quomodo eadem Eccleſia ſit, quę nunc in terris malos permixtos bonis tolerat, & quę in Cælis ſolis electis glorioſa regnabit, ſic refellens inſanos errores Sectariorum noſtrę ętatis.

§. III.

Alia contradictiones Calvini.

15. Aliam contradictionem notat P. Panigarola apud Calvinum. Is (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 1. §. 13.) ſcri-

ſcribit errare eos, qui *non putant eſſe Eccleſiam, ubi non eſt ſolida vitæ puritas*; mox vero in eodem Lib. *cap.* 2. §. 3. ait: *En, quid valet ſucceſſio, niſi imitatio etiam conjuncta ſit, atque æqualis tenor vitæ?* Reſpondes *pag.* 144. *Calvinum in prima aſſertione Catharos, Donatiſtas, & Anabaptiſtas oppugnare, fingentes in terris Eccleſiam puram ad modum triumphantis in Cœlis; qui videntes aliquod vitium, ſegregantur &c. In ſecunda vero aſſertione Calvinum contendere cum Doctoribus Romanenſibus, qui oſtentant ſucceſſionem Epiſcoporum; cujus gratia ſe volunt eſſe veram Eccleſiam Chriſti. Quę contradictio notari poteſt in his ſententiis? Prima agit de puritate doctrinæ &c.* Sed quotquot quęris anfractus, & cunicula, hęc occultare nequeunt latiſſimam contradictionem inter aſſerta Calvini, dum tractat de imitatione doctrinę, & de ſucceſſione, & de ęquali tenore ſanctitatis vitę. Quamobrem uno loco aſſerit, ubi non eſt ſolida vitę puritas, ibi veram Eccleſiam eſſe poſſe; alio vero loco negat Eccleſiam Romanam veram eſſe Eccleſiam, quia ſucceſſioni perſonarum comes non eſt ſucceſſio ſanctitatis; quę ſimul abſque contradictione nequeunt intelligi. Sed dimiſſo Panigarola, Calvino attendamus, aſſerenti illos errare, qui *non putant eſſe Eccleſiam, ubi non eſt ſolida vitæ puritas.* Non errabit igitur qui putat *eſſe Eccleſiam, ubi non eſt ſolida vitæ puritas.* Atqui Calvinus, & cum ipſo Piceninus nuperrime dixerant, veram Eccleſiam apud Deum, quatenus eſt fidelium ſocietas, exigere vitę puritatem; errant igitur ipſi, ſibique contradicunt. Dicis *Calvinum adverſus Catharos, Anabaptiſtas, & Donatiſtas agere, ſibi fingentes Eccleſiam puram ad inſtar triumphantis in Cœlo.* Verum ſi Calvinus a vera Eccleſia reprobos omnes abigit, hypocritas, avaros &c., quos non vult Eccleſię membra reputari, ſed in Eccleſia dumtaxat haberi, ac poſitione fingit Eccleſiam in terris ad inſtar triumphantis in Cœlis; ergo cum Catharis, Anabaptiſtis, Donatiſtis, ſeipſum pariter damnat. Dicturus forte eris illos damnandos, utpote *in Eccleſiam non recipiunt niſi quos ſolida puritas, ideſt angelica, & conſummata ſanctificat.* Verum qui hoc aſſerit? Nunquam ſane quid tale D. Auguſtinus retulit de Donatiſtis, adverſus quos tandiu acriter pugnavit, ſed bonos tantum, & ſanctos in vera Eccleſia eos recenſuiſſe; quamobrem cernentes plurimos malos in Eccleſia univerſali, hanc veram Eccleſiam non eſſe, ſed apoſtataſſe aſſerebant; quod modo etiam pſeudoreformati vociferantur. Ad hæc. Si Calvinus in vera Eccleſia, quæ coram Deo eſt, ſolos vult prędeſtinatos recipi, hæc eadem puritas angelica, & conſummata ab ipſo etiam exigitur, quia electi adeo Dei ſunt, quod nemo valeat eos rapere de manu ſua (*Joan.* 10. 29.): *Quos dedit mihi Pater ..... nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Donatiſtæ* (ais) *cognito aliquo vitio in Eccleſia, ab ea recedebant.* Sed & pſeudoreformati idem fecerunt, cum a Romana Eccleſia receſſiſſe commemorent, ob mala (ut ſibi fingunt) ibi deprehenſa. Cur porro Picenine non abſtines ab Eccleſia Lutherana, quam ipſe fateris nedum pravis vitæ moribus, quam falſis doctrinæ erroribus eſſe fœdatam? Si qui ſint, & nimis ſane erunt, in Eccleſia tua *raptores, avari, maledici*, cur partem tecum habere permittis, qui, ut prætendis, Eccleſiæ non ſunt? Quare veram illam non quęris Eccleſiam, quæ ſola eſt electorum manſio? Aſt ubi inveniri poterit, quę tota *inviſibilis* eſt, & ſoli inviſibili Deo perſpicua? Tametſi vera Eccleſia perſpicua, & nota eſſe debet etiam hominibus; ſecus non accedentes ad eam juſte excuſari poſſent, ac dicere: Domine qualis aditus ęrat ad Eccleſiam, quę inviſibilis eſt, & tibi ſoli nota? Si vera Eccleſia ſola eſt prædeſtinatorum ſocietas, iſtos tu ſolus noſti: *Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* (2. *Timoth.* 2. 19.).

16. In eo etiam Calvinum ſibi con-

contradixiſſe advertit Panigarola, quod Eccleſiam errare poſſe, immo erraſſe ex una parte tradiderit pluribus locis, & præſertim in libro *de libero arbitrio, & de ſcandalis lib. 3. cap. 17.*; & cum ipſi objicitur Chriſtum præcepiſſe Eccleſiam audire, reſpondet (*Lib. 4. Inſt. cap. 8. §. 15.*): *Eccleſia audienda eſt inquiunt, quis negat? Audienda eſt, quando nihil pronunciat niſi ex verbo Domini*. E contra vero aſſeruit Spiritum veritatis omnibus fuiſſe promiſſum, & conceſſum a Chriſto, non tam univerſæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos, quam Chriſtiano cuilibet. Quare inſtat Panigarola: Si ego Chriſtianus errare nequeo, minus errabit Eccleſia, quæ Chriſtianorum ſocietas eſt, eo vel magis, quod tu non negare audes, cæleſtis Sapientię majorem certitudinem, & copiam Eccleſiæ, quam ejus membris fuiſſe conceſſam (*Lib. 4. Inſt. cap. 1. §. 10.*). Calvinus itaque Eccleſiam poſſe errare, & erraſſe, & una ſimul docuit unumquemque, & Eccleſiam pręſertim, Spiritu veritatis fuiſſe dotatam, quam propterea §. 10. cum D. Paulo (*1. Timoth. 3.*) appellat *Columnam, et firmamentum veritatis, et domum Dei, fidam ejus cuſtodem, ne intercidat veritas Dei in Mundo*. Totum id autem Picenine diſsimulas. In hac re alias etiam Calvinus ſibi contradixiſſe deprehenditur. *Lib. 1. Inſt. cap. 11. §. 13.* ait quingenis circiter annis ab Apoſtolis Chriſtianam Religionem in Eccleſia floruiſſe, & puritatem doctrinæ; inde *Lib. 4. Inſt. cap. 15. §. 19.* ait: *Cum autem videret Satan ſtulta Mundi credulitate abſque negotio fere inter ipſa Evangelii exordia receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora ludibria prorupit*. Hæc profecto contradictoria ſunt manifeſtiſſima.

17. Panigarolam aggrederis *pag. 145.*, quaſi male carpat Calvinum, ac ſi docuerit, *Chriſtum Apoſtolis tradidiſſe, & non tradidiſſe omnem veritatem*; hinc in hunc modum eum vindicare ſatagis: *Calvinus dicens divinam ſapientiam omnia tradidiſſe, non ad ea tantum ſe refert, quæ Chriſtus diſcipulis ſuis tradidit, cum in terris ſecum verſaretur, ſed ad ea omnia quæ ipſos docuit Spiritus Sanctus*. Verum objecta contradictio Panigarolæ contra Calvinum, diverſa propemodum a tua ratione deſumitur. Panigarola *Lect. 4.* notat Calvinum *Lib. 4. cap. 8. Sect. 7.* affirmaſſe, quod Chriſtus *ita pleno ore ediſſeruit, ut nihil docendum reliquerit*; poſt vero, eodem cap. *ſect. 14.*, ad illa verba: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*; ſubdit: *Rudes adhuc fateor, & prope indociles erant diſcipuli, cum illud a Domino audierunt. Si vero jam a Spiritu veritatis ducti in omnem veritatem ſua ſcripta ediderunt &c.* Adeo ut *pleno ore* Chriſtus ipſos docuerat omnia, quanquam plura inde diſcenda a Spiritu Sancto ſupererant, quæ a Chriſto non didicerant ex eorum ruditate & indocilitate. Nonne hæc manifeſta eſt contradictio? Quod Chriſtus docuerat *pleno ore, ſapientia Dei manifeſta in carne*, quomodo referri valet ad illa quæ per Spiritum Sanctum ipſis manifeſtavit? Puerilem autem cavillationem certe ſapit ingenioſa defenſio tua.

18. Aliæ Calvini contradictiones. *Lib. 4. Inſt. c. 19. §. 1.* ipſe ſcribit, opinionem ſeptem Sacramentorum profundas egiſſe radices apud antiquos; & eodem Lib. *cap. 7. §. 5.* præmiſerat antiquos, dum proprie loquuntur, duo tantum admittere Sacramenta. *Lib. 4. cap. 19. §. 22. &c.* Ordinem rejicit a Sacramentorum numero, ut Scholaſticorum comentum, non a Chriſto præceptum; in eodem tamen Libro *cap. 14. §. 20.* pronuntiaverat: *Impoſitionem manuum, qua Eccleſiæ miniſtri in ſuum munus initiantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero*. Novum ſane, & inauditum! Si Ordo non eſt Sacramentum, cur patitur Sacramentum dici? Si non invitus patitur Sacramentum vocari, cur non patitur inter Sacramenta recenſeri? Eodem

Lib. 4. *cap.* 18. §. 11., circa obſervantiam myſterii Cœnę, de Patribus hęc habet: *Equidem cum pium, atque hortodoxum de toto hoc myſterio ſenſum retinuiſſe eos videam, neque deprehendam voluiſſe unico Domini ſacrificio vel minimum derogare, ullius impietatis damnare eos non ſuſtineo.* Eodem autem articulo paulo ante pręmiſerat: *Video illos alio hanc memoriam detorſiſſe, quam inſtitutioni divinæ conveniebat.* Et circa finem ejuſdem capitis ſubdit: *Excuſari non poſſe arbitror, quin aliquid in actionis modo peccaverint. Imitati ſunt enim propius Judaicum ſacrificandi morem, quam aut ordinaverat Chriſtus, aut Evangelii ratio ferebat.* Bone Deus! Quot in uno eodem contextu contradictiones, quot turbæ, & tricæ! In *Lib.* 2. *cap.* 1. §. 5. fatetur nos omnes peccato originali obnoxios naſci; in *Lib.* tamen 4. *cap.* 15. §. 20. docet filios noſtros a Deo ſuos pronuntiari, & adoptari antequam naſcantur; adeo ut etiam ſine Baptiſmo deceden tes ſalutem conſequantur. Circa ſtatum animæ poſt hanc vitam, oppoſitas ſententias approbat. Primo ſtultum, ac temerarium cenſet de his inquirere. *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 25. §. 6. *Valde ſe torquent multi, diſputando quem locum occupent, & an cæleſti gloria fruantur. Atqui ſtultum, ac temerarium eſt de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus permiſit.* Secundo eos in cælis collocat, & in gloria cæleſti. Sic in *Pſycopannifchia: Electi Dei, qui ex hac vita ad Deum ſuum tranſierunt ... Deo fruuntur citra faſtidium.* Et poſt pauca: *Deus pacis dat ſe videndum ſuis pacificis.* Tertio, ait in diem judicii gloriam differri. *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 25. §. 6. *Scriptura ubique jubet, nos pendere ab expectatione adventus, & gloriam coronæ euſque differt.* Quid levius, & inconſtantius? Abſtineo ab aliis innumeris contradictionibus, quę paſſim occurrunt in libris Calvini, ab aliis diſtincte perpenſis, pręſertim a Jodoco Coccio (*de ſignis Eccleſiæ ar.* 3. & 4.). Hujuſmodi ſunt *Cap.* 1. *Lucæ* Deum omnipotentem aſſerere, *Cap.* vero 23. *Iſaiæ* id negare; *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 18. §. 1. & 2. Deum adſtruere peccati auctorem, ſicut & *in cap.* 4. *S. Matth. cap.* 15. & 23., & *in caput* 5. *S. Marci*, alibi autem oppoſitum ſtatuere; quod in *Cap.* 1. & 14. *S. Jo.* aſſerat Chriſtum Deum verum, & id neget *lib. cont. Valentinum Gentilem refut.* 10.; in *lib.* 2. *Inſt. cap.* 16. Chriſtum deſperaſſe ſalutem ſuam affirmet, neget autem *in cap.* 26., & 27. *S. Matth.* &c. Omitto etiam hic recenſere contradictiones recentium Calviniſtarum, præſertim circa doctrinam Cœnæ, negantes hinc Corpus & Sanguinem Chriſti realiter adeſſe, hinc docentes ſuſcipientem realiter Chriſto uniri, & Corpori, ac Sanguini Chriſti communicare; quodque Corpus & Sanguis Chriſti cibus, & potus animæ ſunt, quemadmodum corporis panis & vinum, & hujuſmodi, exhibita Ludovico XIV. *an.* 1687. ab *A. Blache* Preſbytero ad S. Sulpitium, inſcripta: *Refutation de l' Hereſie de Calvin par le ſeul doctrine &c.* Nec mirum tot contradictiones prodiiſſe ab Auctoribus, qui ſcriptis ſuis contendebant pro ſtudio partium, non zelo veritatis. Ex hac ſingulari nota Hugo Grotius diſcernit Calvini ſcripta (*Vot. pro pace Eccleſiaſt. circa finem*): *Libellus ille, quem Calvini ſpiritum redolere dixeram, eſt, ut jam diſco, ipſius Calvini, et certe ad omnem pacem diſturbandam egregius. Nec mirum; nam idem et illam mutationem, quæ Buceri conſilio in Anglia erat inſtituta, Papiſmi accuſavit, planeque judicabat prout amabat, aut oderat; amabat, et oderat prout lubebat: ut modo dicentem Bucerum audivimus.* Hucuſque dicta ſufficiant, ut de pſeudoreformatoribus impleta videatur D. Auguſtini ſententia (*lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 19.): *Quæ a veritate non veniunt, plerumque et nullo impellente ſeipſa ſubvertunt.*

§. IV.

§. I V.

Contradictiones a Vicenino falſo noſtris impoſita.

19. FRuſtra tentatis tuorum vindiciis, eadem impudenti temeritate noſtros contradictionis inceſſere niteris, a Summis Pontificibus tuam orſus maledicentiam. Horum primus Vigilius; de quo *pag.* 146. ais: *Hic ſibi contradixit. Primo trium Capitulorum cauſam damnavit, quam poſtea in ſe reverſus comprobavit. Ergo Papa is optimus, inconſtans fuit, & varius.* Non varii, & inconſtantis, immo prudentis judicis eſt, judicium incaute prolatum, exquiſitis, & libratis certis inde rationibus, ſcite mutare. Sic Vigilio accidit. *Juſtiniano* valide ſe oppoſuit circa damnationem *trium Capitulorum*, quod, nondum comperta veritate, cenſuit Chalcedonenſis Concilii auctoritatem peſſundari; certior poſtea, & doctior factus, eandem ſubſcripſit. Sic illum vindicat Pelagius II. (*Epiſt. ad Epiſc. Iſtriæ*): *In trium Capitulorum negotio, aliud eum veritas quæreretur, aliud inventa veritate dictum eſt.* Qua Vigilii reſiſtentia veritas clarius enituit, Deo ſic paſſim diſponente, ut ex ipſorum negantium ore probata, magis innoteſcat. Quod autem *Liberatus* (*Breviar. cap.* 22.) afferat: *Vigilius hæc ſcribens, hæreticus occulte permanſit ſedens*, parum refert; cum primo Vigilius a præpotentia Theodoræ Auguſtæ, & Beliſarii malis artibus, intruſus fuerit, ſedente adhuc Silverio legitimo Pontifice. Theodora quippe a Silverio expoſcebat ut Concilium Chalcedonenſe damnaret, & cum acephalis communionem iniret; iſto autem renuente, Vigilius, tum Conſtantinopoli degens, promiſit, ſemel ac ipſe Papa electus foret, ſe omnino obtemperaturum voluntati Imperatricis. Quod & factum eſt. Quandoquidem a Theodora re commiſſa Beliſario, falſis criminibus, & calumniis oppreſſus Silverius, a Sede ſua dejectus, in exilium deportatus fuit. Hinc Vigilius in ejus Sedem intruſus, ex condicto, & Chalcedonenſem Synodum damnavit, & cum acephalis communicavit. Verum Silverio mortuo, & vel nova electione, ut Baronio placet, vel tacito conſenſu Cleri Romani, ut alii cenſent, verus Pontifex habitus, ſolemni retractatione reſcidit quæcunque acta adverſus fidem Concilii Chalcedonenſis. *Liberatus* autem dum ſcripſit: *Vigilius hæc ſcribens, hæreticus occulte permanſit ſedens*, nec de trium Capitulorum cauſa, nec de tempore quo Vigilius legitimus Pontifex fuit, volebat intelligi, ſed dumtaxat de his quæ ſcripſerat Vigilius cum Romanam Sedem invaſerat, quo tempore humano ſenſu ductus, cogebatur Romanorum metu Romæ Catholicum, & apud Imperatricem hæreticum ſe diſſimulare. Pſeudopapam autem hæreticum eſſe, nil officit firmitati doctrinæ veris Pontificibus propriæ. Si Vigilium ſimulatorem; & a veritate aberrantem, dum Romanæ Sedi incubaverat, damnas, cur non pro veritate fortiter pugnantem, ſibique acriter reſiſtentem, dum legitime ſedebat, non commendas? Lutherum, & Calvinum minime reprehenderem, quinimmo laudarem, ſi ſuis cognitis erroribus, pœnituiſſent, quo pacto Vigilius a lapſu erectus, omnium laudibus, tum etiam a Divo Auguſtino commendatur. Verum eorum expreſſæ contradictiones, inſipientiam, non reſipiſcentiam ſapiunt. Præterquamquod, ubi error, ibi correctio. Lutherus autem, qui Deum auribus ſuis affatim inſuſurrantem habebat cuncta revelantem, Calvinus, cui Scripturæ ſenſa luce clariora patebant, eadem affirmando, & negando, non retractationis cauſa, ſed peregrinæ veritatis gratia contradictoria denuntiabant.

20. Alterum item Papam, Joannem ſcilicet XXII. ſibi ipſi contradicentem incuſas *pag.* 147., qui, ut blateras, *falſam doctrinam amplexus, minis inde Philippi Galliarum Regis territus*

tus

Digitized by Google

tus eam retractavit. Hoc dato, nulla hìc contradictio, ſed erroris emendatio notanda foret. Neque novum, comperto errore, privatum hominem reſipuiſſe. Utinam Calvinus, & Lutherus eodem uſi fuiſſent conſilio; nulla nunc adverſus ipſos querela foret. Incaſſum autem obniteris Papis oblatrare. Joannis XXII. factum longe diſtat a narratione tua. Agebatur num Sanctorum animæ ſtatim a corporibus ſolutę divina viſione fruerentur; an potius ab ea detinerentur uſque ad extremam judicii diem. Pro prima parte certabant Fratres Prędicatores, Minoritę vero plurimi probabilem cenſebant alteram opinionem, cui adhærere videbatur Joannes XXII., *non aſſerendo, ſeu opinando, ſed ſolummodo recitando*, ut in actis Academiæ Pariſienſis refertur, & ipſemet teſtatus eſt in aperto Conſiſtorio die 3. Januarii 1334. apud OdoricumRaynaldum ad an. 1334. *num.* 35. Non igitur Joannes XXII. retractavit, ſed palam declaravit, ſe nunquam hujuſmodi dogma profeſſum fuiſſe, ut omnis vana ſuſpicio de ipſo tolleretur. Qua ſuſpicione captos Pariſienſes Theologos, probabile eſt, ut refert Gerſonius a te relatus, hoc dogma ceu Joannis XXII. damnaſſe. Aſt de his alias ſæpe. Miror equidem te damnare Joannem XXII., ex eo quod ſenſiſſe putes animabus ſanctis viſionem beatam ad extremum judicium differri, cum alias hæc ſit Calvini ſententia, ut ſupra oſtenſum eſt *num.* 18., & videri poteſt *lib.* 3. *Inſt. c.* 25. §. 26.

21. Sola equidem effrænis tua Papas calumniandi libido te movet adverſus Paſchalem II. Siquidem hic Henrico V. dominium conceſſit, & alia privilegia. Aſt qua oppreſſus violentia? Videatur Natalis Alexander *tom.* 6. *hiſt. Eccleſ. ſec.* XI. XII. *cap.* 2. Hæc conceſſit, ab illo peſſimo Principe carcere detentus cum Purpuratis ſuis; quæ conceſſio vi extorta, a magnanimo illo Pontifice mox ſuæ libertatis compote revocata fuit in duobus Lateranenſibus Conciliis; et *ann.* ſequenti 1112. in Concilio Viennenſi excommunicavit Archiepiſcopum Viennenſem, & Imperatorem Henricum. Audiamus Raynaldum (tom. non 15. a te citato, ſed 13.) *ad ann.* 1100. *num.* 13. *Henricus ..... perſecutionem graviſſimam in Eccleſiam ſuſcitavit, & bonæ memoriæ Paſchalem Papam, qui eum coronavit, cum Epiſcopis, Cardinalibus, & multis Nobilibus Romanorum cepit per violentiam, & perfidiam, & tamdiu tenere præſumpſit, donec pro liberatione, non ſua, ſed aliorum, qui fuerant capti ſecum, quos minabatur mutilare tyrannus, privilegium quodcunque voluit ei fecit. Cumque poſtmodum idem Paſchalis, a detentionis ſuæ vinculis liberatus prædictum privilegium, quod dicendum erat potius pravilegium, revocaſſet, dictus Henricus, præter Cardinalium electionem hæreſiarchas dati ſibi privilegii occaſione creavit, & idolum contra Eccleſiam Romanam erexit.* Hæc Raynaldus, non quæ ipſi, tu imponis, nempe *Paſchalem aſpere cenſuratum fuiſſe a Concilio Lateranenſi*. Quanquam autem nonnulli, ſive falſo rumore decepti, ſive zelo indiſcreto moti, optimum Pontificem hoc facto criminari tentaverint, auſi uſque Concilium meditari adverſus Paſchalem, inter quos Joannes Archiepiſcopus Lugdunenſis, & Primas; ſaniores tamen, & prudentiores factum excuſarunt, & a calumniis vindicarunt. Ivo Carnotenſis a Joanne vocatus ad Concilium, convenire recuſavit (*Epiſt.* 236.) in qua ſtatuto Primatu Romani Epiſcopi, ſubdit: *Non videtur nobis utile conſilium ad illa Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas contra quas agitur condemnare, vel judicare, quia nec noſtrum, nec ullius hominum probantur ſubjacere judicio.* Inde vindicias Paſchalis inſtituens, addit: *Non enim prævaricator eſt legis, qui delinquit in legem aliquam fallente ſurreptione, vel impellente neceſſitate; ſed qui legem impugnat ſtudioſe, & delictum ſuum non curat agnoſcere. Unde hunc exceſſum ejus non tantum non accuſamus, ſed dictante* ratio-

ratione approbamus, ſi imminente ſtrage populi, paterna charitate cum nonnullo vulnere ſuo ſe tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis poſſet ſincera charitate ſubvenire. Et demum probat Paſchalis errorem hæreſim dici non poſſe, errorem nempe fidei, ſed tantum facti, reprehendens oppoſitum ſentientes, *cum hæreſis non ſit niſi error in fide*. Nihilominus Paſchalis e carcere liberatus, retractavit, reprobavitque (ut ajebam) errorem etiam involuntarium, quia coactum, etſi error eſſet facti, non fidei; Lutherus autem, & Calvinus damnati ab univerſa Eccleſia quando reſipuerunt?

22. Omnium peſſimum eſt commentum, quo *Gregorio XI.* detrectas, inquiens *Teſtamento ſuo revocaſſe quaque forte unquam dixerat adverſus catholicam fidem*; quod deducis ex *tom. VI.* Spicilegii Lucæ Dacherii. Id autem, quod, ſi verum eſſet, heroicæ humilitatis ſpecimen foret, in argumentum calumniæ vertis, quo tanquam hæreticus habeatur. Gregorius non aſſeruit ſe erraſſe, ſed *ſi forte unquam erraſſet*, non in decretis ſuis Pontificiis, ſed vel in ſermonibus tum publicis, tum privatis, vel inconſulte, vel intemperanter, in domeſticis colloquiis humano ſenſu prolatis. Putas velle nos Papas in quoquo privato ſermone infallibiles, eorumque ſingula verba, quomodolibet pronuntiata, a Spiritu Sancto afflata. Infallibiles eos dumtaxat cenſemus, cum Papali poteſtate loquuntur, univerſalem Eccleſiam repręſentantes. Verum de his alibi. *Plurimi Pontifices* (ſic *pag.* 147. impudentiſſime ſubdis) *hæretici fuerunt, ut quamprimum probabo unius etiam Pontificis teſtimonio. Et quod gravius eſt ſic deceſſerunt, nulla facta hæreſum retractatione*. Te ad hanc rimam expecto, ut falſarium, & impoſtorem apertiſſime oſtendam; quod certe, & Dei ope, & nitore veritatis, plane ſecurum ſpero.

23. Inſiſtis: *Nonniſi ſtomacho legi nequit, qua contentione nono ſeculo unus Papa alterum oppugnabat*. Neque vero *nonniſi ſtomacho legi poteſt* qua contentione pſeudoreformatores ſe invicem oppugnent. Si ex Papis quiſpiam alterum oppugnavit, ut *Stephanus VII. Formoſum*, non in re fidei, vel dogmatis, ſed dumtaxat facti id accidit. E contra pſeudoreformatores invicem pugnant circa religionis ſummam, & Lutherus, ac Zuinglius ſibi invicem de hęreſi conviciabantur. Sed factum a te memoratum perpendamus. Exceſſit, immo erravit Stephanus damnatione Formoſi, & Eccleſia univerſa id deteſtata eſt; at converſatione, non doctrina, vel prædicatione erratum eſt. In duas factiones ſcindebatur Clerus, quarum una perjurium aſſerebat Formoſum, qui contra juſjurandum Romanum Epiſcopatum aſſumpſerat; altera vero e contra ipſum tuebatur, quatenus vi jurare adactus fuerit. Inſuper a Martino Pontifice ſolutionem obtinuerat, & ab univerſa catholica Eccleſia legitimus Papa habitus fuerat, cujus geſta Papatu dignum ipſum oſtenderent, ut teſtatur Luitprandus ſcriptor coævus, a quo commendatur (*lib.* 1. *hiſt. cap.* 8.): *Religionis integritate, divinarum Scripturarum ſcientia clariſſimus*. Stephanus pręoccupatus a Sergio in favorem oppoſitæ partis, veritus non eſt inſævire in mortuum Formoſi cadaver e ſepulcro erutum. Error hic Stephani, facti error fuit, non dogmatis, ut probare debueras cohęrenter ad dicta, ac ſimul oſtendere Stephanum ſibi contradixiſſe, ut de tuis pſeudoreformatoribus dictum eſt, & in pręſens diſputatur, non vero contradixiſſe, vel inceſſiſſe alteri Papæ. Neque prætermittendum mendacium, quo accuſationem inſtruis adverſus Formoſum, *primum hunc* videlicet *fuiſſe, qui contra morem, et adverſus ſacros canones, de uno in alterum ſe tranſtulit Epiſcopatum*; quandoquidem nonne D. Petrus Antiochenam, deinde Romanam Sedem tenuit? Nonne & alii de Sede in Sedem commigraverant, ut probabant Formoſi defenſores? Nicæni ſane, &

Sar

Sardicenſes obſtare videbantur canones, prohibentes hujuſmodi translationes; verum intelligendi ſunt ſalva neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ, quod ex Concilio Chalcedonenſi comprobatur. Obiit Stephanus (ut fertur) jugulatus a ſuis æmulis, & a reliquis Pontificibus inde ſuccedentibus Formoſi honor, & fama redimitur. Culpis Stephani, vel alterius cujuſque Papæ, Cathedræ ſanctitas, et integritas non minorantur; erant enim mala opera eorum perſonalia; quare immerito vociferaris: *Inſignes Jeſu ſucceſſores! Unum alterum jugulabat; hic Formoſum damnabat, ille juſtificabat.* Inſcitiam plane tuam ex temetipſo prodis, Papas appellans *Jeſu ſucceſſores.* Papa Petri ſucceſſor eſt, non Jeſu, cujus dumtaxat miniſter eſt, ſive Vicarius. Sempiternum eſt Chriſti Sacerdotium, nulla ſucceſſione perenne. Debebas ex D. Paulo ediſcere (*ad Hebr.* 7. 23.) quod *alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte probiberentur permanere. Hic autem* (Chriſtus) *eo quod manet in æternum, ſempiternum babet Sacerdotium.* Papa tenet hic in terris Eccleſiæ regimen viſibile, ut Vicarius Chriſti, qui ſedet in cælis. Mentiris autem dum aſſeris unum Papam alterum jugulaſſe, et Stephanum ab alio Papa fuiſſe ſtrangulatum. Quod vero ſi accidiſſet, cum D. Auguſtino (*Epiſt.* 65.) repeterem: *In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro ... etiamſi aliquis traditor ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, et innocentibus chriſtianis,* ut muſſitabant olim Donatiſtæ, et hodie Calvini ſectarii.

§. V.

Alia mendacia, et calumniæ Picenini.

24. Aſſeris Picenine *pag.* 148. *Panigarolam, et Segneri fabulas per Italiam venditare*; immo, aio ego, meram prodere veritatem. Veriſſimum quippe eſt Principem (non Ducem) Georgium Saxoniæ, attentis tot varietatibus in doctrina Lutheri, et ſuorum, expetitum quę fides haberetur Witembergæ, reſpondiſſe „Quid propinqui mei hoc anno „ crediderint ſcio, quid proximo anno „ credituri ſint neſcio „. Hic Georgius Lutheri partibus non adhęrebat; ut falſo ſupponis, quin illum oderat, et pſeudoreformationem ſuam; atque ille Georgius hic eſt, qui uberes pſeudoreformationis fructus recenſuit, ut ſupra notavimus; nimirum furta, rapinas, adulteria, ſacrilegia etc. Porro etſi hic Princeps non retuliſſet quę ſane retulit, minus ne evidens foret inconſtantia doctrinę Lutheri, hodie unum, cras oppoſitum docentis? Satis, ſuperque jam id oſtenſum fuit; nec erubeſcis id adhuc negare? Oecolampadius, pſeudoreformatorum Athleta, non potuit id Luthero non exprobrare (*Reſponſ. ad Luth. præfat.*): *Si ad veſtras diſſenſiones reſpiciendum eſt, certe inter vos ſeptuaginta mutationes inveniuntur.* Et Zuinglius (*ad Confeſ. Luth.*): *Nunc hoc, nunc illud de eadem re pronunciare, nec uſquam ſibi conſtare.* Lutherus ipſe, proprię inconſtantiæ conſcius, Sermones ſuos hac proteſtatione claudere conſueverat: *Quod ſi quid aliud, et diverſum ab his dicturus ſum aliquando; nunc palam proteſtor illud falſum eſſe, et ex Dæmone profectum.* Sic perorabat Lutherus. Quomodo autem id componi poteſt cum his quę jactabat de Spiritu Sancto auribus ſuis ſemper afflante, de ejus doctrina ex Deo tota, & cum ceteris vaniſſimis, ac fœdiſſimis oſtentationibus? Puto pro veritate loquutum, ſi proteſtando proteſtatus fuiſſet, nedum quę aliquando foret dicturus, ſed quę continuo dicebat, *illud falſum eſſe, et ex Dæmone profectum.* Neque ſolus Lutherus, ſed et Zuinglius eodem pede claudicabat, cum et ipſe, poſtquam faſſus eſt, quidquid de Euchariſtia ſcripſerat, id juxta opportunitatem temporis, et in ſubſidium ſuę ſectę ſcripſiſſe, concludit (*tom.* 2. *de vera, & fal-*

& falſa Relig. cap. de Euchar.): *Retractamus igitur hic quæ ibi diximus, ea conditione, ut ea quæ emiſimus anno etatis noſtre* 42. *præponderent iis, quæ anno* 40. *emiſimus*. Qui porro inter hæc duo cenſendus eſt Dei Spiritus? Ille ne qui retractationem ſcriptorum inſpiravit ei, an qui ad ſcribendum impulerat? Profecto non ex eodem ſpiritu tam emiſſio, quam retractatio. Attamen Zuinglius, non minus Luthero, in verbo Dei, & Spiritu Sancto ſe loqui ſemper gloriabatur. Perbelle D. Hieronymus (*ad cap.* 10. *Ezech.* (: *Semper errantium fluctuant pedes, nec ſunt ſolida veſtigia quæ contra veritatem ſunt, ſed huc illuc diſcurrunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ, dum de falſitate tranſeunt in aliam falſitatem*.

25. Pater Segneri ait „ Calvinum „ Luthero primum inſignis Apoſtoli nomen tribuiſſe; poſt vero „ Idololatram ipſum appellaſſe „. *Pag.* 148. reponis *id nullum mereri reſponſum. Detur autem a Calvino Lutherum inſignis Apoſtoli nomine condecoratum. In primitiva Eccleſia Apoſtolus dicebatur Epaphroditus; quam nomenclaturam alii etiam habebant, qui Apoſtolici Collegii membra non erant. Hoc nomen ſibi adeptus eſt liberorum Rex. ad fidem Chriſti converſus. Jeſuitæ ſic appellant ſuum Xaverium. Cur Luthero non potuit ſimiliter tribui?* Et ego admitto Apoſtoli nomen a D. Paulo tributum Epaphrodito, ſicut & nonnullis extra duodenum Apoſtolorum numerum. Attamen cum D. Auguſtino (*Tract.* 54. *in Joannem*) animadverto: *Sicut Græca Angeli latine nuncii vocantur, ita Græce Apoſtoli latine miſſi appellantur.* Lutherus autem a quo miſſus fuerat? *Epaphroditus*, ceterique, electi, & miſſi fuerant a Collegio Apoſtolico ad annuntiandum Evangelium; ſic reliqui ſemper miſſi fuerunt ab Epiſcopis, & ſucceſſoribus Apoſtolorum. Nemo ſibi unquam Apoſtolatus honorem aſſumpſit: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur? (ad Rom.* 10. 15.). Qua ratione igitur Calvinus *inſignem Apoſtolum* vocare poterat Lutherum, qui nulla legitima miſſione prædicabat, immo Eccleſia contradicente, cui unice ſpectat mittere? Dices Lutherum alioſque pſeudoreformatores a Deo fuiſſe miſſos. Verum oſtende ſigna hujuſcemodi extraordinariæ miſſionis; ſecus pſeudoreformatores non *inſignes Apoſtolos* appellabo, ſed inſignes Apoſtatas. Forte cenſes Luthero ſatis fuiſſe vocari eo ſenſu Apoſtolum, quo in Eccleſia vocantur cooperatores, & præcones Evangelii? Falleris. *Apoſtolum* ſtricto jure ſe vult nuncupari, nimirum ſpeciatim a Deo miſſum ad annuntiandum Orbi Evangelium illud, quod uſque tum ſub ſcamno latitaverat. Apoſtolum ſe fieri vult majorem antiquis Apoſtolis, & toto Collegio Apoſtolico. Iterum iterumque inſtantem ſe audivimus & audimus his ampliſſimis phraſibus) *Dominic. donec venerit*) : *Tam copioſe a nobis prædicatum eſt Evangelium, ut nec Apoſtolorum quidem tempore tam clarum unquam fuerit. Spiritus Sanctus unxit me, & miſit ad Evangelizandum*. Poterat ne magnificentius de ſe loqui ſi vel Pauli, vel Baptiſtæ perſonam geſſiſſet.

26. Si Lutherus inſignis erat Apoſtolus cur a Calvivo ipſo idololatra notatus? *Neutiquam id poſſibile* (ais pag. 148.). *Quomodo Lutherus Euchariſtiæ & Hoſtiæ cultum preſtare poterat, qui, teſte Calvino, oppugnabat tranſubſtantiationis chimæram? Omnes Lutheri ſectari damnant Hoſtiæ cultum*. Non ſemper Lutherus tranſubſtantiationem & Euchariſtiæ cultum abnegavit. In *Serm. de Euchar.* ait: *Panis in verum, & naturale Corpus Chriſti, ut vinum in verum, ac naturalem Sanguinem Chriſti tranſmutatur*. Idem aſſerit in *viſitatione Saxonica*, & *Serm. de venerabili Sacramento tom.* 7. *Germ. fol.* 20. In ſerm. vero *de præparatione ad mortem, de adorat. Sacram. tom.* 7. *German. fol.* 370., expreſſe tradit adorandam eſſe Euchariſtiam. Quamobrem Georgius Princeps Anhaltinus *concion.* 4. *de ven. Sacram.* profert: *Revera teſtari poſ-*

ſum, quod cum Anno 1541. eum reverendo, & doctiſſimo D. Martino piæ memoria de hac quaſtione Witembergæ coram agerem, reſpondit: Si Spiritum Sanctum in ſpecie Columba, eodem quo Sanctus Joannes Baptiſta modo de Cœlo deſcendentem viderem, genibus provolutus manus ad Cœlum levarem; cur non illud ipſum facerem coram, ubi Chriſtus revera præſens adeſt? Non me latet Lutherum poſtea oppoſitum docuiſſe; aſt nimirum id eſt apertiſſimum ejus inconſtantiæ, & contradictionis teſtimonium. Age, ſit quod tibi placet. Lutherus tranſubſtantiationem negavit; revera tamen aſſeruit ſimul cum pane realem præſentiam Corporis Chriſti. Quo poſito, Calvinus infert Lutheranos teneri illud colere, & renuentes ſacrilegos fieri. Miror de te, qui in doctrina certe magiſtri tui me magis verſatum eſſe cum debeas, id minime legeris apud Calvinum. Lege igitur *Lib. de vera participat. carnis & ſanguinis adverſus Heſuſium*, & intelliges: *Negare non poteſt quin adorandus ſit Chriſtus, in pane, vel ſub pane, nam certe ubicunque eſt, fraudari eum fas non erit ſuo honore, & cultu. Quid ergo magis præpoſterum, quam locari in pane, & illic non adorari?* Si porro detrectes Calvinum idololatræ notam Luthero inuſſiſſe, non neges saltem illam ſacrilegi, quatenus abſtinet adorare Chriſtum ubi realiter adeſt.

27. Notetur hic manifeſtiſſima quædam ſummi Novatorum Archontis Calvini contradictio. Tradit hic, poſito Chriſto præſente in Euchariſtia, eum fore adorandum, & damnat Lutheranos id facere renuentes; in ſuis vero Inſtitutionibus damnat Catholicos ut idololatras, quatenus aſſerentes Chriſtum præſentem in Euchariſtia, hunc adorant: *Eant nunc, & idololatriam eſſe negent, quod panem in ſuis Miſſis oſtendunt pro Chriſto adorandum.* Si idololatriæ reos nos facit, quoniam, ut ipſe putat, Chriſto realiter non præſente, non Chriſtum, ſed panem colimus, & creaturam; cur ex eadem ratione Lutheranos urget ad cultum? Vel Lutheranos non adorantes Chriſtum, præſentem licet per ipſos in Euchariſtia, injuſte reprehendit, vel nos, qui revera adoramus. Calvinus itaque Lutherum modo extollit, modo deprimit, nunc commendat, nunc vituperat; quia duobus adverſis oculis in ipſum reſpiciebat. Uno ſiquidem hunc ſuſpiciebat ceu primum qui claſſicum cecinit adverſus Eccleſiam Romanam, qui adortus fuit Papatum &c.; hinc ipſum inſignem Apoſtolum contemplabatur. Altero vero hunc deſpiciebat ſibi contrarium plurimis articulis, præſertim in illo Euchariſtiæ, & hæreticum ſe ab illo traduci audiebat; quamobrem, vindictæ cauſa, idololatram, & ſacrilegum appellabat. Jam ſupra dixeram cum D. Hieronymo, atque hic denuo repetam, Calvinum, & Lutherum perſonas gerere *Herodis, & Pilati*, qui in damnanda veritate erant amici, in privatis negotiis ſuis hoſtes jurati. Non equidem ficta, ſed veriſſima ſunt Proteſtantium ſchiſmata. Jurgia quippe, & convicia, quibus invicem ſe laceſſunt, utriuſque partis volumina accreſcunt.

28. *Jeſuita* (proſequeris pag. 148.) *de Luthero diſſeminat, primo hunc dixiſſe: Pro certo habeo meam doctrinam meam non eſſe, ſed Chriſti. Sed poſtea, ſibimet in hoc etiam contradicente, gloriabatur de hujuſmodi doctrina ſe præceptorem habuiſſe Diabolum &c.* Inde ſubdis: *Qua veriſſimum eſt Lutherum dixiſſe ſuam doctrinam non ſuam, ſed Chriſti eſſe; ita falſiſſimum fuiſſe gloriatum Diabolum ſe præceptorem habuiſſe.* Si Lutherus teſtatus eſt ſuam doctrinam non ſuam, ſed Chriſti eſſe, quomodo hæc doctrina tot pugnat contradictionibus? quomodo modo ajebat, modo negabat? quomodo errare metuebat? cur proteſtabatur falſum eſſe, & ex Dæmone profectum, quidquid aliud & diverſum a jam dictis dicturus eſſet? Apoſtoli, utpote certiſſimi ſuam doctrinam a Deo eſſe, nunquam ſibi contradixerunt, nil retractarunt, ſem-

per

per unanimes, & conſtantes fuerunt in ſuis dogmatibus. Mentiebatur ergo Lutherus aſſerens doctrinam ſuam Dei eſſe. Ad hæc. Si Lutheri doctrina ipſius Chriſti erat, ergo illa Zuinglii, & Calvini, in plurimis oppoſita, Chriſti non erat. Porro Picenine cave diligenter id tam facile concedere; tum vel maxime quod ultro admittis quod falſum eſt, peſſime vero negas quod perſpicuum eſt. Enimvero quid tritum magis, & notius, quam Lutherum præceptorem habuiſſe Diabolum, dum id frequentiſſime ipſemet fateatur? Legatur Jodocus Coccius *Lib. 8. de ſignis Eccl. ar. 12.*, & Ignatius Fiumi *p. parte Schola orthodoxa veritatis narrat. 6. cap. 3.*, qui indicant loca omnia in quibus Lutherus conferentias, & conniventiam ſuam cum Diabolo fatetur. Celebre eſt colloquium, quod ipſemet refert cum Diabolo tenuiſſe pro abroganda Miſſa privata: *Contigit me ſemel ſub media nocte ſubito expergeſieri; ibi Satan cœpit mecum ejuſmodi diſputationem: Audi Luther Doctor perdocte.* Inde proſequitur „ cum Diabolo late diſceptaſſe de „ Sacrificio Miſſæ, dum ipſe diſci- „ puli, Diabolus vero magiſtri vices „ oppugnando teneret. A quo tan- „ dem ſe victum fatetur, referens quin- „ que argumenta a Diabolo oppoſita; „ ex quo ſequenti die ſuadere cœpit ab- „ rogationem Miſſæ,„ Sic fatur Lutherus. Falſum igitur eſt ipſum ex Scripturis prædidiciſſe doctrinam de abroganda Miſſa. Meditabatur eam tollere, nondum tamen audebat; ſuaſus inde a Diabolo, & edoctus rationes potiſſimas, tum nefandum ſacrilegium implevit. „ Nondum penetrari potuit „ (animadvertit Varillas *lib. 8. Hiſt.* „ *hæreſ. ann.* 1533.) ratio, qua mo- „ tus fuerit Lutherus ad evulgan- „ dum colloquium tam portentoſum; „ firmiſſimum tamen eſt catholicos ma- „ ximum hinc habere ſolatium, quan- „ doquidem ab ipſo adverſario mo- „ niti ſunt, quo præceptore is di- „ dicerit declamare adverſus Sacri- „ ficium, quod per Prophetam ſci- „ mus duraturum uſque in finem ſe- „ culorum. Hinc gratias egerunt ſin- „ gulari Providentiæ Eccleſiam gu- „ bernanti, dum atro illius calamo qui „ eos ſeducere tentabat, edocti ſunt „ præcavere a Doctore, cujus doctrina „ ab inferis eruperat, qui arcanum „ manifeſtabat ſummæ rei, quod a- „ perire ipſi non expediebat, nec „ niſi per ipſum poterat cognoſci. Lu- „ therani graviſſime offenſi ſunt. „ Uſque modo Varillas.

Neque de hoc tantum abrogandæ Miſſæ negotio, ſed in omnibus dubiis, & difficultatibus ſuis Diabolum conſulebat, & ejus inſtructiones ſuſcipiebat. Sic ipſe teſtatur *in Colloquiis menſalibus fol.* 275.: *Crede mihi, bene, immo valde bene novi Diabolum; mecum in dormitorio nonnunquam deambulat. Quando cum hominibus ſum, non nocet mihi; cum vero me ſolum deprehendit, tunc docet mores..... quia ipſorum argumenta per otium a Diabolo audivi, & graviora quidem. Nam habeo unum, & alterum Diabolum, a quibus diligenter obſervor, & admodum intente; ſunt enim non vulgares, ſed magni Dæmones, immo inter Diabolos magni Doctores in Theologia.* Sic Lutherus ipſe, & tu id negas? *Collation.* autem *menſ. fol.* 281. ait: *Diabolus frequentius, & propius mihi condormit, quam mea Catharina*, idest ſua Concubina; & *Collat. menſ. fol.* 250. *Malo per Diabolum, quam per Cæſarem interire, ſic enim per magnum Dominum interirem.* En conſuetudinem, & venerationem quam diſcipulus iſte habebat erga præceptorem ſuum. Expediebat Diabolo amicum habere Lutherum, quoniam hic erat unus ex fidiſſimis miniſtris, quos præ ceteris inſtigavit adverſus Chriſtum, & ſuam Eccleſiam. Quo autem obſequii genere Diabolus a Luthero tractaretur, ab ipſo exprimitur, qui nedum ceu magiſtrum eum verebatur, ſed & invocabat, & cum alias ſuperſtitionem diceret Angelos bonos, & ſanctos invocare, Dæmonem inde precari religionem arbitrabatur. Audi le-

ctor abſque horrore, ſi id ferre valeas, *Collat. menſ. fol.* 129. *vel* 271., ut lego in libello Lutetiæ edito 1605. inſcripto *Epiſt. duæ apologet.*, & apud P. Liberum *tom.* 1. *contr. dogm. diſput.* 4. *contr.* 2. §. 3.: *Sancte Satan ora pro nobis .... Clementiſſime Diabole peccavimus. &c.*

29. Hic ſane diverſus eſt ſermo alloquendi Diabolum, ab eo quo utuntur Exorciſtæ noſtri, vel quo uſus fuit Dei Filius, ut tu ànimadvertis. Exorciſtæ Diabolum non invocant, ſed deteſtantur, non ullam ſecum confuetudinem ſervant, ut ipſis propitietur, nec conſiliarium, nec præceptorem illum habent. Alloquuntur eum, ſed imperando, præcipiendo, execrando, ut eum exagitent, ejiciantque a corporibus juxta Chriſti promiſſum: *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Revera autem ab Energumenis exire eos compellunt, & invitos fateri veritatem, potentiam ſcilicet & virtutem nominis Jeſu, & auctoritatem ſuorum Sacerdotum; quod fruſtra tentarunt ſemper Prædicantes. Quare optime hic valet contra Lutherum D. Auguſtini dictum de Manichæis (*Tract.* 42. *in Joann.*): *Si quod dicis a Diabolo accepiſti, & Diabolo credidiſti, mendax es.* Diabolus igitur Lutheri fuit domeſticus, præceptor, & patronus. Tu autem Picenine qui negas, mendax es.

30. Ais pag. 150. *Non ſequitur ſanctam eſſe Miſſam, quia Diabolus eam oppugnabat. Neſcit Jeſuita Dæmonem nunc oppugnare, nunc e contra agere, juxta opportunitatem temporum?* Ergo nec ſequitur doctrinam Chriſti fuiſſe ſanctam, quam Diabolus Hebræorum lingua oppugnabat; Chriſtus tamen ex eo probabat eos contradicere veritati, quia adhærebant deſideriis Diaboli, quem patrem habebant: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non ſtetit veritas in eo.* Legatur D. Auguſt. *in Joann. tract.* 42. Aut Chriſtus male arguit, probando Hebræos opponi veritati, quia Diaboli conſilia excipiebant, vel male arguis tu, cum infers *Miſſam eſſe ſanctam non ſequi ex eo, quod oppugnetur a Diabolo.* Vide lector uſquequo inſaniat Picenini odium adverſus Romanos. Diabolo potius favere eligit, quam nobis; & in deteſtanda Miſſa Diabolum mendacii patrem veraciorem facit, quam P. Segneri, & Eccleſiam univerſam cum tota antiquitate in ea aſſerenda. *Diabolus* (ſubdis) *interdum ſuaſit Miſſam. Abbatem hortatus eſt ut eam celebraret. Id refert Delrius lib.* 4. *diſq. mag. c.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 5. *ex Surio. Sequitur ergo Miſſam opponi Dei verbo, ſi conſulatur a Diabolo.* Monachum (non Abbatem) ſolecitavit Diabolus ad celebrationem Miſſæ. Ita plane. Sed & tunc impietatem, & ſacrilegium ſuaſit. Attende lector, & diſce quam caute fides præſtanda ſit Picenino. Ait Diabolum Abbati ſuaſiſſe celebrationem Miſſæ; ſilet autem Abbatem illum ordine ſacro caruiſſe. Referamus factum eiſdem Delrii verbis ex Surio. (Simeon Monachus) *In verticem Montis Sinai juſſu ſuperiorum cum miſſus fuiſſet, ibi habitaturus, nocturnis horis illi ſpecie angelica Dæmon apparuit, & ut Miſſam celebret hortatur. Ipſe, nec plane dormiens, nec perfecte vigilans, contradicit non debere ſine presbyterii ordine aliquem hoc miniſterium implere. Contra inimicus inſtat ſe delegatum eſſe, Chriſtum hoc velle, nec decere ſanctum locum miniſterio tali diutius privari. Renitentem ergo, & contradicentem, adjuncto ſibi conſortio alterius Dæmonis, de lectulo educunt, ante altare jam vigilantem ſtatuunt, alba induunt, de ſtola utrinque altercantur; hoſtis more presbyteri, Simeon more Diaconi contendebat ſibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad ſe reverſus, virtute orationis, & ſigno crucis, inimicum repellit, ſeque deluſum ingemiſcit.* Sancta eſt Miſſa, optimum eam celebrare, ſed non ſancta, immo ſacrilega, quin nec Miſſa, ſi a non ordinato Sacerdote celebretur. Quocirca veriſſimum eſt Diabolum, etiam men-

mentientem ſe Angelum lucis, & boni conſilii monitorem, ſemper falſitatem, & impietatem ſuadere; quamobrem hortando Lutherum ut Miſſam abrogaret a ſua Eccleſia, ſuaſit ipſi impium, & ſacrilegum facinus.

31. Inſiſtis pag. 150. *Jeſuitas in propria domo habere quibus attendant. Magi magiſtrum habent, Diabolum, in quorum catalogo quidam Pater ex Societate recenſet plurimos hujus Sacri Ordinis*. Magos Diabolum habere magiſtrum certiſſimum eſt; ex quo deducam Lutherum habentem Diabolum ſui magiſtrum, non inſignem Apoſtolum, ſed Magum fuiſſe, & veneficum ſacrilegum. Quod & Zuinglius de ipſo aſſeruit, vocans eum (*Epiſt. ad Lutherum*) *impoſtorem, mendacem, ſeductorem, Chriſti negatorem, & Marcione deteriorem*. Sub nomine vero Conradi de Reys *adverſus Heſuſium lib. de Cœna* ait: *Deus propter peccatum ſuperbiæ, quo ſe extulit, quemadmodum pleraque ejus ſcripta teſtantur. verum Luthero ſpiritum abſtulit 2. Reg. 22., atque in ejus locum iracundum, mendacem ſpiritum dedit: atque hic mendax ſpiritus manebit in omnibus qui ejus partes ſequuntur, niſi ad ſaniorem mentem revertantur*. Subdit autem ſub eodem nomine Conradi de Reys, *contra Heſuſium lib. de Cœna* apud Fiumum 1. *part. Schol. verit. orthod. narrat.* 7. *cap.* 1., & Jodocum Coccium *lib.* 8. *de Signis Eccleſ. ar.* 10.: *Neque id mirum eſt, cum eum* (Diabolum) *a Carloſtadio floreno uno emerit .... atque hic mendax ſpiritus in omnibus iis, quoque manebit, qui partes ipſius ſequuntur*. Si hæc de Luthero Zuinglio, cur minora de eodem loqui non permittetur Patri Segneri? Qua autem temeritate audes Picenine aſſerere, *quemdam Patrem ex Societate plurimos recenſere in catalogo Magorum ex ſuo Sacro Ordine?* Legi Martinum Delrio *Lib.* 2. *diſq. mag. cap.* 30., nec indicium ullum, nec levis umbra habetur eorum, quæ falſiſſime ſupponis. *Sectione* 1. probat Magos nullam habere poteſtatem in bonos Angelos, immo nec ſupra malos, niſi quatenus hi voluntarie ſe ſubjiciunt ipſis ad nocendum hominibus. Affirmat utique unum Dæmonem poteſtatem in alium exercere, & exhibet exempla, ſed non in ulla perſona ex Societate, ut mendaciſſime aſſeris. *Secunda* autem *Sectione* aſſerit ſanctiſſimos homines ſæpiſſime a Deo recepiſſe admirabilem poteſtatem ſubjiciendi ſibi Dæmones. Si hi magi tibi videantur, & hujuſmodi ex Societate aſſeras fuiſſe plurimos, profecto gloriari in his æquiſſime poſſunt; verum fas tibi erit Magos dicere, & in eorum catalogo numerare Apoſtolos, & diſcipulos, immo cogeris Magum blaſphemare Chriſtum ipſum, qui hanc poteſtatem exercuit ſupra Dæmones, eamque contulit ſuis Chriſtifidelibus. *Sect.* 3. ait Sanctos nulla re naturali indigire ad abigendos Dæmones. Ubinam porro apud hunc auctorem habentur Magi ex Societate a te ſomniati? Forte erit *P. Cottonus*, qui, ut blateras, *magiſtrum habuit Dæmonem, oſtendentem ipſi Scripturæ textum ad valide probandum Purgatorium*. Verum qui hoc aſſerit? Ubi hoc commentum legitur? Impoſtorem mendacem te habeo, uſquequo auctorem non indicas, aſſertique ſui rationes non prodas.

32. De Silveſtro II. & Benedicto IX. ſupra dictum fuit *Cap.* 5. §. 2. *num.* 6., & 8. Seculo XI. Eccleſiam fuiſſe depravatam more tuo amplificas, & oſtentas, ſed ex libro inſcripto *Faſciculus temporum*, libro profecto tui proprio, cum erroribus ſcateat, omnis fidei experte, æque ac tu qui ipſum refers. Verum demus Eccleſiam tum moribus fuiſſe depravatam, ac plurimos attendiſſe auguriis, & maleficiis, & Sacerdotem fuiſſe plebi ſimilem. Quis tamen de illa calamitate temporum unquam aſſeruit Papas, vel Eccleſiam in definiendis dogmatibus conſuluiſſe Dæmones, hos quæſiſſe magiſtros, & eorum ſtetiſſe ſententiis, ut de Luthero & Zuinglio ipſorum confeſſione probatur?

tur? Addo quod ſi in illo ſeculo aliqua etiam in Sacerdotio depravatio fuit, in fide tamen nunquam erratum, & inter Pontifices illorum temporum nonnulli inclitæ memoriæ extiterunt.

CAPUT XI.

Judicium infallibile Romanæ Eccleſiæ.

§. 1.

Infallibilitas Summi Pontificis.

1. OMnem hìc Picenine moves lapidem, tum in *Apolog. cap.* 13., tum in *Triumph.* Solita hìc arma tua paras, calumnias nempe, ad debellandam infallibilitatem Papæ, & removendum ab Eccleſia hunc arbitrum; quo proſtrato, tuæ pſeudoreformationis rem univerſam integram, & incolumem eſſe putas. Neque his contentus, Concilia adoriris, premis, damnas, magiſtri tui Calvini exemplo. P. Segneri *pag.* 151. ſic primo provocas: *Hue Pater Paule; vel arbitrum certum habetis, vel non. Si adeſt, cur tot quæſtiones non componit inter Thomiſtas, Scotiſtas, Janſeniſtas, Anti-Janſeniſtas, Moliniſtas, & Ricardiſtas &c.?* Neſcis has controverſias ad fidei ſummam non pertinere, cum placita ſint, quæ a Theologis, intacta fide, retineri utique poſſunt, ſecus illa quæ inter Calviniſtas, & Lutheranos verſantur? Omnes Romani Theologi adverſus Pelagium gratiæ profitentur neceſſitatem, adverſus Simonem Magum, & Manichæos, arbitrii concedunt libertatem; hinc fidei arbiter permittit eorum contentiones, impoſito tantum de aliquibus utrinque ſilentio, ne charitas læderetur; cui ſtatim obtemperatum. Qui autem auderet ſententias prodere contra Dei verbum, ſuis ſanctionibus ipſi occurreret, ſicut nedum adverſus Lutherum & Calvinum, quam contra Michaelem Bajum, Michaelem Molinos, Janſenium, & ſectarios eorum factum eſt. Suprema definitione judicii non decernit quæſtionem Conceptionis Sanctæ Virginis, quia neutra pars Scripturæ aperte repugnat. Uni tamen parti ſilentium impoſuit, alteri permittens loqui, quatenus favorabilior videtur honori Virginis, & Chriſti. Hac controverſia pendente plura habita ſunt Concilia, in quibus nil de ea ſancitum; ſignum ad fidei ſummam non pertinere. Semel ac autem ſive Papa, ſive aliquod generale Concilium eam decerneret paratus quiſque, & facilis ad ſubſcribendum foret. Inter nos catholicos & vos hæreticos hæc latiſſima eſt diſparitas. Vos nullum Judicem præter Scripturas agnoſcitis, quas cum privato ſuo ſpiritu perſpicuas habere ſibi quiſque veſtrum aduletur, veſtras facitis quæſtiones interminabiles; e contra nos in controverſiis noſtris certum Judicem venerantes, ab ejus oraculo pendemus omnes, & ejus attendimus definitiones.

2. *Ubi hoc oraculum?* (fanatice clamas) *Ubi hic arbiter? Non eum video.* Si cæcus es, & oculos aperire renuas, ſane videre eum nequis; quo pacto nec ſplendidiſſimum, & meridianum Solem videbis. Petis: *Ubi hæc infallibilitas? In Papa, an in Concilio?* In hoc duæ mediant ſententiæ. Una nempe vult infallibilitatem in definiendo in ipſo Papa eſſe, ita quod non ipſe ab Eccleſia in Conciliis congregata, ſed iſta, & Concilia ab illo, & ejus approbatione infallibilitatem ſuſcipiant. Altera autem vult infallibilitatem immediate ineſſe Eccleſiæ in Conciliis congregatæ, a qua in Papam transferatur, tanquam organum, & ſupremum ipſius caput. Primam ego cum communi catholicorum Doctorum conſenſu teneo, velut connaturalem magis, & conſentaneam. Omnes tamen conſentiunt infallibilitatem haberi in Eccleſia, nunquam autem repræſentata abſque ſuo viſibili capite, Summo nempe Pontifice. Quinimmo una omnes fatentur ſupremam in Papa poteſtatem judiciariam in rebus fidei. Quare Petrus de Alliaco Cardinalis Came-

meracenſis in Apologia contra Joannem a Monteſano hanc primo ſtatuit Concluſionem: *Ad Sanctam Sedem Apoſtolicam pertinet auctoritate judiciali ſuprema, circa ea quæ ſunt fidei, judicialiter definire.* Quam ſic probat: *Ad illius tanquam ſupremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit. Sed Sanctæ Sedis Apoſtolicæ fides nunquam deficit; igitur &c. Major eſt nota; ſed minor patet: Quia de hac Sancta Sede in perſona Petri Apoſtoli in ea præſidentis dictum eſt: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (Luca 22.). Propter quod dicit Cyprianus 93. diſt. Qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat.* Quocirca in alterutra opinione ſarta tecta manet infallibilitas Sedis Apoſtolicæ Romanæ.

3. Infero igitur ego Papæ infallibilitatem, etiam præter Concilium, ex prælaudata promiſſione Chriſti (*Luca 22. 31.*) facta S. Petro: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Promiſerat jam Chriſtus in præmium ſuæ fidei ædificare Eccleſiam ſupra Petrum. Huic promiſſioni cohærenter hìc ſpondet firmare fidem ſuam adverſus Satanicos impetus, hac conditione, quod ipſe confirmet fratres ſuos. Hìc igitur Petro loquebatur non ut ſingulari perſonæ, ſed tanquam ſuæ Eccleſiæ Capiti, & ſui Gregis Paſtori, cui propterea largiebatur proprium, & ſingulare privilegium; quandoquidem pro ceteris Apoſtolis univerſim paulo poſt rogavit (*Joan. 17. 11.*): *Pater ſancte ſerva eos in nomine meo, quos dediſti mihi.* In perſona autem Petri, non univerſæ loquebatur Eccleſiæ; ſecus quid referebat unam deſignare perſonam, & repetere *Simon, Simon,* ac dicere *pro te, fides tua, & tu, fratres tuos?* Dum Chriſtus pluraliter loqui inſtituerat, non immutare debuit ſermonis formam, dicendo: *Ego rogavi pro te,* ſed: *Ego rogavi pro vobis, ut non deficiat fides veſtra,* ſi in Petro tum Apoſtolos, tum Eccleſiam comprehendiſſe volebat intelligi. Chriſtus pro eo rogavit, cui dixit: *Tu aliquando converſus.* Id profecto non univerſæ Eccleſiæ dicere poterat, quæ tota a Satana excribrari nequiverat; alias ſibi contradixiſſet, cum jam de ea prænuntiaſſet: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Chriſtus pro eo rogavit, qui ſucceſſive confirmare fratres debebat: *Confirma fratres tuos.* Eccleſia filios nutrit, nempe fideles ſuos, non autem fratres habet. Quocirca exploratum habetur Chriſtum perſonæ Petri loquutum, qui ab ipſo deſignatus fuit caput Eccleſiæ ſuæ, & petra, ſuper quam non fundare, ſed ædificare volebat Eccleſiam poſt fundatam. Quapropter ſi promiſit ſe rogaturum pro Petro, ne deficeret ejus fides; aut hoc impoſſibile excogitandum, promiſſa ſcilicet Chriſti fruſtranea decidiſſe, ſi fallibilem adſtruimus Petri fidem, qua erat caput Eccleſiæ, & conſequenter negandum datum eſſe Petro confirmare ceteros Apoſtolos; aut affirmandum Petri fidem fuiſſe infallibilem. Hìc animadvertatur Chriſtum promiſiſſe primum Petro infallibilitatem fidei; pone vero contuliſſe ipſi facultatem ceteros in ea confirmandi, ſi aliquando deficerent.

4. Hucuſque dicta egregie confirmat Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus in ſuis *Comment. in D. Lucam cap. 22. verſ. 32.* ad illa verba: *Ego autem rogavi pro te .... tu autem aliquando converſus confirma fratres tuos;* hæc ſcribens: *Sed quia confirmare fratres, quod ſequitur, ad officium Paſtoris pertinet, & perinde perpetuum eſſe debet, hinc, juxta ſenſum antiquorum, impetravit ei & aliud privilegium ad ſucceſſores propagandum, ut videlicet tanquam caput Eccleſiæ nunquam nec ipſe, nec ſucceſſores ejus in docenda vera fide deficerent, juxta illud Leonis ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum:*

In

In Petro omnium fortitudo munitur; & illud Bernardi epiſt. 19. ad Innoc. Dignum arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum eſt aliquando: Ego rogavi pro te &c. Et tu aliquando converſus a peccato negationis tuæ, inquit Theophil. Quanquam alius percommodus poſſit eſſe ſenſus; ut illud, aliquando, jungatur cum confirma fratres tuos, & illud, converſus, non ſignificet converſionem ad pœnitentiam, ſed ad eos, quos confirmaturus erat, hoc ſenſu: Et tu aliquando, cum opus fuerit, & aliquos in fide nutantes videris, ad eos converſus confirma illos; quomodo dicitur Pſal. 84. v. 7. Deus tu converſus, ſcilicet ad nos, vivificabis nos. Quo poſito, ſic diſſero. Hæc indeficientia in fide, & hoc privilegium confirmandi alios, datum Petro a Chriſto, ut Paſtori ſui gregis, & Capiti ſuæ Eccleſiæ, non extraordinarium, & individuum privilegium fuit, quaſi cum ipſo deſinens, ſicut in ipſo ceſſare non debebat Eccleſia; ſed permanere uſque in finem ſeculorum. Erat igitur ordinaria poteſtas perſeveratura in ſucceſſoribus Petri in gradu, & officio Capitis, & Paſtoris. Quis porro Petro in hoc officio ſuccedit? Profecto Romanus Epiſcopus. Quod jam oſtenſum, latius etiam alibi fiet. Papa igitur, Romanus Epiſcopus, ſucceſſor eſt S. Petri in infallibilitate & indeficientia fidei, & ad ipſum pertinet ceteros confirmare in fide. Eleva nunc oculos tuos Picenine, vel qui Picenini larva perſonatus lates, & perſpice in verbo Dei, & promiſſis Chriſti arbitrum noſtrum infallibilem in decretis ſuis. Crede Chriſto, qui eum promiſit, non ſenſui tuo, nec Satanicæ pertinaciæ tuæ.

5. Congeris hic calumnias plurimas adverſus Papas, lædens eos in moribus & fide, plurimos traducens ceu hæreticos. Circa mores, jam dictum, & infra dicendum. Hic non agitur de impeccabilitate, vel indeficientia morum, ſed de infallibilitate & firmitate fidei. Papæ donata eſt infallibilitas in decretis fidei, non impeccabilitas. Forte quia non eſt impeccabilis, Papam non eſſe infallibilem contendis? Ita ſane in *Triumph. pag.* 71. 72., ubi ſuadere tibi neſcis quomodo P. Segneri tuendam aſſumat *in aliquibus Pontificibus integritatem doctrinæ cum pravitate morum*; inde vero, *quia in Calvino, & Luthero aliqui defectus deprehenduntur, ideo eorum reformatio illegitima, & doctrina falſa palam traducatur. Si veriſimile non eſt* (ſic concludis) *reformationem Eccleſiæ a Deo commiſſam improbis hominibus, quomodo veriſimile erit Eccleſiæ regimen, & animarum, infallibilitatem, & poteſtatem ſuper univerſos Chriſtifideles, commiſſa a Deo fuiſſe Papis morum perditiſſimis?* At Papæ a reformatoribus latiſſime diſtant. Papæ miniſtri ſunt ordinarii, qui legitima, & directa ſucceſſione deſcendunt ab Apoſtolis, quos videntes nos ab Eccleſia tales probari, certi ſumus Chriſtum ipſis contuliſſe ſupremam dignitatem, & poteſtatem, cum ceteris privilegiis officio debitis, quicunque ſint eorum mores; quo pacto in veteri legi poſteri Aaron habebantur veri, Sacerdotes, quibus attendendum erat circa verba legis, eorumque doctrina integra credebatur, licet depravati eorum mores viderentur. Chriſtus probavit Scribas & Phariſæos in Cathedra Moyſis, licet iniqui & ſceleratiſſimi eſſent; & quorum mores damnavit, doctrinam commendavit: *Quæ dicunt facite*. Videatur D. Auguſtinus, & dicta ſupra *Cap.* 5. §. 2. *n.* 9. & 10. De Luthero autem, & Calvino par ratio non erat; neque enim iſti miniſtri erant ordinarii, ſucceſſores Apoſtolorum, quanquam vulgabantur ſpecialiter a Deo miſſi ad reformationem Eccleſiæ, & deſolationem Papæ, qui ſemper apud omnes ordinarius Chriſti miniſter habitus fuerat. De hac tam inſolita miſſione ſignum nullum exhibebant, præter proprium teſtimonium. Non miracula, non prophetias, nec etiam in-

integræ vitæ teſſeram oſtendere poterant, quam nec in Papis inſpici mendaciſſime blateras. Immo pſeudoreformatores illi fœdiſſimis vitiis adeo deformes apparebant, ut a Diabolo potius ad deſolationem, quam a Deo ad reformationem Eccleſiæ miſſi videbantur. Qui vel jure ſanguinis, vel legitima electione ad Regnum aſſumitur, ſtatim, nulla diſquiſitione, a ſubditis recipitur. Verum ſi quis nullo jure ſanguinis vel electionis populo ſe offerret deſtinatum ad Regnum reformandum, vociferans regnantem Regem tyrannum eſſe nullo jure intruſum, ideoque privare eum Regno attentaret: quæſo, Picenine, deberet ne iſtiuſmodi latro a populis illico recipi, Rex autem dejici, & exterminari a Regno, an ſaltem inquiri qua auctoritate, & ratione hæc tam nova machinaretur? Tu autem, Calvino & Luthero jactantibus ſe miſſos a Deo extraordinaria legatione ad reformandam Eccleſiam, contendis ſtatim ipſis inconſulte credendum, ac negligi Paſtores, qui uſque tum Eccleſiam rexerunt, & eam docuerant contraria his, quæ illi prædicabant, nec ab illis ſaltem quærendum qui eſſent, unde venerint, quos mores, quam vitę rationem exhiberent?

6. Prætermittamus mores, dogmata ſcrutemur. *Nos* (ais pag. 151.) *certiſſimis rationibus probamus Papam errare poſſe, & multos Papas hæreticos fuiſſe, ut fatetur Adrianus VI.* (*In 4. ſent. de confirm. ar. 3.*). Hic privatam habuit opinionem ante Pontificatum, cum Theologus erat Lovanienſis; & ſi ejus verba *plures enim Romani Pontifices fuerunt hæretici* denuo edita fuerunt ipſo in Cathedra Romana ſedente, non idcirco ſequitur eadem confirmaſſe dum eſſet Pontifex; quoties enim nova fit editio Operis abſque notitia Auctoris? Sciebat tamen oppoſitum ab aliis defendi, & citato loco ipſe fatetur: *Ut alii dicunt*. Non igitur hoc tanquam certum habuit.

7. Si autem adhuc perſiſtas nuperum Papam aſſeruiſſe prædeceſſores ſuos qua homines, & privatos doctores, non qua univerſales Eccleſiæ præceptores, in errorem lapſos fuiſſe; vetuſtos ego alios illi opponam, qui infallibiles illos docuerunt: & hi etiam apud te potiorem merentur auctoritatem. S. Leo (*ſerm. 2. de natal. Apoſt. Petri et Pauli*) hæc habet: *Specialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, et pro Petri fide proprie ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratię ita ordinatur auxilium, ut firmitas quę per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Agatho in Epiſt. probata in Synodo VI. *Act.* 4. *et* 8. conſentit in omnibus S. Leoni. Inter recentiores Hugo ipſe Grotius, licet non ex noſtris, cogitur id confirmare, dum loquitur de traditione, quæ ex conſenſione antiquorum ſumenda eſt, et præſertim ex Conciliis Oecumenicis, & ex Epiſcopis, qui eam ſucceſſive tradiderunt Eccleſiis ſuis, ſic ſcribens (*Rivet. apologet. diſcuſ.*): *Conſenſus autem iſtius, qui in veterum ſcriptis, maximeque in Conciliis univerſalibus apparet, cuſtodes quidem ſunt Epiſcopi omnes, ſed auctoritatis ad veritatem, unitatemque retinendam pręcipue Epiſcopus Romanus, quem Eccleſię aliæ, ad vitanda ex rebus dubiis ſchiſmata, conſulere, ex quo Apoſtoli in terris vivere deſierunt, ſunt ſolitę. Et hinc eſt quod Eccleſia Romana ab antiquis dicitur aliarum Eccleſiarum magiſtra. Hanc viam iniit Hieronymus in quæſtione de Hypoſtaſibus; hanc Afri Epiſcopi in quęſtione de Gratia; hanc alii viri, ingenio, eruditione, et pietate præſtantes. Corrumpi quidem* (bene nota) *mores Romæ et alibi paſſus eſt Deus; at doctrina, illis ipſis malis moribus contraria, Deo ita res dirigente, corrupta non eſt.* Poterat ne ampliora loqui Romanus Catholicus?

§. I I.

Papa a Picenino calumniati.

8. Pag. 152. omne virus fundis, & debaccharis: *Quomodo poſſibile Papas eſſe infallibiles? Honorius Monothelita erat. Liberius Arianus. Innocentius I. infantibus Communionem miniſtrari volebat. Joannes XXIII. immortalitatem negabat Animæ. Damaſus Hieronymum conſultabat. Clemens V. Extravagantem Bonifacii VIII. revocavit. Clemens VIII. emendavit multos errores in Bibliis authenticis evulgatis a Sixto V. Vigilius erravit, Paſchalis II. erravit; & exclamatur: Papa eſt infallibilis.* Non imparibus conviciis Donatiſtæ ſuorum temporum Papis inſimulabant, traducentes idololatras, & divinarum Scripturarum proditores Marcellinum, Melchiadem, Marcellum, & Silveſtrum. Quod tamen cum nulla probatione effutirent, D. Auguſtinus reſpondit (*Lib. de unic. Bapt. contra Petilan. cap. 16.*): *Quid ergo jam opus eſt ut Epiſcoporum Romana Eccleſia, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Preſbyteri ejus, Melchiades, Marcellus, & Silveſter traditionis codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur; ſed nunquid ideo convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit: ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?*

9. Expedit tamen palam prodere inſcitiam tuam, qua in *Triumph.* pag. 7. irrides P. Semery de trita illa diſtinctione Papæ qua hominis, & qua Papæ, quam vocas *noviſſimam diſtinctionem, antiquis ignotam Theologis.* Rex intelligi poteſt homo, vel individua perſona, & Rex. Ut individua perſona, par eſt ceteris hominibus; ut Rex, caput eſt Regni, poteſt leges condere, & qua hujuſmodi, obedientia debetur illi ab omnibus. Sic Papa, homo, & individua perſona inſpici poteſt, & Papa. Homo nil habet amplius quam ceteri hominum; Papa caput eſt Eccleſiæ, & decreta facere poteſt circa fidem, & mores. Qua homo privatus errare poteſt, nec fidei res eſt eſſe infallibilem illum in fide, & doctrina: at qua Papa, caput eſt Eccleſiæ in proponendis dogmatibus ſpectantibus ad omnium fidem, infallibilis eſt, nec errare poteſt; ipſique ſpectat confirmare alios, ſi aliquando errarent. In his caſibus aſſiſtentiam habet Spiritus Sancti, ex promiſſione Chriſti D. Petro: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: tu autem aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hoccine novum?

10. Prophetæ habentes Dei Spiritum hunc habebant non ad libitum; Nathan enim, Eliæ, & Eliſeo defecit. Prophetico ſpiritu agebantur cum ut Prophetæ populo, vel cuipiam, ex Dei nimirum ordinatione, loquebantur. Papa non quoties loquitur, ſed cum ut Papa, Vicarius Chriſti, & caput Eccleſiæ loquitur, tum infallibilitatis dono potitur. Tunc enim non privatus homo, ſed Eccleſia, & Apoſtolica Sedes in eo loquitur. Qui Prophetæ ut Prophetæ loquenti fidem negabat, Deo negabat. Qui Papæ loquenti ut privato homini non credit, infidelis non eſt; revera tamen qui ipſi non credit ut Papæ loquenti & definienti. Hanc diſtinctionem non ignorarunt veteres Theologi, ſi dum de auctoritate, & infallibilitate Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ loquuntur, nunquam perſonam nominant, ſed ſemper vel Sedem Apoſtolicam, vel Sancti Petri Cathedram, vel Eccleſiam Romanam. Legatur S. Irænæus (*Lib. 3. cont. hæreſ. cap. 3.*), & S. Auguſtinus (*Epiſt. 65.*): *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur a S. Petro uſque ad Anaſtaſium, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſia.* Porro id non eſt diſcernere inter perſonam, & gradum, inter hominem ſedentem,

&

Digitized by Google

& Cathedram, in qua ſedet? indeque aſſerere, quidquid ſit de perſona, Ecclesiæ fidem, judicium Cathedræ manere in tuto, & dum Eccleſia loquitur per os Papæ, per ipſum Petri os loqui, cujus ille ſucceſſor eſt, & per os Chriſti, cujus eſt Vicarius, a quo infallibilitatem ſortitus eſt? Scribæ & Phariſæi ſedentes in Cathedra Moyſis, et ex ea loquentes, infallibiles erant, & Chriſtus hoc affirmavit, hebræis dicens: *Quæ dicunt facite*. Sacerdos veteris legis infallibilis erat in ſuis ſententiis, et ejus judicio ſtandum erat, ut præcipitur (*Deuteron. 17. 9.*): *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*; & ſedens in Cathedra Chriſti Sacerdos novæ legis, promiſſis Chriſti munitus, fallibilis erit?

11. *Quomodo* (petis *in Triumph. pag. 73.*) *ſciam ſi in definiendo loquatur ut Papa, & ex Cathedra?* Quomodo ſcis Regem, ut Regem, caput Regni, & legislatorem tibi loqui, alias vero ut hominem privatum? Quoad Papam hæc eſt certa regula. Cum ejus nutu diſcuſſa re tangente fidem univerſalis Eccleſiæ, invocata aſſiſtentia Spiritus Sancti, prẹviis orationibus, Bullam, vel Conſtitutionem, vel Decretum facit, & univerſæ Eccleſię proponit, errorem aliquem damnans, vel decernens articulum aliquem credendum, tunc ut Papa loquitur, & *ex Cathedra*, & tunc certum eſt loqui ſe juxta doctrinam Chriſti. Tunc impoſſibile eſt illum errare; ſecus Chriſtus ſibi, promiſſis ſuis, & Eccleſiæ deficeret, cui promiſit: *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*. Favore hujus diſtinctionis diluuntur accuſationes Proteſtantium, & errores noſtris Papis oppoſiti, ſarta tecta eorum infallibilitate; quandoquidem ſi ex illis quiſquam erravit, error perſonæ fuit, non Cathedræ, privati hominis, non capitis; quippe cum nemo ex his erroris inceſſitus, unquam Eccleſiæ hunc propoſuerit ceu articulum credendum aliquo Decreto, Conſtitutione, vel Bulla. Quoniam vero ſentio, & teneo, eorum neminem, quos erroribus fœdatos calumniaris, unquam illis a te impoſitis erroribus laboraſſe, id nunc demonſtrandum aſſumo.

12. Primus quem aggrederis eſt Honorius; de quo *pag. 152. Apolog.* ais: *Honorius erat Monothelita*. Id plane falſum. Nomen quippe Monothelitæ ei debetur, qui unicam in Chriſto operationem aſſerit, vel in hujus erroris favorem decernit. Honorius id nunquam aſſeruit, vel conſenſit. Monothelita ergo non erat. Honorii innocentiam pandunt ejus Epiſtolæ ad Sergium, quibus eruitur, ne offenderet puſillos, neve anſam præberet Neſtorianis aſſerendi duas perſonas in Chriſto, abſtinuiſſe fateri in Chriſto duas voluntates. Id metuit deceptus dolo malo Sergii, qui ipſi perſuaſerat nonnullos in Chriſto affirmare duas oppoſitas voluntates, carnis unam, alteram ſpiritus; unde reſcripſit ab iſtiuſmodi vocibus abſtinendum. Sic refert Joannes IV. (*Apologia opr Honorio*) Anaſtaſius Bibliothecarius (*præfat. ad Joan. Diaconum collectan.*) & S. Maximus Martyr (*Dialogo cum Pyrrho*) qui eum vindicare inſtituerunt, qui, utpote vetuſti ſcriptores, plenam merentur fidem. At urges (*in Triumph. pag. 74.*) *oppoſitum ſenſiſſe totum Orientem; immo in VI. Synodo, inter proſcriptos Monothelitas, nomen legitur Honorii*. Et Oriens & Concilium præcipiti judicio pronunciarunt, quia ex depoſitione Sergii procedebant, oſtentantis Honorium fautorem habere; quod anſam præbuit illis Patribus Honorii Epiſtolas in deteriorem ſenſum interpretandi, et damnandi, ut *Act. 13.* geſtum eſt, & in *Act. 16.* ipſum Honorium proſcribendi: qui tamen meri facti error fuit, non lædens infallibilitatem illius Concilii. Ad hæc. Jurares Picenine acta illius Concilii VI. non fuiſſe depravata, & abraſo nomine alicujus veri Monothelitæ, non potuiſſe ex per-

fidia intrudi nomen Honorii? Profecto non id ego jurarem, quia fides græca his portentis inſignis ſæpe fit, & in ipſa Synodo VI. *Act.* 12. & 14. comperta ſunt plurima depravata. D. Gregorius (*Lib.* 5. *Epiſt. ep.* 14. *ad Narſum*) ſcribit: *Sicut Chalcedonenſis Synodus in uno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt; ſic aliquid in Epheſina Synodo factum eſt.* In VII. Synodo Epiſtola Adriani ad Tharaſium, in plurimis differt ab eadem, quam Nicolaus I. citat ad Michaelem Imperatorem. Porro ſi Græci alias Synodos vitiarunt, cur non metuendum idem feciſſe VI. Synodo? Inter Monothelitas habebatur etiam Theodorus (ut innuit Anaſtaſius Bibliothecarius) qui inde fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus; quid dubitare vetat, hunc, ad manus habitis actis authenticis, proprio expuncto nomine, illud Honorii ſubrogaſſe? Id credibilius fit, cum ceteroqui illud Concilium Honorium damnare nequiverat, abſque apertiſſima contradictione litteris Agathonis Papæ, ſub quo habita fuit VI. Synodus. In Epiſtola, quam Agatho ad Imperatorem ſcripſit, poſt recenſitos hęreticos Monothelitas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorum, ſubdit veram fidem nedum nunquam defeciſſe, nec deficere poſſe in Sede Petri (quod idem eſt ac aſſerere Papam ipſius caput nunquam poſſe deficere quid ſanciendo contra fidem) ſed omnes ſuos prædeceſſores (inter quos certe Honorius) erroribus ſemper reſtitiſſe, & fratres ſuos in fide confirmaſſe. Hic Picenine ſiſte. Agatho ait Sedem Petri nunquam erraſſe, nec errare poſſe in vera fide, nec ullum prædeceſſorem ſuum unquam erraſſe. Id approbat Concilium, quaſi os Petri locutum ſit. Verum igitur probavit Papam errare non poſſe, & eſſe infallibilem in fide. Præterea Agatho affirmat ſuorum prædeceſſorum neminem erraſſe in re fidei. En' ejus verba: *Conſideret itaque veſtra clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum.* Porro inter prædeceſſores Agathonis recenſebatur Honorius. Quamobrem ſi illius Concilii ſententia Honorius hæreticus habitus eſſet, Agatho id ſcripſiſſet, vel ſi non ſcripſiſſet, Concilium non approbaſſet ceu Petri ejus Epiſtolam, quin mendacem illum improbaſſet. Cum autem Agatho ita ſcripſerit, & ejus Epiſtola probata fuerit, inferendum ab illo Concilio Honorium non fuiſſe damnatum, ſed potius Theodorum; atque iſtum, proprio expuncto nomine, Honorium intruſiſſe. Quanquam hæc non ſit utique infirma ratio, nihilominus gratis tibi cedere libet Synodum VI. damnaſſe Epiſtolam, & perſonam Honorii. Ideo ne Honorius hæreticus? Nunquam dabo. Honorius negligens fuit adverſus Monothelitas, & nimium indulgens mendaciis Sergii. In ſuis Epiſtolis, fautor, quam Monothelitarum perſecutor viſus eſt. Proprium non confecit munus, idcirco meruit cum Monothelitis a Concilio damnari; non autem eorum errori revera conſenſit, vel adhæſit. Leo II. ante citatus interpres ſit ſententiæ Concilii. Hic Papa (*Epiſt. ad Conſtant. Pogonatum, & Epiſt. ad Epiſcop. Hiſpaniæ*) recenſens Monothelitas, ait: *Qui vero adverſus Apoſtolicæ doctrinæ puritatem perduelles extiterant, abeuntes quidem æterna condemnatione mulctati ſunt, ideſt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.*

13. Nunc de Liberio; de quo ais: *Hic Arianus erat. In Concilio erravit; erravit ut Papa, & in re tanti momenti, qualis eſt Filii Dei divinitas.* Ante reſponſionem duo ani-

Digitized by Google

animadverto. Primum; circa medium ſeculi IV. Liberium vixiſſe, quo tempore Romana Eccleſia, Calvino teſte, profitebatur doctrinam ſanctam, quam ſervavit ad annum uſque quingenteſimum. Ergo vel Liberius, ejus caput, non erravit in doctrina, & fide, vel Eccleſia Romana pura, & intacta non erat, ut fatetur Calvinus. Alterum; ſi ideo Liberius hæreticus, quia ſubſcripſit formulæ non exprimenti Filium *Omouſion* Patri, Calvinus etiam habendus erit hæreticus, utpote abhorrens ab hujuſmodi vocibus, & inquiens (*Lib.* 1. *Inſt. cap.* 13. §. 5.): *Utinam ſepulta eſſent* (hæc verba *Conſubſtantiale, Omouſion*, *Hypoſtaſis*) *conſtaret modo hac inter omnes fides, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum eſſe unum Deum*. Circa autem Liberii factum duo certa ſunt; in exordio ſui Pontificatus infenſiſſimum fuiſſe hoſtem, & oppugnatorem Arianorum; & pro fide catholica plurima mala perpeſſum fuiſſe. Certum item eſt poſt reditum ſuum ab exilio fuiſſe catholicum, & talem deceſſiſſe. Id teſtantur Ambroſius (*Lib.* 3. *de Virgin.*) Siricius Papa (*Epiſt. ad Eimer.*) & Socrates (*Lib.* 4. *hiſt. cap.* 11.). Quod ambigitur, eſt num Liberius pertæſus perſecutionum, & exilii, aliquid indulſerit Arianis, & aliquod dogma confirmaverit adverſus Catholicam fidem. Tu ais, *quia Liberius Sirmienſi formulæ ſubſcripſit, quæ formula hęretica erat; dicta ab Hilario Ariana perfidia, hæreſis Sirmii edita, et a Hieronymo in Chron. hæretica pravitas*. Et ulterius *quia ſcribens Liberius Orientalibus Epiſcopis, aſſerebat æquo ſe animo ſuſcepiſſe fidem illam Catholicam; in nihilo eidem contradixiſſe, conſenſum præſtitiſſe, et eam ſequi, et ſervare etc. Quomodo hæc Arianis teſtari poterat Liberius, ſi Arianus nunquam fuit?* Sic in *Triumph. pag.* 73. Facile me expedire poſſem, concedendo Liberium dextera ſubſcripſiſſe confeſſionem illam hæreticam exhibitam ipſi a Demophilo, & extrinſecus peccaſſe pręſertim peccato ſcandali, corde tamen non ſubſcripſiſſe, & animo adhærendi errori cui ſubſcribebat; & ſic negare ea ratione fuiſſe hæreticum, qua tu prætendis. Proferens enim aliquem actum externum concernentem falſam fidem, peccat quidem, ſed non peccato hæreſis, dum corde fidem ſervet, maxime vi, vel metu adactus. Sic autem Liberius. Proſtratus faſtidio exilii, ærumnis, & injuriis, ac territus minis, fracta ejus conſtantia, id facere adactus fuit, quod ſui compos nunquam feciſſet, Athanaſium damnavit, communicavit cum Arianis; ſed adepta libertate omnia retractavit. Sic D. Petrus ex metu Chriſtum negavit, nec quis uſquam auſus eſt illum inter hæreticos referre, aut aſſerere a fide penitus defeciſſe; nec ex illa negatione damnum ſenſit Papatus infallibilitas. Quod accidiſſet, ſi intrinſece annuiſſet falſo illi dogmati, & vel ſuo Decreto, vel Conſtitutione id pro vero ſanxiſſet. Verum ego arbitror Liberium nunquam ſubſcripſiſſe formulæ vel profeſſioni fidei expreſſe hæreticæ. In Sirmienſi Conciliabulo tres editæ fuerunt fidei formulæ. Prima adverſus Photinum, quæ nil habebat veræ fidei contrarium, quippe cum in ea vox licet *Omouſion* non exprimeretur, neque tamen rejiciebatur, ut patet apud Socratem (*Lib.* 2. *hiſt. cap.* 25.) Huic autem ſubſcripſit Liberius, non ſecundæ, quæ aperte rejiciebat voces *Uſię*, *æquiſubſtantialis*, *et conſubſtantialis*, in quibus perfidia, & malitia Ariana tota conſtabat, ut legitur apud ipſum Socratem. Hac ratione Liberium tuentur plurimi eruditi viri, inter quos Natalis Alexander (*Secul. IV. diſſert.* 32. *ar.* 1.) ad quem lectorem mitto pro certis documentis. Quoniam autem hæc formula edita, & exhibita fuit ab hæreticis, & continebat Athanaſii damnationem, cujus cauſa tunc temporis habebatur ut cauſa fidei univerſalis, tum etiam quia aliam fidei formulam præter illam I. Nicænę Synodi probare, cauſæ fidei proditio videbatur; & erroribus adhæſio; tum demum quia, ut ait

Sozo-

Sozomenus (*Lib. 4. hiſt. cap. 14.*) Ariani *rumorem diſſiparunt*, *Liberium quoque verbum* conſubſtantiale *rejeciſſe, aſſeruiſſeque FiliumPatri diſſimilem eſſe*, idcirco zelotes Patres illi ſuſpicati ſunt Liberium ſubſcripſiſſe *Arianam perfidiam*, *et hæreticam pravitatem*, & deſpicere, & vitare eum inſtituerunt. Legatur ipſius Athanaſii liber ad Conſtantium, & deprehendetur illis temporibus verborum formulas, quam fidei ſubſtantiam attendi; qua de cauſa variæ in dies fidei formulæ proponebantur, & ipſa verborum immutatio, alienatio a fide plurimis videbatur. Potiſſima etiam emergit dubitandi ratio, poſtillas fragmentorum Hilarii interpolatas, & intruſas fuiſſe, nec ipſius legitimas eſſe, quia, dum Hilarius ſcriberet, cum Liberius male commiſſa emendaſſet, & damnatione Concilii Ariminenſis omnem labem deterſiſſet, ut teſtatur Damaſus Papa (*Epiſt. ad Illyric. Epiſcopos*) credibile non eſt Hilarium tam iniqui animi in ipſum fuiſſe, quod proditoris, & apoſtatæ notam inurere Liberio vellet, etiam poſt tam præclaram ſuæ fidei teſſeram, & notoriam damnationem adverſæ hæreſis. Neque tam fœdum Liberii lapſum in hæreſi adeo deteſtabili, nempe Ariana, componere unquam ſcio cum laudibus, quibus poſt receptus fuit ob ſui conſtantiam a Romano populo; unde Sozomenus (*Lib. 4. hiſt. cap. 14.*) ſcribit poſt ejus reditum ab exilio: *Populus Romanus Liberium, tum quod in aliis rebus vir excellens, et ſpectatus erat, tum quod Imperatori animo adeo excelſo, et conſtanti in fide defendenda contradixerat, tam eximie carum habuit &c.* Populi Romani, plane Catholici, odium potius, quam plauſus offendiſſet Liberius rediens in ſuam ſedem Arianiſmi labe exoſus. Quidquid ſit, ſi Liberius defecit, non in fide, ſed in prudentia, & modo defecit, tum ſcandalo, non infidelitate peccavit.

14. Tertius in ſcena Vigilius, qui Antipapa fuit, uſquequo Silverius vitam egit; quod ſi ceu Papam, hoc vivo, ſe geſſit, vi id factum, non jure. Beliſarii quippe patrocinium ac præpotentia Theodoræ Auguſtæ, extorſit a quibuſdam ſuis clientibus ominium; Chriſtiana tamen Reſpublica verum Papam illum non habuit, niſi Silverio mortuo. Quod et ſupra, atque iterum aſſero, ſuaſus a melioris notæ hiſtoricis, *non ad tuendum Papam errare non poſſe*, ut falſo commentaris in *Triumph. pag. 75.* Duos ne vere Papas eodem tempore adſtrues? Silverius erat legitimus Papa, nec negabis. Vivo igitur iſto, Vigilius vere Papa eſſe non poterat. *Vigilius*, ais, *mox Papa*, *hęreticis ſcripſit, cum ipſis quaſi in fide communicans*. Id accidit, ut dictum eſt, adhuc vivo Silverio, cum nondum Papa, ſed Antipapa erat. Poſt Silverii mortem, verus Papa factus mutatus eſt in virum alterum, ab eo qui antea fuerat omnino diverſum; ſolemni profeſſione actus ſuos deteſtatus eſt, quin Theodoræ minis terreri, vel dimoveri potuiſſet. Verus igitur Papa Vigilius mutatur in virum alterum, ſuos execratur errores; cur porro hic Papæ infallibilitatem admiratus, hanc non confiteris? Profecto in cauſa trium Capitulorum ſibi non conſtitit, et tamen Papa erat; verum his præcedenti Capitulo reſponſum fuit. *Si tria Capitula Vigilius antea defendit, ſi Juſtiniano acriter ſe oppoſuit*, non ipſe ſolus in hoc; omnes Occidentales ſecum, et Orientales plurimos habebat, quia nondum exacte diſcuſſa re, vulnus inferri Chalcedonenſi Concilio metuebatur. Comperto autem tria Capitula poſſe damnari, ſalva reverentia illi Concilio, tum ea damnavit, quorum damnatio a V. Synodo confirmata fuit; neque *metu*, ut ſupponis, ſed ſciens volens id ſtatuit, æquum illud plane reputans. Calamitates, et ærumnę quas Conſtantinopoli perpeſſus eſt detrectans Theodoræ Auguſtæ iniquis poſtulatis adhærere, præclariſſime oſtendunt conſtantiam, et magnanimitatem ſuam. Non inficior *trium Capitulorum damnationem a Vigilio conſtitu-*

ſtitutam male audiviſſe apud plurimos, præſertim Occidentales, qui propterea ab eo ſe ſegregarunt. Afri illum excommunicarunt, quatenus profanaſſe Concilium Chalcedonenſe arbitrabantur. Quid porro hinc ingenio tuo perſpicaciſſimo infers? Defecerunt ii ſcrutantes ſcrutinio, et ſchiſmatici habiti ſunt, et Vigilii præfata damnatio probata a Concilio V. erraſſe illos plene convincit. *Infero ego* (ais) *quod ſi Occidentales Epiſcopi ſchiſma ab ipſo fecerunt, ſi Afri illum excommunicarunt, in illo ſeculo non habebatur Romanus Epiſcopus caput, cui adhærere omnes deberent, & tanquam viva, & certa regula ipſi acquieſcere.* Tam alienatus es mente, ut quæque recta oblique accipias, et oppoſita illatione cuncta ſemper male detorqueas. Sic in præſens; nimirum ſi dicerem: Subditorum plurimi rebelles facti ſunt Regi, & inobedientes; ergo Rex non eſt legitimum Regni caput, cui adhærere ſubditi, & obtemperare teneantur. Sive ſi quis argueret: Ariani Concilii Nicæni judicio acquieſcere noluerunt, ſed Conciliabula illius decretis oppoſuerunt, ſegregantes ſe nedum a communione Romani Epiſcopi, quam omnium Catholicorum; ergo Canones illius Concilii, nec legitimi, nec tantæ auctoritatis erant, ut ipſis obtemperari, & obſequi deberetur, & in illo ſeculo non habebatur Concilium ut regula viva & certa fidei. In illo ſeculo, ſicut in ceteris, ſuprema auctoritas Romani Epiſcopi verebatur, & ſupremus Judex habebatur; ſecus, quid Juſtinianus tam anxius fuit arceſſendi Conſtantinopolim Viglium pro damnatione trium Capitulorum? Quid Vigilius, Epiſcopos diſcordes cum noviſſet, cauſam ad ſe ſolum revocavit, & ſe ſolo damnationis decretum pronuntiavit? Epiſcopi renitentes de nullitate debuerant proteſtari. Hæc Orientis, non Occidentis cauſa erat. Epiſcopi Occidentales qui reſtiterunt, accuſabant Vigilium de errore, non de illegitimo, & uſurpato judicio. Quid referebant Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani Epiſtolæ, quibus Vigilium rogabat ut præeſſet Synodo V.? Vigilio autem recuſante, quod præter condictum Occidentales expectati non fuerant, cur tot artes adhibitæ ad eum ſolicitandum, niſi quia compertum erat, illum Conventum non fore legitimum, niſi vel per ſe, vel per Legatos ſuos Vigilius præeſſet, & acta ejus, ut factum eſt, confirmaret? Lege diligentius hiſtoriam Eccleſiaſticam, & agnoſces ſi mos erat eo tum decretis Romani Epiſcopi ſubmitti. Quia Epiſcopi Iſtriæ Vigilii & Concilii decretis reſiſtebant, Pelagius I. Vigilii ſucceſſor hæc Narſeto ſcripſit: *Cum si quid eos de judicio univerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam indictionem actum eſt, forte monebat ad Sedem Apoſtolicam, quomodo ſemper factum eſt* (nota hìc Picenine) *electis aliquibus de ſuis, qui dare, et accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt, et non clauſis oculis corpus Domini noſtri, hoc eſt Sanctam Eccleſiam lacerare.* Agnoſce ex his morem illorum temporum interpellandi Papam ut arbitrum certum, etiam poſt ſanctiones Concilii generalis. Sed de his alibi.

15. Joannes XXIII. traducitur negaſſe Animæ immortalitatem. Satis eſſet reponere hanc objectionem ad rem non eſſe, quoniam ab Eccleſia univerſali verus Papa habitus non eſt; dum duo ſecum Papæ coexiſterent, ſciſſa Eccleſia in tres factiones. Veruntamen, cum viſum ſit Concilium Conſtantienſe a principio ſingularem honorem detuliſſe Joanni plus quam duobus reliquis; reſpondeo Concilium illum depoſuiſſe a Papatu, non tamen ex capite hæreſis; et ejus delicta *Seſſ.* 11. *et* 12. videri poſſunt inſerta latæ contra ipſum ſententię. Non me latet ab aliquibus incuſatum de propinato veneno Alexandro V., et de ſuſpicione fidei circa reſurrectionem mortuorum. Quia tamen nil probatum fuit, Concilium hæc neglexit, immo cum inde poſt ab Eccleſia receptus fuerit qua Cardinalis

Coxa,

Coxa, et ſpeciali honore diſtinctus ſuper ceteros Cardinales, non legitur ipſum coactum fuiſſe abjurare ullum errorem; ſignum ſuas hæreſes fuiſſe calumnias, quas fraterna tua charitate nunc ceu veras commemoras.

16. *Damaſus conſultabat S. Hieronymum*. Sic hunc criminaris, ferme ac ſi hæreſis eſſet conſilium petere. D. Paulus conſultabat ceteros Apoſtolos de Evangelio quod prædicabat (*Galat. 2. ver. 2.*): *Contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus ..... ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem*; et Papa conſulit ſuos Theologos antequam definiat. Spiritus Sanctus adeſt Pontificibus; non tamen excludit diligentiam, et induſtriam humanam, immo vult hæc adhiberi. Sic inſtituerunt primo Apoſtoli, quorum exemplo et Pontifices faciunt; ut ex varietate opinionum, veritas, et conformitas ad verbum Dei diſcernatur; et in hoc Papa infallibilis eſt, nec errare poteſt; quanquam enim conſultores falli poſſint non tamen Papa in definiendo. Falli poterat Hieronymus in verſione Scripturarum, poterat et Damaſus qua privata perſona; ſed qua Papa, nec falli, nec fallere poterat. D. Hieronymus in ſua Apologia pro Libris ſcriptis adverſus Jovinianum, ex ipſa approbatione Damaſi. oſtendit, quidquid ſcripſerat de perpetua Virginitate Mariæ contra Helvidium eſſe conſonum veritati: *Dum adhuc viveret ſanctæ memoriæ Damaſus. librum contra Helvidium de Beata Maria perpetua Virginitate ſcripſimus ..... Num vir egregius, & eruditus in Scripturis, & virgo, & Eccleſiæ virginis Doctor, aliquid in illo ſermone reprehendit?* Si judicium Damaſi erroris capax fuiſſet, parum juvaret hujus approbatio Hieronymi cauſam. *Perſonæ (ais) conſulta a Papa fallibiles ſunt*. Non autem Papa, de quo Chriſtus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, & ad quem pertinet errantes confirmare: *Confirma fratres tuos*. Perſonæ quæ componebant tuæ pſeudoreformationis Conventicula erant ne fallibiles? Puto non negabis. Ergo Conciliabula illa definiendo ex illorum conſiliis errare potuerunt.

17. In judicium pariter vocas *Innocentium I. Hic parvulis Communionem diſtribui volebat*. Id tamen aſſeris, nullo indicato Auctore. Comperio hunc damnaſſe Pelagium, & Eccleſiæ profuiſſe plurimum, non lego infantibus voluiſſe Communionem diſtribui. In litteris Decretalibus hujus Pontificis nullus de hoc ſermo; & Centuriatores Magdeburgenſes non inurunt ipſi hanc erroris notam, quam ceteroqui non diſſimulaſſent. Si id eſſet, neſcis antiquitus morem obtinuiſſe miniſtrandi Communionem parvulis, ſaltem ſub ſpeciebus vini? Vide D. Cyprianum (*Ser. 5. de lapſis.*). Concilium Tridentinum *Seſs. 21. cap.* 4. id prohibuit; non propterea ſequitur hanc praxim errorem fuiſſe antiquorum. Neutiquam, ait Concilium: *Eadem Sancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Communionem*. Inde: *Neque tamen ideo damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit &c.*

18. *Clemens VIII. emendavit plurimos errores in Bibliis authenticis evulgatis a Sixto V.* Sic vociferaris *Apolog.* p. 152. & *Triumph.* pag. 77.. & P. Senery reprehendis, quod nil reſpondit. Ut hujus reprehenſionis cenſuram fugiam, uno verbo reponam male te eſſe inſtructum, quia Biblia Sixti V. authentica ab iſto habita non ſunt, quaſi ab omni levi menda immunia eſſent. Res autem ita fuit, ut lego in præfatione Bibliorum poſt correctionem Clementis VIII. Concilium Tridentinum decrevit ut editio vulgata, ex injuria temporum, & incuria amanuenſium, & impreſſorum aliqua ex parte vitiata, impoſterum emendatiſſime imprimeretur; ut habetur *Seſs. IV. de Canonicis Scripturis*. In hujus decreti obſervantiam Pius IV. decrevit, ut undequaque depromptis vetuſtiſſimis ſcriptis, & collatis cum

Au-

Autographis, per eruditos viros opus inſtitueretur. Pius V. illud primo promovit; ſed inde intermiſſum ob alia negotia Sanctæ Sedis, totis viribus a Sixto V. reſumptum, & plurimorum judicio abſolutum, typis mandatur. Nactus interim idem Pontifex, dum palam ederetur opus, plurima irrepſiſſe, adhuc potiori diligentia, & elucubratione emendanda, *totum opus ſub ineudem revocandum cenſuit, atque decrevit*. Fato autem correptus rem aggredi nequiens, Gregorius XIV. & Innocentius IX. eam curarunt; ſed adhuc infecta re decedentibus, Clemens VIII. horum ſucceſſor totum opus plane perfecit: & hæc ſunt Biblia quibus nunc Eccleſia Romana utitur. Falſum igitur eſt *Clementem VIII. emendaſſe plurimos errores in Biblsis authenticis evulgatis a Sixto V.*, ſi iſte Pontifex non authentica, ſed corrigenda illa decreverat.

19. *Clementem* tandem V. *revocaſſe Extravagantem Bonifacii VIII.* quis aſſerit? Auctorem dum taces, impoſtorem te facis. Extravagantes Bonifacii VIII. duæ ſunt; una *Extra de majorit. & obedient.*, quæ incipit *Unam Sanctam*; alia *Extra de dolo, & contumacia*, cujus initium *Rem non novam*. Prima decernit cunctos fideles ex neceſſitate ſalutis Romano Pontifici eſſe ſubjectos, *qui utrumque gladium habet, & omnes judicat*; altera ſancit adverſus impedientes effectus citationum ad Romanam Sedem. Proba has a Clemente V. revocatas. Odoricus Raynaldus ad *ann.* 1311. *num.* 26. refert *Clementem V.* eas confirmaſſe diplomate, quod incipit *Ex parte*. Alii vero, quibus non placet Papam auctoritatem ſaltem indirectam habere ſupra Reges, tradunt Clementem V. quo ad hanc partem eas temperaſſe, & in Conſtitutione *Unam Sanctam* duo ſecernere: unum fideles omnes neceſſitate ſalutis Romano Pontifici ſubjici; & hoc ab ipſo Clemente confirmatum, ut catholicum & de fide: alterum Eccleſiam poteſtatem habere ſupra Reges; et hoc prętendunt a Clemente temperatum (*Extravag. de privilegiis cap. Meruit*) ubi habet (loquens de Rege, & Regno Galliarum): *Hinc eſt quod nos Regi, & Regno, per definitionem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ octavi prædeceſſoris noſtri, quæ incipit* Unam Sanctam, *nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari, nec quod per illam Rex, Regnum, aut Regnicolæ prælibati, amplius Eccleſiæ ſint ſubjecti Romanę, quam antea exiſtebant &c.* Idem pariter intellexit Leo X. in Bulla, quæ incipit *Paſtor æternus*. Quamobrem dato etiam hoc temperamento, quid adverſus infallibilitatem Papæ? Forte quia Bonifacius temporalem poteſtatem habere cognovit ſupra Reges, quam Clemens ſupra Regem Galliarum relaxavit? Non hæc dogmatica res, nec fidei; quod autem fidei erat, a Clemente non minus ac a Bonifacio ſtatutum.

20. *Papam eſſe infallibilem* (garris pag. 152.) *Eccleſia gallicana negat. Quis porro judicabit? Papa? Æquum ne videtur Jeſuitis Papam in propria cauſa eſſe Judicem? Eſſe ſuę infallibilitatis infallibilem Arbitrum?* Regem Galliarum dominium habere ſuper temporalia ſubditorum negetur a Parlamento, quis judicium reddet? Æquum ne tibi videtur Regem propria judicare? Quis porro? Parlamentum? Ferendus ne ſubditus Judex Domini ſui? Nunc ad rem noſtram. Ni Papa Judex ſit ſuæ infallibilitatis, quis erit ſtatuendus? Gallicana Eccleſia? Hæc item pars, & inſuper ſubdita. Subdito ne judiciaria poteſtas ſupra Dominum ſuum permittetur? Concilium? Id ſane Papa inferius, ſi a Papa confirmationem attendit, & validitatem decretorum ſuorum. Caput ſupremum neque eſt, nec eſſe poteſt pars, cum totum repræſentet, & regat.

§. III.

Vindicia Conciliorum, & eorum convocationis.

21. REbar peſſumdata infallibilitate Papæ, ſartam tectam te ſaltem illam Eccleſiæ permiſſurum, nimirum generalibus Conciliis eandem repręſentantibus. Deluſum tamen me ſentio; etenim his etiam infallibile arbitrium contendis in cauſis fidei: *Hoc quippe ſi verum eſſet* (ſubdis Apolog. pag. 152.) *Eccleſia antiqua hoc infallibili arbitro expers fuit, ſicut et pręſens Romana. Eccleſia vetus tribus ſeculis Concilia non habuit. Nicęnum primum fuit, quod ann. 325. habitum eſt; et tamen illa ſecula hęreſibus multis contaminata fuerunt. Arbiter igitur hic infallibilis neglexiſſet munus ſuum.* Supremus Angliæ arbiter pro definiendis negotiis ſummæ rei eſt Parlamentum; Polonię Palatina Comitia; Hollandiæ Ordines. Hæc Parlamenta, Comitia, Ordines, non ſemper conveniunt; an ideo Regna illa, & Provinciæ arbitris carent, quibus regantur? Ad tuenda jura regnorum, tutiores arbitri ſunt exercitus, nec iſti ſemper parati; quis tamen negabit non habere regna arbitros ſuos, quibus tuentur? Profecto dices: quanquam Parlamenta, Comitia, Ordines, non ſemper conveniant, nec exercitus ſemper in acie ſint, nutu tamen Principis urgente neceſſitate conveniunt, & parantur. Quid non idem aſſeris de Eccleſia, in qua licet non ſemper Concilia congregata ſint, inſtante tamen neceſſitate cogi poſſunt, ut revera coacta ſunt, quoties indicta fuerunt? Quanquam maxima interſit differentia inter illa, & Eccleſiam: quandoquidem Regna, & Provinciæ, quę reguntur mixto dominio Monarchico, Ariſtocratico, & Democratico, Rex, Princeps, vel Præſes ſe ſolo non omnia poteſt, quæ poteſt cum Comitiis Regni; e contra Eccleſia ſemper Epiſcopum Romanum habuit, qui poteſtatem habet a Chriſto finiendi controverſias fidei, etiam præter Concilium. Primis tribus ſeculis non Concilia habita ſunt œcumenica, cum inſtantibus Idololatriæ perſecutionibus, Eccleſia nequiverat convenire, & tamen ubique hæretici graſſabantur. Quorum tamen plurimos Romanus Epiſcopus coercuit. S. Clemens I. teſte Irenæo (*Lib. 3. contra hęreſ. cap. 3.*) ad Corinthios ſcripſit, *reparans fidem illorum, et annuntians quam in recenti ab Apoſtolis acceperat traditionem.* Soter Papa ut falſas proſcripſit prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillę, apoſtaticas eorum Eccleſias, & doctrinas damnavit, & paceis litteras jam conceſſas revocare coegit. Id teſtatur Tertullianus Montaniſta factus (*Lib. adv. Praxeam*). Victor Papa Quartodecimanis valide ſe oppoſuit, ut Euſebius refert (*Lib. 5. Hiſt. cap. 23. 24.*). In illa tamen calamitate temporum, quia difficilis erat recurſus ad Papas &c., qui latebant in ſpeluncis, & vix Romanam regere Eccleſiam valebant; nil mirum ſi non omnes cauſæ ad eos referrentur. Eo vel maxime cum hæreſes, quæ tum graſſabantur, plures quidem ſpecie, ſed pauci numero eorum fautores, nec latius ſerpebant, recenti adhuc Apoſtolorum doctrina cohibitæ, & retuſæ a primis illis Chriſtifidelibus. Epiſcopi in ſuis diœceſibus illis reſiſtebant, & ex ſeipſis diſpergebantur, divina opitulante providentia, abſque Conciliis. Sedatis inde ſub Conſtantino perſecutionibus, & hæreſi Ariana præpollente, quæ totum Orientem fœdaverat, tunc Chriſtiani, Apoſtolorum exemplum imitati, Eccleſiam coegerunt, & I. Nicænum Concilium celebrarunt.

22. *Hoc* (inſtas pag. 153.) *nec coactum, nec confirmatum fuit a Papa, ſicut nec cetera ſequentia. Conſtantinus Cæſar I. Nicęnum Concilium convocavit ann. 325. Euſebius lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 6. Theodoſius magnus Conſtantinopolitanum indixit ann. 381. Socrates lib. 5. cap. 7. Theodoſius junior Epheſinum ann. 431., Martianus Chalcedonenſe; & poſt, per anno-*

rum

rum longam ſeriem, auctoritas cogendi Concilia apud Principes ſervabatur, uſquequo tandem hanc Papa invaſit &c. Dato etiam Conſtantinum convocaſſe Nicænum Concilium, non abſque auctoritate, & conſenſu Silveſtri id factum. Habetur VI. Synodo *Act.* 18. *Arius diviſor, & partitor Trinitatis inſurgebat, & continuo Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Silveſter laudabilis, magnam, atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.* Præfuit Silveſter per Legatos ſuos, videlicet *Oſium Epiſcopum Cordubenſem, Vitum, & Vincentium Preſbyteros*. Conſtantinus interfuit, poſt Epiſcopos locum tenens, in quo nec ſedere voluit, niſi ab Epiſcopis licentia obtenta: *Simul vero ac ad ſummum locum venit, primum in medio conventu erectus conſtitit: ac cum parva quadam ſella ex auro fabricata illi eſſet loco poſita, non prius conſedit, quam Epiſcopi ad id annuiſſent.* Euſebius *Lib.* 3. *de Vita Conſtant. cap.* 10., Socrates *Lib.* 1. *cap.* 5., Theodoretus *Lib.* 1. *cap.* 7. Immo Rufinus ſcribit *Lib.* 11. *hiſt. cap.* 2., teſtatum eſſe in illo conventu adeſſe ſubditum, non judicem: *Deus vos conſtituit Sacerdotes* (verba ſunt pientiſſimi, & auguſtiſſimi illius Imperatoris) *& poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos a vobis recte judicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus judicari &c.*, Quod adeo religioſe obſervavit, ut exhibitis quibuſdam accuſatoriis libellis adverſus nonnullos Epiſcopos, legere abſtinuit, & flammis eos conſumpſit. Apud Theodoretum *Lib.* 1. *cap.* 11. pronunciavit, quod *Sacerdotum vitia non ſunt populo vertenda &c*, & ſubdidit, *ſi ſuis oculis Epiſcopum alienæ uxori ſtuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos, qui id ipſum cernerent, ulla ex parte læderet.* Non ita Proteſtantes erga Papas; ſed veris non occurrentibus delictis, falſa confingunt, & plane componunt, ad laceſſendam eorum famam.

23. Falſum Conſtantinopolitanum I. Concilium indictum fuiſſe a Theodoſio I. inſcio Damaſo Papa, quod evincunt ipſi Epiſcopi convocati in Epiſtola ſynodica ad Damaſum; in qua a pergendo Romam ubi vocabantur ſe excuſantes, fatentur Conſtantinopolim conveniſſe ab ipſo convocati: *Nam Conſtantinopolim conveneramus mandato litterarum ſuperiore anno a veſtra Reverentia poſt Concilium Aquilejenſe ad Dei amantiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum.* Hæc refert Teodoretus *Lib.* 5. *hiſt. cap* 9. Ex quo eruitur Damaſum ſuaſiſſe Theodoſio illud convocare; & ex adhibitis excuſationibus Romam non adeundi, patet eos agnoviſſe in Damaſo auctoritatem convocandi Concilia. Quod & deducitur ex VI. Synodo *Act.* 18., in qua cum Theodoſio Damaſus nominatur: *Macedonius Spiritus denegabat Deitatem ... ſed maximus Imperator Theodoſius, & Damaſus fidei adamas, protinus obſtiterunt.* Audiatur Photius (*Lib. de* 7. *Synodis ad Michaelem Imperatorem*): *Quibus* (nempe Orientalibus) *haud multo poſt & Damaſus Epiſcopus Romæ, eadem confirmans, atque ſentiens, acceſſit.* Videatur Natalis Alex. *Sec. IV. diſſert.* 36. *ar.* 1.

24. Aſſerere *Concilium Epheſinum I. convocatum fuiſſe a Theodoſio juniori abſque auctoritate Cæleſtini I.*, indicium eſt ſummæ ignorantiæ circa hiſtorias. Notum eſt S. Cyrillum promotorem illius Concilii, ante ejus convocationem ſcripſiſſe plures Epiſtolas Cæleſtino, a quo & tot reſponſa obtinuit; quamobrem, ait Proſper in *Chronico*, Concilium iſtud coactum fuit *Cyrilli induſtria, & Cæleſtini auctoritate*. Præterea S. Cyrillus præfuit ut Legatus Cæleſtini. Id teſtatur Evagrius (*Lib.* 1. *hiſt. cap.* 4.) & conſtat ex Epiſtola Cæleſtini annexa hujus operibus; quod confirmat Photius in *Libro de* 7. *Synodis*. Porro quomodo credibile coactum fuiſſe abſque auctoritate Papæ Concilium, cujus promotor cum ipſo rem agit, & ejus vice præeſt Legatus? Nec minor inſcitia eſt aſſerere Concilium

 Chal-

Chalcedonenſe indictum fuiſſe a Martiano abſque S. Leonis Papæ auctoritate. Palam notum, demortuo Theodoſio, & inaugurato Imperatore Martiano, Conſtantinopolim ingreſſi Leonis Legati, ſingulari honoris forma ab ipſo recepti ſunt. Secum egit de Synodo, & litteras dedit ad Sanctum Leonem, quæ leguntur 11. *parte Concilii Chalced. cap.* 34. Scripſit etiam Pulcheria Auguſta, ut legitur *cap.* 35. Leo legatos miſit ad Martianum, qui vices ſuas tenerent in Synodo. Hi fuerunt *Paſchaſinus*, & *Lucentius Epiſcopi*, *Bonifacius*, & *Baſilius Preſbyteri*. Optabat Leo Concilium differri, ſed annuit Imperatoris petitionibus, ut colligitur ex ejus *Epiſt.* 42. Id ne eſt Concilia cogere abſque auctoritate, & conſenſu Pontificum?

25. Si ad Metropolitanos attinet nationalia convocare Concilia, ut Calvinus teſtatur (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 7. §. 8.), ad Romanum Epiſcopum pertinebit generalia indicere; quandoquidem totum gregem Chriſti congregare jure competit, cui Chriſtus illius curam commiſit, qua Paſtori, & Rectori. Paſtor inſtitutus fuit Petrus, & ejus ſucceſſores, non Cæſares, & eorum poſteri. Quis autem ſucceſſor eſt Petri ex teſtimonio totius antiquitatis, niſi Romanus Epiſcopus? Quid quod convocare Epiſcopos totius Chriſtiani Orbis ad eum pertinet, qui poteſt legitima auctoritate ipſos cogere? Ecquando Imperatores Eccleſiæ politicum obtinuere dominium, quo pacto Papæ ſpirituale? Quid igitur tam audacter Calvinus pronunciat: *Univerſale autem Concilium indicare ſolus Imperator poterat?* Neceſſarium fuit primis ſeculis ad cogenda Concilia cum Imperatoribus agere, non ad auctoritatem impetrandam, ſed ad ſubſidium, & executionem obtinendam. *Quando unquam* (ait D. Athanaſius *Epiſt. ad ſolitar.*) *judicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Primis illis ſeculis publicis ſumptibus mittebantur Epiſcopi, & frequentiſſime ſumptibus Imperatorum, ut Conſtantinus Epiſcopis impartivit cibaria & currus ad itinera; ut refert Theodoretus *Lib.* 2. *cap.* 16., & Euſebius *de Vita Conſtan.*

26. *Innocentius Papa nonnullos miſit ſuæ Diœceſis Religioſos ad Arcadium, & Honorium, ad inſtandum pro convocatione Concilii, ſed non impetravit.* Sic *pag.* 153. Sed non advertis Innocentium I., cum vellet D. Joannem Chryſoſtomum a Concilio reſtitui ad ſuam Sedem, motum plurium Orientalium Epiſcoporum precibus miſiſſe ad Honorium, & Arcadium quinque Epiſcopos, & duos Preſbyteros Romanę Eccleſiæ, ut de Concilii loco & tempore tractatum haberent. Verum hoſtes Joannis, dolis, & fraudibus, obtinuerunt Legatos dimitti, ea ſpecie, quod perturbatores eſſent tranſmarini Imperii. Nec perſpicis repulſæ iniquitatem, & prępotentiam? Innocentius ab Arcadio, & Honorio Concilium poſcebat, quia aliter in regia eorum urbe cogi non poterat; non quia convocandi jus imperiale eſſet: cum nec imperiale ſit jus cogendi provinciales Synodos, ſed metropolitanum, juxta ipſum Calvinum.

27. Valentinianus quæſitus a quibuſdam Epiſcopis ut Concilium indiceret, reſpondit apud Sozomenum (*Lib.* 6. *hiſt. cap.* 7.) *ſibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere, & ideo Sacerdotes, & Epiſcopi, quibus hæc cura ſunt, ſeorſum per ſe ubicunque ipſis lubitum fuerit in unum conveniant.* Revolve Picenine quid in Palmari Concilio acciderit in cauſa Papæ Symmachi *ann.* 500. Facto ſchiſmate adverſus hunc Pontificem, Theodoricus Italiæ Rex, conſenſu Symmachi, convocavit Concilium. Patres proteſtati ſunt pertinere ad accuſatum Concilium cogere, cujus Sedi ſingularis poteſtas collata erat ſuper omnes Eccleſias: *Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerunt, ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convoca-*

re

re, ſcientes quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum, vel Principatus, deinde ſecuta juſſionem Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas ei ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem. Ad quę Theodoricus: *Sed potentiſſimus Princeps, ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam litteris demonſtraſſe ſignificavit.* Nec acquieſcentes illi Patres, Symmachi litteras exhiberi poſtularunt: *Unde a manſuetudine ejus pagina poſtulata ſunt, quas ab eo directas conſtabat. Haſque dari Sacerdotibus ſine tarditate conſtituit.* En præclarum teſtimonium omnium ſeculorum circa auctoritatem Papæ cogendi Concilia, quam tu ſolemni mendacio uſurpatam vociferaris.

§. I V.

Conciliorum Auctoritas.

28. CAlvinus *Lib. 4. Inſt. cap. 9.* §. 2., tu vero in *Triumph. pag.* 78. ſecum aſſeris: *Concilium congregatum eſſe debet in nomine Chriſti; tum vero intelligitur congregatum in nomine Chriſti, cum docet ex ore Salvatoris, & inhaeret illius doctrina. D. Bernardus Epiſt. 19. ſtatuit: In Conciliis non traditiones hominum pertinaciter defendenda, ſed Dei voluntas ſedulo inquirenda eſt. Si Concilium definire debet an hoc vel illud dogma Chriſti doctrina ſit, unica ſua definitionis regula ex doctrina Chriſti ſumenda eſt.* Egregie omnia. Verum ut Concilium congregatum ſit in nomine Chriſti, ut ejus voluntas certo innoteſcat, & vera doctrina Chriſti ſine periculo erroris dignoſcatur, convocari debet ab habente legitimam auctoritatem. In omni Republica recte ordinata caput haberi debet, cujus auctoritate indicentur comitia, & conventus, ut horum ſanctiones legitimæ habeantur, & vim habeant cum directivam, tum coarctativam. Neque cujuſcunque privati negotium eſt conventus facere, ſtatuta decernere, leges interpretari. Sola igitur Eccleſia Chriſti, ut inſipienter hariolaris, illa erit Reſpublica tam monſtroſa, & inordinata, cujus quot membra tot capita valeant conventus facere, & in nomine Chriſti ea cogere, de doctrina Chriſti decernere, decreta ſtatuere, & definire, nullo præpoſito ſupremo capite, cujus auctoritate legitimum jus ultro citroque obligans habeatur? Calvinus ſane admittit Synodos provinciales auctoritate Metropolitani eſſe indicendas; & ad convocandum univerſum Chriſtianum Orbem, nullum caput, nulla auctoritas requiritur, ad hujus magnæ Synodi validitatem, & convocationem in nomine Chriſti? Hanc auctoritatem Imperatores non habere nuper ex ipſorum confeſſione oſtenſum fuit. Si Imperatorum quiſpiam Epiſcopis litteras convocatorias dedit, nō auctoritate, ſed executione id factum eſt, ſubſidio dumtaxat & protectione pręſtita. Sic in quatuor primis Conciliis, merito a S. Gregorio (*Lib. 1. Epiſtolar. epiſt.* 24.) velut quatuor Evangelia veneratis. Cujus igitur erit hæc auctoritas convocandi Concilia, præſidendi, & approbandi? Illius certe, qui in ea conſtitutus fuit, & cognitus ſemper, nempe Romanus Epiſcopus, in quem deſcendit auctoritas D. Petro a Chriſto collata. Itaque doctrina Chriſti regula eſt Conciliorum; verum ut iſta ſint legitima, & Spiritus Sanctus in medio eorum ſit, & certum illorum judicium, ac vera doctrina Chriſti habeatur illa, quam fidelibus proponunt, illius intercedere debet auctoritas, qui ſucceſſor eſt Petri, cui fides a Chriſto indefectibilis promiſſa fuit. Verum magiſtri, & diſcipuli, Calvini ſcilicet, & tuas fas eſt aperire rimas: *Concilium* (dicitis) *congregari debet in nomine Chriſti; tum vero dignoſcitur congregatum in nomine Chriſti, cum docet ex ore Salvatoris, & inhaeret illius doctrina.* Poteſt igitur congregari Concilium, ipſo non congregato in nomine Chriſti, nec inhærente ejus doctrinæ. Peto. A quo ſciam Concilium potius,

tius, quam non, congregatum in nomine Chriſti; quando ex ejus ore potius, quam non, loquatur? A Papa? Non equidem; quandoquidem falli poteſt ut cæteri, & proponere (penes vos) verbum Dei, quod tale non ſit. Ab Epiſcopis congregatis? Multo minus. Homines & ipſi ſunt, errori & ſurreptioni obnoxii. Quis tandem veritatem revelabit? Quis? Calvinus, & Piceninus. Calvinus id proferre non erubeſcit (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 9. §. 8.): *Quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo conſilio, quales homines interfuerint, deinde illud ipſum de quo agitur, ad Scriptura amuſſim examinari; idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar præjudicii: neque tamen examen quod dixi impediat.*

Itaque Calvinus vult, ad Concilii definitionem acceptandam expendi primum quo tempore habitum ſit Concilium, qua de cauſa, & quo conſilio, quales homines interfuerint, idque quod agitur Scripturæ trutina perpendi: hæc autem a quocunque privato ſcrutari debeant, ut præſato loco exemplo ſuo oſtendit, judicando de Conciliis, eorumque definitionibus, decernens quæ in nomine Chriſti coacta ſint, quæ vero deficiant; aſſumens ſibi illam judicii facultatem, & infallibilitatem, quam Papæ detrhait, immo Conciliis, & Eccleſiæ univerſæ. O temeritatem, & impudentiam intolerabilem! Judicandi certam ſibi, & privato cuique arrogare poteſtatem, quam Summo Sacerdoti, & Eccleſiæ contendit; proprium judicium ſupremum, & abſolutum, illud autem Eccleſiæ anceps, & precarium velle! Non hæc enimvero regula a Deo ſtatuta in veteri, nec a Chriſto in nova lege. Pro veteri Moyſes *Deuteron. cap.* 17. *v.* 8. &c. loquutus eſt: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris .... aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi ſecundum judicii veritatem.* Non dicitur, dubitare poteris de judicii veritate, ſed: *Indicabunt tibi ſecundum judicii veritatem.* Neque ſubditur expende eorum definitionem; nequaquam ita, ſed: *Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus.* Ad quæ verba Janſenius Iprenſis: *Non quaſi ſit conditio, ſi docuerint te juxta legem ejus; ut volunt hæretici, dum omnium divinarum rerum controverſias nituntur ad privatum cujuſquam judicium revocare, velut ad ſupremum tribunal diſcernens de lege Dei. Sic enim litigantes fuiſſent magis perplexi quam antea, adeoque fuiſſent conſtituti ultimi Judices de ſua controverſia, immo de ſententia Sacerdotum, & Judicum, utrum eſſet juxta legem Dei, nec ne. Eſt ergo aſſertio, qua ſecuros eos reddit, ut poſſint acquieſcere eorum judicio, tanquam qui eos docturi ſint juxta legem Dei. Unde textus Hebraicus, quem hæretici ſequuntur, repetit bis ſine ulla conditione hoc modo: Facies juxta legem, quam docebunt te; utque omnem ſcrupulum auferret ſtatim ſubjungit: Sequeriſque ſententiam eorum, Hebraice, juxta judicium, quod dixerint tibi, facies; & ita quidem, ut non declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ideſt ne ad latum quidem unguem decedes; unde & mox graviſſimam pœnam inobedienti ſtatuit*, ideſt: *Qui ſuperbierit, putando vel injuſtum eſſe judicium, vel non eſſe juxta legem Dei, vel ſe rectius ſapere, quam Sacerdotem judicantem: nolens propter has cauſas obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino, ideſt Pontificis fungentis eo tempore ſummo Pontificatu, & decreto Judicis, ideſt & ſententia ipſius ejuſdem Pontificis tanquam Judicis controverſiæ .... morietur.* Hujuſmodi autem obedientiam talem præſcribi, quæ ſententiæ & judicio ſedentis in Cathedra Moyſis ſubjici teneatur, quanquam per-

perverſus ille, & corruptis moribus, apertiſſime monet Chriſtus *Matth. cap.* 23. 2. *&* 3. illis verbis: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite.* Adverte diligenter vim illationis: *Sedent in Cathedra Moyſi;* ergo nulla indagine, *Scribæ* licet ſint & *Phariſæi, ſervate & facite;* non hoc, vel illud, ſed *quæcunque dixerint vobis:* quoniam ex hac Cathedra, non ſua, ſed Dei loquentes, nunquam contraria Deo, & legi loquentur: *Sua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent, de loco ſcilicet ſuperiore Sedis Eccleſiaſticæ, quam ſana doctrina conſtituit. Propter quod ipſe Dominus, priusquam de talibus quos commemoravi diceret, præmiſit: Super Cathedram Moyſi ſederunt. Illa ergo Cathedra non eorum, ſed Moyſi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo ſua, in vita ſua; docere autem ſua, Cathedra illos non permittebat aliena.* Sic D. Auguſtinus *Lib.* 4. *de doctrina Chriſtiana cap.* 27. Obedientia autem, quæ a Chriſto præcipitur pro eo qui ſedet in Cathedra Moyſi, non præcipietur pro ſedente in Cathedra Eccleſiæ? Attendantur verba a Chriſto præmiſſa *Matth.* 18. 17. Si in conſpectu duorum vel trium teſtium correptus quis te non audierit, *dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Non permittit Chriſtus, loquente Eccleſia, hujus ſententiam, antequam audiatur, a reo diſcuti juſta nec ne ſit, & legi conſona, ſed nulla tergiverſatione audiri præcipit, adeo quod *ſi Eccleſiam non audierit, ſit ethnicus, & publicanus.* Loquente igitur Eccleſia ex ore Conciliorum, & Pontificum, loquitur in nomine Chriſti, loquitur juxta Dei verbum; nec aliter loqui Cathedra non permittit aliena, ut ſcite Auguſtinus.

29. Nec propterea *convenire in nomine Chriſti eſt convenire in nomine Papæ,* ut falſo Panigarolæ tribuis. Auctoritas requiritur Capitis Eccleſiæ, ceu neceſſaria conditio ſine qua Concilium nec legitimum eſſet, nec firmum in judicando. Concilia provincialia, penes Calvinum, convenire debent auctoritate Metropolitani in nomine Chriſti; idem ne porro erit convenire in nomine Chriſti, ac in nomine Metropolitani? Juxta novitatem tuæ Theologiæ non omnes baptiſmum conferre poſſunt, ſed dumtaxat qui auctoritatem, miniſterium, & delegationem habent. Ideo ne aſſeres baptizare in nomine Chriſti idem eſſe ac baptizare in nomine Miniſtri? *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Neutiquam, ajebat S. Paulus. Sic & nos dicimus. Neque id *riſum movet Gallicanæ Eccleſiæ,* quæ nobiſcum idem profitetur; & Catholica illa natio iſtiuſmodi calumnia tua haud perfide, quam peſſime a te læditur. Doctrinæ Chriſti, & vetuſtiſſimæ Eccleſiaſticæ conſuetudinis profanatio eſſet, abſque Papa, legitima & valida reputare Concilia. Tuo tecum exemplo *in Triumpho* relato contendam. Arianorum turba quærit doctrina ne Chriſti habenda ſit Filium eſſe æqualem Patri. Id Arimini, id Sirmii, id alibi ſciſcitatur. Quoniam vero non legitima auctoritate, immo contra jus in Nicæno Concilio I., conſenſu, præſidentia, & approbatione Silveſtri I. ſtatutum circa doctrinam Chriſti in illo articulo, id quærebat, aſſequi nequit. Nutantes, & inſtabiles, formulas fidei in ſingulis conventibus oppoſitas edunt, errorem errore corrigentes: tu vero vel ignoranter inſanis, vel perfide mentiris, ſi ſerio aſſeras Liberium Papam interfuiſſe Ariminenſi Synodo, vel cuicunque Ariano conventui. In hiſtoria jejunus plane deprehenderis, & quæ vera non habes, tuo perverſo ingenio ad infamiam apta componis. Legere debueras apud Socratem *Lib.* 4. *hiſt. cap.* 12., ubi Liberii litteræ ad Epiſcopos Orientis referuntur, in quibus aperte damnantur quæ blaſphemiæ in Dei Filium acta omnia Concilii Ariminenſis: *Neque vos ignorare volumus, & blaſphemias Arimini contra Filium Dei*

Dei divulgatas; jam etiam ab illis, qui tum videbantur fraudulenter, & repentino impetu a veritate tanquam abrepti, anathemate damnari, & fidei Concilii Nicæni concordi animorum voluntate ab omnibus aſſenſum eſſe. Hæc Liberius. Non igitur aderat Ariminenſi Concilio, & multo minus ſubſcripſerat. Neque Sirmienſi adfuit. Quomodo enim Berœæ exul, Sirmii eſſe poterat? Subſcripſit uni illius Concilii formulæ; cui autem ſubſcripſerit, et quomodo id acciderit, jam dictum; & acta vanum eſt agere.

30. *Panigarola erroris criminatur Concilium Conſtantinopolitanum ſub Leone, Epheſinum* II., *Baſileenſe, quia a Papa non fuere coacta* (ſic muſſitas pag. 154.). *Propter eandem rationem rejicienda forent quatuor illa univerſalia; hæc quippe a Papis coacta non fuere. Papa Conſtantinopolitanum I. & Chalcedonenſe non approbarunt* (promittis autem de his tractaturum in articulo Primatus); *ne de tot Africanis Conciliis ſermo fiat, ætate Cypriani coactis in offenſionem Papæ.* Jam ſatis me oſtendiſſe reor, quatuor generalia Concilia coacta non fuiſſe abſque auctoritate Papæ, ſicut qua ex parte Conſtantinopolitanum I. & Chalcedonenſe Concilia approbata nec ne fuerint. Videatur *Cap. VI. §. I. n.* 3. Et quia ad articulum Primatus Papæ me provocas, ibi te attendam. Africana Concilia ætate S. Cypriani coacta ad reſiſtentiam, & offenſionem Papæ, meam cauſam mirifice adjuvant. Hæc nempe ſic coacta errarunt, & oppoſitum ipſis in Concilio generali definitum fuit. Africani adverſus Stephanum definiverant revertentes ab hæreſi rebaptizandos. Id ceu hæreſim damnatum fuit, & oppoſitum in Concilio Arelatenſi, ſive Nicæno definitum. Concilia igitur coacta in *offenſionem* Papæ non erant in nomine Chriſti, neque ex ore Chriſti loquebantur. Quod autem pronuntiabat Stephanus, cum ab univerſa Eccleſia receptum fuerit, & ſemper retentum; ſignum, Stephanum loquutum ex ore Chriſti, & qui ipſi opponebantur, Chriſto opponebantur: quamobrem Panigarola erroris merito criminatur Conſtantinopolitanum ſub Leone, & Epheſinum II. Quo ad Baſileenſe, de quo pariter in *Triumph. pag.* 80. ſermonem habes, ſupponens a duobus Papis fuiſſe confirmatum, ſcilicet ab Eugenio IV., & Nicolao V.; ſcito jam indictum a Martino V., cujus ſucceſſor Eugenius IV. ejus convocationem ratam habuit, idque ſignificare intendit Platina, aſſerens Eugenium confirmaſſe Baſileenſe Concilium, non approbando ejus decreta tum temporis nondum emanata, ſed probando Baſileenſem Urbem pro loco Concilii, ut ſtatuerat Martinus. Nil præter hoc referunt verba Platinæ: *Eugenius Baſileenſe Concilium litteris etiam Apoſtolicis confirmavit, facta unicuique eundi ad Concilium poteſtate.* Sic Concilium Baſileenſe legitimum, & œcumenicum fuit in ejus exordio; ſed cum inde poſt audacter inſurrexiſſet adverſus Pontificem, *ſeſſ.* 13. & 14. auſum uſque ejus depoſitionem tentare, perinde ex Concilio Conciliabulum factum, a ſaniori parte Epiſcoporum deſertum, ejus decreta nullius auctoritatis habita ſunt, & Felix electus ab illo Conciliabulo, Antipapa fuit. Re diſcuſſa a Gallia, & ab Eccleſia univerſali, probatæ fuerunt rationes Eugenii, qui ad mortem uſque verus Pontifex habitus eſt, & Felix ſe ſubmiſit Nicolao V. ſucceſſori Eugenii. Nicolaus non confirmavit Baſileenſe Concilium, ut falſo ſupponis, ſed reddidit dumtaxat Eccleſiæ pacem, ratum, & legitimum habens quidquid Felix diſpoſuerat ſui antipapatus tempore circa promotiones, electiones, confirmationes, Eccleſiarum & beneficiorum collationes &c. Privatis ab Eugenio, gratias, & beneficia reſtituit, & reliquias Baſileenſis Synodi ad ſui obedientiam recepit. Videatur *Tom. XII. Concil. Lablè pag.* 663., & liber inſcriptus *Amedeus Pacificus.* Ergo Baſileenſe Concilium ex quo extollere ſe, & tueri auſum eſt adverſus Papam, Concilii veritatem amiſit,

&

& convocationem in nomine Chriſti, quia ut hæc habeat unitatem, cum Romano Epiſcopo habere debet. Statim ac ſe diviſit ab Eugenio, alium Papam elegit, quem ſibi præſidem inſtituit; quo conſtat hoc etiam Conciliabulum intellexiſſe, nullam legitimi cœtus ſpeciem præſeferre ſe poſſe ſine auctoritate Pontificis, ſaltem ſpecie talis.

31. Subdis *pag. 154. D. Auguſtinum non acceptaſſe Ariminenſe Concilium; ex altera tamen parte nec oſtentaſſe tanquam arbitrum certum ipſum Nicænum.* Summo jam conatu niteris Conciliorum infallibilitatem elevare. Ni vero præter Auguſtinum alium habeas tuæ cauſæ patronum, male eam promoves. Neque enim vel legiſti, vel intellexiſti Sanctiſſimum Doctorem, qui plane oppoſitum ſentit de Nicæno Concilio (*Lib. 2. cont. Maximin. cap. 14.*): *Hoc eſt illud Omouſion, quod in Concilio Nicæno adverſus hæreticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt.* Qui hac phraſi loquitur, non oſtentat arbitrum certum Nicænum Concilium? Sane mox ſubjunxit: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe ..... proferre Concilium.* At cur ita? Cum quo eo loci diſputabat Auguſtinus? Cum Maximino, certe Secta Ariano, Nicæni auctoritatem negante, ut Ariminenſis Auguſtinus. Quomodo autem poterat illum conſtringere, quaſi fateretur Nicænum voce *Omouſion* affatim expreſſiſſe conſubſtantialitatem Filii cum Patre? Nicæni auctoritas opportuna hic non erat, utpote a Maximino rejecta & recepta illa Ariminenſis. Quamobrem S. Doctor hoc utitur conſilio, & ait: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus &c.* Quemadmodum ego quanquam fatear Conciliorum auctoritatem, tecum tamen aggrediens, ab eorum proferenda auctoritate abſtineo, dum illam irrideas, & Scripturis inſiſtere ſtudeo; ſic Auguſtinus quanquam infallibilem haberet auctoritatem Concilii Nicæni, ea tamen uti opportunum non cenſuit contra Arianum, non minus ac tu illi detrectantem. Ceterum Auguſtinus tantam auctoritatem Nicænæ Synodo deferebat, ut omnium in illo *Lib. cont. Maximin.* ſuarum rationum vi in id tenderet, ut vocis *Omouſion* confeſſionem ab illo extorqueret. Quare ſolitus erat concludere: *Nicænum igitur tenete nobiſcum Concilium, ſi vultis Chriſtum dicere verum Dei Filium* (prælaudato *Lib. 2. cap. 15.*). Et *cap. 18.*, probato generationem divinam monſtroſam fuiſſe, ſi produxiſſet Filium natura diſſimilem, ſubdit: *Si autem hæc, ſicut debetis, horretis, reſpuitiſque nobiſcum, jam tandem Concilium Nicænum, & Omouſion laudate, ac tenete nobiſcum.* Qui hæc de Nicæno loquitur, ejus auctoritatem certam non habet?

32. Neque quidquam pro tua cauſa facit aliud D. Auguſtini aſſertum (*Lib. 2. de Baptiſ. cont. Donat. cap. 3.*) *ipſaque plenaria* (Concilia) *ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Aliud eſt quod poſteriora cognoſcant quod priora Concilia latebat, aliud prioris Concilii errata a poſterioribus corrigi. Primum Auguſtinus ait, non ſecundum. Et primum veriſſimum eſt; quoniam poſteriora Concilia quod veritatis in prioribus clauſum erat cognoſcunt, & fidelibus proponunt, quia nec res nondum diſcuſſa, nec veritas fuerat a contrario errore cribrata. Hanc mentem eſſe Auguſtini ejus verba indicant: *Aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Et apertius patet ex quæſtione, de qua S. Doctor agebat, nempe de Baptiſmo ab hæreticis collato. Antea apertum non erat utrum reiterandus foret Baptiſmus ab hæreticis collatus. Eccleſiæ Africanæ reiterabant, & cum ipſis Cyprianus. Romana cum aliis oppo-

ſitam habebat conſuetudinem. Res adhuc clauſa erat, licet aliquibus Conciliis diſcuſſa; poſt vero majori diligentia agitata: *Experimento rerum apertum fuit quod clauſum erat*, & definitum fuit ab hæreticis baptizatos non rebaptizandos. Ideo Auguſtinus ait *ſæpe priora poſterioribus emendari*, ideſt experimento aperitur quod antea clauſum erat, præſertim in rebus facti, quę ſolo experimento probantur. Quoniam autem gratum tibi eſt Auguſtinum audire, non pigeat quæ eodem citato *cap.* 3. ſequuntur attendere. Donatiſtæ prætexebant rebellionem ſuam exemplo S. Cypriani; hic in ipſorum ore frequenter reſonabat. Pertæſus S. Doctor hujus cantilenæ, ſic eos ibidem aggreditur: *Vos certe objicere ſoletis Cypriani Concilium. Cur auctoritatem Cypriani pro veſtro ſchiſmate adducitis, & ejus exemplum pro Eccleſię pace reſpuitis?* Nonne pſeudoreformatis hæc affabre dicta videntur? Nec finis; immo loquens iterum de Cypriano *cap.* 4. addit: *Satis oſtendit facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exierunt..... Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi* (en Conciliorum auctoritatem) *univerſæ Eccleſię auctoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam eo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium conſolidaretur.* Hæc eſt reverentia, quam D. Auguſtinus habebat, & D. Cyprianus habuiſſet Concilio generali, de quo tu tam impudenter blateras.

33. *Diſputemus pro Scripturis*, ais; pene ac ſi certus iſtarum interpres eſſet Piceninus, Calvinus, Zuinglius, & Lutherus; cum ſolus Papa & Concilium hanc habeat facultatem, quod cum ſuo capite univerſam repræſentat Eccleſiam. Nec irridere valet P. Panigarolam probantem infallibilitatem Conciliorum ex promiſſione Chriſti (*Matt.* 18. 29.): *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*; quoniam, velis nolis, textus hic probat Spiritum veritatis adſtare congregatis in Conciliis in nomine ſuo. S. Cyrillus loquens de Patribus congregatis Nicææ ait (*in expoſ. Symb. Nicęn.*): *Quibus ſane Chriſtus adſedit, qui dixit: Ubi fuerint duo vel tres congregati &c.* Sic legitur in Concilio Chalced. *Ep. ad Leonem.* Sic in IV. Synodo *Act.* 17. Sic Cæleſtinus *Epiſt. ad Conc. Epheſ. I.*, qui ex laudatis verbis Chriſti ſic diſſerit: *Quod ſi numero tam exiguo Spiritus Sanctus non deeſt, quanto magis par eſt credere illum minime defuturum, ubi tanta Sanctorum multitudo convenerit?* Quid plura? Num non ipſi Calviniſtæ in hunc ſenſum textum hunc interpretati ſunt? Arminiani opponebant Synodum contra ſe Dordraci convocandam futuram non fore infallibilem, atque ideo conſcientias ſuas per illam non gravari. Audi quid reſponſum fuerit (24. *Octob. Synod. Delph. inter acta Dordrac. ſeſſ.* 26.) „ Chriſtus promittendo Apoſtolis Spiritum veritatis, „ ſimul promiſit Eccleſiæ ſuæ cum „ ipſa ſe futurum uſque ad conſummationem ſeculi, & eſſe in medio „ duorum vel trium, qui congregati ſint in nomine ſuo „. Ex quo inferebatur quod „ cum Paſtores ex „ pluribus regionibus convenirent ad „ definiendum juxta verbum Dei doctrinam in Eccleſiis edocendam, par „ erat firma fide ſuaderi Jeſum Chriſtum, juxta ſponſionem ſuam, in „ medio eorum eſſe „. Ergo textus ille ſuadebit Chriſtum, & Spiritum veritatis adeſſe Conventiculis pſeudoreformationis, minime vero Conciliis Eccleſiæ Catholicæ? Opponis *pag.* 153. *Congregari in nomine Chriſti, eſt, per vos, congregari in nomine Papæ. Quod ſi verum hoc; duo, vel tres congregati vel ad audiendam Sacram Concionem, vel ad orandum, non erunt congregati in nomine Chriſti, quia non congregantur in nomine Papæ. Ad hæc. Ubi habetur Chriſtum potius loqui in Oecumenicis Conciliis, quam in quoque alio*

alio conventu duorum, vel trium? Congregari in nomine Chriſti in Conciliis, utique eſt auctoritate Papæ convenire, ſed non in nomine Papæ. Duobus modis plures perſonæ convenire poſſunt; vel ad repręſentandum corpus Eccleſiæ Chriſti, vel ad aliquem componendum privatum cœtum, ſive ad orandum, ſive ad alia pietatis opera. Si omnes reſpiciunt gloriam Dei, congregantur in nomine Chriſti, & ejus aſſiſtentiam habent ad ea obtinenda quæ recte poſtulant, nempe vel privata bona, ſi ad id conveniant, vel publica, & communia, ſi in id congregentur. Quoniam vero Patres congregantur in Conciliis in nomine Chriſti ad impetrandum divinum verbum, & proponendam fidelibus communem fidem, propterea Chriſtus ſpeciatim ibi adeſt illuſtrando eorum mentes, ne errent, & in errorem trahant univerſam Eccleſiam. D. Gregorius (*lib. 7. Ep. 106. alias 111.*): *Si ergo adeſſe dignabitur, ubi duo, vel tres fuerint: quanto magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?* Hęc ſpecialis aſſiſtentia eſt a Chriſto promiſſa. Attende contextum Evangelii. Chriſtus loquens de eo qui nullam audire vult admonitionem, dixerat denuntiandum eſſe Eccleſiæ, quam ſi non audierit, ſit tanquam Ethnicus, & Publicanus; ne vero quis ſperneret judicium Eccleſiæ, huic auctoritatem continenter tribuit: *Amen dico vobis, quęcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis*. En judicium Eccleſiæ approbatum a Chriſto. Neve autem dubitaretur de ſua aſſiſtentia in Eccleſia congregata, concludit: *Ubi fuerint duo vel tres congregati &c.*; innuere volens, quod ſi duo, vel tres in ipſius nomine congregati adſtantem illum habent, & obtinent quod recte poſtulant, præſtantius aderit his qui congregati ſunt ut univerſam Eccleſiam repræſentent, quibus veritatis lumen impartietur ne errent in intellectu ſuæ doctrinę, & in proponenda regula univerſæ fidei. Hic germanus ſenſus ſermonis Chriſti, Patrum teſtimoniis, & Conciliorum auctoritate receptus. Hæc præſentia quam promiſit Chriſtus apud S. Matth., confirmavit Joan. *cap.* 16. 13., dicens: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Neve putaretur id ſolis Apoſtolis promiſſum, jam prænuntiaverat Spiritum illum manſurum in ipſis in æternum, nimirum in ipſis, & ſucceſſoribus ſuis in Eccleſia: *Ut maneat vobiſcum in æternum* (*Joan.* 14. 16.). Hinc Apoſtoli in Concilio I. Jeroſolymæ habito, ſuasi his promiſſis, ſanxerunt decreta ſua in Spiritu Sancto: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis* (*Actor.* 15. 20.). Hoc primum Concilium, ceterorum regula, ſi recte attendatur, a D. Petro coactum fuit. Primus ille loquutus eſt, & poſt ipſum conticuere omnes quaſi cogitabundi; inde diſcuſſa re, pronunciatum fuit decretum: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. Scio te de his alibi; idcirco pro nunc plura dicere abſtineo.

34. De Calcaria in Carbonariam. Nunc *pag.* 154. ſubdis: *Si certus arbiter atque infallibilis eſt generale Concilium, illum non habent Jeſuitæ. Univerſale ne fuit Tridentinum? Quomodo univerſale erit Concilium Eccleſiæ non univerſalis? Nunquam Romæ habitum univerſale Concilium &c.* Cur? Quia non ibi unquam *Epiſcopi Ægypti, Aſiæ, Africę?* Sed oſtendere debebas illic eſſe Jeſu Chriſti Eccleſias, potius quam Mahometana delubra, ut inde Epiſcopi venire poſſent. Attamen non advenientibus Epiſcopis, quorum non extant Eccleſiæ, aderant hi qui illarum titulo ornantur. Nullus Chriſtiani Orbis Epiſcopus excluſus fuit, & convocati fuere omnes. Ab Oriente acceſſerunt nonnulli. Cauſa communis erat, nec quidquam defuit ad veram *Oecumenici* rationem. *Oecumenicum* fuit Nicænum I., tametſi ex Occidentalibus non adeſſent niſi duo Preſbyteri Italiæ, Hiſpaniarum Epiſcopus unus, Galliarum unus, item Africæ unus. II. III. tum & IV. generali Concilio Occidentalium pauciſſimi interfuerunt. In Occidentalibus Conciliis, nimirum Lateranenſi III., Viennenſi, Lugdunenſi &c., Orienta-

talium pauci; Oecumenica tamen Concilia ſunt, quidquid blateres. Prima quatuor Concilia ex ſolis ferme Orientalis Eccleſiæ Epiſcopis conſtabant, quæ particularis Eccleſia eſt; concedis tamen illa fuiſſe Oecumenica. Quid porro hujuſmodi non erunt Occidentalia Romæ, & Tridenti habita? Quid huic deerat ad univerſalitatem? Quod reciperetur ab omnibus Eccleſiis? Ecquæ ipſum non receperunt? Italiæ, Germaniç, Poloniæ, & Catholici Orbis univerſæ illud receperunt, & recipiunt. Num Gallicana? Verum & iſta circa dogma illud recepit ut generale, & rigidiores Doctores ſui id tuentur, ac profitentur. *Non poteſt* (ais) *particularis Eccleſia Concilium generale eſſe*. Si Eccleſiæ quæ Romano Pontifici obediunt, componunt, & ſemper conſtituerunt *univerſalem* Eccleſiam; & ſi cuncta Concilia uſque modo celebrata a Romano Epiſcopo regebantur: vel nullum unquam habitum fuit *univerſale* Concilium, vel Eccleſia *univerſalis* quam tibi fingis chimæra eſt. Nunquid *univerſalis* non erit Eccleſia, quia pſeudoreformatas non recipit Eccleſias, ſicut nec Græcas ſchiſmaticas? Id forte prætendis. Verum audi. Cum Arminiani, ſive Remonſtrantes appellarunt ad Oecumenicum Concilium, reſponſum fuit „ incertum eſſe an, & quando cogi „ poſſet Oecumenicum Concilium, ac „ interea Nationale Concilium ex Sta„ tibus coactum futurum fore tanquam „ Oecumenicum, & Generale, quando„ quidem conſtaret ex Deputatis Ec„ cleſiarum omnium reformatarum. „ Quod ſi a Synodo Nationali gra„ vati viderentur, liberum ipſis fu„ turum fore appellare ad Concilium „ Oecumenicum, dummodo interim „ obedierint Nationali Synodo „. Sic in præfatione ad Eccleſias, poſita in fronte Synodi Dordracenſis. Nunc peto. Oecumenicum hoc, ſive univerſale Concilium, quod Remonſtrantibus promittebatur, ſi ex cunctis Eccleſiis componi debuerat, Eccleſiæ etiam Catholicæ convocandæ erant; ſecus iſtæ, quia non convocatæ, ipſum rejeciſsent tanquam non Oecumenicum. Vel itaque impoſſibile dicitur Oecumenicum Concilium, vel concedatur minime neceſſarius conventus omnium Eccleſiarum, præſertim hæreticarum. Revera temporibus Arianæ hæreſis, Manichææ, & Pelagianæ, Eccleſia Chriſti non recipiebat tales Eccleſias; & tamen illis temporibus vera Eccleſia *univerſalis* erat, & ejus Synodi *univerſales* habitæ ſunt. Nicæna I. ab Arianis non fuit recepta, quemadmodum nec ceteræ ab hæreticis in ipſis damnatis; *univerſales* tamen fuerunt, quod tu ipſe concedis. Synodi itaque Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſis, ſunt, & fuerunt *univerſales*, rejectæ licet ab Eccleſiis Ariana, Neſtoriana, Eutychiana, &c. Univerſale igitur erit Tridentinum Concilium, rejectum licet ab Eccleſiiis græcis ſchiſmaticis, & a pſeudoreformatis. Ad hæc. Si Oecumenicum dici nequit Tridentinum, quatenus unius Eccleſiæ, Romanç ſcilicet (ut male commentaris) Concilium eſt; minus profecto univerſalia erunt illa Eccleſiæ græcæ, & pſeudoreformationis tot Conciliabula, ubi quælibet particularis Eccleſia auſa eſt ea ſingulatim componere propriis fidei profeſſionibus: & tua ratione poſita nulla erit *univerſalis* Eccleſia, nec ullus generalis Concilii cogendi modus.

35. Ridebat D. Auguſtinus de Donatiſtis, qui nimirum hac eadem phraſi tua loquebantur. Perpendamus an fides, quç Romç, & in ceteris ſuç obedientiç Eccleſiis profitetur, eadem ſit ac veteris Eccleſiæ fides, quam Chriſtus & Apoſtoli enuntiarunt per univerſum Orbem. Semel ac iſtam teneat Romana Eccleſia, ceterçque ſuç communionis; ſemel ac mea Eccleſia illa ſit, quç a Jeruſalem diffuſa eſt per univerſum Orbem, concedere fas eſt *univerſalem* hanc eſſe, & Romanam eſſe ejus caput. Audes ſcribere: *Roma nunquam habitum univerſale Concilium*. Cur quæſo *univerſale* non fuit Lateranen-

ſe

ſe I. *ann.* 1123. ſub Callixto II. ex 900. & amplius Epiſcopis congregatum? Lateranenſe II. ex 1000. ſub Innocentio II., Lateranenſe III. ex 300. Epiſcopis ſub Alexandro III. *ann.* 1180., Lateranenſe IV. ex 1283. ſub Innocentio III. *ann.* 1225.? Hæc ſane Romę habita. Quid deerat ad eorum *univerſalitatem?* Conſenſus Calviniſtarum, & Lutheranorum? Verum ſi antequam hi male nati fuiſſent *univerſalia* jam recepta fuerant; qua porro auctoritate ea modo rejiciunt? Nullum autem habitum eſſet Romæ generale Concilium; quid tum? Profecto tum Epiſcopi Romani auctoritas late magis conſtaret, cum omnia Oecumenica Concilia, extra Urbem quamvis celebrata, nonniſi tamen illius auctoritate, pręſidentia, & confirmatione concluſa eſſent. *Parum* (ais) *fidei obtinent Concilia provincialia Romæ.* Apud quos? Nempe apud Proteſtantes. Ceterum a Catholico Orbe ſumma veneratione ſuſcepta ſemper fuerunt, & ſuſcipiuntur, Synodus Romana, quę ſub Cęleſtino I. anathemate primum confixit Neſtorium, ceteræ ſub S. Leone, Hilario, Gelaſio celebratæ ſeculo V. ſanctiſſimis ſanctionibus; ut taceam illam Victoris adverſus Aſiaticos de Paſchate, aliam a Stephano contra Africanos de Baptiſmate hęreticorum, & tandem illam Cornelii adverſus Novatianos, quas omnes ſequentia Oecumenica Concilia receperunt. Quid demum? Omnia Concilia celebrata in Chriſtianis Provinciis Romana dici poſſunt, quatenus habita dependenter a Romano Epiſcopo; quęque præter ipſum coacta fuerunt, ut Conciliabula ſemper, non Concilia deſpecta fuere.

36. Quocirca bene habet P. Panigarola, nullum extitiſſe Concilium a Papa confirmatum, quod a fide aberraverit. Id non approbas, opponens *Liberium Pontificem confirmaſſe Concilium Mediolanenſe, & Ariminenſe, quę Concilia errarunt, & conſequenter falſum &c. Primam autem propoſitionem innegabilem eſſe.* Liberius Mediolanenſe Concilium non confirmavit; immo ejus Legati quæſiti a Conſtantio Imperatore Ariano pro ſubſcribenda damnatione Athanaſii, id facere conſtanter renuerunt. Athanaſius in ſua Apologia relata a Theodoreto (*Lib. 2. hiſt. cap. 15.*) Liberium primum recenſet inter eos, qui Mediolanenſi Concilio adhęrere detrectarunt. Neque confirmavit Ariminenſe, quod conſtat ex littera Synodica Damaſi Papæ in Concilio Romano a Theodoreto relata (*Lib. 2. hiſt. cap. 22.*): *Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet, præſertim cum formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano* (nempe Liberio) *cujus ſententia præ omnibus expectanda erat, neque Vincentio .... neque aliis conſentientibus.* Verum inſiſtis, *Liberium ſubſcripſiſſe Arianorum decretis in Conciliabulis editis, ab iſtorum hæreticorum prępotentia dictatis.* Bella illatio. Liberius ſubſcripſit Arianorum decretis &c. Ergo confirmavit decreta Conciliorum Mediolani, & Arimini? Quot autem, præter hæc duo, Ariani Concilia coegerunt, neque iſtorum ullum a Liberio confirmatum? Liberius vi ſubſcripſit formulę fidei Sirmii editæ, quæ expreſſe nihil habebat ſanę doctrinæ oppoſitum. Hanc ſubſcripſit Berœæ exul; nec propterea illud Concilium confirmavit. Si quidquam Picenine pro tua calumniandi libidine quod veriſimile foret percontabas imponere, nunquam debueras tot vana congerere mendacia, nunquam tam falſa conglobare crimina, quibus dum Italiam ſeducere meditabaris, iſta, te plane noſcens, hinc rudem ac ignarum antiquitatis ridet, hinc planum improbum, ac mendaciorum ſycophantam abhorret.

37. En novum mendacium. Pacifice petis a P. Panigarola *pag.* 155. *An non erravit tuum Concilium Romanum anno* 1059., *dum Berengarium fateri coegit ſenſibiliter tractari Corpus Chriſti?* Domine non, non erravit. Berengarium adegit fateri in

Eu-

Euchariſtia ſenſibiliter tractari, *frangi, dentibus atteri verum Chriſti Corpus*, non in ſeipſo, ſed in Sacramentalibus ſpeciebus, ſub quibus latet Corpus Chriſti, non typice, & figurate, ſed realiter, & præſens. Hanc eandem veritatem, nullo pudore, metuque, conſtanter fatetur Eccleſia Romana præſens, adverſus Sacramentarios. Fas fuit ad hanc confeſſionis formulam Berengarium conſtringere, ad evitandam, & eludendam omnem ejus malitiam & fraudem. Fatebatur ipſe in Sacramento tractari, frangi, edi Corpus Chriſti, ſed intendebat id dumtaxat fieri in typo, & figura. Quapropter Concilium, ad tollendam omnem tergiverſationem, formulam abjurationis ſuæ ſic expoſuit: *Conſentio panem, & vinum, quæ in Altari ponuntur poſt conſecrationem, non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter, non ſolum Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri* (*Tom. IX. Concil. pag.* 1011.). Qui loquendi modus propriiſſimus eſt traditus a D. Th. 3. *p. q.* 75. *ar.* 5.; quippe cum ex vi converſionis adveniente ſub ſpeciebus panis, vice ſubſtantiæ panis, vero Chriſti Corpore, quidquid de ſubſtantia panis, ſi adeſſet, diceretur, proportione ſervata, tribuitur Chriſti Corpori. Unde quemadmodum qui frangit, & manducat panem, immediate quamvis frangat, & manducet ſolam quantitatem, nihilominus dicitur manducare, & frangere ſubſtantiam panis; ſic qui frangit, & manducat quantitatem panis, ſub qua, vice ſubſtantiæ panis, vere, & realiter adeſt Corpus Chriſti, frangit, & manducat Corpus Chriſti, non in ſe, ſed in accidentibus, quæ ſola franguntur, & manducantur; in quo ſenſu ait D. Joannes Chryſoſtomus (*Hom.* 83. *in Matth.*): *Oh quot dicunt vellem ejus formam, & calceamenta videre! Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis &c.*

38. Quod opponis *pag.* 155. adverſus Concilium Nicænum II., ſolvere proponebam negando Concilium illud quidquam ſtatuiſſe oppoſitum ſanctionibus poſteriorum Conciliorum, quandoquidem decrevit, quod *nemo uxorem ejicere deberet prætextu pietatis, ſive Epiſcopus eſſet, ſive Preſbyter, vel Diaconus*; non autem decrevit, quod quilibet Epiſcopus, Preſbyter, vel Diaconus uxorem duceret, ut præſcribunt, & faciunt pſeudoreformati. Aliud quippe eſt Epiſcopum, vel Preſbyterum non debere uxorem ductam ejicere, aliud non adhuc ductam in Epiſcopatu &c. ducere. Primum conceditur ab Eccleſia græca Epiſcopis, & Preſbyteris, atque id ab Eccleſia etiam Romana ei permittitur. Secundum a neutra Eccleſia permittitur, & ſolæ pſeudoreformatæ habent hos ſanctos Canones. Sic propoſueram reſpondere. Verum iterum atque iterum lectis actis illius Concilii, nil comperio eorum quæ aſſeris, *prohibuiſſe* ſcilicet *ejicere uxores Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconibus*; nec tantum id non occurrit in Canone V. a te citato, ſed in nullo illius Concilii Canone. Immo nonnulli Canones leges decernunt circa continentiam Eccleſiaſticorum, prçſertim Canon 18., qui removet mulieres a domibus Epiſcoporum, & Monachorum; Canon 28., prohibens Monachis colloquia cum Monialibus, etiam conſanguineis, abſque prçſentia Abbatiſſç; & Canon 22., prohibens Clericis, & Monachis ſecreto comedere cum Monialibus &c., quæ cuncta oppoſita ſunt his quæ tu ſupponis. Reor tamen te de more æquivocaſſe a Synodo Nicæna II. ad Trullanam, cujus Canon 13. obloquitur de continentia & cælibatu Eccleſiaſticorum. Aſt quç efficax ratio inſtitui poteſt adverſum me ex illa Synodo, cujus Canon, cum aliis pleriſque, nunquam approbatus fuit? & Sergius I., ſub quo celebrata fuit, nunquam ad eam confirmandam induci potuit, quanquam repetitis inſtantiis quæſitus a Juſtiniano Imperatore? cujus rei teſtes

ha-

habeo Anaſtaſium Bibliothecarium, Bedam, & Humbertum Cardinalem. Ruunt igitur machinæ tuæ, mendaciis ſemper, & falſitatibus inſtructæ.

39. Sane veriſſimus eſt Canon (non 23. ſed 29.) Concilii Carthaginenſis III. *Cum ad Altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio*, quod & nos facimus in precibus quæ in Miſſa habentur; immo Canonem incipimus: Te igitur Clementiſſime Pater. Hinc nos carpis *pag.* 155. primo inquiens: *Cur Panigarola contra hunc Canonem referebat ſuas preces ad Filium?* Secundo: *Quid confitebatur peccata ſua in introitu Miſſæ Virgini, & Sanctis? Ne modo loquar de aliis Conciliis probibentibus ſervitutem erga Angelos, juramentum per creaturas, & alia ſimilia, recepta ab Eccleſia Romana, & confirmata in recentioribus Conciliis, antiquis adverſis?* Ad primum. Quæro quid hujuſmodi reprehenſione pretendas? Solum Patrem precari, non autem Filium? Non contentus privare Virginem, & Sanctos precibus, vis etiam ipſi Filio eas denegare? Concilium ait: *Cum ad Altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio*; ſed non ad ſolum Patrem. Dirigi debent orationes ad Patrem, non excludendo Filium, tum qua Deum, quoniam nequeunt dirigi ad Patrem, niſi dirigantur ad Filium ipſi conſubſtantialem; tum qua hominem: ut enim preces noſtræ acceptæ ſint Patri, debent ipſi offerri a Filio qua homine, quia mediator noſter eſt. Ad ſecundum. In introitu Miſſæ confitemur peccata noſtra Deo, Virgini, & Sanctis, ſed diverſimode: Deo ut offenſo, a quo per Jeſum Chriſtum veniam ſperamus; Virgini, & Sanctis velut interceſſoribus ad impetrandam veniam. Nos famulatum Angelis non exhibemus, ſoli Deo ſervimus. Illos quidem honoramus, ut ejus amicos, & miniſtros. Nos per creaturas non adjuramus, niſi quatenus Deus eorum auctor in ipſis eminet. Verum de hoc alibi. Recentiora Concilia noſtra contra antiqua nil ſtatuerunt oppoſitum. Quidquid profitemur, eſt antiquitate venerabile. E contra pſeudoreformatorum Conciliabula, oppoſita antiquis Conciliis decreverunt. Siſto in hoc uno Carthaginenſi, quod oſtentare præſumebas. In Canone V. ſtatuitur in Sacrificio Altaris non eſſe offerendum niſi quod oblatum fuit a Chriſto, videlicet panis, & vinum aqua mixtum. Conciliabula pſeudoreformatorum abhorrent a nomine Sacrificii, Altaris, & Miſſæ. Canone XXXV. & ſequentibus indicantur uſu frequentatæ ordinationes Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum. Hæc a Conventiculis pſeudoreformatorum rejiciuntur. Canone XLVII. ſtatuitur Canon Scripturarum, idem nimirum quem in Concilio Tridentino ſanxit Romana Eccleſia. Conciliabula pſeudoreformatorum alium habent, & diverſum. Canone X V I. & X V I I. præcipitur continentia Eccleſiaſticis, & Canone IV. votum caſtitatis Virginibus, & alia, quæ a pſeudoreformatoribus damnantur ut errores. Quæ igitur recentiora Concilia antiquis oppoſita? Noſtra, an tua, Jacobe mi? Et tamen Carthaginenſe Concilium vetuſtiſſimum eſt, eo tempore celebratum, in quo, juxta Calvinum Eccleſia illibata erat in dogmatibus, dum habitum fit *ann.* 307., cui interfuit D. Auguſtinus, cum aliis 46. Epiſcopis Africanis. Quis antiquitatem ſequitur? Quis opponitur?

40. Modo de ſumma rei. *Calvinus* (ais *pag.* 156.) *probat Concilia non eſſe infallibilia, exemplo illius Synagogæ a Caipha Aaronis ſucceſſore coacti, & confirmati.* Multum refert pſeudoreformatoribus prodere in ſuis Conventiculis Concilia non eſſe infallibilia; alias quomodo eorum ſtaret doctrina ab omnibus Conciliis proſcripta? Quocirca Lutherus pſeudoreformationis architectus in diſputatione habita *an.* 1536. *de poteſtate Concilii*, Theſi 12. ſtatuit: *Poſſunt Epiſcopi congregati, ſeu Concilium, errare ſicut alii homines, tum publici, tum privati*; in hoc tantum a Cal-

a Calvino receptus, & ab univerſa pſeudoreformatione. Hìc tamen magnus Calvinus ſuis ſe opponit, qui ſemper quatuor prima Concilia venerati ſunt, tanquam ſalutaris, & puræ doctrinæ indefectibiles regulas. Immo ſibi contradicit, quoniam, ut vidimus, faſſus eſt Eccleſiam puram fuiſſe primis ſeculis. Tu quoque te ipſum negligis, immemor nuper cum S.Gregorio commendaſſe IV. prima Concilia, æque ac quatuor Evangelia. Verum hi timorati viri fidem denegantes Conciliis, integram inde & infallibilem eam præſtabant Luthero, & Calvino illa proſcribentes. Interim univerſa vetuſtas Catholica, prima quatuor Concilia ſuſcipiendo ut interpretes infallibiles divini verbi, miſere ſe ſeduxit; Calvinus vero impudenter ea negando certa ſapit ſcientia? Si omnia Concilia ſunt de veritate ſuſpecta, quid Concilium Dordracenſe ab Arminianis debuit tanquam infallibile ſuſcipi? Quod ampliſſimum & inſigne privilegium obtinuerat, pronunciandi in ſententia lata contra ipſos: *Synodus invocato Sancto Dei nomine, ſuæ auctoritatis ex verbo Dei probe conſcia, omnium legitimarum, tum veterum, tum recentium Synodorum veſtigiis inſiſtens &c.*? Si omnes Synodi tum veteres, tum recentes errare poſſunt, quam certitudinem ſibi promittere poterat has ſequendo? Inſtabis id Calvinum *negare, & probare*. Quocirca, intacta efficacia rationis Panigarolæ, ſuaderi cupio, Concilium coactum a Caipha, in quo totus fidit Calvinus, qua ratione potius verum fuerit Concilium, quam deteſtabile Conciliabulum in nomine Diaboli adverſus Chriſtum congregatum? Cur ad ipſum convocandum, non invidia, non livor, non humana ratio prævaluerit, non metus amittendi Principatum? Cur præter judicii formam factum non fuerit, temere, præcipitanter, ſeductis teſtibus, non audito prætenſo reo? Niſi id probetur, Calviniana machina tota ruit, quippe quæ efficax ratio ad eludendam infallibilitatem Conciliorum, præſertim eorum quæ in nomine Chriſti ad rem fidei ſtatuendam, & proſcribendum errorem convocantur, deſumi valet ab impio & perverſo, non Concilio, ſed Conciliabulo: *Concilium adverſus Jeſum, ut eum morti traderent*, ut narrat Evangeliſta Joannes *cap.* 11. & 47.? Quod Conventiculum, aulę regię potius, quam ſacri templi Miniſtris compoſitum, decretis ſuis ad hoc unum reſpiciebat: *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*. Infallibilia aſſero Concilia congregata in gloriam Dei & Chriſti, non adverſus Deum, nec adverſus Sanctum Domini. Hæreticorum Concilia illi Caiphæ ſimilia deteſtor. Si affirmando Arianorum Concilia erraſſe, inferrem erraſſe, & errare poſſe omnia Concilia, valeret ne abſurda hæc illatio? Quid porro hìc cum Calvino ſtatuitur, errante Concilio a Caipha contra Chriſtum collecto, erraſſe propterea univerſa Concilia? Horrendum ne magis, ac impium fingi poteſt? A Satanico conventu ab hebræis habito ut Chriſtum morti traderent argumentum ducere contra Concilia Catholicę Eccleſiæ? *Concilium illuc coactum & confirmatum fuit a Caipha Aaronis ſucceſſore*. Probandum Caipham legitimum Aaronis ſucceſſorem potius, quam invaſorem. Dictum ſupra cum D. Hieronymo ſucceſſionem Aaronicam generatione ſolitam aſſequi; Caipham autem pretio emiſſe ab Herode Sacerdotium unius dumtaxat Anni. Quid, quod probandum nato Chriſto Sacerdotium Aaronicum & auctoritatem ac lumen Synagogę adhue affulſiſſe; quin potius extincta, & diſperſa fuiſſe, velut umbrę orto jam Sole? Sacerdotes illuc convenientes non Spiritu Domini amplius ungebantur, plenitudine chriſmatis collata Chriſto novæ legis Summo Sacerdoti. Danielis hebdomades jam completæ erant, quibus ceſſantibus, viſio, & prophetia adimplenda erat: *Et ungetur Sanctus Sanctorum (Daniel. 9. 24.)*. Quibus patet cujus efficaciæ ſit ad peſſundandam Conciliorum Eccleſię Chriſti infallibilitatem

tem fœdiſſimum Calvini exemplum deſumptum a Conciliabulo Synagogæ jam ferme collapſę, & antiqua Sacerdotali auctoritate jam deſolatæ. Saltem a Synagoga argumenta quæreret dum vigebat, & vera Ancilla erat in domo Dei, oſtendens neque tum infallibiles fuiſſe definitiones ejus. Quo ferendum ſtomacho, Calvinum ſcilicet illam infallibilitatem Synagogæ tribuere, quam Eccleſiæ Chriſti negat, recipiens tanquam certum Hebraicum Scripturarum Canonem, rejecto illo Eccleſiæ Catholicæ? Non inficior *Conciliorum regulam ſumendam a verbo Dei.* Nego autem verbo Dei ex ore Calvini credendum, quam ex ore Conciliorum. *Verbum Dei regula eſt noſtra fidei;* Spiritus tamen rectæ intelligentiæ, & veritatis in ea interpretanda, non Calvino, ſed Eccleſiæ traditus fuit, quod accipimus ex prælaudato loco S. Matt. *cap.* 18. 20., ubi non de quocunque conventu, ſed de illo loquitur qui Eccleſiam repręſentat, de illo cui Chriſtus auctoritatem tribuit ligandi, & ſolvendi, promittens quod ſoluta erunt in Cælo quęcunque ipſe ſolverit ſuper terram. Hæc regula prȩſtita fuit V. Seculo a Vincentio Lirinenſi (*Commonit. num.* 2.): *Sape igitur magno ſtudio, & ſumma adtentione perquirens a quamplurimis ſanctitate, & doctrina praſtantibus viris, quonam modo poſſim certa quadam, ac quaſi regulari via, Catholica fidei veritatem ab baretieę pravitatis falſitate diſcernere, bujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus fere retuli, quod ego, ſive quis alius vellet exſurgentium bereticorum fraudes deprebendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus, atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, Domino adjuvante, deberet; primum ſcilicet divina legis auctoritate, tum deinde Eecleſia Catholicę traditione. Hic forſan requirat aliquis: Cum ſit perfectus Canon Scripturarum, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſtica intelligentię jungatur auctoritas?*

Hæc ſane frequens, & gravis objectio tua. Nunc attende ſolutionem: *Quia videlicet Scripturam Sacram, pro ipſa ſua altitudine, non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; ac pene quot bomines ſunt, tot illine ſententia erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius.... Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propbetiea & Apoſtolica interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici, & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa item Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* Hactenus Lirinenſis, cui ſubſcribit Hugo Grotius (*Vot. pro pace Ecclef.*): *Traditionis autem dignoſcendę regulas eas agnoſco, quas conſignavit Vincentius Lirinenſis, approbantibus Catholicis, & Proteſtantium multis..... Judicium autem traditionis, quod quidem omnium generum bominibus conveniat, nullum aut a Deo datum, aut ab bominibus repertum, aut reperiri poſſe melius arbitror, quam quod eſt a Concilio univerſali. Neque aut hactenus eveniſſe, aut eventurum, ut in Concilio univerſali, ideſt a ſelectis undique Epiſcopis, & Doctoribus, aliquid pronuncietur, & ab omni Eecleſia recipiatur, in quo periclitetur populi ſalus. Si D. Rivetus mibi viam & tutiorem, & certiorem monſtrare poteſt, monſtret. Nam dicere: Nos babemus verbum Dei, & verum ſenſum, & Spiritum ejus, commune eſt omnibus.* Sic pro me loquitur, qui Catholicus Romanus non agnoſcitur. Sic tibi Picenine ajo: Si Dominus Jacobus mihi viam & tutiorem, & certiorem monſtrare poteſt, demonſtret. Nam dicere: Nos habemus verbum Dei, & verum ſenſum, & Spiritum ejus, commune eſt omnibus, & ſinguli dicunt. Si pretendis Chryſoſtomum, & Hilarium contrarium ſenſiſſe, allegare debueras loca. Ego au-

dio Chryſoſtomum (*Homil.23. in Matth.*) loquentem de Eccleſia Catholica eam comparare navi, quę etiam inter tempeſtates *in fide firma, & indiſſolubili permanet*; loquens autem de Eccleſiis hæreticorum, eas vocat navim ſeculi, non Dei, *quæ licet habere in ſe prędicationem Dominicæ Crucis videatur, invalidam tamen hanc arborem ejus oſtendit, quia ubi non eſt veritas fidei, infirma Crucis aſſertio eſt*. Et D. Hilarius (*Comment. in Matth. cap. 13.*): *Navis enim Eccleſię typum pręfert, intra quam verbum vitę poſitum, & prædicatum: hi qui extra ſunt arenæ modo ſteriles, atque inutiles adjacent, intelligere non poſſunt*. Satis jam de his; nec puto ſciſcitaturum ultra te probationes, ut petebas a P. Semery.

§. V.

De interventu Laicorum ad Concilia.

41. ABſurdum dicis *pag. 158.* aſſertum P. Panigarolæ, *ſolos Sacerdotes adeſſe debere in Conciliis, nec Laicos quacunque doctrina præditos debere Conciliis intermiſceri. Id ſemper factum in Eccleſia Dei. Sic Nicęæ, ſic Epheſi, ſic Conſtantinopoli, ſic Chalcedone*. Hoc abſurdum manifeſtandum aſſumis. Attente te audio: *Concilio Nicęno adfuit Magnus Conſtantinus, qui, ut teſtatur Socrates, partes ſibi aſſumpſit inquirendi veritatem*. Nicæno Concilio adfuit Conſtantinus, ſed Epiſcoporum protector, & pacator diſſenſionum inter ipſos inſurgentium, non quæ ibi agebantur Judex cauſarum. Ipſemet teſtatus eſt non adveniſſe Judicem, cum exhibitis Libellis adverſus Sacerdotes, ait: *Iſtę quidem criminationes tempus ſibi pręſtitutum habent, diem videlicet magni judicii; judicem autem, qui ſit tum de omnibus ſententiam pronunciaturus. Mihi vero non eſt fas, cum homo ſim, ejuſmodi cauſarum cognitionem arrogare, pręſertim cum & qui accuſant, & qui accuſantur Sacerdotes ſint*. Ita Sozomenus *Lib.1. cap. 16.* Confugientes ad ipſum Donatiſtas, Judicem eum ſuæ cauſę appellantes, ſupercilio dimiſit, dicens: *Petitis a me in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium exſpectem?* Optatus Milevitanus *de Schiſm. Donat. lib. 1.* Quanquam autem eorum cauſam ſuſceperit, ad Synodum tamen eos miſit, quam tunc Romę habebat Melchiades Papa; quos inde reclamantes, ad Arelatenſem remiſit. Cum vero pertinaces ſemper ad ipſum appellarent, de illis tandem judicium aſſumpſit, non quaſi cenſeret id propria auctoritate poſſe, ſed pro Chriſtianę Reipublicæ pace, teſtans veniam ab Epiſcopis petiturus quod cauſam judicaſſet ipſis jure debitam. Sic refert D. Auguſtinus *Epiſt.162. A ſanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus*. Intellige ex his ſi veriſimile credi poſſit Conſtantinum adſtitiſſe Judicem in Nicęno Concilio. Me latet ubi Socrates referat Conſtantinum *aſſumpſiſſe examen veritatis*. In *Lib.* enim *1. cap. 29.* a te citato nullam de his mentionem facit. In *cap. 5.* quidem comperio ſe interpoſuiſſe ad ſedandas diſſenſiones illorum Epiſcoporum; aſt in cauſis dogmatum ſcribit Socrates: *Deinceps de religionis noſtræ dogmatibus accuratius diſquirendi, illorum arbitrio permiſit poteſtatem*. Si permiſit poteſtatem Epiſcopis diſquirendi de dogmate, non *aſſumpſit munus examinandæ veritatis*, ut mendaciſſime venditas in fraudem inſciorum.

42. Neque minus iniquo mendacio aſſeris Theodoſium II. juniorem coegiſſe Synodum, damnaſſe hæreticos, confirmaſſe Catholicam fidem; neque Socrates a te citatus hujuſmodi ineptias unquam ſcripſit. Res quam narrat *Lib. 5. cap. 10.* eſt. Theodoſius diſciſſam videns Eccleſiam ab Arianis, & Conſubſtantialiſtis, Nectarium Epiſcopum acceſſivit; quem hortatus eſt has differentias diligenter inquirere, & Eccleſiæ pacem reſtituere. Nectarius, Siſinii conſilio, Imperatori ſuaſit ut Arianis ad ſe arceſſitis peteret ab illis, *utrum Doctorum, qui ante*

Ec-

Eccleſia diviſionem fuerunt, ullam ducerent rationem, eoſque approbarent, necne? Id meditatum, animo ſcilicet, quod ſi eos rejicere, & damnare aſſererent, a populo ut blaſphemi haberentur; ſin vero rationem aliquam de illis ducere annuiſſent, tunc illorum libris in medium poſitis de veritate ſuaderentur. Revera dixerunt illos ut Magiſtros venerari. Tum ſubdidit Imperator, *utrum illorum, velut fidelium doctrinæ Chriſtianæ teſtium, veſtigiis inſiſterent?* Qua inſtantia perculſi, incertum reſponſum reddiderunt, & factus eſt inter ipſos clamor, & altercatio; quod advertens Imperator, juſſit alterutram partem ſcriptam ſuæ fidei confeſſionem exhibere. Factum. Tunc Imperator utriuſque partis formulas fidei accepit: *Deinde ſe in locum ſeparatum ſolum concludit, precatur obnixe ut Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet. Poſtremo, dogmate cujuſque perlecto, cetera omnia, utpote Trinitatis unitatem dirimentia, damnat, lacerat, ſolam autem conſubſtantialis fidem laudat, approbat.* Hæc Socrates. Num id Synodum cogere? Id ne auctoritate Judicis in Synodo errores proſcribere? Miror te adeo impudenter deſipuiſſe, quaſi oculis careamus ad legendum Socratem. Opportunum ſane eſſet pro componendis tot diſcordiis inter nos, & vos, conſilium Nectarii Theodoſio præſtitum, & a vobis quęrere quam rationem habeatis Patrum, qui ante pſeudoreformationem fuerunt, eoſque approbetis, necne, & an illorum velut fidelium doctrinę Chriſtianę teſtium veſtigiis inſiſtatis? Ego quidem optionem paratus eligerem. Arianos puduit illos rejicere; vos tamen non puderet, exemplo veſtrorum pſeudoreformatorum Lutheri, & Calvini, qui erroris inceſſere, & damnare Patres non erubuerunt, dum a pravo ſenſu veſtro diſtarent. Verum ut omnibus notum ſit quo animo eſſet Theodoſius, & quam alienus eſſet immiſcere ſe Conciliorum judiciis, attendantur quę ipſe, & Valentinianus, mittentes ad Concilium Epheſinum Candidianum Comitem, ſcripſerint ipſis Patribus: *Candidianum . . . . . ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus; ſed ea lege, & conditione, ut cum quæſtionibus, & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat*: quia *nefas eſt, qui Sanctorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe immiſcere. Verum ut Monachos, & Seculares, qui hujus ſpectaculi cauſa, vel eo tunc confluxerunt, vel impoſterum confluunt, ab eadem illa civitate modis omnibus ſubmoveat &c.* Sic duo hi Imperatores (*Epiſt. ad Patres Synodi tom. 1. Concil. Harduini*). Piccininus autem quamcunque plebejam & laicam perſonam Judicem intrudere vellet in Conciliis, dummodo unum Papam penitus ſubmoveret.

43. *Chalcedonenſi Concilio* (ais) *interfuerunt Cęſaris Legati, Senatores, & Patritii*. Verum non ad docendum, ſed ad diſcendum, ad ſedandos tumultus, ut res pacifice, & ordinate cederent; in ſumma adſtantes, & cuſtodes aderant libertatis Concilii, non Judices. Brachium laicale neceſſarium fuit in illo Concilio, pręſertim primis Actionibus, quia agebatur cauſa Dioſcori; & Epiſcoporum alii actores, advocati alii intererant. Quamobrem ne turbæ & diſſidia inardeſcerent, opportuna erat Senatorum pręſentia, non ut judicarent, ſed formam tuerentur judicii. Actione prima, inſtante Paſchaſino S. Leonis Legato ne Dioſcorus introduceretur in Concilium, Judices & Senatores interpellarunt: *Quid enim ſpecialiter ingeritur Dioſcoro Epiſcopo?* Quia vero Paſchaſinus adhuc inſtabat, Judices, & Senatus iterum: *Si judicis obtines perſonam, non ut accuſator debes proſequi.* Tunc Paſchaſinus tacuit, & Euſebius Doricus Epiſcopus cœpit delicta Dioſcori Concilio exponere. Et auditis excuſationibus, cum non approbarentur, lata eſt ſententia, videlicet: Quemadmodum ipſe in Synodo Epheſina II. injuſte depoſuerat Flavianum,

& Euſebium, *videtur nobis juſtum eſſe eidem pœna Dioſcorum Epiſcopum &c.*, cum ſuis nempe adhærentibus deponi, & privari dignitate Epiſcopali. Quę ſententia quamvis propoſita fuerit a Judicibus, & Senatu, fuit præciſe tanquam conſilium, & votum conſultivum; propterea apponitur *videtur &c.* unde immediate approbata fuit ab Epiſcopis: *Quam ſententiam, ut juſtam, ceteri omnes Epiſcopi approbarunt*. Quibus facile Picenine intelliges, Legatos Cæſaris, & Senatores admitti quidem poſſe in Concilium velut adſtantes, cuſtodes, & etiam conſiliarios, ſi cauſa id petat, præſertim in rebus facti; nunquam tamen Judices, in cauſis dogmatis, & definitionibus fidei. Scio Martianum interfuiſſe *Act. VI.* illius Concilii: *Ad hanc Actionem venit Imperator Martianus*. Ipſi lecta fuit definitio fidei edita a Vicariis Sedis Apoſtolicæ, & ab Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano Actione V., non ut eam confirmaret, ſed ut nota illi eſſet. De facto non Imperator, ſed ſoli Epiſcopi, ideſt Legati Papę, & ceteri Epiſcopi ſubſcripſerunt, inter quos primus Paſchaſinus nomine S. Leonis Papæ, his verbis notatu dignis: *Paſchaſinus Epiſcopus vice Domini mei beatiſſimi, atque Apoſtolici viri UNIVERSALIS Eccleſiæ Papæ Urbis Romæ Leonis præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi*. Scribis *pag.* 158. *Martianum Cæſarem adfuiſſe Chalcedonenſi Concilio, non ad oſtentandam potentiam ſuam, ſed ad confirmandam fidem, imitando exemplum glorioſiſſimi Conſtantini, ut comperta veritate, non diſcrepet multitudo ſeducta a falſis doctrinis*. Sic nimirum lego *Act. VI.* ejuſdem Concilii *tom. 2. Collect. Harduini*: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus*. Verba ſunt Martiani. Veruntamen poſco, quid ex his deducere mediteris? Martianum nempe interfuiſſe Concilio ad ferendum votum, & ſtatuenda dogmata? Falleris. Dogmata jam ſtatuta erant, & ſymbolum jam editum, & recitatum. In *Act.* autem VI. id unum geſtum, palam factum id quod definitum fuerat, & ſubſcriptum; ab Epiſcopis tamen ſolis, non ab Imperatoribus. Ad hęc. Ille interfuit exemplo religioſi Principis Conſtantini. Sed Coſtantinus, ut vidimus, non ſanxit fidei definitiones, immo teſtatus eſt idſuum non eſſe. Interfuit ad illuſtrandum Concilium præſentia ſua, ad fovendam auctoritate ſua libertatem ejuſdem, & concordiam Epiſcoporum. Sic & Martianus. Quod ita eſſe jam oſtendi ex Facundo Hermianenſi *Lib. 12. cap. 13.*, & opportunum eſt repetere. Audi Picenine: *Ob hoc itaque vir temperans, & ſuo contentus officio, Eccleſiaſticorum Canonum executor eſſe voluit, non conditor, aut exactor*. Dicis *Martianum interfuiſſe non ad oſtentandam potentiam ſuam, ſed ad confirmandam fidem* (præſentia ſcilicet ſua, non ſententia) *imitando exemplum glorioſiſſimi Conſtantini, ut veritate cognita* (non ab ipſo, ſed a Patribus) *non diſcrepet multitudo* (non Epiſcopi) *ſeducta a falſis doctrinis*, perfidorum nempe, & fallacium hęreticorum.

44. Hac ratione interfuerunt Theodoſius, & Conſtantinus, aliique laici, qui etiam nunc admittuntur, ut certum eſt. Id aſſerit Nicolaus de Cuſa Cardinalis (*Lib. 3. cap. 16. de Concord. Cathol.*) cui nemo opponitur. Non autem quod interfuerint Judices, ad ferendam ſententiam, & definienda dogmata. *Si primatus, & præſidentia ipſis conceſſa fuerit*, id honoris ergo, non auctoritatis, vel juriſdictionis gradu conceſſum fuit. *Si concluſiones, & judicia pronunciarunt*, non ut Judices ſanciendo; ut cuſtodes & protectores, exequendo & coercendo fecerunt. Hoc, nec quid amplius adſtruit prælaudatus Eminentiſſimus. Quamobrem in citato capite, ſtatuta pręſidentia Imperatoris in Conciliis, explicans cujuſmodi illa ſit, ſubdit: *Imperatore præſidente tanquam protectore Concilii*. Quod cum tibi non placeret, ſilentio pręterm iſiſti, ſicut & quod ſequitur *cap. 17.*, ubi aper-

aperte probans Principibus non licere votum ferre in Conciliis, quanquam interſint, hęc habet: *Sciendum eſt ipſos laicos Principes præfatos, etiamſi juſſu Imperatoris interſint, non habere vocem Synodicam, ſed ſolum audire debere.* Quocirca refert quod octava Synodo *Act.* 4. Vicarii Papæ Principibus adſtantibus dicentes ut interrogarent *an illi, qui introjerunt, faciunt libellum hunc*, reſponderunt: *Interrogabimus eos, non per poteſtatem noſtram: poteſtas enim hæc veſtra eſt.* Poſtea Imperatorem Baſilium introducit, qui in capitulo *Multa quidem* ſic loquitur: *Quanquam non ſit datum iſtis ſecundum Canonem dicendi quidquam de Eccleſiaſticis cauſis. Opus enim hoc Pontificum, & Sacerdotum eſt.* Si hęc Synodus, quia minime vetuſtior, ſuſpecta tibi ſit, Ambroſii ſententiæ ſtabimus, qui Imperatori Valentiniano contra Auxentium ita ſcribit (*Epiſt.* 32.): *Si vel Scripturarum ſeriem, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat, in cauſa inquam fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare..... Pater tuus, Deo favente, vir maturioris ævi, dicebat: Non eſt meum judicare inter Epiſcopos. Tua nunc dicit Clementia: Ego debeo judicare &c.* Infra inde loquens de cauſa Ariana: *Si tractandum eſt, tractare in Eccleſia didici, quod majores fecerunt mei. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Quieſcere tandem te doceat barbarus & Arianus Rex Hunnericus. Injunxit Eugenio Epiſcopo Carthaginenſi diſputare cum Arianis, & petente Epiſcopo *num vellet ipſe eſſe Judex talis diſputationis?* Neutiquam, reſpondit Hunnericus, *cum non poſſet Eccleſiaſtica ſibi uſurpare judicia.* Sic Arianus ſentit; tu vero Picenine quid ais? Agnoſce, Italia, quot fraudibus hic te fallere ſtudet.

45. Audacia duce proſequeris *pag.* 158. *Concilium ab Apoſtolis habitum exemplar ſit, & norma omnium Conciliorum. Attendendum eſt dumtaxat num huic Concilio Laici interfuerint. Qui convenere? Apoſtoli, Seniores, Preſbyteri, non univerſus populus, ait Frater. Verum ex eo poſtulo quos intelligat pro Senioribus, & Preſbyteris? Quomodo novit ipſe hos non fuiſſe laicos?* Hic adſtruis *Seniorum*, & *Preſbyterorum* nomine non intelligendos *ſolos collegas Apoſtolorum, verum & Laicos illos, qui adſiſtebant Paſtoribus in regimine Eccleſiæ.* Nomine *Seniorum* laici minime intelliguntur, ſed ſoli Eccleſiaſtici, & horum primi. Quod habeo ex (1. *Pet.* 5.): *Seniores ergo.... paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.... neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Si te non ſuadeat Petri auctoritas, valebit illa Calvini (*in Act. Apoſt. cap.* 11. 30.): *Seniores vocantur, penes quos erat Eccleſiæ regimen, in quibus primum gradum tenebant Apoſtoli.* Et *cap.* 20. *num.* 6. *Porro Seniores dici, non qui provectę eſſent ętatis, ſed qui pręeſſent Eccleſiæ, ex contextu clarius patebit.* Et *cap.* 15. ad illa verba: *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores*, ait: *Non dicit Lucas totam Eccleſiam congregatam, ſed eos qui judicio, & doctrina pollebant, & qui ex ratione officii hujus cauſę legitimi erant judices....* Et poſt pauca: *Ceterum ſciamus formam hic, & ordinem in cogendis Synodis divinitus pręſcribi.* Hæc Calvinus. Quod & Bullingerus *in Acta cap.* 13.; ni credatur D. Hieronymo *ad cap.* 3. *Iſaiæ* ſcribenti: *Et nos habemus in Eccleſia noſtrum cœtum Preſbyterorum, ideſt Seniorum.* Attamen adverſus nedum noſtros, ſed tuos ipſos interpretes, prætendis *Seniorum* nomen qui convenerunt in Apoſtolicum Concilium ad laicos extendi. Quippe ais: *En id perſpicuum apud D. Paulum* (1. Timoth. 5. 17.): *Qui bene pręſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Erant igitur Preſbyteri alii qui laborabant in doctrina, et prędicabant verbum, duplici honore*

digni

digni. Et Preſbyteri alii, qui non prędicabant, et hi laici erant. Quis hæc commentatur? Ex verbis Apoſtoli colligitur quidem inter Preſbyteros quoſdam in doctrina laboraſſe, quoſdam non. Quoſdam tamen Eccleſiaſticos, alios laicos fuiſſe ibi non legitur. Preſbyteri illi, de quibus D. Paulus, ſi non laborabant omnes in doctrina, regebant tamen omnes Eccleſiam, & præerant: *Qui bene præſunt, duplici honore habeantur.* Credibile ne, qui præerant Eccleſię laicos fuiſſe, ut tu commentaris? Audi igitur Hugonem Grotium. Hic fide non Romanus in *trac. de Imperio ſumm. poteſt. circa ſacra nu.* 14. dilucide oſtendit, in ſenſu Eccleſiæ Seniorum nomen dictum ſemper de his qui miniſterium haberent Eccleſiaſticum, nunquam vero de laicis, & maxime miratur pſeudoreformatis, qui oſtentantes omnino inhærere Scripturis, velint inde in Eccleſiam intrudere duo Seniorum genera, vel Preſbyterorum, Eccleſiaſticorum unum, laicorum alterum, cum in Scripturis non occurrant niſi *Seniores*, ſive *Preſbyteri*, qui præſunt, & annuntiant verbum Dei, Sacramenta miniſtrant, & *Diaconi*. *Numero* autem 16. conſiderans *textum S. Pauli*, cui maxime fidis, ſic eum explicat: *Simpliciſſima interpretatio hac eſt, omnibus quidem Preſbyteris ſtipendia deberi, ut qui pręſint Eccleſię, hoc eſt gregem Dominicum paſcant; ſed illis pręcipue qui omni cura rei familiaris neglecta, uni ſtudio Evangelii propagandi incumbunt, nulliſque labori parcunt. Non ergo duo ponuntur Preſbyterorum genera, ſed monſtratur non parem eſſe omnium laborem.* Hæc Grotius.

46. Subdis *pag.*159. *Panigarolam nedum attendere debuiſſe ver. 6., ubi D. Lucas ſcribit: Conveneruntque Apoſtoli, & Seniores; verum etiam ver. 22., ubi ſubdit: Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia;* & *ver.* 23. *Apoſtoli, & Seniores, & fratres . . . . . fratribus ex Gentibus ſalutem etc.* Legi allegatos textus, neque quidquam pro te video. Quid intelligis pro *omni Eccleſia*? Si totam fidelium collectionem, & ipſam plebem, ergo cenſes in Conciliis convenire poſſe Judices quoſcunque ex populo, non ſolum *Magnates*, vel *Primates*? Si dicerem viſum fuiſſe Deputatis, & omnibus Hollandiæ Ordinibus, Proceribus, & univerſo Angliæ Regno; ex hac loquendi ratione inferres nę omnem multitudinem populorum illarum Provinciarum & Regni pronuntiaſſe hujuſmodi decretum, an potius ſolos Magnates, cœtum illum componentes, & repræſentantes totam Rempublicam, & Regnum? Quare igitur dum legis: *Placuit Apoſtolis, & Senioribus, cum omni Eccleſia*, vis intelligi multitudinem potius, quam ſolum Clerum, qui in Conciliis repræſentat Eccleſiam, ut Primates Reipublicæ & Regni ipſum Regnum? Circa *verſ.*20. mea Biblia non habent: *Apoſtoli, Seniores, et fratres*, ſed: *Apoſtoli, et ſeniores fratres.* Quapropter hi fratres non diſtinguuntur a *Senioribus*, ſive *Preſbyteris*, qui apud me ſunt veri *Preſbyteri*, ut oſtendi cum ipſo Calvino, & Bullingero. Vel ſi hi fratres diſtinguuntur ab Apoſtolis, & Preſbyteris, non erunt niſi Diaconi; quoniam, ut notat Grotius (*de Imperio ſumm. poteſt. circa ſacra* §. 16.): *Neque aliter vocati ſunt in Eccleſia hi, qui infra Preſbyteros ſunt conſtituti.* Et qui in hiſtoria verſatus eſt, optime novit Diaconos admiſſos fuiſſe ad Concilia. Videatur Grotius loco citato, ubi probat quomodo in ſenſu Scripturarum interpretari debeant voces *Seniores*, ſeu *Preſbyteri*, pręter jam dicta. Age vero, ſit ut tibi placet. In Concilio Apoſtolorum ſicut in ceteris duo diſcerno. Unum judicare, ſententiam ferre & votum, & ſubſcribere decreta. Aliud adeſſe, aſſentiri, annuere definitionibus, & acceptare. Quo ad primum, aſſero ſententiam, votum, definitionem, ad ſolos Apoſtolos ſpectaſſe. Petrus loquutus eſt primus, inde Barnabas, & Paulus, inde Jacobus. Immo depoſita controverſia locuti ſunt ſolus

Pe-

Petrus, & Jacobus; Barnabas quippe, & Paulus unice retulerunt quæ Deus feciſſet in Gentibus per eos (*Act.* 15. 12.): *Audiebant Barnabam, et Paulum narrantes quanta Deus feciſſet ſigna, et prodigia in Gentibus per eos*. Poſt verba Petri, multitudo loquuta non eſt, ſed *tacuit omnis multitudo* attendens ſententiam. Epiſtolam Synodicam non multitudo ſubſcripſit, ſed (*Act.* 15. 23.) *Apoſtoli, et ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochia* &c. Paulus & Silas publicando decreta Synodalia ea vocant præcepta Apoſtolorum, & Seniorum. Ad ſecundum, admitto adeſſe *multitudinem*, & pro mittenda Epiſtola Synodica ceteris Eccleſiis, conſenſum tum ipſam præſtitiſſe, & approbationem; quo tamen minime eruitur actionibus Synodicis voto, vel ſententia interfuiſſe, ſed ſolos Apoſtolos, & *Seniores*, videlicet *Preſbyteros*, ut probatum eſt cum Calvino. Quapropter D. Joannes Chryſoſtomus (*Hom.* 33. *in Acta*) ad illa verba: *Tunc viſum eſt Apoſtolis, et Preſbyteris* (non Senioribus) *cum tota Eccleſia electos* .... *viros primarios inter fratres*, ait: *Vide illos non ſimpliciter legem ferre, ſed ita ut dogma fiat fide dignum, mittunt illos a ſe*. Eos itaque mittebant ut teſtes facti, non judices. Quocirca inhærendo huic primo Concilio, ſcite Panigarola infert laicos non interfuiſſe ut Judices ad ferendum votum definitivum in poſterioribus Conciliis: veritas maxime nota cordatis Principibus, qui Conciliis preſentes nunquam hoc jus ſibi vindicarunt, optime conſcii a principio ita ſemper factum fuiſſe; non ut tu inſaniſſime blateras.

§. V I.

Interpres Scripturarum.

47. Commendas hic, preter ſolitum morem, P. Segneri, inquiens *bene loquutum, quod fatetur normam fidei eſſe Scripturam*. Idem fateor & ego, ut infallibilem veritatem. At in incerto intellectu latentis Scripturæ veritatis quo confugiendum? Apoſtoli, ut vidimus, convenerunt *videre de verbo hoc* (*Act.* 15. 6.) exemplo Synagogę, quę in hujuſmodi dubiis Synedrium convocabat. In controverſiis inter Stephanum Papam, & Cyprianum, ait D. Auguſtinus quod iſte ſine dubio ceſſiſſet, ſi quęſtionis veritas eliquata per plenarium Concilium conſolidata fuiſſet. Donatiſtas autem redarguens quamobrem in eorum cauſa ab Eccleſiaſtico Judice ad laicum appellaſſent, nempe Conſtantinum Imperatorem, ſic loquitur: *Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*. Vide igitur Auguſtinum non ad laicum tribunal, ſed ad generale Concilium illos provocaſſe. Quod autem cum Pelagianis & Donatiſtis contendens, *nunquam*, S. Doctor, *hos provocaret ad generale Concilium a Papa confirmatum, ſed ſemper ad Scripturas*, non ita facile verum; quandoquidem ad Scripturas plane illos provocabat, ſed, ut dictum eſt, Concilia peroptabat, ut eliquata veritas conſolidaretur. Pelagianos urgebat Scripturis; nec tamen deſtitit Innocentii I. mentem explorare (*Epiſt.* 106.): *Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipſa cauſa aliquanto diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem. Lib.* 1. contra Julianum Innocentii teſtimonium appellat *Dei teſtimonium*. Et *Lib.* 2. *ad Bonifac. cap.* 3. teſtatur definitionem Innocentii Papæ omne dubium de illa cauſa removiſſe. Concilia igitur a Papis confirmata Auguſtinus ęſtimabat, ſi Papæ deciſiones etiam extra Concilium tanti faciebat. Sane ſi S. Ambroſium, S. Chryſoſtomum, S. Hilarium interdum referebat, teſtes eos ponebat eorum quæ Eccleſia credebat: quos & nos eadem cauſa adduci-

cimus. Porro cum horum Patrum teſtimonio nos probemus ſuorum temporum Eccleſiam credidiſſe arbitrii libertatem, Purgatorium, Sanctorum cultum, & alia dogmata, quæ modo profitemur: cur illos non recipis veraces teſtes? Cur Lutherus, & Calvinus aſſerunt illos erraſſe, nec eorum dicta ullo pretio habenda eſſe, ut ſupra perſpicue oſtenſum fuit?

48. Res plane ita eſt. Vos Proteſtantes non Papam, non Concilia, non Patres habere vultis, ut pro libito ſuſquedeque Scripturas miſcere poſſitis, & hac vana amplificatione verborum puſillos, & ſimplices illaqueare. Sed *in principio non fuit ſic*. Orta eſt quęſtio, num ex Scripturis Filius ſumendus eſſet conſubſtantialis Patri; num Spiritus Sanctus Patri, & Filio ęqualis; an in Chriſto una, vel duplex perſona; an unione facta duplex in ipſo natura, duplex voluntas, & operatio intelligeretur. Diu utrinque diſputatum. Demum coacta ſunt Concilia, Nicęnum I. adverſus Arianos ſub Silveſtro, Conſtantinopolitanum I. contra Macedonium ſub Damaſo, Epheſinum I. contra Neſtorium ſub Cæleſtino, Chalcedonenſe contra Eutychen ſub S. Leone I., Conſtantinopolitanum III. contra Monothelitas ſub Agathone. Ex his controverſiarum finis. Senſus Scripturę juxta horum intellectum certus & infallibilis habitus eſt cunctis ſequentibus ſeculis. Non igitur *Eccleſia antiqua* (ut fingis) *negligebat hunc infallibilem interpretem*, ſed obſervabat, & in gravioribus cauſis ipſi ſe committebat, ejus ſuſcipiendo decreta. Soli hęretici, a Papę, & Concilii decretis appellarunt. Ariani a Nicæno, Donatiſtæ a Romano ſub Melchiade, & ab Arelatenſi, Neſtoriani ab Epheſino, Eutychiani a Chalcedonenſi. Quocirca vos pariter a Conciliis appellantes, fruſtra doletis ſi hac etiam nota hæreticorum faciem vos exhibere contendam. Qua autem inconſulta mentis levitate cuncta Concilia evertere cogitas, cum in tot Conciliabulis tuæ pſeudoreformationis eorum commendatur auctoritas? Liber ille inſcriptus: *Syntagma confeſſionum fidei, quæ in diverſis regnis et nationibus fuerunt authentice edita, in celeberrimis conventibus exhibitę, publicaque auctoritate comprobatę*; & alter ille gallico idiomate: *Actes Eccleſiaſtiques, et civils de tous le Synodes nationaux des Egliſes reformées de France*, impreſſus Hagę *ann.* 1710 nuper ad manus meas delatus, quid hi referunt? Nonne collectio iſta omnium Synodorum, vel Conciliorum pſeudoreformationis? Vel certi iſti interpretes ſunt, vel non? Si ſic; cur non & Concilia antiqua, cur non illa adverſus quæ debaccharis? Si certa non ſunt, cur proponuntur tanquam teſſerę veræ fidei, & ut authentice editæ, publicaque auctoritate comprobatę? Cur in illo Dordracenſi Arminianos adegerunt obtemperare ſuis decretis, ſi, ut cetera, nec illud erat infallibilis interpres? Quid denique ad oſtendendam catholicam conſenſionem, in articulis exaratis in præfato libro, conantur inferre antiquorum auctoritatem, *qui vocantur Patres*, ſi omnes hi tanquam teſtes leviſſimę fidei rejecti fuerunt a Luthero, & Calvino veſtris Patriarchis? Nonne capis Picenine quod tibi contradicis? Auguſtinus ajebat (*Lib. 2. de nupt. et concupiſcent. cap. 33.*): *Habemus teſtamentum, judicet Chriſtus, cum Chriſto judicet Apoſtolus*. Attamen Auguſtinus, ut vidimus, Concilia optabat, & pſeudoreformati eadem dicentes, ſua Concilia fecerunt, & faciunt. Quare? Quia qualibet parte aſſerente ſibi Teſtamentum, & Chriſtum Judicem pro ſua cauſa, fas eſt ut in Eccleſia exiſtat publica auctoritas, nempe Concilium Papę adhęrens, quod decernat cui debeatur cauſa, & Judicis partes impleat. Hęc erat Auguſtini mens; & ſi ad mentem redeas, idem & tu ſentire debes.

49. O portentum ſane ridiculoſum! Jactas expoſitionem Scripturæ a tuis elucubratam veram præ ceteris eſſe, quia hi, *inter ſe quamvis diſſiti, conveniebant in tradenda eadem doctrina*. An forte in pſeudore-

dore-

doreformatoribus prodigium illud contigit, quod nonnulli factum narrant, quanquam D. Hieronymus (*Apolog. adverſus Ruſinum*) non aſſentiatur, in verſione a Septuaginta Interpretibus in Ægypto edita, ubi recluſi in diverſis cællulis invicem disjunctis, uniuſcujuſque verſio omnino ſimilis comperta fuit? Fruſtra tamen, & falſo gloriaris. Pſeudoreformatores locis diſſiti erant, ſed omnes eoſdem Waldenſium, Wiclefiſtarum, Huſſitarum libros præ oculis habebant; quamobrem nil mirum in aliquibus conveniſſe. Martinus Lutherus, primus hujus doctrinę commentator, ceteris ſcholam aperuit. Zuinglius Tiguri, Oecolampadius Baſileę, Farellus Genevæ, Bucerus Argentinæ. Omnes tamen peſtiferum doctrinæ virus invicem conferebant, quod ab ipſis hauſit Calvinus. Hæc tamen oſtentata concordia mendacium eſt putidiſſimum. Diſſenſiones orię, jam ſupra attactæ, inter pſeudoreformatores, tam in exordio, quam in proceſſu pſeudoreformationis, pręſertim inter Zuinglianos, & Lutheranos, inter Lutherum, & Carloſtadium, & alios, quæ tot diſſidia excitarunt, maniſeſtiſſime evincunt pſeudoreformatores, & pſeudoreformatos nunquam concordes fuiſſe; immo nec unum pſeudoreformatum ſibi ipſi conſtare: ut indicavi ex inconſtantia doctrinę Lutheri, & ex contradictionibus in ejus libris diſperſis, ſicut in illis Calvini. Conformes, & concordes ſunt adverſus Romanam Eccleſiam. Hoc notum eſt. Invicem tamen diſparatiſſimi, etiam in articulis eſſentialibus, ut ſupra oſtenſum eſt. Ibi dicta recolantur. Quod & probavi teſtibus eorum communionis, qui minime tibi Picenine ſuſpecti eſſe poſſunt, utpote ex tuis: adeo ut ex tot diſcordiis, pſeudoreformatores ipſi ſuis partibus extremum metuebant periculum. Sic Lutherus in *locis comm. claſs.* 5., Melancton in *conſil. Theolog. p.* 1., Bullinger. in *Lib. fundam. p.* 1. *cap.* 1., & Calvinus ipſe *Epiſt. ad miniſtros ſuos in Friſia Orientali*, & in *pręfat. Catechiſmi*. Ubi igitur oſtentata concordia?

50. Petis a P. Segneri *pag.* 160. *an Patres Societatis interpretentur ſemper Scripturam juxta communem Patrum ſententiam; nunquam autem ad libitum proprium*. Ita plane; & ſi interdum illos intermittant, id contingit de quibuſdam privatis ſententiis, quibus non conſentiunt ceteris Patribus, & præſertim communi Eccleſiæ ſenſui. Quocirca inter nos & vos hęc intercedit diverſitas. Vos vel recipitis, vel admittitis omnes ad placitum, & ingenium veſtrum; & quatenus vel accedunt, vel diſtant a veſtris falſis doctrinis. E contra nos ſequimur communitatem Patrum, ex quibus traditionis pondus ſuſcipimus. Si autem horum quempiam aliquando prætermittimus, id eveniet de privata quadam opinione illorum temporum propria, in qua diſtant a communi ſubſequentium Patrum ſententia, & ipſius Eccleſiæ; ſic edocti a D. Thoma (2.2.*q*.10.*ar*.12.): *Doctrina catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: unde magis ſtandum auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati Hieronymi, vel Auguſtini, vel cujuſcunque Doctoris*. Qua de cauſa Irenæum non audimus in opinione regni millenarii Chriſti in terris; Cyprianum de nullitate Baptiſmi collati ab hęreticis; Epiphanium in quibuſdam levis momenti, nempe circa Chronologiam, qua ab aliis diſcrepat; Theodoretum in nonnullis propoſitionibus redolentibus Neſtorianam labem; Oecumenium in aliquibus minimis ad fidem non pertinentibus. Divum vero Auguſtinum in omnibus ſuis operibus legitimis defendimus contra Dallęi, & aliorum cenſuras. Nos interpretamur verba illa: *Dic Eccleſiæ*, quaſi Chriſtus dixiſſet: *Dic Papę*. Sic ex illis: *Paſce oves meas*, ipſi tribuimus auctoritatem ſupremam Eccleſię, quia auctoritas Eccleſiæ univerſalis, ut docet D. Thomas (2. 2. *q*. 11. *ar*. 2. *ad* 3.) *principaliter reſidet in Summo Pontifice; dicitur enim* 24. *quæſt.* 1. *cap. Quotieſcun-*

cunque: Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros, et coepiſcopos, nonniſi ad Petrum, ideſt ad ſui nominis auctoritatem referri debere: contra cujus auctoritatem, nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis Sanctorum Doctorum ſuam ſententiam defendit; unde dicit Hieronymus ad Damaſum Papam Epiſt. de expoſ. Symboli in fine: Hęc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia; in qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri fidem, et ſedem tenes. Si autem hęc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hęreticum comprobabit. Si ergo nos loquimur cum verbo Dei, quid pſeudoreformatores, in hoc tumide glorianteſ, nobiſcum non conveniunt? Si eam nos interpretamur juxta ſenſum receptum a Patribus & Eccleſia ante pſeudoreformationem, quę erit veracior & tutior interpretatio, veſtra, an noſtra? Quæ, juxta phraſim tuam, dicenda erit *pro libito* conficta?

51. Quid refert Maldonatum tanto clamore inceſſere, & calumniari, culpaſſe *mendacio D. Lucam, et D. Paulum, narrantes Chriſtum inſtitutione Calicis dixiſſe: Hic calix eſt novum teſtamentum?* Hoc unum ait, quod cum ex modo loquendi S. Matthęi & Marci aliqua diverſitas videatur ab illo S. Lucæ & Pauli, nec diverſo modo Chriſtum loquutum ſuſpicari queat, pręferenda ibi videatur narratio S. Matthęi & Marci illi Lucæ & Pauli, quia (ait) Matthæus a Chriſto pręſens audivit, a quo Marcus inſtructus fuit. Verba Maldonati a te fraudulenter diſſimulata hæc ſunt: *Nego, Chriſtum hęc verba dixiſſe. Cum enim Matthęus, qui aderat, et Marcus, qui ex Matthæo didicerat, ſcribant Chriſtum his verbis ſanguinem ſuum tradidiſſe: Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti; cumque utroque modo Chriſtus dicere non potuerit; et: Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, ut Matthæus, et Marcus; et: Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo Sanguine, ut Lucas, et Paulus ſcribunt, niſi forte inepta repetitione uti voluiſſet, ęquum eſt credere Matthæi potius et Marci, quam Lucę et Pauli Chriſtum uſum fuiſſe &c.* Blaſphemia non eſt conjectare unum Evangeliſtam verba ipſa Chriſti retuliſſe potius, quam alterum, cum duplici illa phraſi uſum fuiſſe Chriſtum intelligi nequeat. Omnes eandem referunt veritatem, phraſi tamen diverſa, dum unus rei ſubſtantiam, ipſa autem verba alter enarret.

52. Inſtas *pag. 61. Quis Sanctorum Patrum auſus eſt unquam abuti ſacris dictis, ut abutuntur in Miſſa?* Dic ſycophanta qui ſunt? *Preſbyter orare debet ad Orientem, quia viſitavit nos Oriens ex alto. In Miſſa accenduntur cerei in meridie, quoniam Chriſtus dixit: Ego ſum lux Mundi. Altare eſt lapideum, quia Chriſtus Moyſi dixit: Poſteriora mea videbis. Preſbyter gradiens de cornu ad cornu Altaris, ſecum trahit ſuum Clericum, quia Chriſtus ait: Ubi ego ſum, ibi erit & miniſter meus. Quot ſacra dicta ad libitum extorta!* O quot calumniæ paucis lineis egeſtæ! Mos ædificandi templa ſic ſituata, quo Sacerdos orando reſpiciat Orientem, vetuſtiſſimus eſt, teſte Tertulliano (*adverſus Valentinianos*) *Eccleſias Chriſtianorum Orientem amare ſolitas.* Valfridus Strabo (*de rebus Eccleſ. cap. 4.*) teſtatur *majorem partem Eccleſiarum ita fabricari, ut qui in eis orant, Orientem reſpiciant.* Idem tradunt S. Paulinus *Epiſt. 12.*, Juſtinus *qu. 118.*, Epiphanius *hæreſ. 19.*, Origenes *homil. 5. in Numeros*, & alii antiquiſſimi. Nos irrides, quia orando ad Orientem accomodemus dictum illud: *Viſitavit nos Oriens ex alto.* Verum id myſtica ſumimus ſignificatione, & dicimus quod quemadmodum dicitur Redemptor noſter veniſſe ab Oriente, vel ut Oriens *ad illuminandos eos qui ſedebant in tenebris:* ſic ipſi ut mediatori

ri dirigere cum debeamus preces noſtras, æquius ducimus adorare eum ad Orientem, quam ad Occidentem. Si legiſſes potiori diligentia, quam livore Innocentium III. *Lib.* 2. *myſter. Miſſæ cap.* 22. ubi hæc tractat, non ea mimice ſic derideres. *In Miſſa accendimus cereos in meridie.* Et hic ſane mos eſt, & ritus vetuſtiſſimus, a temporibus uſque D. Hieronymi, & Chryſoſtomi, qui in ſua Liturgia præſcribit quod Sacerdos ad Altare pergat Miniſtro cum lumine præeunte. Ordo Romanus præſcribit accendendos cereos in recitatione Evangelii, & oblatione Corporis Domini. Idem Iſidorus refert *Lib.* 7. *Etymolog. cap.* 12., & Micrologus *cap.* 11. ſubdit Miſſam abſque cereis etiam in meridie non celebrari. Quod autem huic aptetur dictum: *Ego ſum lux Mundi*, quin potius fiat ex altiori, & myſtica ſignificatione; id forte in aliquo liberculo legiſti, quod non probat Eccleſiam ita ſentire. Innocentius III. citato loco *cap.* 21. ait: *Lumen autem candelabri fides eſt populi, nam ad Judaicum populum inquit propheta: Surge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Ad populum vero Gentilium dicit Apoſtolus: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quam vetus in Eccleſia ſit luminis uſus, & cereorum, probat Joannes Caſabius *de Vet. Sac. Chriſt. rit. cap.* 12., quem lector adeat. *Nos lapideum Altare erigimus.* Quod autem hìc dictum illud aptemus: *Videbis poſteriora mea*, ubi id habes? Cardinalis Bona (*Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 20.) ſentit, in exordio Eccleſiæ, preſertim perſecutionum temporibus, Altaria indiſcriminatim fuiſſe vel lignea, vel lapidea, & plerumque lignea, quo facilius huc illucque juxta opportunitatem deferri poſſent. Sedatis perſecutionibus ſancitum fuit ex lapidibus conſtrui, forte quia hujuſmodi erant in lege veteri ex divina ordinatione (*Deuteron.* 27. 5. & *Joſue* 8. 31.) de quo nonnulli S. Silveſtrum auctorem faciunt. Hoc plane certum, D. Gregorii Nyſſeni ęvo Altaria lapidea fuiſſe, ut patet in *Orat. in Bapt. Chriſti. Sacerdos gradiens de cornu ad cornu Altaris ſecum trahit Clericum.* Ita. Quod inde hoc fiat, quia Chriſtus ait: *Ubi ſum ego, ibi & miniſter meus erit*, non ita. Innocentius III. loco laudato *cap.* 22. ait Sacerdotem id facere ad imitationem Chriſti, qui *Lucæ* 4. aperto Iſaiæ libro *cap.* 61., & lectis verbis: *Spiritus Domini ſuper me, propterea unxit me &c., cum plicuiſſet librum, reddidit miniſtro.* Ni quidquam amplius habeas hęreſum apologiſta quod opponas, frigidiſſima, & ineptiſſima ſunt hæc tua commenta. Rationes quibus mota fuit antiqua Eccleſia ad inſtituendos, & amplectendos Miſſæ ritus, ſacroſanctæ ſunt, & directæ ad repręſentandam vitam, & myſteria Chriſti. Si deridendi hìc ratio inſit, ſit qui judicet. Chriſtus Apoſtolis dixit de eo quod in Cœna ipſe fecerat: *Hoc facite in meam commemorationem.* Eccleſia autem, ut præſtantius, & efficacius repræſentet memoriam ejus, ſucceſſive ſtatuit in Miſſa ſacros ritus, & venerabiles pie conſiderantibus; ridiculos autem dumtaxat his, qui torvo, & invido Picenini ſupercilio, & perverſo Proteſtantis animo eos deſpiciunt.

53. Iratus hìc, & furens, P. Segneri laceras, quaſi *male de Scriptura loquatur.* Non de Scriptura in ſeipſa, ſed de perverſo uſu Scripturæ loquitur in ore proteſtantium, litteralem ei affingentium ſenſum oppoſitum Spiritui Sancto. Ipſis non eſt *recta regula* (ait P. Segneri) ſed *curva, et irregularis.* Ipſi *aranei ſunt, qui ab hoc flore venenum trahunt, & ex regula veritatis officinam faciunt falſitatis.* Demum eam faciunt *naſum cereum*, ad omnes partes eam detorquentes, ad libitum ſuum. Chriſtus ait: *Hoc eſt Corpus meum.* Lutherani ajunt intelligendum de ejus Corpore *realiter præſente*; Zuinglius, & Calvinus vero tantum *in figura.* Nonne id eſt ex

Scriptura *naſum cereum* facere, huc illuc flexibilem? Unus ait, alter negat, quaquaverſum detorquentes Scripturam. Omnes eam pro ſe habere dicunt, quidve dicant ignorant. Quare hoc? P. Segneri ait, & verum aſſerit, quia ſupremo judici verum ſenſum dictanti nolunt ſe ſubmittere; unde ſunt qua litigioſi, qui nullum judicem præter legem admittentes, hanc intelligentes ad ſuum captum, modo in affirmativam, modo in negativam partem eam interpretantur; nuſquam autem controverſiarum finis. Nos non *male loquimur de Sole*, ſed de vobis hæreticis, qui Aquilas eſſe vultis, cum Talpæ ſitis. Non *latramus contra verbum Dei*, ſed contra vos, qui de ipſo abutimini, & in veſtimento ovium lupi eſtis rapaces, infeſtantes ovile Chriſti. Nos traditiones veneramur, ubi vel Scriptura tacet, vel obſcure loquitur. Ubi perſpicua eſt eam amplectimur, ſed non juxta loquelam veſtram; bene vero juxta dictamen Spiritus Sancti. Ubi vero non loquitur, vel, ſi loquatur, ejus ſenſus nobis latens videtur, & obſcurus, tum traditiones conſulimus, & interpretem iſtas habemus certum, & fidiſſimum.

54. Exaggeras adverſus Lindanum aſſerentem: *Si comburerentur Scriptura, ipſarum vice manerent traditiones*. Id tamen prius aſſeruit Irenæus ſecundi ſeculi Pater (*Lib.* 3. *cap.* 4.): *Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis? Nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias?* Quamobrem qua ratione ordo traditionis ſolus valeret, ſi nullas Apoſtoli reliquiſſent Scripturas, ita pariter ſi deficerent iſtæ, illa ſupleret. Diocletianus, ut refert Euſebius (*Lib.* 8. *cap.* 2. & alibi) ſeveriſſimis edictis juſſit omnes Codices Scripturarum a Chriſtianis miniſtris ſuis deferri ad eos comburendos. Hoc executioni maxima ex parte mandatum fuit. Si autem de omnibus actum eſſet? Quid tum pro Chriſtiana regula? Nil certe, niſi loco Scripturarum ipſa traditio. Septuaginta annis quibus hebrea gens Babyloniæ captiva fuit, abſque lege ſcripta ibi erat; nonne porro tum vivebat juxta illorum traditionem, qui eam legerant, vel forte audierant a majoribus ſuis, donec Eſdras eam reſtituit? Si ex repentino caſu omnes Scripturæ perirent, quomodo pſeudoreformatæ Eccleſiæ ſe gererent? Indubium eſt Chriſtum Apoſtolis non præcepiſſe ſcribere, ſed docere, & prædicare: *Euntes docete omnes gentes, prędicate Evangelium*. Revera Apoſtoli ſcripſerunt moti ex rerum contingentia, non ex ordinatione Chriſti. Si autem nil ſcripſiſſent de doctrina Chriſti, quomodo jam regeretur, & ſe modo gereret Eccleſia? Non aliter certe, niſi his quæ oraculo vocis ab Apoſtolis receperant eorum coævi, & de generatione in generationem tradita hactenus extant. Si Apoſtoli ſcripſerunt, non tamen omnia; quamvis quidquam non omiſerint eorum, quę Chriſtus ordinavit enuntiari, ut crederentur, & tenerentur. Tu qui cuncta prætendis Scripturis contineri, oſtende quod credendum eſt totum ibi ſcriptum eſſe, & nihil prętermiſſum. Paulus Apoſtolus plura ſe diſpoſiturum de ſacra Cœna promiſerat: *Cetera cum venero diſponam* (1. *Corinth.* 11. 34.). Quod impleturum promiſit, ubi ſcriptum legitur? Ore igitur diſpoſuit, quod traditione ad nos deſcendit. S. Lucas (*Act.* 1. 3.) ait quod Chriſtus per quadraginta dies poſt reſurrectionem ſuam manſit *loquens de regno Dei*. Notum ne quod loquutum ſit? Apoſtoli, Evangeliſtæ hæc ne ſcripſerunt? Apoſtoli igitur vel negligentes fuerunt fidelibus hæc tacentes, vel viva voce, non ſcripto eos docuerunt.

55. Hæ traditiones divinę ſunt, a Concilio Tridentino pari ratione ac divinæ Scripturæ habitæ. Iſtiuſmodi forte traditiones non ſunt antiquæ, & Apoſtolicæ? Apoſtolicę habentur illæ conſuetudines, quarum ignoratur origo, & tamen ſemper obſervatæ. Ita D. Auguſtinus ajebat de conſuetudi-

tudine non rebaptizandi ab hęreticis baptizatos (*Lib. 2. cont. Donat. cap. 7. & lib. 5. cap. 23.*): *Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab illis tradita, & commendata dicuntur.* Revera D. Paulus præcipiebat (*2. Theſsal. 2. 14.*) obſervari nedum quæ ſcribebat, ſed quæ voce inſinuabat: *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Hę ſunt quas veneramur traditiones. Irenęus non eas improbat, immo commendat; & in loco a te laudato redarguit nonnullos hęreticos, qui, ut ſerpentes, provocati ad Scripturas fugiebant, vocati ad traditiones eas negabant: *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis* (en traditiones Apoſtolicæ) *quæ per ſucceſſiones Preſbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur provocamus eos, adverſantur traditioni, dicentes ſe non ſolum Preſbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceriorem inveniſſe veritatem.* Quoniam vero me ad Irenęum provocaſti, hunc audi adverſum te loquentem ratione a traditionibus deſumpta (*Lib. 3. cap. 3.*): *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto Mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, qui vera velint videre. Et habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quę ſeorſim, & latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos, & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes.* Hìc Irenęus duo ſupponit. Primum, in omnibus Eccleſiis perpetuam fuiſſe ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis: in cujus ſignum ſeriem inſtituit illorum Romæ, velut principalioris Eccleſiæ. Alterum, in omnibus Eccleſiis eandem ſemper retentam fuiſſe doctrinam, ab illa diverſam hæreticorum ſuæ ætatis. Cum ergo in Eccleſia Romana perſeveraverit ſucceſſio Apoſtolorum uſque ad noſtra tempora, ut patet ex eorum ſerie, quæ texitur, nec ab Eccleſia Romana unquam recepta fuerint dogmata quæ a pſeudoreformatoribus profitentur, immo damnata fuerint ſemper; ſequitur, ratione deſumpta ex traditione, eorum dogmata nec Apoſtolos docuiſſe, nec in verbo Dei contineri. Ad hęc. Si Irenęus ſenſiſſet ſcriptum ab Apoſtolis quidquid docuerunt, prætermiſſa traditione, & Apoſtolorum ſucceſſione, facilius eos convincere poterat ſic: *Quidquid docuerunt Apoſtol., ſive pro imperfectis, ſive pro perfectis, editum habemus in ſcriptis eorum. Doctrina quam vos docetis non legitur in eorum ſcriptis; hanc igitur Apoſtoli non docuerunt.* Cum autem hac ratione illos non urgeat, ſed ex ratione a traditione deſumpta, evidens fit Irenæum oppoſitum a Calviniſtis credidiſſe.

56. Minus autem ad rem tuam facit Auguſtinus (*Tract. 97. in Joannem*) a te perperam citatus, ubi eos redarguit, qui aſſumebant verba Chriſti (*Jo. 16. 12.*): *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Hìc enim de quibuſdam loquitur, qui prætextu horum verborum audebant (quemadmodum noſtrorum temporum hæretici) ineptas, & vanas novitates diſſeminare; myſteria ea eſſe dicentes, quæ Chriſtus tacuerat Apoſtolis, qui ea portare non poterant. Hujuſmodi novitates diſtabant nedum a veritate, quam a Chriſtiana Religione. Contra iſtos clamabat Auguſtinus Apoſtolico textu (*2. Timoth. 2. 16.*): *Profanas verborum novitates devita.* Porro traditiones quas nos recipimus eorum, quæ non tacuit, ſed docuit Chriſtus Apoſtolos ſuos, a quibus Eccleſiæ communicatæ fuerunt, non profanæ ſunt, ſed ſacræ; non novitates, ſed antiquitates

ſunt, corroboratæ omnium ſeculorum teſtimonio, ut oſtenſum eſt, & oſtendetur. Quid igitur Auguſtinum inducis? Minus tibi Tertullianus favet a te citatus *Lib. de præſcrip.*, nullo indicato capite, ut in ejus indagatione tempus teram. Verum te attendo ad articulum ex profeſſo inſtituendum de traditionibus, ibique tibi palam faciam quæ Tertulliani mens fuerit. Si quid pro tua cauſa quærebas, id minime ab Irenço, Auguſtino, Tertulliano, vel quovis Patre debueras inquirere, ſed ab antiquis hæreticis, a quibus & perverſa tua dogmata venatus es. Apud D. Auguſtinum (*Lib. 1. cont. Maximin.*) Ariani hæc loquuntur: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune eſt omnibus, neceſſe eſt ut audiamus. Hæ vero voces, quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu a nobis ſuſcipiuntur. Prçterea cum ipſe Dominus moneat nos, & dicat: Sine cauſa colunt me, docentes mandata, & præcepta hominum.* Inſuper Pelagiani apud eundem (*Lib. de nat. & grat. c. 39.*): *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus nefas credamus aſtruere.* Aeriani apud Epiphanium *hæreſ. 75.*, Eunomiani apud Baſilium *Lib. de Spiritu Sancto cap. 27., & 29.*, Neſtoriani, qui S. Virginem *Theotocon* appellare detrectabant, quia id in Scripturis non legebant, Eutychiani, qui in Concilio Chalcedonenſi petebant: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?*; hi, & hujuſmodi ſunt præceptores tui. Hos heroas igitur in medium proferre debueras, non Irenæum, Auguſtinum, Tertullianum, alioſque Patres, qui traditiones, contra id quod mendaciter aſſeris, perpetuo & unanimi conſenſu amplexati ſunt.

§. VII.

Eccleſia eſt infallibilis judicando de Libris canonicis.

57. Tibi diſplicet P. Segneri neceſſarium aſtruere arbitrum, qui decernat quç Scriptura canonica ſit, quæ vero non. Hinc *pag. 162.* ais: *Hoc aſſertum falſo innititur fundamento; auctoritatem ſcilicet Scripturæ pendere ab auctoritate Eccleſiæ.* Non id çontendit Pater Segneri. Auctoritas Scripturæ non pendet ab auctoritate Eccleſiæ, ſed a Deo, cujus verbum eſt ab eo ſacris Scriptoribus dictatum. Ut autem innoteſcat an hic vel ille liber a Deo ſit, & divinę auctoritatis, neceſſarium eſt examen, & teſtimonium Eccleſiæ. Quid, nulla habita notitia mei ſtili, & characteris, agendum duceres, ut certior fieres, an vere a me ſcripta eſſet Epiſtola, quæ mea diceretur? Nonne id ab aliquo quæreres, qui mei characteris, & ſtili certam notitiam haberet? Nonne eandem diligentiam adhiberes ad certam notitiam Chirographi, authenticum ne, vel apocryphum eſſet? Inde ne auctoritas Epiſtolç vel Chirographi penderet ab auctoritate recognitoris? Auctoritas utriuſque plane eſſet qualis auctoritas ſcribentis, non qualis illa recognitoris. Id facit Eccleſia, & nihil amplius, in decernendis ſacris libris. Spiritu certo, & infallibili dotata eſt ad illorum diſcretionem, qualem ſpiritum nunquam obtinuit ſive Lutherus, ſive Calvinus. *Ego* (ajebat D. Auguſtinus) *Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me moveret auctoritas.* Tu, qui Eccleſiam contemnis, aliter ſentis.

58. Porro, qua ratione ſuaderis Evangelium S. Matthçi divinum eſſe, quam illud S. Bartholomçi? Revelatum ne tibi id habes ex Spiritu Sancto? Evangelium autem quod Sancti Matthæi nomine hodie legitur, quomodo ab ipſo revera noſti ſcriptum fuiſſe? Ore ne ſuo id tibi teſtatus eſt D. Matthçus? Sane tota tibi credendi ratio una eſt, nempe quod Eccleſia non S. Bartholomçi, ſed S. Matthæi Evangelium divinum eſſe, & legitimum ejus fœtum ab eo editum, probat, ac decernit. Quis unquam auſus eſt dicere, *Eccleſiam Scripturæ ſuperiorem eſſe, Scripturam ſuper Eccleſiam fundatam eſſe?* Hoc ſane

eſt

eſt nolle capere. Eccleſia dum librum aliquem divinum, necne, eſſe decernit, non de Scriptura judicat, ut major iſta, ſed de privato hominum judicio. Scriptura in verbo Dei, & ejus teſtimonio fundatur, quo habet ut divina ſit, tanquam ex propria cauſa; neque Eccleſię teſtimonium facit quod illa divina ſit, ſed quod a nobis divina agnoſcatur, & teneatur, quatenus ex illius teſtimonio inferimus eſſe divinam. Si diploma aliquod verum, & authenticum aſſererem, propterea ne veritatem & auctoritatem illi præſtarem? Superior ne illo eſſem? Quod eo caſu facerem, Eccleſia facit, judicando qui libri, necne, divini ſint; quoniam ad hoc ferendum judicium, non privatis perſonis, ſed dumtaxat Eccleſię Spiritus intelligentię, & poteſtas a Chriſto collata fuerunt; cujus teſtimonium tam certum eſt, ut privati quilibet ipſi teneantur adhęrere. *Non indiget ab alio edoceri Solem eſſe Solem*; quia nimirum hunc vides, & ad oculum præſentem habes. At Scripturam, quam manibus tractas, eandem ipſam eſſe a Deo dictatam, ceteroſque libros eam componentes hujuſmodi eſſe, id minime vides, ſed credis; nec alias id certo credis, niſi ex teſtimonio Eccleſiæ. *Ab Eccleſia non indicatur Scriptura, quemadmodum Chriſtus indicabatur a Samaritana;* quoniam Chriſtus non tam ex ejus loquela manifeſtus erat, quam ex certis, & evidentibus ſignis, quibus ipſemet manifeſtabatur. Remota autem Eccleſia, qua ratione hi, quam illi libri certo divini conſtabunt, niſi ſpecialis adveniat Dei revelatio? Qui illos certo mihi indicare vellet, cum D. Auguſtino (*Lib. cont. Epiſt. fundament. cap. 5.*) ipſi reponerem: *Non credo, non credo.* Thomas Hobbes ex proteſtantibus (*Cap. 33. de Civit. Chriſti pag. 176.*) ſic fatur: *De obedientia Deo præſtanda controverſia nulla eſt. Sed quando, et quid loquutus ſit Deus, id quod ab iis, quibus nulla eſt data revelatio ſupernaturalis, ſciri non poteſt, niſi per rationem illam naturalem, pacis, et juſtitiæ obtinendæ cauſa, auctoritati ſummarum poteſtatum ſe ſe ſubmiſerunt. Quare nullos ego libros pro Scriptura ſacra agnoſcere debeo, præter eos, quos ſancivit Eccleſia Anglicana.* Quamobrem cum is velle recipere libros ſacros neget præter teſtimonium Eccleſiæ Anglicanę; potiori jure & veritate teſtari potero nullum me ſacrum librum recepturum præter teſtimonium Eccleſiæ Romanæ, & cum D. Auguſtino aſſerere: *Ego Evangelio non crederem, niſi Eccleſia me moveret auctoritas.*

59. *Eccleſia profecto eſt Scripturæ fidelis arbitra!* (ſic pag. 163. clamas). *Cur canonicos ſancivit libros, quos veteris Teſtamenti Eccleſia habebat apocryphos?* Nuper Eccleſiam judicem negabas; veteris Teſtamenti Eccleſiam modo aſſeris verum judicem canonicæ Scripturæ. Cur quæſo judicium de canonicis libris Eccleſiæ Chriſti negandum eſt? Vel enim veteris Teſtamenti Eccleſia infallibilis judex, vel non. Si iſta infallibilis, cur non illa Chriſti? Sin autem, nec porro infallibiles pſeudoreformatæ Eccleſiæ, quæ illius judicio inniti gloriantur. Quis tibi ſuaſit Eccleſiam noſtram canonicos ſtatuiſſe libros, quos veteris Teſtamenti Eccleſia habebat apocryphos? Eccleſia in canonem retulit nonnullos libros, qui in Hebræorum canone temporibus Eſdræ edito non habebantur, quod nonnullis ſuſpecta erat eorum auctoritas; non quod hi apocryphi ab illis definiti fuiſſent. Quot antiquitus dubia, impoſterum explorata, recens Eccleſia recepit? Dubitabatur olim an legales ritus cum Evangelica lege retineri deberent; Concilium tamen Apoſtolicum dubium excuſſit, & illos rejiciendos certiſſime ſtatuit. Dubitabatur de ſudore Sanguinis Chriſti a D. Luca deſcripto, de hiſtoria mulieris adulteræ, de Epiſtola II. S. Petri, de II. et III. S. Joannis, de Apocalypſi, de Epiſtola D. Pauli ad Hebræos; hæc nunc omnia ab omnibus Catholicis, et a Proteſtantium plurimis authentica, et divina credun-

dun-

Digitized by Google

duntur. Chriſtiani recenſendo canonem Scripturarum, hebraicum canonem attenderunt; ſed innixi novis, et dignioribus notitiis, certum deprehenderunt, quod illis dubium fuerat. Unde optime hic valet D. Auguſtini ſententia (*Lib.* 2. *de Baptiſm. cont. Donatiſtas cap.* 3.): *Cum aliquo experimento aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine ulla contentione lividæ invidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate chriſtiana.* D. Hieronymus canonicos habet libros Judith, et Machabæorum, S. Hilarius illum Tobiæ, qui in hebraicum canonem non referebantur. Ab aliis prætermittuntur qui in ipſo hebraico recenſentur. Eccleſia noſtra ſuo intellectu, certis teſtibus innixa, et Spiritu Domini afflata, ſuum inſtituit canonem ab omnibus veneratum; de quo non eſt dubitandum, ex eo quod Lutherus, et Calvinus, Synagogæ, quam Eccleſiæ præſtare fidem maluerunt.

60. Rationes modo expendamus, quibus Eccleſiam perſtringis quod nonnullos libros in Canonem retulerit: *Eccleſia canonicum fecit librum Judith, qui in ſcenam profert fœminam perſonatam, & mendacem, & ejus commendat dolos.* Si res ita ſe habeat, nec canonicus erit habendus Liber Geneſeos, Exodi, Oſeæ, aliique libri canonici, in quibus quædam narrantur (juxta apparentiam, & litteram) offenſiva, & ſcandaloſa. Si autem hi recipiuntur, & venerantur qua divini, neque delicatiſſima conſcientia tua horrere deberet librum Judith. *Canonicus eſſe nequit liber* (ais pag. 263.) *qui fœminam in ſcenam profert, quæ mendacem facit Patriarcham Jacob, dum commendat Simeonis, & Levi flagitium, ab illo in ultimo agone damnatum. Fœminam denique, quæ continentiam ſuam periculo exponit. Liber nunquam authenticus habitus, nec a Judæis, nec ab antiquis Chriſtifidelibus.* Judith non laudat Simeonis, & Levi facinus, ſed a Deo poſtulat, ut quemadmodum Simeoni, & Levi gladium præſtitit ad vindictam ſtupri Dinæ ſororis, ſic ipſi juſtiori ex cauſa præſto ſit ad tuendum honorem gentis ſuæ, & propriæ pudicitiæ. Quocirca quid mirabile a Deo poſtulat, nempe quod per manum fœminæ opprobrium totius populi tollatur, quemadmodum mirabile fuit, a duobus univerſim populum Sichem occidi, & opprobrium ſororis reparari, comparans non æquitatem æquitati, ſed portentum portento. Judith autem temere ſuam pudicitiam expoſuiſſe periculo, temerarius ſane qui id audet aſſerere. *Temerarium* non fuit facinus intentatum inſtinctu Spiritus Sancti, quem precibus, & jejuniis invocaverat; pro quo univerſus populus orabat ad Dominum, ut res fauſte cederet. Mentiris dum *temerariam* eam appellas, cum *mirabilem*, & *generoſam* dicere debueras; nec ſoli Judith detrahis, ſed ipſi Deo, qui brachium præſtitit, & intentum proſperavit. Si ex antiquis Chriſtianis nonnulli librum Judith canonicum non habuerunt, ſicut & alios in canone hebræo non recenſitos, nec porro inter *apocryphos* illum demandarunt, ſed inter *Eccleſiaſticos* retulerunt, nimirum inter illos qui in Eccleſiis quidem legebantur, ſed non *ad auctoritatem ex eis fidei confirmandam.* Id ait Rufinus, tum etiam D. Athanaſius, quia illis temporibus Eccleſia univerſalis nondum Scripturarum Canonem inſtituerat, ſed hebraicum Canonem ſequebatur, quem Concilium etiam Laodicenum attendit. Librum qua ſcandaloſum non execrabantur, ut tu facis, ſed quapium in Eccleſiis legendum ſtatuebant. Sic teſtatur D. Hieronymus *Præfat. in Salomon.* Porro ſcias illis etiam primis temporibus plurimos Patres, & Eccleſias, canonicum, & divinum cenſuiſſe librum Judith, cujus auctoritate utebantur nedum ad ædificationem, quam ad confirmationem fidei. Origenes (*Hom.* 10. *in Jeremiam*) poſtquam dixerat: *Volo exemplum dare a Scriptura,* Judith exemplum

plum exhibet. In *Cap.7. Judic.* cum illo Debborę idem affert. Tertullianus *Lib. de Monogamia cap. 17.*, Chryſoſtomus *de variis locis in Matth. hom. 10.*, Ambroſius *Lib.3. de Officiis cap. 13.*, *Lib. de Viduis Epiſt.83.*, *de Virgin. lib.1.*, *de inſtit. Virginis, cap. 2.*, & D. Hieronymus in prologo ſuper Judith refert prętatum librum inter Sacræ Scripturæ libros a Concilio Nicano I. fuiſſe recenſitum; & D. Hilarius in prologo ſuper Pſalmos, ſacrorum librorum catalogum inſtituens, poſt numerum eorum, qui ab omnibus canonici habebantur, ſubdit: *Quibuſdam autem viſum eſt, additis Tobia, & Judith, vigintiquatuor libros, ſecundum numerum Gręcarum litterarum, connumerare.* Inter Eccleſias, quæ hunc librum canonicum habuerunt, Africana præſertim numeratur, teſte Auguſtino *Lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8.*, ubi aſſerit in canone Scripturarum Librum Judith contineri. Concilium Carthaginenſe, cui interfuit D. Auguſtinus *Canon. 47.*, & Romana Eccleſia, ut apparet in *Epiſt. Innocent. I. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum*, in catalogo librorum canonicorum hunc referunt, aſſerendo morem ſequi antiquæ Eccleſiæ. Ergo cur Picenine latras, quod in Concilio Tridentino Eccleſia hunc librum canonicum omnibus propoſuerit? Nec mentiri te pudet, *Librum Judith nunquam authenticum habitum a primęva Eccleſia?*

61. Bene habet P. Panigarola, aſſerens non Calvini, ſed Eccleſiæ negotium eſſe definire quænam Scripturæ canonicę ſint; propterea canonicos eſſe recipiendos Machabęorum libros, quanquam a Calvino reprobentur. Verum ſubdis *pag. 163. Frater inique iraſcitur contra Calvinum, cum unus Papa ex ſuis, qui ſanctus reputatur (Divum Gregorium dico) Machabęorum libros ſinceros non credebat. Quomodo canonicus eſſe poteſt liber, cujus Scriptor in fine ita veniam petit:* Et ſi quidem bene, & ut hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim: Sin autem minus digne, concedendum eſt mihi? *Hercle, Panigarola, hic character ne eſt divini Scriptoris? Siccine Propheta, & Apoſtoli veniam petebant, qui ſcribendo organa fuerunt Spiritus Sancti?* D. Gregorius non *cap. 19.* Moralium, ſed *Lib. 29. cap. 13.*, non inficiatur Machabæorum libros eſſe canonicos: *De qua re non inordinate agimus, ſi ex libris licet non canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis, teſtimonium proferamus.* Quod idem eſt ac dicere: dato non eſſe canonicos; quemadmodum Hebræi in canonem eos non recipiunt, quia grece, non hebraice ſcriptos. Non autem negat Chriſtianis non fuiſſe canonicos, dum Gregorius ignorare nequiverat plurimis catalogis, ſive canonibus ſacrorum Librorum, a ſuis prædeceſſoribus inſertos fuiſſe, nimirum in Carthaginenſi III. *Can.47.*, ab Innocentio I. *Epiſt.* ad *Exuper.*, a S. Auguſtino *lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 8.*, nedicam a Gelaſio I. Credibile igitur non eſt D. Gregorii mentem fuiſſe libros Machabęorum delere a quocunque canone, ſed duntaxat ab hebraico canone. Sua autem ætate hac exceptione loqui poterat; quandoquidem nullus prædictorum Canonum, quos Chriſtiani ediderant, adhuc ab univerſali Eccleſia in OEcumenico Concilio receptus fuerat. Non ita tamen D. Gregorius in pręſens loqueretur, poſtquam Eccleſia in Concilio Tridentino illos in Canonem retulit. Ex quo diſce cur Panigarola Calvino iraſcatur. Iraſcitur quippe quod is libros canonicos neget, poſtquam hujuſmodi probati ſunt ab Eccleſia in Concilio OEcumenico; & optime habet *Frater*, aſſerens Eccleſiæ negotium eſſe, non cujuſque perſonę Calvino ſimilis definire quinam habendi ſint libri canonici

62. *Scriptor in fine veniam petit.* De quo veniam petit? Forte quod a veritate vel hiſtoriæ, vel dogmatis aberraverit? Veniam petit *ſi minus digne, nec exacto ſermone ſcripſerit*; ideſt ſi nitido, & eleganti ſtilo non ſcripſit; ſi ſermo fuerit hiſtoriæ minus accommodatus, vel ingratus quorundam auribus. Id ne derogat characteri divini Scriptoris? Pro-

Profecto ſi ita; nec D. Paulus Scriptor erit divinus, qui de ſe teſtatur (1. *Corinth.* 11.6.): *Nam ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* Spiritus Sanctus futura revelans Prophetis, & eorum captum excedentia, ipſe verba dabat; unus autem eorum labor erat ſcribere, vel aliis dictare quæ ipſis indicabat. Proptera hac phraſi utebantur: *Hac dicit Dominus. Factum eſt Verbum Domini ad me dicens &c.* Ceteris Scriptoribus ſacris, præſertim hiſtoricis, non ſemper ſcribenda dictabat, ſed ad ſcribendum eos excitabat quod viderant, vel audierant; atque ipſis aderat, ne ſcribendo quidquam ſalſum traderent. Hæc aſſiſtentia eorum diligentiam non excludebat cogitandi, & inquirendi quę & quomodo ſcribenda traderent. Sic D. Lucas in præfatione ſui Evangelii teſtatur, quæ ſcripturus eſt intellexiſſe ab his, qui audierunt, & viderunt. Id accidit ſcriptori Libri ſecundi Machabæorum. Deſcripſerat Jaſonis Cyrenęi hiſtoriam, & plurima ex primo libro compendio narraverat, deſumpta ex Archivo Jeroſolymitano; propterea ſuus erat ſtilus, & ſermo. Hinc veniam petit, dicens: *Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt: alterius autem uti delectabile; ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* His autem impudicam miſcere linguam audes?

63. *In prefatis libris latiſſimæ habentur contradictiones.* Duæ talpæ, nempe tu & Calvinus, ſine oculis ea viderunt, quę antiquorum oculatiſſimi minime perſpexerunt, nec etiam illi, qui hujuſmodi libros, ceu divinos, non recipiebant, apud quos horum auctoritas, licet non ad confirmationem dogmatis, ad hiſtoriæ tamen veritatem plurimum valebat? Quænam autem ſint hę contradictiones audiamus. *Prima eſt circa mortem Antiochi.* Ecquę illa? Scriptores certe meę communionis, nimirum Gravina *Cath. preſcr. tom. 2. lib. 4. ar. 4.*, Natalis Alexander *hiſt. Eccleſ. vet. teſtam. diſſert. 7. ar. 8. propoſ. 2.*, aliique, oſtendunt nullam ibi involvi contradictionem, nec quo ad annum, nec quo ad circumſtantias mortis Antiochi, ſi recte intelligatur. Qua de re ſatis tradunt hi Auctores, quos facile adire poteris. *Secunda (ais) eſt quod in libro primo major eſt bellatorum numerus, in ſecundo vero interfectorum.* Saltim quibus Capitulis habeatur hęc contradictio placuiſſet indicare; tum quippe, ea compoſita, alias ferme non diſſimiles, immo prima ſpecie difficiliores, in aliis libris, quos tu ipſe canonicos fateris, tibi proponerem, quæ te compellerent vel iſtos pariter e canone proſcribere, vel hac de cauſa libros Machabæorum non reprobare. Plura ſpecie contradictoria tibi indicarem inter libros Regum, & Paralipomenon. In 2. *lib. Reg. cap.* 8. 4. bellatores illi, quos aſſumpſit David victo Adarezer, viginti millia peditum, equitum vero mille ſexceni computantur; 1. autem *Paralip. cap.* 18. 4. ſeptem millia equitum, et viginti millia peditum coegiſſe legitur, notabiliter variato equitum numero. In Cenſu populi juſſu ipſius Davidis habito 2. *Reg. cap.* 24. 9. *inventa ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Juda quingenta millia pugnatorum*; quæ ſimul faciunt mille millia & ter centena millia virorum. At 1. *Paralip. cap.* 21. 5. valde augetur numerus; quippe quod *inventus eſt omnis numerus Iſrael mille millia & centum millia virorum educentium gladium; de Juda autem quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum*; quæ ad unum ſaciunt mille millia & quingenta ſeptuaginta millia hominum, quorum numerus alium excedit ducentis ſeptuaginta mille viris. Præterea 4. *Reg. cap.* 8. 26. dicitur Ochozias 22. annorum regnare cœpiſſe; & *Paralipomenon* fertur 42. annorum fuiſſe cum regnare cœpiſſet. D. Matthæus *cap.* 13. 38. narrat turbas quas Chriſtus pavit quatuor millia fuiſſe, præter pueros, & mulieres; & D. Marcus *cap.* 8. 9. ſcribit fuiſſe ferme quatuor millia. Quis ex

Sa-

Sacris Libris ſuſpectus non erit, ſi attendantur apparentes hæ antilogiæ? D. Auguſtinus quatuor edidit libros *de conſenſu Evangeliſtarum*; & *Lib.* 2. *cap.* 16. Retractationum teſtatur id feciſſe *propter eos, qui tanquam diſſentientibus calumniantur*; ut tu Picenine facere ſtudes. Nulla eſt diſcrepantia in Scripturis, nulla rixa: *Pax ergo in Scripturis, & omnia diſpoſita, nequaquam rixantia. Tu abjice litem cordis tui, intellige concordiam Scripturarum.* Auguſt. *tractat.* 19. *in Joan.* Et alibi (*lib.* 1. *contra Adimantum cap.* 3.): Verba Scripturæ *intelligenda ſunt, non temere accuſanda, quæ imperitis videntur contraria.* Suſcipe Picenine Auguſtini conſilium. Depone adverſa prejudicia mentis tuæ, abjice litem cordis tui, & accommodatiſſimum intelliges, quod tardo ingenio, & perverſo pravoque animo tuo videtur contrarium.

64. Hoc criterio negligenda foret contradictio quam *pag.* 164. deprehendiſſe jactas inter *Cap.* 6. *Lib.* 1., & *Cap.* 11. & 13. *Lib.* 2. Machabæorum circa arcem Bethſuræ: dum in primo habetur *Regem comprehendiſſe Bethſuram*; in ſecundo *Bethſuram a Judæis ſervatam. In primo Judæi compulſi ſunt cedere, & divertere ſe ab eis; in ſecundo hoſtes univerſos in fugam verterunt, palmis onuſti.* Verum ne difficultatis fugam in his quæſitam blateres, ſcito contradictionem poſitam oriri ex craſſa tua hiſtoriæ ignorantia, geſtum unum cum alio confundente. Factum enim relatum 1. *Lib. Machab.* 6., non idem eſt cum illo relato 2. *Lib. cap.* 11., ſed cum illo *cap.* 13.; quę optime conveniunt, dum utrobique Bethſura ab hoſte, nempe ab Antiocho expugnatur, & Hebræi, rebus multis fortiter geſtis, non valentes reſiſtere, abierunt. Factum autem *Lib.* 2. *cap.* 11. relatum iſta præceſſit. Quod ut clarius pateat, neceſſario præmittenda eſt brevis hiſtorię ſumma. Mortuo Antiocho Epiphane, regnum ſuſcepit Eupator Antiochus, ejus filius. Hic conſtituit ſuper negotia regni Lyſiam quendam, Phœnicis, & Syriæ militiæ principem; Ptolomæum vero macrum, qui pacifice agebat erga Judęos, oppreſſit. Interea Gorgias, & Timotheus ejus duces Hebræos debellabant. Poſt varios caſus, & belli diſcrimina, Juda Machabæo Duce, cum vehemens pugna eſset, cælo prodigiis opitulante, hoſtes ceciderunt, Hebræis parta victoria. Hæc *Lib.* 2. *Machab. cap.* 10. narrantur. Paulo poſt tempore Lyſias, graviter ferens de his quæ acciderant, coacto potenti exercitu veniebat adverſus Judæos, & Bethſuram obſidione cinxit. Prælio inito, Hebræi *proſtraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille ſexcentos. Univerſos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaſerunt. Sed et ipſe Lyſias turpiter fugiens evaſit.* Quamobrem ſecum ipſe reputans invictos eſſe Hebræos omnipotentis Dei auxilio innixos, Regem compulit amicum fieri, Romanorum Legatis arbitris pacis. Hæc narrantur *Lib.* 2. *Machab. cap.* 11. Brevi autem violata pace a Miniſtris regiis, Judas Machabæus venit adverſus interfectores fratrum, *& eos qui ab igne refugerant gladio peremit. Lib.* 2. *cap.* 12. Judas inde cum cognoviſſet Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adverſus Judæam; *nocte aggreſſus eſt aulam regiam, in caſtris interfecit viros quatuor millia, & maximum Elephantorum*, in quo ineſſe Regem putabat, Eleazaro oppreſſo, ac mortuo, cadente beſtia ſuper ipſum. Videns autem Judas virtutem Regis, & impetum exercitus ejus, divertit ſe ab eis. Antiochus obſeſſa Bethſura, hanc comprehendit. Quæ omnia habentur *Lib.* 1. *cap.* 6., & *Lib.* 2. *cap.* 13. Sic pariter geſta narrat Joſeph hebræus *Lib.* 2. *Antiq. cap.* 14. & 15. Quibus inanis apparet potiſſima adverſarii contradictio. *Denique* (ſtatuo tum D. Auguſtino *Lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 41.) *auctores noſtri, in quibus non fruſtra ſacrarum litterarum figitur, &*

terminatur canon, abſit ut inter ſe aliqua ratione diſſentiant.

65. Pater Panigarola canonicos eſſe probat Machabæorum libros Canone Concilii Carthaginenſis III.; cui tu *pag.* 164. occurris, inquiens primo, *Canonem illum canonicos aſſerentem libros Machabęorum, inter exemplaria græca non reperiri; quamobrem merito ſuſpicari poteſt ſubreptitium eſſe.* Secundo: *Si Panigarola opponit unum Carthaginenſe Concilium, ego opponam Concilium Laodicenſe ferme coęvum Nicæno; quod in Catalogo librorum canonicorum non recenſet illos Machabæorum, Tobiæ, & Judith.* At ubi habes exemplaria *græca?* Hoc Concilium Africæ habitum eſt, non *Græciæ*: quapropter græca exemplaria, non textus, ſed verſiones ſunt; in quibus ſi Canon 47. deſideretur, potiori ratione ſuſpicari poteſt manca & depravata eſſe. Quid porro repones ad hæc, quæ dicturus ſum? D. Auguſtinus qui pręſens interfuit, numerum complens Epiſcoporum qui ſanctum illud Concilium componebant, ipſe ſane aſſerit Machabæorum libros ab Eccleſia fuiſſe ſuſceptos. Videatur *Lib.* 1. *contra Gaudent. cap.* 31., & latius *Lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 35., ubi de ſacris Libris ſermonem habens, ſubdit: *In quibus ſunt & Machabæorum libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.* Cum autem ante Carthaginenſe in nullo alio Concilio legatur Eccleſiam in Canonem illos retuliſſe, inferendum, ſupponi ab Auguſtino in illo fuiſſe receptos. Ex hoc Auguſtini aſſerto duo potiſſime animadvertenda. Primum, S. Doctorem ſupponere Librorum canonicorum acceptationem ad Eccleſiam ſpectare; alterum, Eccleſiam poſſe in canonem ſuum librum adſcribere, qui in hebraico canone non habeatur. Non ignoro te reſpondere a S. Doctore referri *in canonem Machabæos triplici clauſula.* 1. non eſſe ex illis, de quibus *Chriſtus teſtimonium reddit.* 2. legendos *ſobrie*. 3. ab ipſo appellari *interdum canonicos omnes Eccleſiaſticos libros*; ideoque Machabęorum libros canonicos eſſe lata *ſignificatione*. Nil me hæc tua terrent; quoniam Chriſtus in teſtimonium de ſe ipſo non retulit Machabęorum libros, quia, ut ait S. Doctor (*Lib.* 1. *cont. Gaudent. cap.* 31.) Libri qui teſtimonium perhibebant de Chriſto erant Lex, Pſalmi, & Prophetę: *Et hanc quidem Scripturam, quę appellatur Machabæorum, non habent Judæi ſicut Legem, Prophetas, & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet, tanquam teſtibus ſuis, dicens: Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis, & in Pſalmis de me.* Ex quo dumtaxat ſequitur libros Machabæorum apud Auguſtinum non fuiſſe legales, aut propheticos, non autem canonicos: ſecus hac eadem ratione libri hiſtorici, canonici habendi non eſſent, ſicut libri Regum, aliique, qui cum nec Lex, nec Pſalmi, nec Prophetæ ſint, teſtimonium non præbent de Chriſto. Quod autem libri Machabæorum *ſobrie* legendi ſint; recte attende ſententiæ S. Doctoris, qui relato Raziæ facto, cujus exemplo Circumcelliones Donatiſtarum licitum putabant intentare ſibimet mortem, dicentes Raziam ſe occidiſſe, & auctoritate Scripturæ eſſe laudatum, ait: *At enim Sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus eſt Razias. Quomodo laudatus? Laudatus eſt itaque iſte Razias amator Civitatis, ut valde bene audiens, ideſt bonæ famæ, quia pater Judæorum appellatus eſt, & quod continentiam tenuerit in Judaiſmo. Iſtam vero ejus mortem, mirabiliorem, quam prudentiorem narravit; quemadmodum facta eſſet, non tanquam facienda eſſet Scriptura laudavit.* Hæc autem ratio eſt cur ſubdat: *Scriptura, quæ appellatur Machabæorum, recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legatur, vel audiatur.* Si ab Auguſtino hi libri canonici habiti non eſſent, Donatiſtis ęmulantibus Raziæ facinus uno verbo occurrere poterat: falſum ſupponitis, quoniam libri laudantes hoc factum canonici non ſunt, nec ab Eccleſia recepti. Pręfatos autem libros dictos eſſe canoni-

cos

cos *ſignificatione lata* ut omnes libri Eccleſiaſtici, non capio qua ratione id aſſeras. Profecto S. Doctor (*Lib. 2. de doctr. Chriſtiana cap. 8.*) *libros canonicos* dividit in varias claſſes, nimirum aliquos *ab omnibus Catholicis Eccleſiis receptos*, alios vero non *ab omnibus* receptos. *Primos* ait *præponendos* ceteris; & ex *ſecundis illi majoris auctoritatis judicandi, qui recepti ſunt a majori parte, & ab Eccleſiis dignioris notæ.* Verum catalogum texens Scripturarum canonicarum & divinarum, Machabæorum libros recenſet cum illis Job, Eſther, duobus Eſdræ, Canticorum, Proverbiorum &c. Qui cum canonici ſint rigoroſa ſignificatione, ſequitur Sanctum Doctorem ſenſiſſe libros Machabæorum ex toto rigore canonicos eſſe ſecundę claſſis. Pręterquamquod D. Auguſtini ſententia eſt, libros ab omnibus Eccleſiis Catholicis receptos, ab omnibus ut canonicos venerari debere. Machabæi poſt Tridentinum Concilium recepti ſunt ab omnibus Catholicis Eccleſiis. Sunt igitur vere *canonici*.

66. Reor tamen te optime noſſe neque Concilium Carthaginenſe III., neque D. Auguſtinum cauſæ tuę penitus ſuffragari; quocirca Carthaginenſi III. opponis Laodicenum, illi ferme, ut ais, coævum: & D. Auguſtino tumide contradicis caterva Patrum, qui Machabæorum libros ceu canonicos non agnoverunt. Tu qui adeo commendas hic Concilium Laodicenum; cur alibi inſectaris Quadrageſimale Jejunium, jam ſtatutum Canone 50. ejuſdem Concilii: *Non oportet in Quadrageſima quinta feria ultimæ hebdomadæ jejunium diſſolvi, & totam Quadrageſimam inhonorari, ſed per totos hos dies jejunare, & eſcis abſtinentiæ convenientibus, ideſt aridioribus uti?* Si Machabęorum libros rejicis quatenus in Canone 60. hujus Concilii non habentur; quid Apocalypſim recipis, quę laudato Canone non recenſetur? Non intelligis omnes libros eſſe canonicos non ſemper omnibus innotuiſſe, nec a principio qua hujuſmodi fuiſſe propoſitos, ſed nonnulli ſemper ab omnibus, & a principio canonici habiti; alii vero, apud aliquos incerti, ac dubii, poſt vero, certioribus accedentibus notitiis, tanquam canonici univerſim recepti fuerunt? Concilium Laodicenum in ſuum canonem non retulit Librum Apocalypſis, ſicut nec libros Machabæorum, quia nondum apud omnes certo conſtabat eorum auctoritas, quę poſtmodum exquiſite perpenſa in Concilio Carthaginenſi III., canonica comperta fuit, & definita. Si ob hanc rationem pſeudoreformatio canonicum tenet Librum Apocalypſis, immerito excludit libros Machabæorum. Attamen Hæreticorum mos eſt ſibi ipſis repugnare,

67. Patres, quos magnifice oſtentas, nil amplius probant, quam Machabæos in hebraico canone non haberi, & ſuis temporibus nondum in Eccleſiæ canonem fuiſſe relatos. Negare tamen omnino non poteris eoſdem Patres a te citatos libros illos ſummo honore habuiſſe. Euſebius *lib. 3. hiſtor. cap. 9.*, Origenes *lib. 2. Periarchon cap. 1.* ex illorum librorum auctoritate argumenta ducunt, ceu ex libris Scripturalibus. Origenes in *cap. 5. Epiſt. ad Romanos* ex ipſorum teſtimonio adverſus Valentinianos probat in veteri lege viros extitiſſe, qui pro confeſſione legis mori non dubitarunt. Ex ipſis Tertullianus *adverſus Judæos cap. 4.* temporaneam oſtendit obſervantiam Sabbati. S. Cyprianus *lib. de exhortat. ad Martyr.* ęqualis auctoritatis eos ac ceteros habet. Poſtquam enim teſtatus eſt nolle Chriſtianos hortari ad Martyrium ambagibus humanę rationis, ſed *ponenda illa ſola, quæ Deus loquitur, quibus ſervos ſuos ad Martyrium Chriſtus hortatur*, cap. 11. teſtimonium ſumit ex Machabæis, ſicut ex ceteris divinis libris; & *lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinum cap. 15.* ex ipſis infert homines, ad eos probandos, a Deo tentari: *De hoc ipſo in Machabæis (lib. 1. cap. 2. num. 52.): Abraham nonne in tentatione inven-*

tus

tus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad juſtitiam? His addere poſſem Luciferum Calaritanum, Quintum Julium, Gregorium Nazianzenum in Oratione 22., ubi celebrat Machabæorum laudes, Ambroſium *lib. 1. de Officiis cap. 40. & 41., & lib. 3. cap. 29.,* Hieronymum *lib. 5. in Eſaiam ad cap. 23., in cap. 7. & 9. Eccleſiaſtis, & in cap. 8. Danielis*; quibus in locis Machabæorum valet auctoritas. Ne ultra igitur calumniis tuis Eccleſiæ poſteriori inceſſere audeas, quod præfatos libros in canone ſcripſit, quos tot antiqui venerabiles habuerunt.

68. Eccleſia Chriſti non tenetur inhærere canoni Hebræorum. Præterquamquod de quo hebraico canone muſſitas? Si de illo edito Eſdrę temporibus, quid in hoc quæris Machabæorum libros, quorum acta cum nondum evenerant, litteris edita haberi minime poterant? Si vero de poſteris Hebræorum canonibus; ubinam hi proferuntur? Exhibe illos, oſtendens Machabæorum libros in his non contineri. Indubium eſt Eccleſiam in ſuis Conciliis coactam, quo homines doctrina & pietate inſignes conveniunt, canonicum & divinum poſſe librum decernere, qui antea ignotus erat, non ita quod divinum & canonicum inſtituat quod ex ſe tale non eſt, ſed quod ſemper canonicum & divinum, ignotum tamen fuerat, manifeſtum omnibus faciat, & ſuſcipiendum univerſis præcipiat. Hęc poteſtas nequit ab ipſis pſeudoreformatoribus inficiari; quandoquidem liber Apocalypſis an divinus eſſet, primæva dubitavit Eccleſia, hinc Laodicenum Concilium hunc non retulit in canonem; & Euſebius (*lib. 3. hiſt. cap. 19.*) velut cujuſque arbitrio illum committit. Et tamen Concilium Carthaginenſe III. canonicum illum dixit, ex cujus ſententia ab omnibus impoſterum divinus habitus eſt. Quamobrem cum eadem Concilia libros etiam Machabæorum canonicos proferant, & Eccleſia catholica in Concilio Tridentino hujuſmodi eſſe declaret, & tenendos præcipiat; cur pſeudoreformatores obedire renuunt, dum Eccleſiæ jus ſit iſtos recipere, illorum vero non reſiſtere? Si Eccleſia ad eos decernendos non regitur Dei Spiritu; quis ſuadebit regi pſeudoreformatores? Idem ſane Spiritus eſt, qui antiquæ Eccleſiæ adſtitit, & novæ. Non erraſſet illa eos recipiendo; ergo nec iſta. Non omnes illa recepit, neque vero iſtos rejecit; immo plurimæ Eccleſiæ hos ſuſceperunt, poſteriori Eccleſiæ integro manente arbitrio diligentius de illis inquirendi, & quatenus divini deprehenderentur, qua hujuſmodi proponendi. Aſt ut omnis dubitandi ratio tollatur, & ſic cauſa finiatur; aliud eſt canonicum, & divinum librum aliquem decernere, ut talem nunquam ab inſignioribus Eccleſiis, a Conciliis, vel Patribus, latinis, & græcis habitum: aliud canonicum decernere librum, qui quamvis a nonnullis antiquioribus Eccleſiis, & Patribus, ad mentem Hebræorum quam propriam loquentibus, hujuſmodi non haberetur; ab aliis tamen pręclarioribus Eccleſiis, & gravioribus Patribus, juxta ſuarum Eccleſiarum traditionem, & propriam ſententiam differentibus, canonicus recipiebatur. Primi generis librum ab antiqua Eccleſia non receptum, neque a recentiori poſſe recipi libenter admitto. Qua ratione *lib. 3. & 4. Eſdrę*, & ille *Paſtoris*, quanquam a quibuſdam antiquis relati in canonem, & Scripturæ nomine commendati, eos nulla Synodus canonicos habere, nec omnibus fidelibus proponere poteſt: ſecus autem ſentiendum de libris ſecundæ claſſis, ad quam Machabæorum Libros pertinere puto me ſatis demonſtraſſe.

69. *Lutherus* (ais pag. 165.) *canonicam prius negavit S. Jacobi Epiſtolam, inde ſe correxit, & canonicam eam faſſus eſt, hac ſoluta quæſtione abſque Throno Papæ.* Quomodo quęſo Lutherus agnovit Epiſtolam Divi Jacobi eſſe canonicam, cum neque ex Conciliorum, neque Papæ auctoritate ſuaſus fuerit? Fa-

ſta ne illi a Deo, qua novo Prophetæ, particularis aliqua revelatio? Satanicus (ut oſtendi) ſpiritus, non Dei (quidquid ipſe oſtentaret) Luthero aderat ad dogmatum revelationem. Quis porro illum ſuaſit? Antiqua Eccleſia? Non equidem, cum anceps iſta fuerit, divina necne eſſet illa Epiſtola, ſicut & illa S. Judæ, 2. Petri, 2. & 3. S. Joannis, Apocalypſis, ut refert Euſebius (*lib. 3. hiſt. cap. 29.*). Quis, iterum poſco, Lutherum, ejuſque pſeudoreformatam Eccleſiam ab hac hæſitatione liberavit? Non equidem traditio, quæ a principio de hoc incerta fuit. Si reponas, a Concilio Laodiceno fuiſſe ſuaſum; tum ego: infallibile ergo habet illud Concilium. Apocalypſis autem, quę prætermiſſa fuit, quomodo facta eſt canonica? Non video quid dicendum ſit, niſi quod Carthaginenſe III., & poſterior Eccleſia divinam illam declararunt. Porro ſi hæc Concilia alios libros, de quibus dubitabatur, canonicos agnoſcunt, cur a pſeudoreformatoribus non recipiuntur? Luthero & pſeudoreformatis placet Apocalypſis, quatenus in iſta ludunt; detorquendo ejus prophetias in contumeliam Romæ. Non placebat Jacobi Epiſtola, quia indicabat extremam *Unctionem*, quam Lutherus reprobat; propterea omnes pſeudoreformatores reſpuunt Machabæorum libros, quia aperte nimis Purgatorium afferunt, cujus incendia magis horrent, quam tartarea, quæ ab ipsis tamen gravius timenda forent, ea vitare cum nequeant, ac potiſſimum debeantur his qui doctrinis falsis populos vaſre ſeducentes, ad illa deducunt, ut tu Picenine miſer facis.

§. VIII.

Sequitur defenſio infallibilitatis Eccleſiæ.

70. Crambem recoquis eandem, *pag. 165.* inquiens: *Eccleſia tribunal incertum eſt, fallibile, partium ſtudio infectum.* Tribunal eſt firmiſſimum, & infallibile, cui ſemper Religionis cauſæ delatæ fuerunt, & ejus judicia omnis ætas venerata eſt. Interpretatio legis, & divini verbi, ipsi ſemper certa fuit, a qua verum, ac legitimum ſenſum omnes accedentes retulerunt. Tribunal illud legitimum habitum ad veram Scripturæ intelligentiam, quam detorquebat Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, aliique; legitimum non erit ad verbi Dei intelligentiam a Luthero, Calvino, Picenino, & ipſorum pſeudoreformatis depravatam? Si Eccleſia noſtra verus & legitimus Judex non eſt; cur pſeudoreformati certum eſſe Judicem prætendunt eorum Eccleſias, & Conciliabula ab ipſis coacta? Cur eorum decretis ſtandum erit? Omnis Reſpublica bene inſtituta, præter leges, tribunal habet Sapientum, qui Judices ſedent, cauſas diſceptantium judicantes, & definientes quibus lex faveat, quorum judicio ſtandum eſt. Sola Eccleſia Chriſti nullum tribunal certum habebit, cui Religionis cauſæ referantur, & quæſtione orta, decernat qui Dei verbo adhæreat, cujus ſententiæ nemo audeat reſiſtere? *Tribunal eſt partium ſtudio infectum, ubi Rei non audiuntur.* Id falſiſſimum. Hæretici Rei hujus Tribunalis ad Concilia ſemper vocati fuerunt, quod negabit nemo, qui utcunque hiſtoriam delibaverit. Semper auditi, correcti, moniti, & abſoluti fuerunt, ſi errores deteſtati ſint; depoſiti autem, & puniti, ſi protervi reſtiterunt. Ad Concilium Tridentinum nonne Lutherus cum ſuis, aliiſque Novatoribus vocati fuerunt? Si ſiſtere ſe renuerunt; quid agendum, quam contumaces damnare? *Tribunal* (ais) *quod Judicem ſe facit in propria cauſa.* Si tu quemadmodum Deo, ita tuæ Reipublicæ rebellis factus eſſes, a quo fores judicandus? Profecto nonniſi a tua Republica. Id non audes negare. Quo caſu nonne Reſpublica tua *pars eſt?* Legitimum ergo tribunal est quod in propria cauſa judicat. Sane id contingit quia

Reſ-

Reſpublica, utpote ſupremum tribunal, *pars* quidem eſt, ſed ſimul *totum*, quod ſuæ ſuperioritatis cauſa nedum privata diſſidia, ſed illa etiam judicat quæ ſuam lædunt majeſtatem. Quamobrem quæ pro Reipublicę ſtatu tuendo ſancte ſervanda ſunt, cur pro tuenda Religione neganda? Cur Eccleſia, & Chriſtiana Reſpublica, vel ejus caput, judicandi poteſtatem amittit in eos, qui ſuam lædunt, & infringunt auctoritatem? Donatiſtæ Eccleſiam apoſtaſia incuſabant, ab Eccleſia tamen judicati fuerunt. Conſtantinum appellarunt, qui ad Eccleſiam iterum ipſos miſit tanquam ad legitimum Judicem. Commentum nobile! Regiam auctoritatem oppugnare, Tyrannum Regem dicere; hinc ejus tribunal, & pœnam vitare velle, negando ipſum Judicem eſſe non poſſe, quod *pars* ſit! Id ne admitteret tribunal politicum? Si Eccleſia qua *pars* nequit eſſe Judex; minus certe in hac cauſa Judices erunt pſeudoreformati, qui *partem* alteram componunt. Si Princeps accuſatus Judex eſſe nequit; minus Judices erunt ſubditi accuſatores. Quis porro Judex? Hæc fraus eſt ad vitandum Judicem, & pœnam. *Tribunal* (ſubdis) *quod erroris inceſſit Eccleſias omnes, quæ cum Romana non communicant.* Certiſſime; & merito, quia ſeparantes ſe a Romana communione, rebelles ſunt Eccleſiæ, traditioni, & Dei verbo. *Tribunal* (concludis) *novum, inauditum in primæva Eccleſia, cum chimerica infallibilitate.* Id, concludo & ego, impudentiſſimum mendacium eſt, hactenus tale demonſtratum; & qua tale etiam atque etiam in proceſſu hujus operis conſtabit.

71. Adhuc inſiſtis: *P. Segneri melius aperit ſenſus ſuos. Fingit ille altum illud tribunal ſuum eſſe Eccleſiam; vere tamen illa ſua Eccleſia Papa eſt.* Hoc tribunal eſt Eccleſia, & Papa. Eccleſia ut corpus, Papa ut hujus corporis caput. Supremum tribunal Galliarum, repræſentans Regnum, eſt *Parlamentum* & Rex. Parlamentum repræſentat Regni corpus, cui ut caput Rex præeſt, ſuo aſſenſu leges ſancit, & ejus acta confirmat. Si acta Parlamenti nullam vim habent, niſi ex aſſenſu, & approbatione Regis; cur acta Concilii repræſentantis Eccleſiam, Regnum Chriſti, valorem ſuum non acquirunt ex illius approbatione, qui loco Chriſti præeſt Eccleſiæ qua caput? An infallibilitas in definiendo ab Eccleſia refundatur in caput, an ex capite ad Eccleſiam; quæſtio eſt, quæ verſatur inter Eccleſias Romanæ communionis. Vera res eſt, quod conformius ad verbum Chriſti eſt ex capite in Eccleſiam auctoritatem diffundi, quemadmodum in naturali corpore ſpiritus, & virtus membrorum deſcendit a capite, non e contra a membris ad caput. Pro capite rogavit Chriſtus, cui dixit non deficiet fides tua. Ipſi injunxit confirmare in fide fratres ſuos. A Petro igitur conſtituto Paſtore & capite, confirmari debuit Eccleſia. Contra hanc explicationem muſſitas; verum jam ſupra reſponſum fuit, & oſtenſum, Chriſtum non pro perſonali fide Petri rogaſſe, ſed pro ipſius fide, ut Paſtoris, quam non tam in ſe cuſtodire, quam in aliis confirmare debebat. Rogavit pro Petro Chriſtus (ſic tu commentaris) pro ejus *fide finali*, *ideſt ne deficeret in fine.* Non hoc dumtaxat Chriſtus impetravit Petro; ſed inſuper ut in aliis fidem confirmaret. Hoc me Theophilactus docet (*in cap. 22. Lucæ*): *Quia te habeo ut Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleveris, confirma ceteros; hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum. Pro fide Petri* (S. Leo Serm. 3. *in anniv. aſſumption. ſuæ ad Pontificat.*) *proprie ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit.* Infers pag. 166. *Ergo de Eccleſia Jeſuitæ ludunt, dum totum ſuo Papæ aſſingunt. Papa eſt qui Concilia cogit. Papa ea probat. Papa eſt qui ſucceſſor dicitur S. Petri,*

tri, pro quo rogavit Chriſtus ne ejus fides deficeret. Nihilum Eccleſia? Nihilum Concilia valent, niſi Papa de Vaticano inſpiret ſpiritum infallibilitatis? Quid opus eſt Conciliorum? Concilium ſine Papa errare poteſt. Papa ſine Concilio errare non poteſt &c. Rex qui Parlamenta convocat, ipſe ne eſt, qui ea approbat? Rex ille utique qui in Regni gubernio ſucceſſor dicitur; propterea ne Regnum nihil eſt? Parlamenta nil ſunt, niſi à Rege valorem obtineant? Quid porro opus eſt Parlamentis? Quid ad hæc mi Picenine? Nil ſane puto reponeres, niſi cum dicitur *Regnum & Parlamentum* Rex non excluditur; quandoquidem Parlamentum & Rex non duæ diſtinctæ res, ſed ipſum Regnum ſunt, in quo Parlamentum eſt corpus, Rex caput: hinc qui Regis auctoritatem extollit, non derogat Regno, quia Regnum Regem includit. Hęc omnino aſſero de Papa, de Conciliis, & de Eccleſia. Dum Papam dico, Eccleſiam & Concilia dico; Papam qua caput. Eccleſiam qua corpus, Concilia qua figuram hujus corporis. Quamobrem quidquid Papa poteſt, Eccleſia & Concilia poſſunt, quia Eccleſia & Concilia Papam non excludunt, ſed includunt. Ergo illationes tuę tot ſunt illuſiones. Quemadmodum dum dico humanum corpus, tum etiam caput dico; ſic Eccleſiam dum dico, Papam dico. Si Papa infallibilis eſt, tum etiam Eccleſia eſt infallibilis, & ſi Eccleſia eſt infallibilis, tum etiam Papa. Eccleſia abſque Papa vera Eccleſia non eſt, ſed acephalum corpus, & ſine capite, ſicut Parlamentum abſque Rege. Concilium Papam includit, quem non includens, Concilium non eſt. Sane verum, Concilium abſque Papa errare poſſe, Papam vero abſque Concilio errare non poſſe, dummodo tamen definiat ut caput, & Paſtor univerſalis. Nec propterea vana ſunt Concilia. Rex qui ex ſe poteſt legem condere, interdum vult eam condere in toto Parlamento, & ad eandem condendam convenire omnes Regni ordines; quo nempe lex ſanctius obſervetur, quę per omnes ordines edita habeatur. Sic Papa damnare de ſe poteſt hæreſes, & dogmata definire, nullo interpoſito Concilio: & ejus definitiones infallibiles ſunt. Aliquando tamen vult per Concilia damnari, quia leges illæ & dogmata, ſtatuta a capite de conſenſu omnium membrorum, quandam vim habent ad obtinendam omnium obedientiam: majus etiam obſequium obtinet lex illa, immo ferventiori zęlo a Paſtoribus promovetur illorum obſervantia decretorum, quibus unuſquiſque ſuum præbuit aſſenſum. Concilia valida ſunt cum a Papa confirmantur, quia poſita auctoritate capitis, certum habetur ſignum, eorum decreta conſona eſſe doctrinæ Chriſti.

72. Non hęc *perverſa Theologia*, ut garris, ſed innixa verbo Dei, & praxi omnium temporum, ut oſtenſum eſt, & oſtendetur. Porro utrum ex Scriptura deducatur expreſſe *Papam eſſe ſucceſſorem D. Petri in auctoritate & infallibilitate*, non hic de hac re diſputandi locus. Opportunum adveniet tempus hujus tractatus. In præſens dico, plura in infinitum argumenta habere Papam pro ſua ſucceſſione a S. Petro, quam habuerint pſeudoreformatores pro ſua delegatione ad reformandam Eccleſiam; & potior fides debetur antiquis, qui eam faſſi ſunt, quam duobus, vel tribus Apoſtatis, qui eam negare primo auſi ſunt. Id pro nunc ſatis. *Perverſa Theologia* eſt (ait P. Segneri) illa Proteſtantium, qui Eccleſiaſticum judicem habere nolunt, inde laicum & politicum quærunt in cauſis religionis. Tu id negas, ſed meridianum Solem negas. De Anglis indubium eſt. Hi ab Henrico VIII. uſque nunc, Regem fatentur caput ſuæ Eccleſiæ, cum ſuprema juriſdictione in rebus ſpiritualibus; & hoc refert Thomas Hobbes Scriptor Anglus in ſuo *Leviathan*. Contentio inter Calvinum & Servetum judicata fuit a Magiſtratu Genevæ, qui ſententiam contra Servetum tulit. Ar-

miniani damnati fuerunt auctoritate Ordinum Hollandiæ. Age vero ſit pſeudoreformatos in cauſis religionis judicem non habere Magiſtratum, vel Principem laicum; Concilium etiam, & Papam reſpuant. Quis porro caput erit & Judex de eorum controverſiis religionis? Quis Scripturæ Interpres in rebus dubiis? Exhibent nobis hic *Judicium diſcretivum, quem S. Paulus exigit a quopiam fideli*, ideſt (1. *Cor.* 10. 15.): *Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico*; & inſuper (1. *Cor.* 2. 15.): *Spiritualis autem judicat omnia*. Hoc porro judicium, non *definitivum* ſed *diſcretivum*, infallibile ne, an fallibile eſt? Si fallibile; ipſi non acquieſcendum, ſed aliud quærendum, quod certum ſit. Si vero infallibile; id quomodo eſſe poteſt? Inter Proteſtantes comperio de Scripturæ textibus varias interpretationes, & oppoſita lata judicia. Ad hæc verba Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum*, judicium Lutheranorum opponitur illi Calviniſtarum. Quomodo igitur unicuique datum erit infallibile judicium? Duo contraria judicia veritatem ambo ferre nequeunt. Judicium totius Eccleſiæ in Conciliis coactæ per te eſt in *diſcernendo* fallibile, definiendo errare poteſt, neque eſt certum Tribunal; judicium autem *diſcretivum*, cuique privato proprium, erit infallibile? Spiritus Sanctus, qui, per te, privato cuilibet adeſt, univerſam Eccleſiam congregatam deſeret? Porro quis aſſeruit cuilibet fideli datum eſſe judicium *diſcretivum* ad interpretationem Scripturarum? Cum D. Paulus dixit: *Prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico*, non ſupponebat judicium *diſcretivum* cuique privato ineſſe ad intelligentiam Scripturarum. Corinthios ſuaſerat Idololatriam vitare, ex pœnis quibus Hebræos Deus puniverat: & ad eos impenſius commovendos, Oratoris vices geſſit, qui ad auditores alliciendos, judices illos inſtituit veritatis quam ſuadet; quaſi diceret: *Vos qui prudentes eſtis, judicate quod dico, ſi vitandum ſit peccatum, quod tot mala ſecum affert*. Sic D. Joannes Chryſoſtomus (*in* 1. *ad Corinth.* 10. *hom.* 24.). Cum autem dixit: *Spiritualis judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur*, non ipſum ſupremum judicem inſtituere voluit in intellectu Scripturarum ſed dumtaxat (ut notat idem S. Joannes Chryſoſtomus *in* 1. *ad Cor.* 2. *hom.* 7.) differentiam indicare voluit inter *ſpiritualem* hominem, nempe fidelem, & *animalem*, nempe *infidelem*. „Quemadmodum enim qui oculos habet, videt omnia quæ cæcus non videt, cæcus autem nil eorum videt, quæ a vidente perſpiciuntur„ *ita & nunc nos quidem & infidelium dogmata omnia plane cognoſcimus, noſtra illi non itidem*; ideſt: Nos fideles infidelium dogmata omnia cognoſcimus, noſtra autem non itidem infideles percipiunt, qui cæci ſunt. Cum vero D. Paulus ſcripſit (1. *Theſſalon.* 5. 21.): *Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete*; non, ut hariolaris, id dictum eſt, quaſi cuique datum ſit judicium diſcernendi, an doctrina ipſi enuntiata conformis ſit doctrinæ Chriſti, ſed, ut advertit idem Joannes Chryſoſtomus (*in Epiſt.* 1. *ad Theſſal ſerm.* 11.) dumtaxat dictum eſt ad eos monendos, ne omni ſpiritui crederent. Tum quippe multi pſeudoprophetæ erant, veris immixti. Prophetiam damnare æquum non erat; hinc id conſilii præſtitit: *Omnia probate, hoc eſt, eas, quæ veræ ſunt prophetiæ*. Spiritus diſcretivus veri a falſo, ille minime eſt quem tu vis cuilibet fidelium diſtributum; ſed ille eſt, qui a D. Paulo (1. *Cor.* 12. 10.) appellatur *diſcretio ſpirituum*, non omnibus data. Quamobrem ait D. Paulus: *Alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum*. Quemadmodum igitur nec prophetia, nec linguarum donum omnibus datum eſt, ſed Spiritus *dividit ſingulis, prout vult*; ſic neque *diſcretio ſpirituum*, & *inter-*

interpretatio ſermonum. Quadantenus in his textibus immoratus ſum, ut notum ſit quam perverſe & inſipienter pſeudoreformati Scripturas interpretentur, quas tamen vaniſſime oſtentant.

73. Non capio quomodo hìc tam inani pompa extollas ſuper Eccleſiam & Concilia tuum hoc *diſcretionis judicium*, inde vero in Triumpho *pag.* 77. Concilium ſciſciteris, inquiens: *Hodie etiam magni faceremus Concilium legitimum, liberum, non ſubjectum Papæ, non directum a ſpiritu immiſſo de Vaticano*. Non capio iterum; nam hoc *Concilium legitimum, liberum, Papæ non ſubjectum*, quod tibi exoptas, eſſet ne inde infallibile & certum? Forte directio Papę illa eſt, quę fallibilia facit Concilia, quę arcet ab illis Spiritum Sanctum; ita ut ſublato Papa, Spiritus Sanctus deſcendat ſolicitus ſuper Eccleſiam? Si ita foret, Conciliorum nullum Spiritum Sanctum ſortitum eſt, quoniam quotquot hactenus celebrata, ut oſtenſum, approbatione & directione Papæ habita ſunt. Concilium autem iſtud abſque Papa, ex hominibus certe errori obnoxiis cogeretur; non itaque *infallibile* foret. Ad hæc. Poſito aliquo decreto hujus Concilii de intelligentia cujuſdam Scripturæ textus, ſi alii inſurgant, dicentes Scripturam non eo ſenſu Concilii eſſe interpretandam; atque item *diſcretionis ſpiritus* ipſis a Deo datus, ceu *ſpiritualibus viris*, oppoſitum ex eorum conſcientia dictaret, cui tum præſtanda fides? Concilio, an illis; quandoquidem his & illi datus eſſet ſpiritus diſcretionis? Exactius. Judicium diſcretionis tum Lutherus, tum Calvinus habebant, immo per te pſeudoreformatores omnes; cur autem ad illa verba Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum*, unus cum alio pugnat contradictoria interpretatione? Tot Conciliabula de hac re utrinque coacta, neglecto *diſcretionis* judicio, cur decretis oppoſitis altera alteris contradixerunt? Spiritum Sanctum illis verbis contradictoria propoſuiſſe, impoſſibile; quamobrem hi vel illi *diſcretionis* ſpiritu vacui fuerunt; hi vel illi falluntur. Nec tamen hi nec illi a Papa reguntur, quinimmo gloriantur unum judicem habere verbum Dei. Si ſupra ipſos nullum eſt tribunal in terris, quod de eorum quæſtionibus judicium ferre valeat; quibus interim credendum? Quid tibi refert Concilium a Papa non directum? Hoc etiam permiſſo, una ne tandem concors omnium mens fieret? Quot conventicula, quot colloquia, habita inter Zuinglianos, Calviniſtas, Lutheranos, pro uno articulo finiendo, nempe de præſentia Chriſti in Euchariſtia? Nunquam tamen parta concordia, nunquam ſpiritus iſte *diſcretionis* munus implevit ſuum; hæc autem Conciliabula a Papa profecto aliena fuere. Tu nos carpis: *Si judicem infallibilem Concilium, Papam habetis, cur munus non exercent ſuum, tot finiendo controverſias lacerantes Eccleſiæ viſcera?* Tum ego: Si vos ſpiritum infallibilis *diſcretionis* habetis, quid ſpiritus hic deſidet, nullam finiendo tot litium, quę veſtræ pſeudoreformationis viſcera diſcerpunt?

74. Vanum & inane eſt per omnes vicos, & plateas exclamare: *Nos Dei verbum ſectamur, & doctrinam Chriſti*. Nos itidem eam ſequi profitemur, & ſanctius vobis, qui eam ſequimini nonniſi proprio veſtro inflati ſpiritu, quem *diſcretionis* ſpiritum falſo appellatis; e contra nos eam ſequimur proprium captivantes ſpiritum ſpiritui Eccleſiæ, manuducti a Conciliis, & Patrum mentibus, quibus Deum conceſſiſſe tuto credimus præclarius lumen, illo, quo perperam gloriantur Lutherus, Calvinus, ejuſdemque furfuris blaterones. Vanum dicere *Scriptura, Scriptura*. Omnes hæretici Scripturam ſequi oſtentabant; ſuper eam tamen ſuos errores adſtruebant: *Nec ſibi blandiantur* (D. Hieronymus ad Luciferianos) *ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt, cum & Diabolus de Scripturis aliqua ſit locutus,*

tus, & Scripturę non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo, alioqui ſi litteram ſequimur, poſſumus & nos quoque novum nobis dogma componere, ut aſſeramus in Eccleſia non recipiendos qui calceati ſunt & duas tunicas habent. Nam ſicut (ſequitur Vincentius Lirinenſis *Commonit. num. 26.*) *tum caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra ſcilicet Diaboli membris Chriſti, perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, Hæretici poſtremo Catholicis. Sed quid tandem dicunt? Si filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt: Si filius eſſe vis Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum; hoc eſt ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam Templum Dei putatur, doctrina, & traditione demitte. Sic ſi quis interrogat quempiam hæreticorum ſibi talia perſuadentem: Unde probas, unde doces, quod Eccleſiæ catholicæ univerſalem, & antiquam fidem dimittere debeam? ſtatim ille: Scriptum eſt enim. Et continuo mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus novo & malo more interpretatis, ex arce catholica in hæreſeos baratrum infelix anima præcipitetur.* Hac graphica deſcriptione ſuæ ætatis hæreticos nobis exhibet Lirinenſis: immo horum temporum dicam, teque potiſſimum Picenine, qui tumidus ſemper inſultare nobis Catholicis ſtudes Scripturæ textibus, quibus nos obrui tibi adularis. Quid pejus autem, ſubdit Lirinenſis de illius ætatis hæreticis: *Audent enim polliceri, & docere, quod in Eccleſia ſua, ideſt in communionis ſuæ conventiculo, magna, & ſpecialis, ac plane perſonalis quædam ſit Dei gratia, adeo ut ſine ullo labore, ſine ullo ſtudio, ſine ulla induſtria, etiamſi nec quærant, nec petant, nec pulſent quicunque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita divinitus diſpenſetur, ut Angelicis evecti manibus, ideſt Angelica protectione ſervati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum.* En Lutheranorum, & Calviniſtarum eleganter depictam imaginem, qui omni temeritate, nulla ambiguitate, confidunt nulla ſibi imputari peccata, & in æternum ſalutem in fine expedite recipere. Eheu Scriptura, Scriptura! Hæc inanis ſtropha, ab hæreſi Picenine te minime liberat. Scriptura pulchra & bona eſt, ſed nunquam bene a pſeudoreformatoribus intellecta, quanquam ſpiritum oſtentent *diſcretionis*. Affabre de Arianis D. Auguſtinus (*Tract. 18. in Joan. cap. 5.*): *Neque enim natæ ſunt hæreſes ..... niſi dum Scripturę bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, temere, & audacter aſſeritur.* Hujus S. Doctoris regula eſt: *Itaque cariſſimi valde caute hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli ſumus; & corde pio, & cum tremore, ſicut ſcriptum eſt, hanc tenentes regulam ſanitatis, ut quod ſecundum fidem, qua imbuti ſumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus: quod autem ſecundum ſanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus: hoc eſt, ut etiamſi quid ſit neſcimus, bonum & verum eſſe minime dubitemus.* Quomodo id pſeudoreformatorum audaciæ valeat accomodari prorſus ignoro, qui parvifacientes, immo aſpernantes fidem, in qua nati erant, & nutriti, judicio *diſcretionis*, de quo præſumunt, novum ſenſum Scripturis apponere miſere ſatagunt, ſplendidas ſibi eas dicentes ut Solem, qui talpę ſunt, excæcati a veſania & errore, in quibus ſupini jacent.

75. Non negatur cuipiam fidelium *affulgere lumen ad diſcernendum, & ſpiritualem de omnibus judicare, & omnia eſſe probanda, ac meliora ſequenda.* Enimvero negatur hoc judicium eſſe infallibile, & eos falli non poſſe. D. Paulus verum & optimum judicabat ſuum Evangelium; tamen cum D. Petro & aliis Apoſtolis ad conſulendum de eo aſcendit. Judicium vobis pſeudoreformatis collatum firmius ne illo forte eſt D. Paulo dato? Arius, Neſtorius, Eutyches, aliique novitatum architecti judi-

judicium habebant *diſcretionis*; in Scripturis tamen interpretandis judicium ferebant deceptionis. Quid non itidem pſeudoreformatores falſo poterunt? Berœenſes conferebant ſermones S. Pauli cum Scripturis; attamen D. ipſe Paulus cum Petro & Apoſtolis illos prius communicaverat. Non prohibetur dogma cum Scripturis communicari, ſed contenditur quempiam judicium tale habere, ut nequeat errare, ac poſſe tuto proprio committi judicio, communi oppoſito. Neque nos ſequimur nulla facta *diſcretione* Doctores; ſed docentes juxta verbum Dei hos amplectimur, ſecus docentes abhorremus. Ad hanc *diſcretionem* non ex cerebro noſtro tribunal nobis erigimus, ſed meditamur quemadmodum Papæ, Concilia, Eccleſia, & antiquitas Scripturas intellexerint; quo cognito, cum Scripturis eorum dogmata comparamus, & ſi quid contrarium appareat, ad id quod ipſi tenuerunt tanquam certius confugimus. Eodem pacto nimirum, qui civilem allegationem agnoſcere quærit, utrum ad normam legis compoſita ſit, non ſemet arbitrum facit, ſed Doctores, ac peritos conſulit; ſecus facilius legem ad ſuæ vanitatis arbitrium detorqueret, quam ad criterium veritatis. Quamobrem *non ſola miracula ſunt, quæ noſtrorum dogmatum ſanciunt veritatem*, ſed miracula in teſtimonium enuntiatæ veritatis patrata, ex quibus, ceu ex ſignis, deducimus noſtras veritates conformes eſſe Dei verbo, quatenus miraculis divinitus commendantur; vice verſa reſpicientes pſeudoreformatores his penitus privari, ſic diſcurrimus: Senſus quo Scripturas intelligimus, præter conformitatem quam habet cum perenni Eccleſiæ ſenſu, frequentiſſime videtur miraculis commendatus. Senſus autem pſeudoreformatores Scripturis affingunt, pręter diſtantiam illam, & deformitatem quam habet a ſenſu univerſæ Eccleſiæ, nullo, nec uno, unquam fuit probatus miraculo. Nos itaque, non ipſi, verum capimus Scripturę ſenſum. Ais: *Spiritus e Cælo immiſſus ſuadet Scripturis credere, & per eas doctrinam experiri eorum qui miracula oſtentant.* Veruntamen ad diſcernendum qui verum ſenſum Scripturæ attingat, & ejus doctrinam profiteatur, miracula ſunt ſigna perſpicua, ut alibi probatum fuit. Nos doctrinam prædicamus ab Eccleſia antiqua veram habitam, Scripturas interpretamur ad normam Conciliorum & Patrum; novis autem pſeudoreformatorum commentis, Scripturis occurrimus & miraculis; ergo Picenine inepte garris.

76. Quibus conſtat quam falſo concludas *pag. 168. Quidquid affirmatur de Tribunali certo, & infallibili, novum eſt, primis ſeculis inauditum, & vanum.* Jam oſtenſum eſt, primis ſeculis controverſias de Scripturis, Conciliorum decretis & Epiſcoporum Romę oraculis fuiſſe ſedatas; *hancque vivam vocem in Eccleſia* errores abegiſſe, & illuſtraſſe veritatem. Noſtrum nemo unquam pronuntiavit, *hanc terreſtrem Eccleſiam debere ea puritate ornari, qua in Cælis exſpectat clarificari.* Immo in hac terreſtri Eccleſia boni congregantur & mali; cum e contra Lutherus, & Calvinus velint veram Eccleſiam ſolos juſtos, & electos in ſuum ſinum recipere. Quid abſurdius eo, quod audes aſſerere, in Eccleſia *eſſe debere ſectas, ſectarios, errores, & hæreſes?* Exeunt hæc ab Eccleſia, ſed in Eccleſia non manent, ut D. Auguſtinus ait (*lib. 21. de Civ. Dei cap. 25.*); unde Chriſtus (*Matth. 18. 17.*) inquit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Profecto ethnici non ſunt in Eccleſia; & ſi hæretici in ea eſſent tolerandi, quid Paulus diceret: *Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita?* Abſurdiſſimum etiam eſt, *hæreticos, ſi qui ſint, non debere illico damnari viva voce.* Si verum hoc, male ſe geſſerunt vetera Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, *viva voce* damnando hæreticos; & errores illorum temporum proſcribendo; quoniam,

Digitized by Google

niam, ex ſententia tua, ferri debuerant, & permitti, quemadmodum a Deo *Chananęi inter Iſraelitas habitare permittebantur*; cum etiam oporteat hæreſes eſſe. Quocirca tu imprudentiſſimus ſemper, & ineptiſſimus in aſſertis tuis, univerſam damnas vetuſtatem, etiam præclariorem, quæ tam cauta fuit in cuſtodienda ſinceritate fidei, & in ſegregandis his qui eam inquinabant. Immo contendis & deſtruis quod pſeudoreformatores tui ſtatuerunt. Nec de Luthero loquor, qui, ut diximus, cum Zuinglianis communicare noluit, quos hæreticos reputabat; ſed de Calvino ſermonem habeo. Si Servetus hæreticus erat, & hæretici tolerandi ſunt; quam ob rem hunc Calvinus flammis damnari curavit a Magiſtratu Genevenſi? Debebat *eum permittere cæcitati ſuæ mentis, quod interim* (ut inſanus blateras) *Deus non neglexiſſet electos ſuos, in quibus depoſuit verbum ſuum unitum directioni ſui Spiritus, quo eos infallibiliter ad ſalutem traxiſſet*.

77. Hollandia in duas factiones diſciſſa, Arminianos ſcilicet vel Remonſtrantes, & Gomariſtas vel Contraremonſtrantes, quarum quælibet oppoſitam partem hæreſis circa dogma inceſſebat, non permiſerunt illarum Provinciarum Ordines *Chananæos habitare in medio Iſraelitarum, quatenus hi per illos probarentur*; ſed poſt tentamenta plurima fruſtra adhibita, Conciliabulum anno 1618. *Dordraci* coegerunt, a quo velut a *viva voce* penſatis utrinque rationibus, *Arminiani* citati fuerunt, & quam pertinaces damnati, interdicti ab omni Eccleſiaſtico munere, & ſuis officiis privati &c. En Conciliabuli verba: *Synodus invocato ſancto Dei nomine, ſuæ auctoritatis ex verbo Dei probe conſcia* (en Calviniſtarum *Synodi* ſuæ auctoritatis certæ ex verbo Dei) *omnium legitimarum, tum veterum, tum recentiorum veſtigiis inſiſtens* (en teſtata Conciliorum auctoritas in definiendo) *Illuſtriſſimorum DD. Ordinum generalium auctoritate munita, declarat, atque judicat* (en tribunal vivum præter Scripturam, & Judex certus) *Paſtores illos, qui partium in Eccleſia ductores, & errorum doctores ſe ſe præbuerunt, corruptæ Religionis, ſciſſæ Eccleſię unitatis, & graviſſimorum ſcandalorum, citatos vero ad hanc Synodum ... pervicacia reos ac convictos teneri. Quas ob cauſas primo Synodus, prædictis citatis, omni Eccleſiaſtico munere interdicit, eoſque ab officiis ſuis abdicat, & academicis functionibus etiam indignos eſſe judicat, donec per ſeriam reſipiſcentiam, dictis, factis, ſtudiis contrariis abunde comprobatam, Eccleſiæ ſatisfaciant, & cum eadem vere, & plene reconcilientur, atque ad ejus communionem admittantur*. Quid nunc Picenine? Tu qui tolerandos in medio Catholicorum hæreticos velles, ſicut *Chananæos in medio Iſraelis*, quid modo reponis? En inter tuos Calviniſtas *Synodus*, tribunal vivum, quod interpretatur Scripturam, quod definit, judicat, damnat, anathematizat; & ejus judicium *infallibile* reputatur. En Arminianos ſegregatos, niſi reſipiſcant, quin permittantur ad electorum probationem; & hic prętenduntur omnia conciliariter agi juxta verbum Dei. Quando autem nos Romanæ communionis aſſerimus pro damnandis hæreſibus ſtatuendum eſſe Concilium, ſive Synodum, quæ judicet, ſententiam ferat, cui debeat quiſque ſubmitti; Calviniſtæ obloquuntur, calumniantur, inficiantur. Eorum Synodi certæ erunt de auctoritate verbi Dei obtinenda, ceterę vero hanc non impetrabunt? Ipſi damnant, ac terrent excommunicationibus hęreticos ſuos, volunt autem a nobis permitti illos pacifice vivere, neve voce hiſcere contra illos audeamus?

78. Tuis inhęrendo veſtigiis tecum deberem hic huic Capitulo finem imponere. Quoniam autem hactenus tua dicta produnt Scripturam unicum eſſe Judicem ad finiendas lites de ſumma Religionis, & hac ſola quemquam reſpondere poſſe, nihilo

pror-

prorſus dempto, vel ſuperaddito; interea autem cuique permittendum in *ſuo ſenſu abundare*, illæſo Charitatis, & unitatis vinculo, quemadmodum & hodie Calviniſtę nimirum & Lutherani faciunt, qui fide quamvis diſcordes, fraternam tamen unitatem inter ſe affectant, ſtudentque habere; hinc quærere id ne expediat, non inutile cenſeo. In arenam igitur ſolius Scripturæ gladio munitus deſcendo; in littera totus hæreo, quæ Sole clarior eſt; non alium volo arbitrum ad ipſius intellectum. Scriptura de ſe judicet, tecum Jacobe ſum, cedo tibi., perſuadeor. Unum poſco: Si Arianus, Macedonianus, Neſtorianus eodem uno Scripturæ gladio muniti nos adoriantur, quid tum ad hos conterendos? Eodem ne Scripturæ gladio pugnabimus? Id profecto illorum temporum Catholici intentabant, id Athanaſii, Baſilii, Hilarii; nullus tamen exitus. Niſi præfuiſſent Concilia adjudicantia verum Scripturę ſenſum hinc inde accommodatum, ſi ſola Scriptura Judex pronuntiaſſet, nonne adhuc dimicaretur in acie; nonne adhuc Eccleſia ſectis hisce diſtracta ſcinderetur? Omittamus vetera. Adſit Lutheranus, præter Scripturam nullo contentus judice; nobiſcum contendat de illis Chriſti verbis: *Hoc eſt Corpus meum*; noſtris partibus hunc, Jacobe, qua ratione captabimus? Scripturis? Scripturis & ipſe contendet. Tot conventus, colloquia, commenta de hac re habita ſunt, & lis adhuc perſeverat, & perſeverabit uſque quo Lutherani, & Calviniſtæ durabunt. Jacobe mi, jam te deſeram, ni paratior adſis. Dic quęſo; quid ſignificat hoc axioma tuum: *Scriptura ſibi ipſi Judex eſt*? Quantum capio, non aliud ſane, quam quod ipſa cuilibet ſenſum ſuum aperiat, nullo indicante; quemadmodum Sol luce ſua radios ſuos patefacit: quod, ni fallor, idem eſt, ac privatum quemlibet in eam reſpicientem tantum habere luminis, quo verum ejus ſenſum probe calleat. Ecce quemquam Doctorem jam, & Scripturę Magiſtrum ad eam interpretandam: neque id peſſimum? Concilium, Papam Magiſtrum nolumus; Scripturæ inde Doctorem facimus Idiotam, Bajulum, Cauponem, Lanium, deliram Anum, quempiam baptiſmo tinctum? Nonne id enimvero eſt putidiſſimis erroribus, & hęreſibus quibuſcunque, aditum reſerare? Apoſtoli verba Chriſti male intelligentes, non ſemel in errorem offendiſſent, ni Chriſtus ore ſuo verborum ſenſum docuiſſet; nos autem dabimus quemlibet Idiotam, Cauponem, Lanium, Aniculam Apoſtolis excellere, ſingulis tribuendo judicium *diſcretionis* ad aſſequendum verum ſenſum, quin Concilium, Papa, Eccleſia illum explicet? Si ita; quid pſeudoreformati tot commentaria ad Scripturæ notitiam inſtituerunt? Fruſtra laborarunt, ſtatim ac cuique de ſe ejus intellectus pateat; & vanum eſt ſtudium inquiſitionis, ubi propprio cujuſque *diſcretionis ſpiritui* affulgeat lumen veritatis.

79. Praxis judicet de utilitate hujus conſilii. Sit, Jacobe mi, ex tuis quipiam, qui paratus fieri particeps Dominicæ Cœnæ, audiat Chriſtum dixiſſe Corpus ſuum illud, quod Apoſtolis diſtribuebat, gnarus tamen Corpus Chriſti nonniſi vivum eſſe debere, juxta D. Paulum (*ad Rom.6.9.*): *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur*; & D. Thomam Apoſtolum Chriſtum Dominum, ac Deum faſſum eſſe: *Dominus meus, & Deus meus*; & denique Chriſtum dixiſſe (*Matth. 4. 10.*) *Dominum Deum tuum adorabis*. Ergo hic poſitus ante te, dum qua Miniſter diſpenſas quod in tua Cœna populo ſoles; flexis genibus cum Centurione diceret (*Matth. 8.8.*): *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*; a te autem de his reprehenſus, inſtaret, juxta Dei verbum ibi eſſe verum Corpus Chriſti, Dominum ſuum, & Deum ſuum, ut ſane debet, adorare; te autem ſtante, & omni licet perſuaſione illum admonente non ibi adeſſe verum Cor-

Corpus Chriſti, ſed dumtaxat figuram & typum Corporis Chriſti, commentum hoc tuum ſuſcipere detrectaret, ac perſiſteret juxta Scripturam ita ſibi faciendum, teque impium exprobraret, conantem prohibere ipſi Deum ſuum adorare: quid tum Picenine? Iterum. Si quis preſſus ſarcina peccatorum, & ex ſynteresi motus ad ea deponenda, ſcrutato ex Dei verbo remedio, nactus Chriſtum Apoſtolis dixiſſe (*Joan.* 20. 23.): *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ſecum ipſe ſtatueret in Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus manere auctoritatem abſolvendi a peccatis, anceps autem num ad obtinendam eorum abſolutionem opus illi eſſet omnia ſingillatim, vel indiſcriminatim tantum confiteri peccata, incideret in illum S. Lucæ textum (*Actor.* 19. 18.): *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos*, ex quo ſibi ſuaderet juxta Dei verbum ſingula confitenda eſſe peccata Miniſtro, & abſolutionem ab ipſo exſpectandam; inde ad tuos provolutus pedes, quatenus Miniſtro, & ſucceſſori Apoſtolici muneris, confiteretur ſingula peccata ſua, peteretque ex te ab illis abſolvi, quia ſic loquitur Scriptura: quid tum reponeres? Forte Scriptura occurreres, illud *S. Marci* 2. 7. aſſumens: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* At ſi reſumeret ille: Domine Miniſter, adverte quæ contra me urges dicta fuiſſe a Scribis, & Phariſçis, non a Chriſto, quinimmo ipſe dixit: *Quorum remiſeritis peccata*; tu qui non Scribarum & Phariſæorum Miniſter es, ſed Chriſti, age quæ ipſe ordinavit, utere poteſtate tibi collata, & ſolve me. Porro quid perſpicaciſſima verſutia tua ipſi repetendum excogitaſſes, quod ille facile non retudiſſet? Picenine mi crede mihi, oppido erras, cum ais: *Sola Scriptura, nec aliud eſt remedium ad purgandum ab hæreſibus Mundum, & ad hunc in pace univerſali componendum*. Hypotheſis facta plane te convincere poteſt.

80. Ferme vellem dare hæreſes eſſe ferendas, cum jam oporteat hæreſes eſſe. Verum tamen in duplici facta hypotheſi, qui foret hæreticus, tu, an ille? Scriptura ſpecie favet utrique: ab eodem ſtipite utrique pendetis. Nihilominus dices, nil referre, *& alter alterius onus portare debet*. Ita; dummodo una ſit mens inſectandi Papam, & perſuadendi miſeræ plebi Romam eſſe inſigne ſcortum Babylonicum. Lutherus tamen Zuinglianos portare nolebat, quia in intellectu Scripturę ab ipſo diſtabant. Fœdus prodeſt debiliori parti; hinc Hollandiæ Remonſtrantes, ſive Arminiani hoc petebant, ut nacta tempeſtate, numero, & viribus augerentur, ad opprimendos Gomariſtas, ſive Contraremonſtrantes. An forte pſeudoreformatorum hoc item politicum commentum eſſet, ſopire Catholicos fœdere, ut inde hos devaſtarent? Gomariſtæ fraudem detexerunt; quamobrem Hollandię Ordines excitarunt ad damnandos Arminianos: tu autem Picenine velles propoſitum fœdus a nobis ſuſcipi? Hoc in bellum ſemper reſolvitur; unde medium non eſt opportunum ad pacem. Aſſentior pro bono religionis prudens conſilium eſſe quidquam ferre, in eo tamen quod fidem non lædat, & merum ritum reſpiciat, quemadmodum uſus legalium permiſſus ab Apoſtolis ad tempus, donec Synagoga ſepulta cum honore, evulgatum eſſet ejus vice Evangelium, & Hebręi ſenſim diſcerent deponere jugum Moſaicæ legis, & illud ſumere legis Chriſti. Finito tamen diſſimulationis tempore, quo zelo Paulus reſtitit? Ipſe teſtatur (*ad Galat.* 2. 4. & 5.): *Falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent. Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos*. Reſtitit in faciem uſque Petri, cum indulgens nimium ſibi viſus eſt. Minus profecto ſuſtinuiſſet quemquam contradicentem veritati Evangelii quod prædicabat; & errantem a fide. Audio

dio D. Joannem ſic alloquentem (*Ep. 2. v. 10.*) : *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Ergo juxta verbum Dei hæc tua conniventia maligna eſt; & doctrina quæ Dei verbo opponitur, rejicienda & inſectanda eſt, nec recipi debet qui eam ſecum affert. Sic Apoſtoli fecerunt, & docuerunt, a quibus Eccleſia didicit eadem ſervare. Si cum pſeudoreformatoribus nos, ipſique nobiſcum ita ſe gerunt; quare autem inter ſe fide contrarii & alieni, patiuntur ferri? Impia eſt, & oppoſita Dei verbo hęc conniventia. Quis ipſis conſuluit hanc inuſitatam conniventiam? Neceſſitas eos compulit, perfidia & aſtus inſequendi Romanam Eccleſiam hanc unitatem contra unitatem promovit. Jam dixi, & repetam. Pluribus conventibus pacem intentarunt. Quia vero nemini placuit alteri cedere, unuſquiſque pro ſe Scripturam habere gloriatur, omnes reſpuunt Eccleſiam, Concilium, & Papam tanquam judices; hac de cauſa conſilium fecerunt in unum, quemquam in ſua fide manere, & invicem compati. Hic nobilis exitus eorum pertinaciæ negandi in Eccleſia vivam vocem, judicantem de vero ſenſu Scripturę. Hoc claudamus Capitulum, deſumpto hujus veritatis teſtimonio ab inſigni Proteſtante, nempe Samuele Puffendorfio in ſuo libro *de Monarchia Pontif.* §. 41., ubi oſtenſo quam inferiores ſint viribus Proteſtantes Catholicis, hanc reddit rationem: *Pontificiorum quoque multo melior eſt conditio, quam Proteſtantium: propterea quod illi Pontificem Summum Antiſtitem Eccleſia, & Caput eſſe ad unum agnoſcunt, & ſi minus animo, ſaltem ore, & exteriori ſpecie in cultu divino conſentiunt. Proteſtantes contra, ſpirituali hujuſmodi capite, quod in oculos hominum incurrat, deſtituti, fluctuant, & animorum inſuper diſtractione fœde lacerati ſunt & diſperſi. Nam ut minores ſectas Arminianorum, Socinianorum, Anabaptiſtarum, ac ſimilium omittam, ipſum quaſi corpus Proteſtantium in duas factiones eſt diſtractum, Lutheranorum, & Reformatorum; inter utroſque multi ſunt qui (turpe dictu) non minore quam ipſos Pontificios odio adverſam Proteſtantium partem proſequantur. Nec etiam apud Proteſtantes univerſali quadam deſcriptione cultus divini ratio continetur, ſed ad ſuum unaquaque reſpublica arbitrium hæc omnia adminiſtrat, & moderatur &c.* Catholicæ Lector conſidera ſinceram hanc recentioris Proteſtantis confeſſionem, qui inſuper librum edidit ad inſtituendam rationem componendi diſcordias inter ſuos, qui inſcribitur: *Jus feriale divinum, ſive de conſenſu, & diſſenſu Proteſtantium.* Hęc ſatis.

CAPUT XII.

Dogmatum Sanctitas veræ Eccleſiæ Signum.

§. I.

Pſeudoreformatorum Religio viam parat Atheiſmo, minime vero Romana Religio.

1. REligio Catholica Romana inter pręclara ſigna ſuæ veritatis hoc etiam præſtat, ſanctitatem nimirum ſuorum dogmatum in articulis, quos ſacræ Litteræ nobis tradunt, nedum quo ad Deum, ejuſque attributa, verum etiam quo ad Chriſtum mediatorem, ad juſtificationem, ad gratiam ſanctificantem, bona opera, & reliqua fundamentalia dogmata, ut ſuo loco adverſus commenta, Picenine, tua oſtendam. E contra Novatorum religio, nec minimum habet hujus ſanctitatis radium. Hæc P. Segneri docet, & verum docet. Tu vero Picenine oppoſitum ſentis. Audiamus.

Primum *Apolog. cap. 14. pag. 170.* graviter offenderis de P. Segneri aſſerente: „ Novatores gradatim

„ ruunt in foveam Atheiſmi „; hinc murmuras *hanc eſſe unam ex calumniis decerptam ex ſcriptis Bellarmini, Maldonati, Becani, Leſſii; Jeſuitæ omnes hi maledici qua Segneri.* Quid porro hiſces, ſi probem veritatem hanc pſeudoreformatores ipſos faſſos fuiſſe, & collacrymaſſe? Atheus ille, qui nullam profitetur religionem, quodque ipſum lubet credit. Tales deſcripſit Proteſtantes Bullingerus in Lib. *fundamentum firmum 1. p. cap. 1.*, ubi ſuorum diſcordias plorans, ait: *Commovet vehemens & implacabilis diſſenſio non paucos, adeo ut animum veluti deſpondentes, dicant ſe poſt hac nihil amplius, niſi quod ipſos libeat credituros. Quinimmo fidem abjicentes, clamant: Quid, oro, fidei in tot fictiones diſtractæ tribuas?* Philippus Nicolai in compendioſa inſtructione ſua aſſerit, vos Calviniſtas non alium habere Deum, quam Diabolum: *Hic enim ipſe eſt Deus Calviniſtarum.* Joannes Modeſtus in ſuis demonſtrationibus probat *Calviniſtas non eſſe Chriſtianos, ſed Judæos baptizatos.* Joannes Schunt *in lib. 50. cauſarum* notat: *Mahometiſmus, Arianiſmus, & Calviniſmus ſunt tres fratres.* Calvinus unum Deum non negat, ſed ipſi tam impie inceſſit, & detrahit, quod forte flagitioſum minus videretur ſi omnino eſſe negaſſet. Fingit velle ſoli Scripturæ præbere fidem; revera tamen credere non vult, quam quod ſibi placet: *De Scriptura Sacra ludit*, ut Eſuſius de ipſo ſcripſit, præ ceteris titulis Epicureum eum appellans. Qui plura deſiderat, Jodocum Coccium legat *tom. 1. lib. 8. de Signis Eccleſiæ ar. 10.*, & occurrent magnifica elogia, quibus invicem commendantur Lutherani, & Sacramentarii. Qui talia, Picenine, loquuntur, ſi *vivos comburi* mereantur, confratres tui ſunt, Papæ jurati hoſtes, contra Eccleſiam, contra Bellarminum, & omnes Jeſuitas. Quod ſi hæc ab iſtis narrantur præſertim de Calviniſmo, abſque temeritatis nota me poſſe credere arbitror, Auctorem libelli *de Arte nihil credendi*, a Calvini ſchola prodiiſſe; cujus doctrina funditus ab ipſo perpenſa, ſtimulo veritatis motus inde fuerit pronuntiare: *Oportet Calviniſtam fieri, qui atheus eſſe volet.* Quibus ſatis vindicatur P. Segneri.

2. *Atheiſmus* (clamas) *ſi Atheus ſignificet eſſe abſque Deo paſtaceo, marmoreo, aureo, argenteo; abſque multitudine Deorum Jeſuitarum, qui fiunt ad modum Apotheoſi Paganorum. Segneri nos appellat hæreticos, immo Atheos. Quo etiam antiquis Chriſtianis conformes ſumus. Dum ad ſupplicium Martyr trahebatur, hę voces ubique reſonabant: Apage cum Atheis. Gentiles celebrare volentes ſacra ſua, eorum Preſbyteri clamabant: Si Atheus, vel Chriſtianus adeſt, exeat. Caveant in Atheiſmum ne præcipites ruant hi, qui tot canonizatis Diis ſerviunt. Polytheiſmus frater eſt germanus Atheiſmi. Gentes cum omnibus Diis ſuis ..... ſine Deo erant in Mundo.* Sic uno ictu defendis tuos, noſque aggrederis. Putida ſtropha a pſeudoreformationis miniſtris recantata apud plebem, ad hanc pelliciendam; nos nempe *Polytheos* eſſe, plures Deos colentes. Falſum tamen vos antiquis Chriſtianis eſſe conformes, qua falſum nos Polytheos eſſe. Antiqui Chriſtiani Athei a Gentilibus dicebantur; quia deteſtabantur quos ab ipſis Dii habebantur, & Dęmones erant, quibus negare cultum gloriabantur illi, apud D. Juſtinum (*Apolog. 2.*): *Quamobrem & Athei (hoc eſt nullorum Deorum), cognominamur. Et profitemur quidem, nos talium qui habentur Deorum eſſe expertes, & atheos, ſed non veriſſimi illius Dei, Patris videlicet juſtitiæ, & caſtitatis, & virtutum aliarum, ab omni vitioſitatis mixtione, & labe expertis.* Vos Proteſtantes Atheiſmum redoletis, Deum blaſphemantes, ejus omnipotentiam, ſanctitatem, bonitatem, ceteraſque ejus perfectiones laceſſentes. Neve obtendatis ex Jeſuitarum ſcriptis calumnias decerpſiſſe ad offenſionem veſtram, legite Vorſtium in ſuo Tractatu *De Deo, & attributis divinis*, & eorum quæ indicavi ve-

vi veritas conſtabit. Si faſſus eſſes vos conformes eſſe antiquis Simonianis, Menandrianis, Eunomianis, quotque hęreſum monſtris abyſſus evomuit priſcis temporibus, a vero non aberraſſes, ut evidentiſſime jam oſtenſum fuit. Vos ne antiquis Chriſtianis, antiquis Martyribus ſimiles? Si ex ore tuorum pſeudoreformatorum probatum eſt, primævę Eccleſiæ doctrinam & mores vos deteſtari, quæ autem illa deteſtabatur, vos iterum amplecti; quid oppoſitum modo contendis? *Nos Polythei quia Sanctos colimus, qui Dii a te nominantur*. Quæ, Picenine, arrogantia auctoritatis, dum poteſtatem referendi homines inter Sanctos Eccleſiæ derogas, tibi aſſumis homines facere Deos? Stato tempore apertiſſime prodam putida mendacia tua, & qua injuria alios decipere ſtudeas, nefandis hiſce calumniis nos traducendo. Pro nunc habeas: Si Sanctos adoptione & gratia *Deos* appelles, aſſentior; omnes quippe juſti *Dii* ſunt, Dei filii. Dei verbum eſt (*Pſal.* 81. 6.): *Ego dixi Dii eſtis. & filii Excelſi omnes*. confirmatum a Chriſto in Evangelio (*Joan.* 10. 34. 35.). Si vero intelligas Sanctos *Deos* eſſe multiplicitate divinitatis, nec unum eſſe Deum, Idololatrarum lingua, non autem noſtra male loqueris. Veneramur Sanctos, ut Dei amicos, & advocatos noſtros apud Chriſtum, & Deum. Uni Deo ſervimus; ut autem gratum ipſi ſit ſervitium noſtrum, mediatores poſt Chriſtum Sanctos invocamus: hæc ne Deorum multitudo, hæc Apotheoſi Paganorum? Si anxius obtinendi gratiam a Rege, miniſtrum mediatorem poneres, quem propterea coleres, & honorares, plures ne ideo Reges in regno faceres? Aſſerendum ne miniſtrum ut Regem te venerari? Aſſerendum non amplius te ſoli Regi ſervire? Quid igitur blateras, nos, veneratione, & honore Sanctos proſequendo, Deos hos colere, nec ſoli Deo ſervire, ſed Creaturis?

3. Novum crimen a te falſo impoſitum *pag.* 171. nunc abſtergam: *Poteſt* (ais) *in Atheiſmum corrui in ea Religione, quæ permittit docere palam hominem poſſe ſalutem conſequi abſque Dei dilectione, ut fecit Papa in decreto edito per Chriſtianitatem*. De Alexandro VII. hic loqui intelligis, cujus decretum vel legiſti nunquam, vel ſi legiſti, ex ſumma perfidia blaſphemiam a te excogitatam ipſi tribuis. Vbinam Alexander docet, vel docere permittit, *hominem ſine dilectione Dei poſſe ſalutem conſequi?* Quæſtio tum non erat, an homo abſque Dei dilectione poſſit ſalutem conſequi, ſed an juſtificari poſſit homo in Sacramento Baptiſmi, vel Pœnitentię, abſque expreſſa Dei dilectione. Aliud quippe eſt juſtificationis gratiam conſequi medio Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ, aliud extra hæc Sacramenta. Quis ex noſtris, non dicam Papam, ſed Theologus, unquam aſſeruit extra hæc duo Sacramenta poſſe quemquam juſtificari, abſque contritione perfecta, quæ nedum charitatem inchoatam, ſed perfectam contineat? Nos omnes cum Concilio Tridentino fatemur (*Seſſ.* 14. *cap.* 4.) ad juſtificationem abſque Sacramento, cum voto tamen ſuſcipiendi, requiri tanquam neceſſariam diſpoſitionem, veram & perfectam charitatem. Sic juſtificata fuit Maria Magdalena, cui Chriſtus dixit (*Luca* 7. 47.): *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Sic catechumenus juſtificari poteſt ante etiam Baptiſmi ſuſceptionem, ſi antequam illud ſuſcipiat, voto recipiendi comes ſit actus perfectus dilectionis Dei, ut credimus contigiſſe Cornelio Centurioni (*Actor.* 10. 1.); & abſque hoc actu divinæ dilectionis nemo juſtus eſſe poteſt apud Deum, juxta illud D. Joannis (1. *Joan.* 3. 14.): *Qui non diligit, manet in morte*. Si vero ſermo ſit de juſtificatione aſſequenda mediis Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ, Alexandri VII. temporibus, & hodie etiam, diviſi ſunt noſtræ communionis Doctores; dum quidam velint, hic pariter requiri tanquam neceſſariam diſpoſitionem

ad recipiendam cum Sacramento gratiam juſtificantem, actum amoris Dei, diſponentem, & inchoantem, non tamen ſe ſolo juſtificantem. Hæc opinio adhuc viget, potiſſimum in Gallia. Alii vero ſentiebant, ad recipiendam gratiam medio Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ſufficientem diſpoſitionem eſſe actum merę attritionis, ſupernaturalem tamen, quo peccator doleat ſuper omnia Deum offendiſſe, non ut ſummum bonum in ſeipſo, ſed aut ut remuneratorem meritorum, aut ut punitorem culpæ: dolorem videlicet excitatum, & motum non ex amore, ſed ex timore Dei; quandoquidem pœnitens ſic diſpoſitus (aſſerebant hi) juſtus evadit virtute Sacramenti, ex qua, infuſione gratiæ, & Charitatis, ex attrito fit contritus, & incipit Deum diligere. Hæ duæ opiniones acriter a partibus utrinque defenſæ, cum neutra ſit Dei verbo oppoſita, excitarunt animum Alexandri VII., qui mandavit licere nemini alterutram partem cenſura notare; quæ prudens œconomia fuit ad pacem Eccleſiæ tuendam, permittendo cuilibet opinari quod placuiſſet, ubi nullum fiat præjudicium verę fidei. Id & nil amplius ſtatuit ille Pontifex. Quamobrem tu ejus famæ detrahendo, graviſſimę reprehenſionis reus deprehenderis.

4. Non defuere quidam Theologi laxiores, & incauti, qui auſi ſunt proferre, præcepto dilectionis Dei ſtricte vix ad quinquennium fideles conſtringi. Scandaloſa hæc tamen opinio, cum aliis, proſcripta fuit a vigili zelo Pontificum, pręſertim Innocentii XI. anno 1679. 2. Martii *propoſ. 5. 6. & 7.* De hoc tamen nec verbum facis. Ex voto quippe ſtatuiſſe videris, de Summis Pontificibus quidquid boni egerint occultare; ſi quid autem minus rectum, tuba canere, immo quæ non fecerunt mala componere, & in ignarum vulgus effundere. Optime ſcimus, *Deum diligere, hoc eſſe primum, & maximum præceptum.* Quod autem Chriſtiani nequeant *nec per inſtans ab hoc diſpenſari abſque periculo atheiſmi*, adeo ut quolibet inſtanti teneamur ad hujus præcepti obſervantiam, quatenus ſi inſtans prætereamus a diligendo Deo in atheiſmum feramur, id falſiſſimum, immo impoſſibile. Quis ex hominibus ille, qui gloriari poſſit, quolibet momento Deum diligere, ſaltem actu explicito Charitatis? Præceptum dilectionis Dei, quatenus affirmativum, ligat nos ſemper, non ad ſemper, ſed dumtaxat in opportunis circumſtantiis. Omni inſtanti tenemur præcavere ab actibus avertentibus ab ordine, quo homo Deo ſubjicitur; quia hoc eſt præceptum negativum, nimirum nil faciendum contra Deum, & ejus legem. Si hoc verum, omnes quolibet inſtanti teneri diligere Deum; item verum, omnes incidere in atheiſmum, vel te incidere in graviſſimum errorem. Peto ex te, ſi cunctis inſtantibus, quibus Apologiam, & Triumphum elucubrabas, Deum diligebas? Ego id nego; & probo: quoniam amor & dilectio Dei, nunquam ſejungitur ab amore, & charitate proximi. Hanc profecto non habebas; ſecus Eccleſiam Romanam, & ſectatores ſuos, tot horrendis calumniis, & probris non laceſſiſſes. Ergo neque Deum tum diligebas, & in atheiſmum offendebas. Vellem ſcire ex te, an ad juſtificationem aſſequendam aliquem Charitatis actum exigi aſſeras? Affirmas? Non igitur ſola fides juſtificat; & ad adipiſcendam juſtitiam aliqua exigitur operatio, nempe actus divini amoris: quamobrem tota ruit mendax Theologia Lutherana, & Calviniſtica. Negas? Incidis itaque in atheiſmum; & hic bene habet: *Oportet Calviniſtam fieri, qui atheus eſſe volet.*

§. II.

Calvinus Deum facit peccati Auctorem.

5. QUo nimirum ſi Panigarola & Segneri in Deum blaſphemi eſſent, illos redarguis *pag. 171.* quia

quia Calvinum incuſarunt *facere Deum auctorem cujuſcunque flagitii, & omnium malorum cauſam*. Omnem hìc lapidem moves ad tutelam Magiſtri, textus, & contextus repetens pro ejus vindiciis. Quaſi liberaliter dare vellem, Calvinum conſcium blaſphemiæ quam evomebat, quadantenus tentaſſe eam explicare, & interpretari, ad eam detergendam; id autem indicare textus, quos ex ejus ſcriptis fidelis diſcipulus anxie decerpſiſti. Neſcio tamen an res bene vertat fauſto illi exitui, quem tibi promittis. Enimvero Calvinus docet (*Lib. 1. Inſt. cap. 17. §. 11.*) *Diabolum, totamque improborum cohortem, ſic omnibus partibus manu Dei tanquam fræno cohiberi, ut nec concipere ullum adverſus nos maleficium, nec conceptum moliri, nec ad perpetrandum ſi maxime moliantur digitum movere queant, niſi quantum ille permiſerit, immo niſi quantum mandarit*. Hęc eadem ſunt verba pura pura Calvini. Si, ut ille ait, Diabolus, & impii nec concipere poſſent, nec moliri, nec movere digitum ad malum, niſi quantum Deus mandarit; immo ſi dumtaxat tantum faciunt, quantum mandat; quid reſtat quin Deus auctor ſit ſcelerum, quæ Diabolus, & impii faciunt? Si male agere cuipiam mandarem, qui me non jubente malum nec faceret, nec facere poſſet, immo in tantum faciat, in quantum jubeo; profecto omnes leges me illius flagitii auctorem damnarent. Deus autem implens eadem cum peccatoribus, juxta impium dogma Calvini, reputandus non erit auctor eorum ſcelerum? Ad peccatum, ut tradit Calvinus (*Lib. 2. Inſt. cap. 4. §. 2.*) *dicitur & Deus ſuo modo agere, quod Satan ipſe (inſtrumentum cum ſit iræ ejus) pro ejus nutu ac imperio, huc atque illuc ſe inflectit ad exequenda ejus juſta judicia*. Quis porro ignorat peccatum cauſæ principali magis tribui, quam cauſæ inſtrumentali, & executivæ? (§. 5.) ſubdit: *Longo tamen diſcrimine ſemper diſtat in eodem opere id, quod agit Dominus, ab eo quod Satan, & impii moliuntur. Ille mala inſtrumenta, quæ ſub manu habet, & verſare quolibet poteſt, ſervire juſtitiæ ſuæ facit*. Juxta ipſum tamen, Deus nedum vult finem, ideſt juſtitiam ſuam, quam medium, ideſt peccatum; & opus Dei eſſe facit tam primum, quam ſecundum. Quamobrem (*Lib. 1. Inſt. cap. 18. §. 1.*) loquens de Inceſtu Abſalonis, ait: *Abſalon inceſto coitu torum Patris polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat, Deus autem hoc opus ſuum eſſe pronuntiat*. Si aliquem finem intendens, ad eum conſequendum medium eligerem alterius peccatum, quod niſi me diſponente committi valeret; quapropter illud vellem, & decernerem: profecto, qui id noſceret, nedum finem, ſed ipſum me velle peccatum judicaret. Porro ſi Deus, juxta Calvinum, vult juſtitiam ſuam, & *definito conſilio* vult peccatum, quod homo perpetrare nequit ſi Deus illud nolit, & in tantum perpetrat, in quantum Deus vult quod illud perpetret: ulterius ſi, juxta ipſum Calvinum (*Lib. 2. Inſt. cap. 4. §. 1.*), non relinquitur in homine libertatis veſtigium ad illud non perpetrandum, unde Deo ſubjacet ut equus ſeſſori; nulla ſuppetit ratio dicendi Deum non velle, nec eſſe auctorem illius peccati. Nec ipſi D. Auguſtino ea ſuppetit, qui diſputans adverſus Fortunatum Manichæum (*diſput. 2.*) effugium meditantem, ut Calvinus facit, dicendo quod *nihil mali ex ſe proferat Deus Omnipotens, & quod quæ ſua ſunt incorrupta maneant &c.* reſpondit: *Et noſtra fides hæc eſt, quod malorum genitor non ſit Deus*. Sed pariter dicimus *mala eſſe voluntario peccato animæ, cui dedit Deus liberum arbitrium. Quod liberum arbitrium ſi non dediſſet Deus, judicium puniendi nullum juſtum eſſe poſſet, nec meritum recte faciendi, nec præceptum divinum ut pœnitentia ageretur de peccatis &c.* Immo neque capio quare Deus, & quo juſto judicio, illud peccatum puniat, quod homo, quamvis ſua

malı-

malitia, exequatur, Deus tamen eſt ejus principalis cauſa; quemadmodum non intelligerem qua juſta ratione Princeps poſſet ſubditum punire de illo homicidio, cujus ipſe principalis cauſa fuerit, adeo ut nec ſubditus id perpetraſſet, niſi Princeps hunc ad agendum moviſſet: & in tantum id perpetravit, in quantum Princeps mandavit, quamvis id mandarit ad finem ſuæ juſtitiæ. D. autem Auguſtinus non eo ſenſu loquitur, quo Calvinus eum loquentem inducit (*Lib. 1. Inſt. cap. 18. §. 4.*). Aſſerit ſane (*Epiſt. 48. ad Vincent.*) de morte Chriſti: *Cum ergo & Pater tradiderit Filium, & ipſe Chriſtus corpus ſuum, & Judas Dominum ſuum: cur in hac traditione Deus eſt pius, & homo reus, niſi quia in re una, quam fecerunt, cauſa non una eſt, ob quam fecerunt?* Non aſſerit, ut Calvinus facit, mortem Chriſti, quatenus hanc Judas procuravit, eam æternum Patrem, & Chriſtum ipſum voluiſſe, & mandaſſe. S. Doctor pariter ſcribit (*Lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 29., & 21.*): *Deus agit in cordibus malorum quidquid vult*, poſtquam dixerat quod ſic *uſus eſt Juda tradente Chriſtum, ſic uſus eſt Judęis crucifigentibus Chriſtum*; ſed non quod Deus voluerit, & mandaverit peccatum Judæ, & crucifigentium Chriſtum. S. Doctor aſſerit peccatum eſſe etiam alterius peccati pœnam; & cum Deus permittit aliquem in peccatum labere, non vult peccatum, ſed pœnam. E contra Calvinus vult Deum non permittere peccatum in pęnam peccatoris, ſed illud velle, & mandare. De hoc infra. Interim videatur D. Thomas *p. p. q. 79. ar. 1. ad 1.*

6. *Deum facere auctorem peccati* non *eſt illatio monſtruoſa, vi extorta a ſententiis Calvini*, ut commentaris, ſed eſt illatio legitima, ſequens ex ejus doctrina, quam & ipſe bene novit; qui propterea (*lib. de æterna Dei prædeſt. pag. 628.*) eam involvere ſtuduit: *Oportet diſtinguere inter cauſam primam & remotam, & cauſam proximam. Deus eſt cauſa remota, creatura eſt cauſa proxima.* Hæc hæreticus docet, ex quo ſequitur, malum æque tribui volenti fieri, quam facienti; & potiſſimum cum qui agat aliter agere nequit, quemadmodum creatura in manu Dei, quę juxta erroneam Calvini Theologiam caret libero arbitrio, & ita neceſſario agit, ut non agere nequeat. Concludere deberet, & tandem aſſerere, peccatum ex Deo totum eſſe, & ex creatura nullum; quæ peccat, quod ſecus facere nequeat: Deus e contra poſſet non velle illam peccare. Nec aliter Calvinus ipſe novit reſpondere; quamobrem citato loco, ubi habet: *Quomodo Deus in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros vero ſuos juſte damnet, vix capit ſenſus carnis*, dicere poterat, quod ſanior intellectus capere neſcit, quomodo hinc velit Deum cauſam eſſe principalem peccati, & ab omni culpa eſſe immunem; hinc vero impium Dei miniſtrum eſſe peccando, & inde juſte eum damnare. Ad aliam: *Semipelagiani antiqui in ſerie errorum contexta adverſus D. Auguſtinum, eum carpebant Deum facere auctorem omnium malorum.* Aſt quomodo D. Proſper vindicat magiſtrum ſuum (*lib. 1. reſponſ. object. 11. & 12. tom. 7. Oper. D. Auguſt.*)? Forte ut Calvinus aſſerebat, voluntatem Dei eorum quæ fiunt omnium cauſam eſſe, quęque illa ſint iniqua & nefanda? Neutiquam; ſed in reſponſione ad objectionem XI. loquens de bonis ait: *Nullus catholicorum dixit, aut dicit, quod Deus homines pie, recteque viventes, per potentiam in peccata compellat.* De impiis autem, *quos a Deo traditos deſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos magnis peccatis ſuis, hoc ipſos meruiſſe profitemur* .... & concludit: *Atque ita nec de judicio Dei querimur, quo deſerit meritos deſeri.* Melius ad objectionem XII., poſtquam pręmiſerat: Deus *injuſte punit, quod ut fiat impellit*, ut nuper contra Calvinum dicebamus, ſubdit quod hi qui pu-

tant

tant creaturam a Deo ad peccatum impellit, *in talem ſenſum trahuntur, quia putant in omnibus hoc eſſe præſcientiam Dei, quod & voluntatem, cum voluntas ejus nunquam velit niſi bona, præſcientia autem & bona noſcit, & mala; ſed bona, quæ aut ipſe facit, aut etiam ut nos faciamus imperat; mala autem omnia, quæ omnino ipſe non facit, neque fieri ſuaſit, aut impulit*. Hæc Calvinum jugulant, qui docet non minus a Deo imperari opera bona, quam mala: & poſtquam ex variis male accommodatis Scripturę textibus conatur oſtendere ſcelera omnia facta fuiſſe voluntate, imperio, ac Dei impulſu, ſibi plaudit, dicens (*Lib. 1. Inſt. cap. 18. §. 3.*): *Et jam ſatis aperte oſtendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ iſti cenſores volunt otioſo tantum ejus permiſſu contingere*. Calvinus igitur aperte facit Deum auctorem omnium malorum; nec ipſum id pudet aſſerere. S. Proſper aſſerit quod voluntas Dei nunquam velit niſi bona, quę & ipſe facit, & hæc erat doctrina D. Auguſtini, quę etiam noſtrorum Theologorum eadem eſt. Quid modo Picenine? Nos ne Semipelagiani ſumus? Si ita; nobiſcum Semipelagiani erunt D. Auguſtinus, & D. Proſper.

7. Inſtas *pag.* 173. Calvinum *innumeris Scripturæ ſacræ dictis, & factis, probare Deum cum hominibus concurrere, & eorum actus dirigere, nedum ſimplici permiſſione, ſed ſancta directione*. Legatur Calvinus fere per totum *cap. 18. Lib. 1. ſuarum Inſt.* Hoc ſane eſt, quod ſtomachum movet Panigarolæ, & Segneri; & propterea clamant, *Calvinum facere Deum auctorem omnium malorum, & flagitiorum*, dum, ut nuper ex ore ipſius Calvini retuli, Deus auctor eſt eorum omnium, quę nos dicimus ejus permiſſu contingere: quę autem iſta, niſi ſcelera, & flagitia? Quomodo ſancta directio illa, quæ vult, jubet, impellit ad peccatum? Profecto remota diſtinctione, Patribus communi, inter *facere*, & *permittere*, *velle*, & *præſcire*; nimirum Deum præſcire peccata, non autem prædeſtinare; permittere, non facere; nequit defendi Deum non eſſe omnium impietatum auctorem. Hac una diſtinctione, intacta manet Dei ſanctitas, & ab omni turpitudine, & immunditia expers. Velle & imperare nequit peccatum, quin ejus auctor fiat. Permittere quidem illud poteſt, quin ipſi tribuatur, quia hæc permiſſio non eſt niſi gratiæ denegatio. Quamvis autem creatura abſque gratia peccabit, nullatenus tamen, cum Deus eam conferre minime teneatur, Dei, ſed illius culpa erit, ſi ab ipſa peccatur. Nequit Deus creaturæ mandare quod peccet, & ipſum non velle peccatum; equidem poteſt permittere quod illa peccet, abſque eo quod peccati illius particeps fiat; quoniam permiſſionis voluntas non reſpicit peccatum, ſed ſolam gratiæ denegationem, cujus Deus eſt largitor ſupremus, & Dominus. Neque juvat Calvinum dicere (*Lib. 1. Inſt. cap. 18. §. 1.*) *Deum quacunque vult facere, ad omnes actiones hominum pertinere certum eſt*. Nam Divus etiam Auguſtinus Pſalmum illum legerat, ex cujus interpretatione Calvinus hæc dixerat; attamen (*Enchirid. cap. 95.*) ſic reſpondet: *Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat* (en permiſſionis voluntas) *vel ipſe faciendo*. Alibi (nempe *Lib. de divinat. Dæmon. cap. 1. & 2.*) oſtendit Gentium ſacrificia nec bona fuiſſe, nec Deo grata, immo exoſa, permittebat tamen ea fieri; unde concludit: *Unde colligitur quod Deus aliquid & improbet juſtus, & tamen permittit omnipotens*. Deus igitur, ait Auguſtinus, peccata permittit omnipotens, at juſtus ea punit, & deteſtatur. Calvinus autem vult Deum juſtum velle peccata, ut puniat. Quomodo igitur prętendere audes Calvinum tuum lingua Auguſtini fuiſſe loquutum? Repeto: non eſt illatio *extorta*, ſed germana, & vera Calvini doctrina, Deum eſſe omnium malorum auctorem; quapropter

Digitized by Google

ter veriſſimum, *hujuſmodi doctrinam ſequi, eſt in Atheiſmum progredi*.

8. Hanc Calvinianam impietatem non docent noſtri Theologi, ut falſo tentas ipſis imponere, inquiens *pag.* 173. *Si Calvinus facit Deum peccati auctorem; Jeſuita etiam rei ſunt*. Quandoquidem eo diſtant, quo Cælum a Terra. Theologi noſtri, cum D. Auguſtino, omnes docent peccata hominum ad Dei præſcientiam pertinere, non ad ejus prædeſtinationem; nimirum Deus ea præſcit, permittit, attamen non ea vult, non jubet, non facit; e contra Calvinus vult quod Deus nedum ea prænoſcat, ſed quod ea decernat, inſuper & faciat. Aſſerunt noſtri lapſum hominis fuiſſe dumtaxat permiſſum, non decretatum a Deo. Vice verſa Calvinus (*Lib.* 3. *Inſt. cap.* 23. §. 7.) aſſerit a Deo fuiſſe prævifum, quia decretatum: *Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præſciverit Deus quem exitum habiturus eſſet homo, antequam ipſum conderet: & ideo præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinarat ...... ut abſurdum videri debet quod dico, Deum non modo primi hominis caſum, & in eo poſterorum ruinam prævidiſſe, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe &c.* Hoc plane eſt anathemate proſcriptum a Concilio Arauſicano II. can. 25. *Aliquos vero ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus*. Neque, juxta Calvinum, homines ordinantur ſolum poſitivo, & prævio decreto ad damnationem; ſed tum etiam ad corruptionem, quæ eorum damnationis eſt cauſa. Sic ille aſſerit (præfato *Lib.* 3. *cap.* 23. & 24.). Quis porro ex noſtris Doctoribus blaſphemavit unquam Deum nedum præſcire, ſed prędeterminare peccatum, per quod homo in damnationem corruat? Quis hoc poſitivum *decretum* in Deo aſſeruit, *horribile* etiam ipſi Calvino? In peccato entitas habetur, ſive actio; & deformitas, ſive malitia. Deum concurrere ad actionem, qua res eſt, omnes concedunt; immo ego aſſero, actioni, quatenus res eſt & perfectio, Deum præbere concurſum, nedum ſimultaneum, ſed pręmoventem, quia cum omnipotens ſit, ad omnem entitatem concurrere debet, cum proviſor ſit univerſalis, omnia regere, & diſponere tenetur. Hoc autem non eſt Deum aſſerere auctorem, & cauſam peccati, ſed tantum actionis, qua creatura malitia ſua peccando deficit: neque ex eo aſſeritur Deum movere creaturam ad peccatum, ſed præciſe movere creaturam ad operationem. Quod autem talis operatio a creatura vitiari debeat peccato, id prę-ſcientia ſua noſcit Deus, minime vero vult: ſed dumtaxat permittit, cum non teneatur omnes creaturæ defectus impedire. Quo circa Doctoribus noſtris via aperitur tribuendi Deo quidquid boni habet operatio alias mala; & humanæ voluntati defectibili quidquid habet peccati. Quamobrem dici poteſt cum D. Auguſtino (*Lib.* 1. *de lib. arbitr. cap.* 12.): *Credimus ex uno Deo omnia eſſe quæ ſunt, & tamen non eſſe peccatorum auctorem Deum*. Et (*Lib.* 2. *cap.* 20.): *Omne bonum ex Deo, nulla ergo natura quæ non ſit ex Deo. Motus ergo ille averſionis, quod fatemur eſſe peccatum...... vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites*. Id dilucide explicatur a D. Thoma (*quæſt.* 3. *de malo ar.* 2. *in corp.*): *Quod eſt ibi actionis, reducitur in primum movens, ſicut in cauſam; quod autem eſt ibi de defectu, non reducitur in primum movens, ſicut in cauſam, quia talis defectus conſequitur in actione, ex hoc quod agens deficit ab ordine primi moventis, ut dictum eſt: ſicut quidquid eſt de motu in claudicatione, eſt ex virtute motiva animalis, ſed quidquid eſt ibi de defectu, non eſt a virtute motiva, ſed a tibia, ſecundum quod deficit ab opportunitate mobilitatis a virtute motiva.* Quę doctrina optime convenit cum alia a te citata, videlicet: *Effectus cauſæ*

ſecun-

ſecunda deficientis reducitur in cauſam primam indeficientem, quo ad entitatem, & perfectionem, non quo ad id, quod ibi eſt defectibile. Sic D. Thomas *p. 1. q. 79. ar. 2.*

9. Hæc doctrina D. Thomæ, quam noſtrates omnes amplectuntur, ſicut Panigarola, & Segneri, nulla ratione favere poteſt Calvino, & Luthero. D. Thomas in utroque prælaudato loco, ad quæſtionem quam inſtituit *ar. 1. quæſt. 79. p. 1.* utrum Deus auctor ſit peccati, negative abſolute reſolvit, & affirmat tantum de actione peccati. Calvinus & Lutherus aſſerunt Deum eſſe cauſam principalem, nedum actionis, quam ipſius peccati, quanquam finis a Deo volitus ſit ab illo creaturæ diverſus. D. Thomas docet Deum vix dici poſſe cauſam indirectam peccati, *in quantum non retrahit, in quantum non prohibet*. Calvinus (*Lib. 1. Inſt. cap.* 18. §. 1.) hanc diſtinctionem ineptam & ridiculoſam habet, & vult quod Deus directe illud velit, cauſet; moveat autem creaturam ad peccatum, quomodo univerſalis cauſa inſtrumento utitur. Quamobrem ſermonem habens de noſtris Scholaſticis, ſcribit: *Tergiverſando itaque effugiunt, Dei tantum permiſſu, non voluntate hoc fieri. Ipſe vero* (Deus) *palam ſe facere pronuntiant, effugium illud repudiat*; quo ſtatuit: *Ejus probationis* (Job nempe), *cujus Satan, & ſceleſti latrones miniſtri fuerunt, Deum fuiſſe auctorem.* Nunquam lego Calvinum diſtinguentem inter actionem, & peccatum; lego quidem hanc diſtinctionem irridentem, ſicut & velle totum eſſe a Deo, qui non tam permittat, quam velit peccatum. Non igitur nos doctrinam Calvini detorquemus, cum ſenſum Auctoris illi accommodemus; ſed tu illam detorques, cum contra mentem Auctoris niteris ipſi præſtare ſenſum oppoſitum omnino his, quæ millies in ſcriptis ſuis ſentire teſtatur. Re vera ſi Calvinus ſentiebat ſolam actionem Deo tribuendam, non autem peccatum, quid ſtatuit totum a Deo eſſe volitum? Quid ridet quos dixiſſe novit peccatum utique a Deo eſſe permiſſum, non tamen volitum? Scio Calvinum (*Lib. 1. Inſt. cap.* 18. §. 4.) rimas quærere, diſtinguendo voluntatem a præcepto, hinc Deum peccatum velle, non præcipere: *Perperam enim miſcetur cum præcepto voluntas.* Verum interea hic hæret aqua: fatetur enim aliquando peccatum Deum imperaſſe, ſicut accidit Semei cui Deus præcepit Davidi maledicere. Ad hæc. Si homo ex Dei voluntate peccat, peccando igitur paret divinæ voluntati; quemadmodum miniſter Domino ſuo paret, cum implet opere, quod illius placet voluntati. En quomodo impius loquitur §. 1. *Quidquid agitant homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda ſui judicia convertat eorum conatus.* Qui hac phraſi utitur, Deum non facit auctorem peccatorum, quę Satan & impii committunt, cum hi quidquid agitent, ubi Deus vult cogantur converti, quemadmodum navis verti in illam partem compellitur, in quam a tenente clavum convertitur? Bellarminum non mutilum citare, ſed integrum debueras. Ait is Doctor (*Lib. 2. de amiſſ. gr. cap.* 13.) quod Deus *præſidet ipſis voluntatibus malis, eaſque regit, & gubernat, torquet, & flectit, in iis inviſibiliter operando*; verum proſequitur: *Ut licet proprio vitio malæ ſint, tamen a divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud, non poſitive, ſed permiſſive ordinentur.* Calvinus autem non permiſſive, ſed poſitive vult malas hominum voluntates ad malum a Deo ordinari. Bellarminus autem cum Hugone a S. Victore (*Lib. 1. de Sacr. p.* 5. *cap.* 29.) docet quod Deus *precipiti qua vult, ad ruinam aperit viam, quodammodo ipſam inclinat, non impleendo, ſed permittendo, & non tenendo; nec auctor illi eſt ruendi, ſed incedendi ordinator.* Sic noſtrates loquuntur. Permittit ille, non retrahit, non impedit peccatum; nec vero poſitiva vo-

volūtate illud decernit, minus autem vult. Permittit hominem peccare, nolens peccatum, ſed: *Contigit quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet, non peccarent.* Hæc D. Thomas 1. 2. *q.* 79. *ar.* 1. *in corp.* Propterea Deo non tribuitur peccatum, quemadmodum nec Nauclero navis ſubmerſio, niſi dum negligit regere potens & debens: *Sicut gubernator navis non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex hoc, quod non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens, & debens gubernare.* Si directe Deus peccatum vellet, ſi creaturam impelleret ad peccatum, non poſſet non auctor dici, tum vel maxime cum creatura aliter nequiret. Id totum, ut oſtenſum eſt, Calvinus aſſerit, Idolum Picenini. Permitte quod dicam: *Mala cauſa, pejus patrocinium*; & ſi tu *Anathema* dicis *cuique Deum facienti peccati auctorem, etſi Angelus cæli*, ne iraſcaris, ſi concludam: *Anathema* Calvino, & ſectariis ſuis; & quod ad ipſum verſus, id proferam, quod ipſe contra Libertinos *cap.* 13., videlicet (poſito Deo peccati auctore): *Hoc conceſſo, nullum inter Deum, & Diabolum diſcrimen fore, ut etiam revera Deus, quem nobis fabricant, Idolum eſt Diabolis ipſis deterius.*

§. III.

Examen erroneæ doctrinæ Calvini circa Prædeſtinationem.

10. EXtraneum tibi, & novum ſimulas a P. Segneri Calvini doctrinam notari, *Deum pleroſque hominum introduxiſſe ad eos damnandos*, & petis *ubi hæc doceat?* Docet *Lib.* 3. ſuarum *Inſt. cap.* 23. §. 7., ubi territus & ipſe hac teterrima concluſione, ait: *Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præſciverit Deus quem exitum eſſet habiturus homo, antequam ipſum conderet, & ideo præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinarat.* Expreſſius aliquando de reprobis *Lib.* 3. *Inſt. c.* 24. §. 12. *Quos ergo in vita contumeliam, & mortis exitium creavit* (en homines a Deo conditos in damnationem) *ut irę ſuæ organa forent, & ſeveritatis exempla: eos, ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.* Hæc & aliæ plurimæ quas referre poſſem, non interpolatæ, & vitiatæ ſententię ſunt, ſed ſinceræ. Non inficior Calvinum interdum tentaſse hujuſmodi blaſphemiis modum ponere, mitioribus verbis horrendum eorum ſenſum fucando; nimirum *Lib.* 3. *Inſt. c.* 23. §. 8. *Cadit igitur homo divina providentia ſic ordinante, ſed vitio ſuo cadit.* Inſuper: *Propria ergo malitia, quam acceperat a Domino propriam naturam corrupit, & ſua ruina totam poſteritatem in exitium ſecum attraxit.* Verum cum ibidem doceat: *Nec ipſum quidem per ſe probabile eſt, ſola Dei permiſſione, nulla ordinatione, hominem ſibi accerſiſſe interitum*; hac poſita doctrina, vitium, & culpa in homine quidem erit, ſed in quantum Deus illa vult, & ordinavit, nedum permiſit quod in homine ea ſint; quodque ordinavit, nedum ille faciet infallibiliter eſſe, ſed neceſſario, quin homo potens, vel liber ſit impedire ne id fiat. *Homo* (ait Calvinus *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 23. §. 6.) *vitio ſuo cadit.* Attamen ſubdit, quod apud Deum *reſidet ſalutis, ac mortis arbitrium: conſilio, nutuque ſuo ita ordinat, ut inter homines* (bene attendatur) *ita naſcantur ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent.* Quomodo igitur vitio ſuo perit homo ille, qui conſilio, nutuque divino ab utero certæ morti devotus fuit, & ita natus eſt ut neceſſario in æternum pereat? Non ego facio *Calvinum loquentem ea, quæ nec in ejus mentem venerant*, ut falſo aſſeris, ſed ſincere ejus dicta refero. Si quempiam in præceps dejicerem,

rem,

rem, quin reniti poſſet, volentem quamvis ruere, velle tamen aliter non poſſet, quis præcipitem hunc ſua culpa agi aſſereret, quin potius meo nutu, & poteſtate? Miror te vociferari, Patrem Segneri primum, qui hanc blaſphemiam Calvino tribueret, cum & ipſi Proteſtantes eam prænotaſſent. Calvinum feciſſe Deum peccati auctorem Eſhuſius retulit, in fine ſuæ Confeſſionis *de Sancta Eucharistia*. Calvinum docuiſſe pleroſque hominum Deum creaſſe, ut in æternum damnaret, inter ceteros errores hunc animadvertit Fridericus Stafilus *in Apologia concordiæ Lutheranorum inter ſe*. Hæcque horrenda blaſphemia objecta fuit Calvino ipſi vitam agenti, quam ut detergeret, tractatum ſcripſit *De ęterna Dei Prædeſtinatione*, & alterum inſcriptum: *Brevis reſponſio ad diluendas Nebulonis cujuſdam calumnias*. Quanquam vero id notaſſet nemo, ſat eſt ex ejus doctrina aperte deduci, ſubdole licet ab ipſo involutum, ſimulando nolle aſſerere quod aſſerit, revera hujuſmodi principia ſtatuendo, ex quibus plane deducitur quod ipſum pudet manifeſte tradere.

11. Utinam Calvinus *tenuiſſet doctrinam Pauli ad Rom.* 9., ut *pag.* 174. inepte commentaris; quandoquidem pace invicem frueremur. Paulus docet, Deum qua ſupremum Dominum quoſdam ad gloriam prædeſtinaſſe, alios a gloria excluſiſſe, antequam bona, vel mala eorum opera prævidiſſet: quod probat exemplo Jacob ad terrenam hæreditatem vocati, & Eſau ab ea excluſi: *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori*. Ante tamen malorum operum prævisionem decreviſſe Deum quempiam damnare D. Paulus non aſſerit. Hic Apoſtolus nobis objicit Deum ſupremum Dominum, qui gratiam ſuam, & gloriam, cui vult, largitur; non Tyrannum, qui ſubditos ſuos, ante culpam, ſupplicio devovere ſtatuerit, minus vero decreverit eos creare ad barathrum, ut iram expleat ſuam. Damnatio, quatenus actus juſtitię, ſupponit prævisa demerita; & eam prędefinitam aſſerere, crudelis Deus, & injuſtus inceſſitur. Concedo ut verum quod Scotus, cum Ledeſma, & Bannez aſſerit, *Deum ante omnem præviſionem operum decreviſſe gloriam Petro dare, non Judæ; & Deum a regno ſuo quoſdam homines excludere ante præviſionem ſuorum operum*. Hæc Theologia eſt ſcholis noſtris nota. Falſum porro, & impium eſt, Deum velle Judam damnare, a gloria reprobare, & punire ante demeritorum pręviſionem. Chriſtus *Matt.* 25. 35. inquit: *Ite maledicti in ignem æternum..... eſurivi, & non dediſtis mihi manducare....* Non dixit: antequam quidquam boni, aut mali egeritis ſic decrevi; & D. Paulus ad *Rom.* 2. 5. 6. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus &c. Semipelagiani redarguebant Divum Auguſtinum*, quaſi diceret, *Deum maximam partem humani generis creaſſe, ad cruciandos eos æternis pœnis*. Hæc tertia inter objectiones relatas a S. Proſpero in libro ſuo, veluti D. Auguſtino oppoſita. Quid autem reſpondet D. Proſper? Reſpondens ad ſecundam objectionem, in qua Semipelagiani opponebant, quod juxta doctrinam Auguſtini Deus nollet omnes ſalvare, quanquam ſalutem ipſi conſequi vellent, ait: *Sinceriſſime credendum, atque profitendum eſt, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant... ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum*. Ad tertiam vero reſpondet: *Omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ab eo ideo creatus eſt, ut periret, quia alia eſt cauſa naſcendi, & alia eſt pereundi; ut enim naſcantur homines, conditoris eſt beneficium, ut autem pereant, prævaricatoris eſt meritum*. Sic S. Proſper in defenſionem D. Auguſtini,

ſtini, ſic Piceninus ad tutelam Calvini, qui pone audet affirmare hanc eſſe calumniam inflictam Calvino a Jeſuitis, quemadmodum calumnia erat quam D. Auguſtino Semipelagiani objectabant. Verum tamen inſudare, eniti poteris quantum vales, Æthiopem tuum nuſquam album facies, Calvinum nempe ab hoc errore immunem nuſquam probabis. Perſpicuum nimis eſt, juxta hujus doctrinæ falſitatem, Deum pręordinaſſe voluntate antecedente quamcunque pręviſionem, hominis perditionem; quodque nonnulli hominum naſcantur *certa morti devoti*. Hinc patet quam falſo garrias Calvini doctrinam illam eſſe D. Auguſtini. *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus* (ait Auguſtinus *Lib. 3. adverſus Julian. cap. 18.*) *poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Calvinus e contra ait (*Lib. 3. Inſt. cap. 23. §. 6.*): *Cum rerum omnium diſpoſitio in manu Dei ſit, cum penes ipſum reſideat ſalutis, & mortis arbitrium, conſilio, nutuque ſuo ita ordinat, ut inter homines ita naſcantur ab utero certa morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent.* Hęc ne doctrina Auguſtinianæ conformis? Hic ne Deus ille bonus, Deus juſtus Auguſtini, qui poteſt ſine bonis meritis liberare, non poteſt ſine malis meritis damnare; ſi conſilio, nutuque ſuo, inter homines facit naſci ab utero certæ morti devotos? Quantum differunt Deus Calvini, & Deus Auguſtini! Si reprobatio videtur Calvino diſpenſatio divinæ juſtitiæ, nunquam aſſerendum reprobationem ordinatam fuiſſe ante demeritorum pręviſionem, ſed poſt iſtam. Ita probe cum Auguſtino ſenſiſſet. Hoc eſt Calvini monſtrum; velle Deum hac diſpenſatione juſtum, ac ſimul velle ante demerita totum eſſe ordinatum; & quod Deus hominem reſpiciat reum pœnæ, antequam eum reſpiciat reum culpæ.

22. Poſita hac falſa, & impia doctrina Calvini, ſi quæratur *cur Deus derreverit in æternum Judam punire*, nequit reponi, *quia Judas culpa ſua id meruit*, ſed quia ante præviſionem culpæ ſic Deus ordinarat. Si petatur *cur Judas peccaverit*, reponi nequit, quia malitia ſua ſic eum ſeduxit, ſed quia Deus voluit quod ipſe peccaret, illum impulit, & neceſſario induxit ad finem juſtitię ſuę. Si vero quæratur *cur Deus Petrum, non vero Judam elegit, cum ambo jacerent in eadem perditionis maſſa*, optime reſpondetur, quia Deus miſereri voluit Petri, & a perditione eum liberare; cum Juda autem oſtendere voluit juſtitiam ſuam, eum deſerendo, ſicque *confugimus ad Dei beneplacitum*. Et hęc doctrina eſt D. Auguſtini. Si vero quæratur cur *Deus decreverit damnationem* Judę, non eſt cum Calvino confugiendum ad Dei beneplacitum, ſed ad malitiam Judę a Deo pręviſam. His non acquieſcens, adhuc urges *pag. 175. Si Deus elegit Petrum ex præviſione meritorum, fidei, & boni uſus gratiæ; hoc vel a ſolo Petro, vel a Deo, vel ab utroque ſimul debuit deſumi. Si a ſolo Petro, redit triumphans Pelagiana hęreſis, & proſtrata D. Pauli & D. Auguſtini doctrina jacet. Si a Deo, iterum quæritur cur Deus Petro potius, quam Judæ donum hoc largiri ſtatuerit? Et neceſſario confugiendum eſt ad beneplacitum prędeſtinantis. Si autem a Deo, & Petro, peto an Deus ſit qui ordinet Petrum ad fidem, an Petrus ſeipſum? Si primum, redimus in idem, cur Petro hoc datum, non Judæ? Si ſecundum, jam homo ſe ipſum eligit, jam ſe diſcernit, poteſt de ſe gloriari, quaſi primus artifex ſuæ prædeſtinationis. En prædeſtinationem in poſtdeſtinationem mutatam.* A rancido hoc & trito argumento, noſtræ ſcholæ Theologi duabus viis ſe expediunt, juxta varias inter nos opiniones. Eorum quidam, inter quos Segneri, cenſent Deum elegiſſe Petrum ex præviſione boni uſus ſuę gratiæ, & meritorum, quæ præſtare debebant Deus & Petrus, juxta effatum D. Pauli (*1. Corinth. 15. 10.*): *Non ego, ſed gratia*

Dei

Dei meum; & Petrum debuiſſe ſe determinare ad bonum uſum gratiæ, juxta eundem D. Paulum: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Hìc tamen apparuit miſericordia, & beneplacitum Dei, quia bonus uſus prævíſus a Deo in Petro, conditio fuit, non cauſa ſuę electionis; Deus etenim poterat, adhuc eo pręviſo, ipſum non eligere; tum etiam quia bene placuit Deo S. Petrum ſiſtere in illis circumſtantiis, in quibus poſitum prævíderat bene uſurum ſua gratia: quandoquidem Deus poſtquam pręvidit quempiam illa bene uſurum, non equidem tenetur eum ſiſtere in illis circumſtantiis fauſtis potius, quam in aliis prædeſtinato infauſtis; quamobrem in illis collocari ſumma eſt miſericordia. Neque ex his ſequitur hominem ſe diſcernere, quaſi quod gloriari de ſe poſſit, & primum reputari ſuæ ſalutis artificem; primum quia gratia eſt quę totam præſtat virtutem, & homo cum D. Paulo fateri tenetur (*ad Philipp*. 4. 13.): *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Secundo, potiſſima ratio quæ diſcernit, eſt gratia efficax, quę ex Deo eſt; quatenus ipſe eſt, qui in illis circumſtantiis Petrum poſuit, in quibus gratia bene uſurum præviderat. En myſterium Pauli Apoſtoli; nimirum cum Deus poſſet quemlibet ſiſtere in circumſtantiis fauſtis ejus ſaluti, & converſioni, quoſdam ponat, alios vero non. Hæc eſt prædeſtinatio, non poſtdeſtinatio. Hæc loquendi ratio videtur innixa auctoritati D. Auguſtini (*Lib*. 1. *ad Simplicianum quæſt*. 2.): *Verum eſt ergo: Multi vocati, pauci vero electi; illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi. quia non ſecuti, quamvis vocati. Item verum eſt: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; quia etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dicit: Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis; quia nullius Deus fruſtra miſeretur: cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*.

13. Ego autem certus melius aſſequi mentem S. Pauli, & Auguſtini, cum plurimis magni nominis Theologis, auctoritate quam ſanctitate nobilibus, longe valde dicto, & falſum arbitror Deum elegiſſe Petrum ex præviſione meritorum: *Intelligamus ergo* (ait D. Auguſtinus *Lib. de Prædeſt. SS. cap*. 17.) *vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, ſed qui eliguntur, ut credant. Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aperit, ubi dicit* (*Joan*. 15. 16.): *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Nam ſi propterea electi erant quoniam crediderant, ipſi eum prius utique elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur.... Unde non aliud dicit: Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi; niſi quia non elegerunt eum ut eligeret eos, ſed ut eligerent eum elegit eos, quia miſericordia ejus prævenit eos, ſecundum gratiam, non ſecundum debitum.... Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis, & gratia. Nam quid eſt, quod ait Apoſtolus: Sicut elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem? Quod profecto ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes; contra iſtam præſcientiam loquitur Filius, dicens: Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi*. Juxta vetuſtam, & ſanam doctrinam S. Patris cælitus illuſtrati, qualem Eccleſia perpetuo D. Auguſtinum agnovit, teneo Deum elegiſſe Petrum ante præviſionem ſuorum meritorum, quem tamen eligendo aptum reddidit meritorum. Si porro quæratur *cur Deus largiri voluit Petro donum, quod Judæ non contulit*, ita reſpondeo: Vel hic ſermo eſt de dono gloriæ, vel de dono fidei, vel demum perſeverantiæ. De primo, aſſero Deum voluiſſe cum Petro miſericordem, cum Juda juſtum ſe oſtendere. Electio Petri gratia fuit, reprobatio Judæ juſtitia, nedum quo ad æternam damnationem tanquam pœnam debitam

tam malis operibus ſuis a Deo præviſis, ſed etiam quo ad ſolam excluſionem a regno, juſtitiam ſecum exercere volens deſerendo ipſum in maſſa corrupta, ubi cum ceteris merebatur deſeri ob peccatum originale: *Veruntamen* (Auguſtinus *Lib. 14. de Civit. Dei cap. 26.*) *omnipotenti Deo, ſummo, ac ſumme bono, creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori, ac remuneratori, malarum autem relictori, ac damnatori, utrarumque ordinatori, non defuit utique conſilium, quo certum numerum civium, in ſua ſapientia prædeſtinatum, etiam ex damnato genere humano, ſuæ Civitatis impleret; non eos jam meritis, quandoquidem univerſa maſſa tanquam in vitiata radice damnata eſt, ſed gratia diſcernens; & liberatis, non ſolum de ſeipſis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur oſtendens; non enim debita, ſed gratuita bonitate tunc ſe quiſque agnoſcit erutum a malis, cum ab eorum hominum conſortio ſit immunis, cum quibus illi eſſet juſta pœna communis.*

14. Si ſermo ſit de electione ad fidem, & perſeverantiam, confugio pariter ad Dei beneplacitum, qui hoc donum Petro largiri vult, non Judæ; non ea ratione qua Calvinus male ſapit, impellendo ſcilicet & compellendo voluntatem Judæ ad proditionem, & impœnitentiam; ſed ſubtrahendo dexteram, permittens, ac illum deſerens in malitia ſua. Hoc illud chaos, dividens Catholicos a Calvino. Catholici volunt Deum præparare, & determinare voluntatem, non eam neceſſitare, immo eam determinando, exercitium libertatis in ipſa perficere. Fatemur Deum concurrere ad actus omnes, quatenus actus; quatenus vero malos, non velle, tantumque permittere; adeo ut cauſa ſit actionis, non peccati, quod actioni ineſt. Teſtantur Deum movere voluntatem ad actionem, non ad defectum. Voluntatem autem, dum ipſa peccat, non inſtrumentum eſſe, & Dei miniſtram, quinimmo tum recedere ab ejus voluntate, & ordine ſuæ ſapientiæ. Si Deus impelleret, & moveret creaturam ad peccatum, conqueri de ea nequiret, ut pluribus Sacræ Scripturæ locis revera conqueritur, & merito reponere illa poſſet: Quid doles Domine? Implevi id quod ad fines tuos eram actu prædeſtinata, incitata, impulſa. Si miniſtra fui ſanctę voluntatis tuæ, ſi inſtrumentum directum a dextera tua, quid conquereris? Audiamus iterum D. Auguſtinum (*Lib. 1. ad Simplic. qu. 2.*) & ejus ratione ſic diſſeramus „ Conqueritur enim Deus ſæpe de hominibus, „ quod homines nolint credere, & recte „ vivere; ſed quid conqueritur, *nam* „ *voluntati ejus quis reſiſtit, quando* „ *cujus vult miſeretur, & quem vult* „ *obdurat?* „ Ad hæc Auguſtinus: *Tenaciſſime. firmiſſimeque credatur idipſum, quod Deus, cujus vult miſeretur &c. .... eſſe alicujus occulta, atque ab humano modulo inveſtigabilis æquitatis, quæ & in ipſis rebus humanis terreniſque contractibus animadvertenda eſt.... Quis non videat iniquitatis argui neminem poſſe, qui quod ſibi debetur exegerit: nec eum certe, qui quod ei debetur donare voluerit? Hoc autem non eſt in eorum qui debitores ſunt, ſed in ejus cui debetur arbitrio. Hæc imago, vel veſtigium negotiis hominum de faſtigio ſummo æquitatis impreſſum eſt. Sunt igitur omnes homines.... una quædam maſſa peccati, ſupplicium debens divinę ſummæque juſtitiæ, quod ſive exigatur, ſive donetur, nulla eſt iniquitas. A quibus autem exigendum, & quibus donandum ſit, ſuperbe judicant debitores: quemadmodum conducti ad illam vineam injuſte indignati ſunt, cum tantundem aliis donaretur, quantum illis redderetur. Itaque hujus impudentiam quæſtionis ita retundit Apoſtolus: Homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Si enim reſpondes Deo, cum ei hoc diſplicet, quod de peccatoribus conqueritur Deus; quaſi quemquam Deus peccare cogat. Si tantummodo quibuſdam peccantibus miſericordiam juſtificationis ſuæ non largiatur, & ob*

hoc

hoc dicatur indurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit ut peccent: eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima, judicat. Inſcrutabilia enim ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ipſius. Conqueritur autem juſte de peccatoribus, tanquam de his, quos peccare ipſe non cogit &c. Ita cum Auguſtino ſentio, a Calvini ſententia plene diſtante; quæ dicta ſufficiant de re, quæ ſe ſola plura volumina impleret. Sat eſt myſterium prædeſtinationis ſtatuiſſe cum D. Paulo, & D. Auguſtino, quin audiatur horribilis, & impia Calvini blaſphemia; videlicet quod Deus *conſilio nutuque ſuo ita ordinat, ut inter homines ita naſcuntur ab utero certæ morti devoti.* Age nunc Picenine, qua arte polles, impii, & increduli Magiſtri tui neſandis aſſertis ſuppetias præbe.

§. I V.

Alii putidiſſimi errores in falſa doctrina Calvini peſſime a Picenino vindicati.

15. Acriter Picenine doles, quod Segneri ſcripſerit, *Calvinum obloquutum de divina omnipotentia*; propterea illum adoriris *pag.* 176., ſic redarguens: *Calumniator Calvinum citat, nullo indicato libro, vel capitulo. Calvinus minime damnat potentiam Dei abſolutam, niſi quantum ea male abutuntur Scholaſtici. Loquatur ipſe Calvinus (Lib. 1. Inſt. cap. 16. §. 3.): Et ſane omnipotentiam ſibi vindicat Deus, non qualem Sophiſtæ fingunt inanem, & otioſam, & fere ſopitam, ſed vigilem, & efficacem.* Hæc Calvinus. *Deus, neque hic id negatur, illis quæ facit plura facere poteſt.* Penſemus quæ Calvinus ſcripſit, quæ inde tu commentaris. Calvinus omnipotentiam vult *vigilem, & efficacem*; & Sophiſtas reprobat ponentes in Deo omnipotentiam *otioſam, & fere ſopitam.* Tu vero aſſeris, *illis quæ Deus facit, plura poſſe facere.* In Deo igitur eſt omnipotentia ad ea quæ non facit; quæ inefficax eſt, dum non faciat. Hæc illa Scholaſticorum omnipotentia, quam rejicit Calvinus, vellens Dei omnipotentiam vigilem ſemper, & efficacem. Commentario itaque tuo Calvinum imprudens accuſas negaſſe in Deo abſolutam potentiam, ſive illam quæ poteſt ea, quæ non facit. Attamen ſi Calvinum audire velis apertius negantem abſolutam Dei potentiam, lege *Lib.* 2. *cap.* 7. §. 5., ubi non timet ſcribere, *cavillis non eſſe obnoxiam ſententiam, ſi quis dicat fieri non poſſe, quod non futurum Scriptura pronuntiant.* Id ſcribit contra D. Auguſtinum, aſſerentem Deum, ſi ipſi libeat, poſſe mortalem hominem ad angelicam puritatem elevare. In *Lib.* autem 3. *cap.* 23. § 2., & in *caput* 11. *Job. Conc.* 43. apertius loquitur: *Non tribuenda eſt Deo potentia abſoluta, quam Doctores Pontificii vocant: quæ res eſt deteſtabilis, ac diabolica.* Et in *caput* 23. *Eſaiæ: Commentum illud de abſoluta potentia Dei, quod Scholaſtici invexerunt, execranda blaſphemia eſt. Calumniatorem* ultro improperabis P. Segneri, quod aſſerat Calvinum negaſſe abſolutam Dei potentiam, ſi hanc appellat *execrandam blaſphemiam!*

16. Facile demonſtrare poſſem Calvinum de SS. Trinitate male ſenſiſſe, & agendo de his nominibus, *Trinitate, Conſubſtantiali, & Perſona*, exclamat (*Lib.* 1. *Inſt. cap.* 13. §. 5.): *Utinam ſepulta eſſent! Conſtaret modo hæc inter omnes fides, Patrem, & Filium, & Spiritum eſſe unum Deum &c.* Obſervo *Lib. adverſus Valentinum refut.* 10. hæc habere: *Nomen Dei per excellentiam ad ſolum Patrem pertinere; huncque ſolum, ac proprie, Cœli & terræ creatorem eſſe, immo & Patri ſubjectum Filium etiam ſecundum Divinitatem;* & ſubdit: *Impropriam ac duram locutionem eſſe Symboli Nicæni, Deum de Deo, lumen*

de

Digitized by Google

de lumine. Et *Lib. 1. Inſt. cap.* 13. §. 19. videtur negare Filium habere eſſentiam communicatam a Patre, ſi conſideretur Filius ſine Patris reſpectu: *Ergo cum de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur, ſequitur Deitatis reſpectu a ſe ipſo eſſe.* Et §. 23. *Quomodo Creator* (Filius) *qui omnibus eſſe dat, non erit ex ſe ipſo, ſed eſſentiam aliunde mutuabitur?* Nonne ſic ore ambiguo tollitur Filii generatio, quæ in communicatione naturæ, ſive eſſentiæ conſiſtit? Nonne hæc Sabelliana phraſis?

17. De paſſione Chriſti, & ejus merito Calvinus obloquitur. Hæc ejus verba (*Lib. 2. Inſt. cap.* 17. §. 1.): *Quidem fateor, ſi quis ſimpliciter, & per ſe Chriſtum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperitur in homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri..... Dum ergo de Chriſti merito agitur, non ſtatuitur in eo principium, ſed conſcendimus ad Dei ordinationem, quæ prima cauſa eſt, quia mero beneplacito mediatorem ſtatuit, ut nobis ſalutem acquireret.* Non contentus itaque Calvinus nobis adimere principium meriti, Chriſto etiam illud carpit. Loquens (*Lib. 2. Inſt. cap.* 16. §. 8. 9. 10.) de deſcenſu Chriſti *ad Inferos*, cenſet has voces *deſcendit ad inferos* additamenta eſſe in Symbolum intruſa. Fabulam appellat aſſerere Chriſtum deſcendiſſe ad Patrum Limbum: & demum vult deſcendiſſe ad Infernum damnatorum, quo vult ſuſtinuiſſe pœnas, & cruciatus impiorum. De judicio univerſali tenet Chriſtum non eſſe damnaturum, quempiam ex fidelibus ſuis: *Quomodo enim perderet populum ſuum clementiſſimus Princeps? Quomodo membra ſua caput diſſiparet &c.* Sane in Catechiſmo Calvini anni 1567. *in Dominica* 13., interrogationi num timendum judicium? negative reſpondetur: *Quia certi ſumus, quod non niſi in ſalutem apparebit.* Magnum certe Calviniſtarum ſubſidium! Taceo Neſtorianas etiam partes ſumere, duas agnoſcentem Perſonas in Chriſto, unam filii Dei, aliam mediatoris, nempe hominis. *In Lib. 1. Inſt. cap.* 13., §. 9. 23. & 24. loquendo de ſtatu Electorum & Reproborum poſt hanc vitam uſque ad ſupremam Judicii diem, tenet, illos certo loco quieſcere, hos in carcere vinctos detineri uſque ad univerſale judicium. En ejus verba; poſtquam præmiſerat, non eſſe inquirendum ſtatum, & locum quo ferantur animæ (*Lib. 3. Inſt. cap.* 25. §. 6.): *Interea eum Scriptura ubique jubeat pendere ab exſpectatione adventus Chriſti, & gloriæ coronam eouſque differat, contenti ſimus his finibus divinitus nobis præſcriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam requiem concedere, ubi eum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ exſpectant, atque ita omnia teneri ſuſpenſa donec Chriſtus appareat redemptor. Reprobis vero eandem eſſe ſortem dubium non eſt, quam Judas Diabolis aſſignat, vinctos catenis teneri, donec ad ſupplicium, cui addicti ſunt, trahantur.* Quid ad hæc Picenine, qui tam dure increpabas Joan. XXII., quia viſus eſt pendere pro illa opinione aſſerente ſanctas animas ante diem judicii in gloriam non introduci, cum hæc ſit tui magiſtri Calvini ſingularis doctrina? Nolo hic congerere omnes hæreſes, quæ in ſcriptis ſuis edidit hic pſeudoreformator. Plurima indicata ſunt in capitulo de *cæleſti ſapientia*, & alia plurima in proceſſu hujus Operis aperientur. Non ego *conductus* (ut ais de P. Segneri) *ad maledicendos Chriſti miniſtros*. Sane equidem fateor me deteſtari impios Satanæ miniſtros, oppugnantes veritatem; quæque aſſero, paratus ſum deferre ante illum juſtum Judicem, a quo Calvinus cum Picenino judicatus eſt, & judicabor ego, cum his, qui Picenini larva ſe mentiuntur.

CA-

CAPUT XIII.

Sanctitas doctrinæ moralis ſignum veræ Eccleſiæ.

§ I.

Lutherana Moralis examen.

1. CAp. 15. tuæ *Apolog. pag.* 177. *vana commenta, & calumnias* eſſe, de more, Picenine venditas morum corruptelas, quæ ad dilatandos ſe, & plures captandos aſſeclas, ſpecioſo libertatis titulo a Calvino, & Luthero inductæ fuerunt. P. Segneri ſcribit, *ſanctitate moralis doctrinæ Eccleſiæ veritatem manifeſtari*; quod & tu benigne concedis. Unum dumtaxat ſcrutandum aſſumis. *quæ*, nempe, *inter duas Eccleſias ſanctam morum doctrinam habeat*. Probata ſatis Lutheranæ moralis depravatio videtur ex his quæ jam dicta ſunt *Cap.* 4. §. 1. de Lutheri impudentia, qua ſanctam virginitatem & continentiam vituperat, eam contra Apoſtolum proſtituens ſub matrimonio, quod neceſſarium non minus quam cibus & potus omnibus eſſe tradit, præferens etiam cuilibet virgini mulierem prægnantem, adulteram licet, & fornicariam. Laus improbiſſime ab ipſo tributa Nebuloni illi, tanti magiſtri vero diſcipulo, qui ſacrati Veneris die, cum aliis ſceleſtiſſimis ejuſdem ſcholæ alumnis e Monaſterio rapuit nonnullas Sanctimoniales, quas ſtupro dehoneſtarunt, nonniſi horrore audiri poteſt; dum inaudito impietatis exemplo auſus ſit, raptorem & ſtupratorem deteſtabilem (heu nefas) ipſi Chriſto comparare. Quocirca non mirum quod tot laudibus efferat Alcoranum, quem ſuæ incontinentiæ fautorem videt. Reponis *pag.* 177. Lutherum non *pietatem*, *ſed laudibus efferre Turcicam æquitatem præ illa Chriſtianorum. Quot inter ſcriptores dixerunt vix inter Chriſtianos juſtos reperiri ut Ariſtides, Patriæ fideles ut Fabritius, caſtos ut Penelopes, continentes ut Scipio? Nonne Chriſtus ipſe ſolitus erat redarguere Judæos, & eorum cordis duritiem objurgare exemplo Paganorum, qui probitate morum illos vincebant? Quid Jeſuita confundit ſanctitatem legis cum pietate hominum, jus cum praxi?* Sic garris, minime compos quàm inanis, & ridicula ſit tua hæc vindicia: quandoquidem ſi Lutherus ſolam *Turcarum æquitatem* commendabat, non legem, quid Chriſtianos dehortabatur a bello adverſum ipſos, jam paratos ad aggrediendam Chriſtianitatem? Hæc profecto ſunt Lutheri verba (*Lib. cont. mandat. Imperii*): *Ne ſequamur eos ad proficiſcendum, aut contribuendum contra Turcas, quia Turca decies & prudentior, & probior eſt Principibus Chriſtianis*. Chriſtus qui præferebat Gentium virtutem illi Hebræorum, miſit tamen diſcipulos ſuos ad evertendam Gentilitatem; Lutherus vero ſeditioſis ſermonibus ſuadet populis Turcarum partes ſequi, quam ſuorum Principum imperata facere, quamvis ad juſtum bellum ſubditos excitarent, nunquam a Religionis cauſa ſejunctum. Inter Lutheranas propoſitiones a Leone X. damnatas 19. hæc eſt: *Præliari adverſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos*. Et Lutherus in ſuo Libro *de Bello contra Turcas*, dolens quod Papa proſcripſiſſet præfatam propoſitionem, hanc nefariam, & deteſtandam evomuit exaggerationem: *Tam malus Papa, quantum Turca; & e contra tam bonus Turca, quantum Papa*. Forte hìc de *æquitate*, non de lege loquebatur. Sed audiamus eum commendantem expreſſe non ſolam æquitatem, ſed ipſam Turcicam legem: *Nulla*, ait *Lib. ad Nobil. Germ.*, *Nulla eſt in toto Orbe melior politica civilis, quam Turcica, licet nec civile, nec canonicum jus habeat, ſed Alcoranum tantum; e contra nulla turpior, quam Chriſtianorum, cum omnibus legibus eorum*. Quid hoc aliud, quam Alcoranum noſtris legibus etiam canonicis præferre, & Chriſtianos pellicere ad Turcicam amplectendam

dam legem ? Audivi exprobrare fideles exemplo Gentilium morum, ut erubeſcant: quod & Chriſtus fecit; ſed extollere leges Paganorum & Infidelium ſupra Chriſtianas leges, hoc audio dumtaxat ex ore Lutheri. Quod ſi politia, & leges Chriſtianorum deſcendunt a Chriſto, & Apoſtolis, quomodo excuſari valet Lutherus, quin extulerit legem Mahometis ſupra legem Chriſti, ex ipſius præcepto enuntiatam a Sanctis Apoſtolis ?

2. Si ſe excuſaret Lutherus quaſi quod loquutus ſit de Chriſtianis illis ſuas partes ſectantibus, qui ad normam ſuæ latæ legis & Evangelii vitam ducunt; alienus non eſſem his Turcas meliores concedere, & Alcoranum, quem laudabat, præferendum fore ſuo Epicureo Evangelio. Attendamus quomodo hi deſcribantur a Smidelino, uno ex ſuis (*Conc. 4. ſuper cap. 21. Lucæ apud Caniſ. lib. 1. cap. 4. de corruptelis verbi Dei*): *Ut totus Mundus agnoſcat eos non eſſe Papiſtas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exercent penitus. Jejunii loco, comeſſationibus, & perpotationibus, nocte, dieque vacant. Ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt, & excoriant, precationes vertunt in juramenta, blaſphemias, & divini nominis exccrationes; idque tam perdite, ut Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur. Demum pro humilitate regnat paſſim ſuperbia, faſtus, elatio: atque hoc univerſum vitæ genus, ab illis Evangelicum dicitur inſtitutum.* Quibus late mihi patet via demonſtrandi, ex teſtimonio non P. Segneri, ſed puri Lutherani, quantum diſtet a ſanctitate perfectæ doctrinæ morum, perverſa doctrina Lutheri & Proteſtantium. Moralis enim doctrina, non in ſola fide, ſed in integritate vitæ, bonorum operum uſu, orationibus, jejuniis maxime viget, juxta præceptum, & exemplum Chriſti; ſicut & in aliis piis operibus, quæ ab ipſis Turcis exacte frequentantur. Hæc porro omnia remotiſſima ſunt a doctrina Lutheri, & Proteſtantium, qui hęc ut inutilia damnant, decernentes Chriſtiano ad juſtitiam & ſanctitatem ſolam ſufficere fidem, adeo ut *etiam volens non poſſit perdere ſalutem quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere.* Sic Lutherus (*de captiv. Babylon. cap. de Baptiſ.*). Chriſtus prædicat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* (*Matth. 19. 17.*). Lutherus e contra (*argum. in Epiſt. ad Galatas edit. 1.*): *Summa ars, & ſapientia Chriſtiana, eſt neſcire legem, ignorare opera, & totam juſtitiam activam.* Inſuper (*ad cap. 2. Epiſt. ad Galat.*): *Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, ut juſti ſimus: cetera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita. Quando ſic docetur: Fides juſtificat quidem, ſed ſimul ſervare oportet mandata Dei, quia ſcrĕptum: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata; ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt, & fides abolita.* Præterea (*Dom. 24. poſt. Trinit.*): *Qui in Eccleſia docent, & præcepta, opera, atque ſtatuta exigunt, impoſtores ſunt.* Ergo, Lutheri ſententia, cum Chriſtus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* ſeipſum negavit, fidem abolevit, impoſtor fuit. Heu mi lector, quæ ſanctitas morum remotiſſima ab illa Chriſti traditur a pſeudoreformatorum Patriarcha! Profecto bene habebat Turcas commendare præ ſuis, & hujus furfuris Chriſtanis.

3. Quod Lutherum ſuaſit Alcoranum commendare, tum etiam fuit favor & licentia, quam ipſi longe lateque cedebat explendi incontinentiam, & omnem ſuam libidinem vage, nullo unius uxoris vinculo. Quapropter Alcorano propitiante non dubitavit legem ferre (*Lib. de vita conjugali*): *Si alter alteri ſeipſum ſubtrahat ſic, ut debitum conjugale præſtare non velit, quemadmodum multæ pertinaces mulieres inveniuntur, hic locus eſt ut vir dicat: Si tu non vis, velit alia; ſi non vult uxor, veniat ancilla.* Reponis *mutila eſſe hæc Lutheri verba, quibus ſubjiciendum: Ita tamen ut antea iterum, & tertio uxo-*

rem

rem admoneat maritus, & coram aliis etiam pervicaciam ejus detegat, ut publice, & ante conſpectum Eccleſię duritiæ ejus & agnoſcatur, & reprehendatur: Si tunc renuat, repudia eam, & invicem Vaſthi Eſther ſurroga exemplo Aſſueri; & concludis: *Perfracte marito denegare debitum conjugale, Luthero videtur maligna deſertio, & propterea juſta cauſa divortii*. Si Lutherus hanc ſolemnitatem præſcribit (*tom. V. operum ſerm. de Matrim.*) ſubdit tamen in pręcitato a me loco: *Si mulier virum habeat impotentem, nec tamen poteſt id probare, miſceatur alteri vel fratri mariti, occulto tamen matrimonio, & proles imputetur putativo, ut dicunt, patri*. Hic nullam plane ſolemnitatem poſcit, ſed ſi mulier impotentiam mariti probare nequeat, vult clanculum alteri commiſceri, etiam fratri mariti, non attento inceſtu, & injuſtitia, cum decernat filium ficto patri fore imputandum. Habetur ne in ipſo Alcorano fœdior, & nefandior doctrina? Non dubito quin hac benigna morali potuerit Lutherus facillime dilatari, nec mirum quod tot captaverit aſſeclas. Age vero, ſit quod falſo aſſeris, matrimonium illud fieri præmiſſa ſolemnitate; qua ratione vales abſolvere Lutherum a doctrina polygamiæ ſimultaneæ? Quandoquidem unde habes matrimonium ſolvi vel ex muliere negante debitum viro, vel ex marito impotente, niſi impotentia probetur antecedens, & perpetua? Hebræi his de cauſis uxoribus repudii libellum dabant; at in lege Chriſti oppoſitum habeo. Si prima uxor, etiam negans debitum, vera uxor eſt, & Lutherus diſpenſationem dat aliam ducendi; ſi impotentia non probata mariti non ſolvit a vinculo mariti; ſi Lutherus concedit illi marito novam ducere uxorem, & iſti uxori novum ſubintroducere maritum vel etiam ipſum mariti fratrem: nonne eodem tempore uni viro duas uxores, uni uxori duos concedit viros? Ad hæc. Si vir impotens mariti rationem amittit, ſi matrimonium cum ipſo ſolutum eſt; quid filius naſcens ex ſecundo occulto matrimonio illi debet imputari? Nonne duplex committitur injuſtitia? Vide lector in quę cœnoſa vitiorum barathra præceps ruat Lutherana incontinentia; inde judica an hęc moralis ſancta eſſe queat. Perperam autem Piceninę niteris chriſtiano orbi oppoſitum perſuadere: nota quippe nimium Lutheri impudentia. Audi Europa quid impudentius. Forte legerat D. Hieronymum angi tentationibus ſenſus; hinc Lutherus (*in Colloq. Germanicis cap. de Matrimon.*) illum ſubſannat his verbis: *Hieronymus multa ſcribit de tentationibus carnis: at parva res eſt, mulier domi habitans poteſt huic morbo mederi. Euſtochium hic Hieronymo mederi potuiſſet*. O moralis ſancta ad frænandas tentationes! Licitam habere fornicationem, & ſacrilegium! Quid plura? Ad explendam incontinentiam, in doctrina morum pſeudoreformationis arcanum traditur, ſecundam ducendi uxorem prima ſuperſtite. Sic Philippo Lantgravio Haſſiæ conceſſum. Tam robuſti is temperamenti, ut una uxor minus ipſi ſat eſſet (*Thuanus lib. 14. ad ann. 1567.*). Hinc impotens continendi, ſibi ſuadebat evangelico jugo non teneri, & binis uxoribus poſſe eodem thalamo uti. Sola rei novitate, ſcandalo, & pravo exemplo retardabatur. Hinc ad fucandum facinus, & vitandam infamiam, optimum ſibi viſum eſt, ſi Lutheri placitum, aliorumque ſuæ ſectæ magni nominis Theologorum vota aſſequeretur. Statutum, Witembergæ *ann.* 1539. in ſpeciem Concilii eos convenire. Diſcuſſa res, cognitę & expenſæ difficultates, qua ex lege Dei, qua ex univerſa ipſa chriſtianitate, nefandum hoc novum monſtrum deteſtatura. Nihilominus, ne apud Lantgravium, ſingularem pſeudoreformationis patronum & promotorem, demererentur, inſignes illi Theologi, conculcato divino, & humano jure, ſtatuerunt id poſſe. Factum ita.

Margaritam quippe Saal uxorem alteram duxit, adhuc ſuperſtite Chriſtiana Principe Saxoniæ uxore legitima. Votum ſubſignarunt Lutherus, Melancton, Bucerus, Corvinus, aliique; octo omnes, & legitur apud Varillas (*hiſtoria hæreſ. lib. 12. ad ann.* 1539.). Inſtrumentum vero matrimonialis contractus Lantgravii cum Margarita Saal habetur apud Boſſuet (*tom. 1. hiſt. variationum lib. 6.*). Votum illud legenti ambagibus involutum conſtabit. Fatentur contra legem Dei diſpenſare licere nemini: nihilominus modum diſpenſandi ſtatuunt, ſalvis apparentiis. Fatentur matrimonium nonniſi inter duas perſonas diverſi ſexus inſtitutum, & Evangelium ex ore Chriſti id commendare; inde decernunt, quod ſi polygamia indiſcrete permiſsa fuit in lege Moyſis, per Evangelium non prohibeatur; *nam quod circa Matrimonium in lege Moyſis fuit permiſſum, Evangelium non revocat, aut vetat.* Volunt per Evangelium non prohiberi; inde ne in ſcandalum, & exemplum fiat, volunt ſecreto contractum haberi. Sic ocleni hi pſeudoreformatores, qui jactabant vetuſtæ puritati ſuæ Evangelium reſtituere, ex turpi aſsentatione, unum Evangelii principium, nunquam controverſum, deſtruunt; ſextum, & decimum præceptum divinum evertunt, & ad fornicationem occultandam adulterium conſulunt. Hæ ſanctæ illę doctrinæ, quæ pro regula morum traduntur ab his, qui gloriantur reformaſse Eccleſiam Chriſti. Nunc optime novi quam ob rem Lutherus Alcorani legem ſuper illam Chriſtianorum extolleret, & a caſtitatis voto immunes faceret Eccleſiaſticos impotentes continendi; dum video illum viro non contento primæ uxoris ſecundam concedere, & conſequenter tertiam, ſic inſerendo in Eccleſiam Chriſti nedum Moſaicam, ſed Mahometanam legem.

§. II.

Falſum dogma pſeudoreformatorum de Repudio.

4. AIs *pag.*179. *Lutherum, & Calvinum, ſicut & Reformatores omnes, non permittere divortium ex levi cauſa, ſed tantum ex adulterio, & maligna deſertione, inhærentes doctrinæ Chriſti, & D. Pauli.* Res tua erat hìc notum facere quid nomine divortii intelligas, quod apud me, & omnes, ſimplex eſt ſeparatio tori, & cohabitationis inter virum, & uxorem: ex qua matrimonii vinculum non diſsolvitur, nec ſequuto divortio vir poteſt aliam uxorem ducere, neque uxor alium virum. Si hoc *divortii* nomine intelligeres, nil ambigendum eſset, cum inter nos pariter permittatur ex juſtis, & legitimis cauſis. Lutherus tamen non id tantummodo ſuis concedit, in præfatis caſibus; dum decernat, iis ſtantibus, poſse virum uxorem dimittere, & aliam ducere. Hoc non *divortium*, ſed *repudium*; illud nempe, quod juxta dictum Chriſti Moyſes permittebat Hebræis propter eorum duritiam. Quocirca ne terminis luderes, ita loqui debueras: *Lutherus, Calvinus, ſicut & omnes Reformatores, nunquam permiſerunt repudium ex levibus cauſis, ſed ob adulterium tantum, & malignam deſertionem, juxta doctrinam Chriſti, & D. Pauli.* De hoc ſecundo in præſens. Enimvero ubi Chriſtus, & D. Paulus unquam docuit uxore negante debitum reddere marito, hunc poſse ad ancillam introire, & exemplo Aſsueri Vaſthi Eſther ſurrogare? Chriſtus in Evangelio ſupponit id permiſsum Hebręis a Moyſe ad duritiam cordis; verum ſubdit (*Matth.* 19. 8.): *Ab initio autem non fuit ſic. Quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet.* In Paulinis Epiſtolis nil occurrit; ſi quæ doctrina ibi habeatur, in medium ferre debueras, & aliorum ignorantiæ mederi. Audio equidem præcipi

Dei

Dei nomine (1. *Cor.* 7. 10. 11.): *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Virum autem aliam uxorem ducere poſse Lutherus ait, non Chriſtus, nec D. Paulus. Lego in Deuteronomio cap. 24. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo ſua*. Id autem, ait Chriſtus, permiſit Moyſes ad Hebræorum duritiam; tamen *ab initio non fuit ſic*. Proteſtantes ſecretum ſortiti ſunt faciliime ſolvendi matrimonia. Chriſtus ait: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*. Ipſi e contra: *Quod Deus conjunxit homo ſeparet*. Hi autem pii, ſanctique illi viri, omniho obſtricti verbo Dei?

5. Ad hæc. Ubi Chriſtus tradidit adulterii cauſa poſſe a Chriſtianis uxorem dimitti, & aliam duci? *Marci cap.* 10. 12. ſcriptum eſt: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. *Luc.* 16. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, et qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur*. Repones Chriſtum (*Matth.* 19. 9. & 5. 32.) excipere fornicationis cauſam: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Audiamus gloſſam tuam: *Hic Chriſtus excipit adulterii caſum. Ergo permiſſum, caſu quo uxor adultera ſit, eam dimittere, & aliam ducere, abſque adulterii nota; & id juxta ſermonem Chriſti*. Commentum ſane ad genium Interpretis, non autem ad mentem Chriſti, qui apud D. Matthæum mœchum dicens, qui dimiſſa uxore alteram ducit, idem repetit apud D. Marcum, & S. Lucam; apud quos mœchum illum dicit, nulla exceptione facta fornicationis. Vel itaque hi duo Evangeliſtæ ſocordes ad munus ſuum fuerunt, & ſecum ipſe Spiritus Sanctus, prætermittendo clauſulam neceſſario apponendam, vel D. Matthęus non ſentit, Chriſtum abſolviſſe ab adulterio virum, qui dimiſſa uxore, ex cauſa etiam adulterii, aliam ducit. Omittunt interdum Evangeliſtæ, & addunt, ab aliis non omiſſa, aut non addita; nunquam tamen prętermittunt quæ vel falſa, vel diminuta eorum dicta redderent: ſecus fideles feſelliſſent, quibus proprium dederunt Evangelium, non mittentes eos ad aliorum Evangelia. Si Chriſtus non mœchum declaraſſet eum qui ex adulterio dimiſſa uxore aliam ducit, S. Marcus, & S. Lucas id reticendo falſitati obnoxii eſſent, & fideles feſelliſſent, quibus ſuum tradiderant Evangelium; quemadmodum ego falſitatis, & fraudis reus fierem, aſſerens quemcunque introeuntem ad mulierem, fornicarium eſſe, exceptione dimiſſa, niſi propria uxor illa ſit.

6. Audiamus D. Auguſtinum loquentem (*Lib.* 1. *de adulter. conjug. cap.* 9.): *Sed ſi hoc Evangeliſta Matthæus, qui expreſſa una ſpecie alteram tacuit, facit ad intelligendum difficile; nunquid non alii generaliter idipſum ita complexi ſunt, ut de utroque poſſet intelligi? Nam ſecundum Marcum ſic ſcriptum eſt: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & alteram duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur. Secundum Lucam ſic: Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur. Qui ergo nos ſumus ut dicamus, eſt qui mœchatur uxore dimiſſa, alteram ducens, & eſt qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium dicat omnem mœchari, qui hoc facit?* Nuperi tamen Doctores licentię, & incontinentiæ, Lutherus & Calvinus, intellectum clarum hujus textus habuerunt, D. Auguſtino obſcurum; dum illi penetrare putant Chriſti mentem, audacter docendo non eſſe mœchum, quicunque dimittit uxorem cauſa fornicationis, & aliam ducit. Duo Evangeliſtæ decernunt generaliter adulterum,

rum, qui prima dimiſsa aliam ducit, & D. Paulus (*ad Rom.* 7. 2. 3. 4.) nulla exceptione docet, & vult mu. lierem vivente marito alligatam eſſe legi, & quod vocetur *adultera*, ſi vivente marito fuerit cum alio viro; liberatam autem a lege viri ſolum eam vult, ſi mortuus fuerit vir ejus. Alibi vero, ut dictum eſt, Dei nomine præcipit *uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, & vir uxorem non dimittat* (1. *Corinth.* 1.11.). Univerſa traditio id ſemper ſic intellexit, & docuit, ob adulterium quidem uxoris poſſe concedi *divortium*, non autem *repudium*, quaſi quod vir liber ſit ad aliam ducendam. Id inter ceteros Bellarminus probat (*Lib.* 1. *de matr. cap.* 16.) per omnia ſecula diſſerens. Duo ſoli Chriſtianitatis pſeudoreformatores modum excogitarunt, quo Chriſtum ipſum trahant ad partes ſuæ incontinentiæ. Quocirca Genevæ, *coram Judice Calvino*, dimidii anni ſpatio ex ſuis quiſpiam tres duxit viventes uxores, quia juxta Calvinianum Evangelium probaverat duas adulterio vitiatas. Inſignis doctrina, qua patet aditus innumeris repudiis, etiam iniquis; quippe quod hujus beneficio uxor nauſeata maritum, poteſt adulterium committere, ut repudio libera fiat; & maritus ad expellendam uxorem, hujus adulterii poteſt complex fieri: & ſic ambo proprio peccato proficere. Utinam autem non ultra excederet improba horum doctrina! Deteſtabilius eſt quod ubi Chriſtus juxta perverſum ipſorum intellectum ab adulterio abſolvit eum dumtaxat, qui dimiſſa uxore propter adulterium aliam ducit, ipſi privilegium extendunt ad ipſos mœchos, ad illos videlicet qui uxorem repudiant, aliamque ducunt, propter denegationem debiti, vel malignam deſertionem, ut ſupra vidimus. Id certe non eſt ſervire Evangelio, ſed Evangelium in ſervitutem propriæ effrænatæ libidinis extorquere.

7. Aſt perſiſtis: *Chriſtus hęc dicit, Chriſtus id concedit cauſa fornicationis.* Chriſtus juxta S. Marcum & S. Lucam *id non concedit.* Ne igitur ſibi Chriſtus contradici videatur, conciliari debet S. Matthæus cum S. Marco, S. Luca, & S. Paulo, qui nulla reſervatione adulterum dicunt maritum qui vivente uxore aliam ducit. Diverſimode Patres explicant D. Matthæi textus, & omnes accommode; ad quos propterea lectorem mitto, dum interim in expoſitione D. Auguſtini (*Lib.* 1. *de adulter. conjug. cap.* 8. 9. 10.) ſiſto. Ergo cum Chriſtus dixit: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; non id ita dixit, quaſi inferatur: Quicunque dimiſerit ob fornicationem, non mœchatur; ſed ut intelligatur gravius mœchari, qui dimiſſa uxore aliam ducit extra cauſam fornicationis; quemadmodum dum S. Jacobus ait (*cap.* 4. 17.): *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*, non ex hoc licet inferre quod neſcienti bonum facere, & non facienti, peccatum non ſit illi, quandoquidem propria culpa neſcienti, & non facienti, peccatum eſt; ſed dumtaxat infertur gravius peccatum eſſe ſcienti, & non facienti, quam neſcienti, & non facienti. Id in caſu. Ad hæc. Chriſtus abſolute mœchum pronuntiat qui dimiſſam ducit, quoquo modo dimiſſa ſit, vel ob fornicationem, vel non: *Qui dimiſſam duxerit mœchatur* (*Matth.* 19. 9.). Si mœchatur qui uxorem ducit dimiſſam quacunque ex cauſa, quomodo non mœchatur qui illam dimittit quacunque ex cauſa, & aliam ducit? Res eſt, concludit Sanctus (*Lib.* 1. *de adulter. conjug. cap.* 11.) quod obſcurum eſt apud S. Matthæum, perſpicuum eſt apud alios Evangeliſtas; unde: *Cum legerimus in Evangelio ſecundum Matthæum: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, vel hoc quod magis in Græco legitur, præter cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur; non debemus continuo putare illum non mœchari, qui propter cauſam fornicationis dimiſerit, & aliam duxerit: ſed*

adhuc

adhuc ambigere, donec Evangelium ſecundum alios Evangeliſtas, a quibus hoc narratum eſt, conſulamus. Neque hæc D. Auguſtini regula ingrata, vel contemnenda a te eſſet, cum alibi a te dictum ſit, nil eſſe in Scripturis tam latens, & obſcurum, quod alio contextu non pateat, & illuſtretur. Nec meum lectorem pigeat Auguſtinum iterum audire (*Lib. de bono conjugali cap.* 7.) ad hanc rem. Objecto ſibi prælaudato textu Divi Matthæi, ſtupens ſibi poſtulat, an quemadmodum licitum eſt dimittere uxorem adulteram, licitum ſit aliam ducere: *Facit enim Scriptura difficilem nodum*; dum Apoſtolus ex Dei præcepto ſcribat, *Uxorem a viro non diſcedere*; *& ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Quo poſito Auguſtinus ſic procedit. Uxor a viro diſcedens, diſcedet quod vir adulter ſit, ſecus diſcedens a viro non adultero, cauſam præberet ut adulter evaderet. Ergo ſi iſta, quamvis diſcedat a viro adultero, alteri viro nequit nubere, ſed debet manere innupta, aut viro reconciliari, vel ipſum ferens incontinentem, vel ſuſcipiens correctum; pariter ſi vir dimittat uxorem adulteram, non aliam propterea ipſi licitum erit ducere: *Quomodo autem viro poſſit eſſe licentia ducendæ uxoris alterius, ſi adulteram reliquerit, cum mulieri non ſit nubendi alteri, ſi adulterum reliquerit, non video*. Videantur reliqua; nec interea miretur quis ſi pſeudoreformatores videat ſenſui libere fræna laxare, adeo ut ad explendam libidinem, ut ſupra vidimus, a pſeudoreformationis Theologis permiſſum fuerit uxore ſuperſtite aliam uxorem ſubintroducere, nulla interveniente cauſa, ſive adulterii, ſive malignæ deſertionis; quoniam ait S. Hieronymus (*ſuper Oſeam cap.* 7.): *Raro hæreticus diligit caſtitatem, et quicunque amare pudicitiam ſe ſimulant . . . . venenato ore mella promittunt*. Hac licentia blandiendi ſenſus, incrementum & famam adepti ſunt inter homines. Sic ipſe (*Epiſt. ad Cteſiphontem*): *Ideo crevit veſtra hæreſis, et decepiſtis plurimos, maximeque eos qui adhærent mulieribus, et ſciunt ſe peccare non poſſe*. Sed latius de his alibi.

§. III.

Matrimonia ſoluta, & diſpenſata inter Catholicos.

8. Sibilans Baſiliſcus in nos evomis omne virus acerbitatis tuæ, *pag.* 179. aſſerens *unum ex noſtris Papis, Clemens ei nomen, in ſuo decreto introduxiſſe platonicam communionem uſque inter uxores*. Si recte exploraſſes illius decreti ſenſum, nullum ſcandalum paſſus eſſes. In *can. Dilectiſſimis* 2.*c.*12.*q.*1. preſcribitur Clericis communis vita, remoto *meo & tuo*. Præter praxim Apoſtolorum, in exemplum fertur dictum Platonis, qui amicis omnia communia fecit, etiam uxores, *non quo ad uſum carnis* (ait Eccleſia) *ſed quo ad uſum obſequii, vel quo ad dilectionem*. Hoc ne crimen? Addo verba illa: *Uſque inter uxores*, non legi in Vaticano Autographo. Nec ullus Papa unquam in Eccleſiam inducere uxorum communionem excogitavit. Hæretici enimvero id tentarunt, inter quos Carpocrates, & Epiphanes ejus filius, & eorum ſectarii, ut refert Epiphanius *Hæreſ.* 32., moti nimirum ex libris Platonis de Republica. Petis: *Quid Jeſuitæ dicerent de Luthero, ſi in libidines immerſus fuiſſet ut erat Papa Joannes XII.?* (*Luitprandus Lib.* 6. *cap.* 7. *&* 11.). Primo dicerent, quæ de Joanne XII. feruntur, non omnia certa, & vera; neque Luitprandus, ſed ejus continuator ſcribit contra iſtum Pontificem, qui minus eſt fide dignus, quo magis notorius fautor erat Othonis Imperatoris, qui adverſabatur Joanni XII., partes tenens Leonis VIII. Antipapæ. Platina, qui de Papis bona & mala profert, nil meminit de

his

his quę a tuo pſeudo-Luitprando maligne venatus es. Secundo, reponerent Jeſuitæ non id ad rem eſſe; quippe cum hìc non de Lutheri vita, de qua alibi dictum, ſed de ejus doctrina morum ſermo ſit; cum nedum immerſus ipſe in libidines, ſed perverſis doctrinis ſectarios ſuos ad vitia impulerit: e contra Joannes XII. ſi non integris vivebat moribus, intactum tamen, & incorruptum doctrinæ depoſitum ſervavit; & ſi in moribus erravit, ut homo defecit, non ut Doctor. Subdis, *falſum eſſe inter Reformatos matrimonium indiſcrete inter conſobrinos admitti, & quod Lutherus permiſerit neptem in uxorem duci; ſed Lutherus, Calvinus, & quotquot ſunt Proteſtantes, damnant inceſtuoſas nuptias, ſequentes normam a Deo præſcriptam.* Levitici *cap.* 18. 10. non video vetitum matrimonium inter conſobrinos, & cum nepte. Quocirca ſi pſeudoreformati matrimonia inceſtuoſa damnant ad normam, & gradus a Levitico præſcriptos, a vero non aberravit P. Segneri, aſſerens inter pſeudoreformatos admitti matrimonia inter conſobrinos, & cum nepte; unde Lutherus (*Lib. de Captivit. Babyl. cap. de Matrimonio*) & Bucerus (*in Cap.* 19. *Matth.*) Papas reprehendunt, quia cum vetitum a Deo non ſit matrimonium niſi in ſecundo gradu, ipſi impedimentum extendant ad ulteriores gradus: quod confirmat Calvinus (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 19. §. *ultimo*). Si cupias audire matrimonium indiſcrete admiſſum a Luthero inter conſobrinos, lege *Serm. de matrim.: Conſobrini inter ſe matrimonii lege ſociari poſſunt, divina, & humana poteſtate.* Matrimonium autem neptis cum patruo legitimum habet ſuper *cap.* 11. *Geneſ.: Jam duo fratres Abraham, & Nachor duas ſorores germani fratris filias duxerunt. Ex his concludi poteſt, quod nec abrogatum eſt, nec quiſquam inhibere debet, quo minus fratris filiam ducere liceat, quod Abraham, & Nachor fecerunt: qui in Scriptura laudantur, & ſanctiores, quam nos fuerunt.*

9. Accuſas *nos permittere divortia levibus ex cauſis, nimirum unius, vel alterius conjugum ſævitia.* Semper calumniis inſidiaris. Nos divortia concedimus, & ſeparationem thalami & cohabitationis, nunquam repudium, ſive matrimonialis vinculi ſolutionem. *Leves* ne *cauſæ*, cum ex cohabitatione graviſſima mala imminere prænoſcantur, nimirum ſi vir innocentem uxorem ſit interfecturus, vel graves illaturus moleſtias? Nequit Eccleſia pro his ſeparationem concedere, non perpetuam tamen, ſed temporaneam? Poteſt Lutherus matrimonium dirimere, & diſpenſare virum ut aliam ducat uxorem, ſi quam habet quæ ſuæ libidini pręſto non ſit; Eccleſia autem Chriſti uxorem a viro ſeparare nequibit, concedendo ut illæſo matrimonii vinculo, cohabitatione diſtent, a qua graviſſima timentur mala? Mea Eccleſia ſeparationem concedit *ſi alter conjugum fiat infidelis*; & hæc *levis cauſa* tibi, qui cum tuo Luthero, & Calvino plus ſapis tota Eccleſia. Adulterium carnis apud te *gravis cauſa* eſt ad ſolvendum penitus matrimonii vinculum, adulterium vero animæ *levis cauſa* erit pro concedenda ſeparatione thalami, & cohabitationis inter fidelem, & infidelem, quotieſcunque periculum immineat fidelem ſponſum ab infideli ſeduci? *Si vir infidelis cum fideli uxore manere vult, hæc diſcedere non debet, nec ſegregari a viro.* Loquatur D. Auguſtinus (*Lib. cont. Adimant. cap.* 3.): *Fides autem vera, & Eccleſia Catholica diſciplina utrumque verum, & a Domino dictum eſſe confirmat; & nullo modo eſſe contrarium, quia & conjunctio mariti, & uxoris a Domino eſt, & relictio uxoris propter regnum Cælorum eſt a Domino... Sic ergo quamvis Dominus dederit uxorem viro, relinquenda eſt tamen quando opus eſt propter regnum Cælorum. Non enim hoc ſemper neceſſe eſt, ſicut Apoſtolus dicit: Si quis fidelis habet uxorem infidelem, & hęc conſentit habitare cum illo, non dimittat eam. Significat utique, quod ſi non conſentit*

tit

ſit habitare cum illo, ideſt (attende) *ſi execratur in illo fidem Chriſti, & non patitur quod Chriſtianus eſt, relinquenda eſt propter regnum Cælorum, ſicut idem Apoſtolus in ſequentibus dicit; quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſubjectus eſt ſervituti frater, aut ſoror in hujuſmodi &c.* Iterum per te *cauſa levis eſt permittere conjugum ſeperationem ob alterius ingreſſum in Monaſterium.* Propterea nos vehementer inceſſis. Senſim quęſo. Vel de matrimonio rato, & conſummato loqueris; ſive de rato quidem, non tamen conſummato. Si de primo ſermo ſit, dico eſſe omnino indiſſolubile, nec haberi quod Eccleſia unquam hujuſmodi matrimonia diremiſſet, permittendo, altero conjugum Monaſterium ingrediente, alterum a vinculo liberum novum contrahere matrimonium; immo hac ratione Eccleſia nec ipſam permittit ſeparationem, niſi ambo conjuges unanimi conſenſu religioſam vitam profiteri ſtatuant. Si autem de matrimonio rato quidem, non conſummato ſermo ſit, permittere ſolet Eccleſia ſtato tempore conjugibus libertatem non conveniendi, quo tempore ſi alter conjugum ſtatuat monaſterium ingredi, ibique profiteri, ab inſtanti profeſſionis dirimitur matrimonium, & alter in ſeculo degens fit ſolutus; quoniam quemadmodum ſuperſtes conjux per naturalem alterius mortem a lege matrimonii liber fit, ſic per religioſam profeſſionem, quæ mors eſt civilis, eadem redit libertas. Neque *levis cauſa* eſt matrimonium dirimi, cum ad perfectiorem ſtatum conſcendere unus conjugum decernat, qui alias, non admiſſa maritali copula, nondum integram, & conſummatam ſui corporis poteſtatem alteri tradidit. Si hoc verbum non capiunt pſeudoreformatores, illud S. Pauli audiant: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus.*

10. Spondes velle te Altaria noſtra nudare; unde *pag.* 180. ais: *Pontifices ſunt, qui conceſſa a Deo vetant, & vetita concedunt.* Putida calumnia, a Luthero jam nobis afficta (*de captivit. Babylon. cap. de Matrimonio*; & a Calvino (*Lib. 4. Inſt. cap. 19. §. ultimo*) qui una nobis inceſſunt, quatenus circa conſanguinitatis, & affinitatis gradus, in re matrimoniali præterimus indulta, & vetita a Deo *Levit.* 18. Ferrem forte a quovis hæc probra, quam a Luthero, & Calvino. Quippe qua fronte Lutherus poteſt reprehendere, in re matrimoniali nos a Deo in Levitico conceſſa vel prohibita negligere, cum ipſe apertiſſime doceat univerſam Moyſis legem (illam etiam Decalogi) Hebræis, non nobis datam fuiſſe? *Hinc igitur hoc primum ſtatuamus, totam illam legem Moſaicam, ejuſque promulgationem, tantum ad populum Judaicum pertinere, nec ea obligari alias gentes, ac ne nos quidem, qui dicimur Chriſtiani.* Hęc Lutheri verba ipſiſſima (*Concion. de Moyſe tom.* 3. *Jana* 1557.). Teſtatur autem ea dicere *propter quoſdam imperitos fanaticos ſpiritus, qui politicam, & leges Moſaicas ita prædicant, ut nobis etiam illas leges præſcribant.* Porro ſi Lutherus matrimonii leges in Levitico latas a Deo Judæis nobis præſcribit, vel ſibi contrarius, vel imperitus erit, & fanaticus. Calvinus autem quid objurgat nos de violata matrimonii lege Levitici, cum tam acriter perſtrepat contra jejunia noſtra, quatenus ex abſtinentia, qua quoſdam cibos non admittimus jejunantes, judaizare nos jejuniis noſtris incuſat; quamobrem omnes cibos, nullo excepto, in ſuis jeuniis devorandos exhibet, ne videatur jugo Moſaicæ legis oppreſſus; quid inquam hic legis matrimonialis Moſaico jugo nos opprimere tentat? Nunc ad rem. Juſta dicerem hæc probra, alias iniquiſſima, ſi præcepta Levitici de ea re aut naturalia, aut moralia cuncta forent, propterea immutabilia, & indiſpenſabilia; nec plerumque judicialia, propria ſtatus populis judaici, ad Chriſtianos ideo non referenda. Hebræo populo, qui propagatione augeri debuit,

buit, neceſſe erat a principio concederentur nuptię etiam inter conſanguineos, in gradu etiam propinquiori; quod ceſſante neceſſitate permiſſum ultra non fuit. Quamobrem D. Auguſtinus (*Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 16.): *Fuit antiquis Patribus religioſa cura, ne ipſa propinquitas ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens, longius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret, eam nondum longe poſitam rurſus matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem*. Quæ ratio attendenda non eſt in chriſtiano populo, qui cum generatione non carnis, ſed ſpiritus propagandus ſit, nec generis ſui propaginem ducere ab unius ſemine, ſed ab unius Chriſti fide ſuſcipere debeat, non indiget tam propinquis gradibus colligari: quod ab antiquis Patribus ſapienter meditatum, ſancitum fuit, in gradibus illis ſtrictioris propinquitatis Hebręis indultis, matrimonia Chriſtianis non eſse indiſcrete relaxanda. Videatur D. Auguſtinus laudato loco. Ante igitur acerbiſſimę iræ tuæ crepitum Picenine debebas ad præcepta Levitici attendere, an naturalia, & moralia omnia, atque ideo immutabilia eſſent, & indiſpenſabilia ſcrutari; ne putido & inani verborum flatu aerem fœtore corrumperes.

11. Obſervo inter ipſos Hebræos ante & poſt Levitici legem oppoſitum contigiſse. Si præcepta illa naturalia aut moralia omnia fuiſsent, nunquam a viris juſtis violata fuiſſent. Abraham, & Nachor ejus frater, nuptim duxerunt duas filias Aran, qui eorum carnalis frater erat, filius & ipſe Thare; ideſt Saram, & Melcham (*Geneſ. cap.* 11.). Lex ergo naturæ matrimonium inter neptem, & patruum non prohibebat; & in Levitico cum in eodem gradu inter neptem & patruum matrimonium vetatur, hoc impedimentum non lege naturali, ſed judiciali apponitur. Jacob uxores habuit duas ſorores viventes, Liam, & Rachelem (*Geneſ.* 29.); quod tamen inde (*Levit.* 8.) vetitum fuit. Judas Patriarcha (*Geneſ.* 38.) ſecundogenito uxorem dedit primogeniti demortui uxorem; & hanc eandem tertiogenito ſpopondit. Hi ſunt primi gradus collateralis affinitatis. Moyſes genitus eſt ex matrimonio nepotis cum amita, ex Amram, & Jochabeda (*Exodi* 6.), & hi viri ſanctiſſimi, neque hac de cauſa a Deo reprehenſi, nec conſtat ſpecialem ullam interfuiſse diſpenſationem; immo indicium præbet illis temporibus inolitum hunc morem (*Gen.* 28.) reſponſum Laban ad Jacob. Lege igitur naturali prohibita non erant; & ſi in Levitico prohibita, id judiciali tantum lege cautum eſt. *Levit.* 18. prohibetur ne ſuſcipiatur uxor fratris etiam demortui, ut plurimi cenſent. *Deuteron.* autem *cap.* 25. præcipitur quod ſi quis ſine filiis decedat, frater demortui fratris uxorem ſuſcipiat. Hæc igitur lex præceptum ſancit contra naturale jus: aut præceptum Levitici, huic oppoſitum, non naturale, ſed judiciale eſt, & diſpenſabile.

12. Inter præcepta Levitici quædam naturalia ſunt, quę matrimonium prohibent inter propinquos in gradu primo conſanguinitatis rectæ lineæ, & juxta aliquos lineæ etiam collateralis, & in primo gradu affinitatis rectæ dumtaxat lineæ; hinc inceſtuoſum ſemper matrimonium filii cum matre, filiæ cum patre, & ſecundum aliquos fratris cum ſorore, vel ex eodem, vel ax alio toro nati ſint; quamvis olim ex neceſſitate conceſſum fuerit matrimonium filii cum noverca, vitricis cum filia: quod pœnæ inflictæ diverſitas probat; cum hæc ſola inceſta ultimo ſupplicio puniantur (*Levit.* 20.), cetera vero minori pœna plectantur. Nec memoriæ traditum ab Eccleſia in his unquam fuiſſe diſpenſatum. Id etiam confirmat horror ille omnibus gentibus communis vitandi hujuſmodi matrimonia; quod momentum eſt valde efficax naturam ipſam ab his abhorrere. Quocirca D. Ambroſius (*Ep.66.ad Paternum*) ait matrimonium

patris

patris cum filia naturæ legi in omnium cordibus ſcriptæ repugnare; & D. Auguſtinus (*Lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.*): *Cum ſorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, ſic averſemur, quaſi nunquam licere potuerit.*

13. Sancitum in his ſolis gradibus naturali lege matrimonia fuiſſe illicita, nollem ignarę plebi tuæ te perſuaſiſſe nos in ceteris gradibus remotioribus matrimonia indiſcrete licita facere. Falſum id quippe; immo inter nos, quam apud hæreticos, latiori graduum extenſione ſunt impedita, dum in præſens ad quartum uſque gradum ſint reſervata, atque olim uſque ad ſeptimum: cum e contra inter pſeudoreformatos citra ſecundum gradum valida omnia habeantur, & licita. In hoc non judicialia præcepta Hebræis data, ſed Eccleſię ſtatuta ſequimur; fundata in reverentia, & honeſtate inter conſanguineos ſervanda, quæ damnum & offenſam pateretur, ſi matrimonium mixtim inter propinquos permitteretur, ut docet D. Auguſtinus (*Lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.*). Hanc autem in gradibus Levitici non impeditis auctoritatem impediendi matrimonia Eccleſiam habere, quamvis tu cum tua pſeudoreformatione audeas negare, non prætermiſit tamen Chriſtus indicare, cum ait (*Luca 10. 16.*): *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quæ verba a Chriſto prolata tum temporis cum Apoſtolos ad Eccleſiæ regimen deſtinabat, & ad enuntiandum ubique Evangelium ſuum mittebat, denotant, ipſis & ſucceſſoribus ſuis poteſtatem contuliſſe ſanciendi quæ expedire noviſſent ad ejus perfectum regimen; & excitant neceſſarium obſequium, ac obedientiam ſubditorum illorum mandatis. Quamobrem D. Paulus hortatur (*Hebr. 13. 17.*): *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis;* & laudatis Corinthiis (*1. Corinth. 11. 2.*): *Laudo vos fratres, quod per omnia memores mei eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis,* ſubdit: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Quod reſponſum habeas tu, habeant & tui pſeudoreformatores, petentes nobis cur in matrimoniis eos reſervemus gradus ab Hebræis non reſervatos? *Nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Non Hebræi, ſed Chriſtiani ſumus, nec Synagogæ, ſed Eccleſię Chriſti mandata ſuſcipimus: *Nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Chriſti.* Hujus conſuetudinis vetuſtatem Auguſtinus & Ambroſius teſtantur, non ſuſpecti falſitatis. In Levitico non legitur inter conſobrinos vetitum matrimonium; temporibus tamen Auguſtini (*Lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.*) vetitum erat: *Veruntamen quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum prohibita eſſe conjugia?* Temporibus Ambroſii vetitum erat matrimonium patrui cum nepte. Quamobrem quæſitus hic S. Epiſcopus a *Paterno*, qui filio ſuo hujus neptem dare nuptim deſignabat, aſſerente Levitici lege hoc non eſſe vetitum, reſpondet Sanctus Pater (*Ep. 66. ad Paternum*): *Prętendis enim in tuis litteris, quod permiſſum hoc divino jure connubium hujuſmodi pignoribus exiſtimetur, eo quod non ſit prohibitum..... Ego autem & prohibitum aſſero.... Quanta hujuſmodi invenies non eſſe interdicta lege per Moyſen edita, & tamen interdicta ſunt quadam voce naturæ?* Et dato non eſſent prohibita, ea tamen ſubdit non convenire: *Multa ſunt quæ licet facere, ſed non expedit: omnia enim licent, ſed non expediunt; omnia licent, ſed non ædificant.... Illa ipſa vetera, quæ fuerunt duriora, temperata ſunt per Evangelium Domini Jeſu. Tranſierunt vetera, ecce facta ſunt nova.* Hæc bene tibi; melius autem ſequentia: *Quod ſi divina te præterэunt, ſaltem Imperatorum præcepta.... haudquaquam prętererire te debuerunt; nam Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, et ſeveriſſimam pœnam ſtatuit.* Paterno autem inſtante; *Sed dicis alicui re-*

Digitized by Google

laxatum.... Verum hoc legi non præjudicat. Quod enim in commune ſtatuitur, ei tantum profuit, cui relaxatum videtur. En in Eccleſia antiqua vetita conjugia, inter propinquos in veteri lege non interdicta; ſicut & illis temporibus aliquibus relaxata.

14. Juxta contingentias temporum, modo plus, modo minus patuit diſpenſationis regula. Pontifices autem, & Imperatores juxta varietates temporum varias leges ſanxerunt, vel temperarunt; nec ideo reprehenſibiles ſunt *mutabilitatis, et inconſtantia*. Humanæ leges attendentes temporum circumſtantias, ad harum variationem variantur; quod prudentia eſt, non inconſtantia. Quot antiquæ leges, & canones olim uſu ſervata, hodie penitus antiquata? Si inconſtantiæ notari meretur Eccleſia Chriſti pro reſtrictionis, vel relaxationis varietate in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis ad matrimonium contrahendum, in eadem damnatione erit Synagoga, quæ in hoc & ipſa variavit, ut notat D. Auguſtinus (*Lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.*). Primis ſeculis, in quibus Chriſtiani circumſpecti magis, & continentiæ amatores erant, lex auſterior aptior erat: & hujuſmodi ſunt omnes canones veteris diſciplinæ. Facile erat tum humanę verecundiæ obſecundare; quoniam ut prælaudatus S. Doctor ait: *Neſcio quomodo ineſt humana verecundię quoddam naturale, atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat*. Seculis autem poſterioribus, remiſſa pietate, & ferveſcente incontinentia, compertum, aut dolo malo, aut errore in recenſendis conſanguinitatis gradibus matrimonia plurima inceſtuoſa contrahi, prudenti conſilio judicatum expedire mitiori lege temporibus accommodari, & a ſeptimo gradu ad quartum uſque propinquitatis legem contrahere. Non tamen Callixtus (neque enim decretum Gratiani *Can. de Affinitate cauſ. 35. q. 2.* recte legiſti) ſed Gregorius fuit, qui in Concilio Meldenſi ſeptimo ſeculo extendit legem propinquitatis ad ſeptimum uſque gradum conſanguinitatis. Immo ante ipſum hoc ſtatutum fuerat in Concilio Toletano II. *cap. 5.*, poſt inde ab aliis confirmatum. D. Gregorii ætate lex erat omnibus communis. Quamobrem ſcribens Felici Epiſcopo Meſſanenſi (*lib. 2. Epiſt. 31.*) teſtatur eum ſolis Anglis diſpenſaſſe, qui recentes erant in fide, ut in tertio, & quarto gradu conjugia habere poſſent; quę alias communiter uſque ad ſeptimum vetita erant. Sub Innocentio III. in Concilio Lateranenſi ad quartum dumtaxat gradum lex moderata fuit, ea prudenti ratione ſupra attacta.

15. Impudentiori calumnia Pontificibus noſtris imponis pręcepta Dei eos violaſſe, diſpenſando in gradibus prohibitis; quandoquidem indulſerunt interdum, præſertim Principibus, & æquiſſimis moti rationibus; ſed dumtaxat in gradibus humana, vel poſitiva lege interdictis, non autem naturali: quæ relaxationes temporibus uſque D. Ambroſii, & D. Gregorii permittebantur. Hinc non inficiamur Alexandrum VI. (non III., ut ſcribis) Ferdinando Siciliæ Regi permiſiſſe ſororem patris ſui uxorem accipere: & quamvis id in Levitico vetitum fuerit, lex tamen judicialis erat, non naturalis; ſecus interdicendum erat etiam matrimonium patrui cum nepte, qui eodem gradu conjuncti ſunt ac nepos cum amita; attamen in Levitico non prohibetur. Quod autem Emmanueli Luſitaniæ Regi conceſſum fuerit nuptam ducere ſororem defunctę uxoris, neque in Levitico prohibitum, ubi ſororem viventis uxoris conjugem haberi interdicitur. De Luthero autem magnum habes ſilentium, qui uxori concedit, experta impotentia viri, hujus fratri conjungi? Hanc poteſtatem Lutherus habebat, Papa non habet? Philippum II. impetraſſe a. Pio IV. diſpenſationem contrahendi cum propria ſorore, putidum eſt mendacium tuum. Quatuor uxores Philippus duxit, Mariam filiam

Joan-

Joannis III. Luſitaniæ Regis, Mariam filiam Henrici VIII. Angliæ, Eliſabetham filiam Henrici II. Galliæ, Annam Auſtriæ filiam Maximiliani II. Imperatoris. Diſpenſatio autem a Julio II. Henrico VIII. Angliæ Regi conceſſa contrahendi cum Catharina vidua Arthuri ejus fratris, legitima fuit; hujuſmodi habita, & commendata a celebrioribus Academiis, & doctioribus viris Europæ, & oppugnata dumtaxat a ſordidiſſimis aſſentatoribus libidinum illius Regis, ut tradunt ſinceri, & ingenui hiſtorici; quamobrem neſcio qua fronte muſſites *pag.* 180. *Doctiores Europæ agnoverunt poſt ut injuſtam Papæ diſpenſationem, et inceſtuoſum Henrici matrimonium;* cum ab ipſo Henrico per vicenos annos legitimum habitum fuerit, nec inceſti ſcrupulo laboravit, niſi cum non conſcientia, ſed effrænis cupiditas ingrediendi ad impudicam Annam Bolenam illum excitavit. Lutherus tamen cum ſuis Witembergæ conſultoribus facile ſedaſſet Henrici vel conſcientiam, vel incontinentiam, licitum decernendo & Catharinam primam uxorem retinere, & Annam Bolenam ſimul ducere; ut oſtenſum eſt ſupra ſic indultum Lantgravio Haſſiæ. Ante obitum tamen vel ſibi contradixit, vel legitimam agnovit diſpenſationem, & matrimonium Catharinæ, cum teſtamento ſuo, poſt Eduardum, hæredem legitimam regni inſtituit Mariam filiam ex illa genitam. Eadem ratione legitima tenenda eſt diſpenſatio conceſſa Duci Parmæ contrahendi cum vidua fratris. Jam ſupra oſtenſum, quanquam *Levit.* 18. interdictum fuerit habere uxorem fratris: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*; aut hoc intelligendum fratris vitam agentis, aut abrogatum fuiſſe hoc præceptum Deuteronom. *cap.* 25. *Quando habitaverint fratres ſimul, et unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; ſed accipiet eam frater ejus, et ſuſcitabit ſemen fratris ſui.* Si apud Proteſtantes præcepta Levitici regula ſunt matrimoniorum, qua de cauſa Papa nunc diſpenſante juxta regulam hujus præcepti Deuteronomii, adverſus ipſum tota pſeudoreformatio debacchatur? Si præcepta moralia illa; quid non iſtud? Sed jam diſerte de hoc alii.

16. Maligna arte ſtudes ſuadere, D. Thomam in ea verſari ſententia, præcepta ſcilicet Levitici 18. circa matrimonium cuncta eſſe moralia. Ubinam D. Thomas id aſſeruit? Quid locum taces? *Parte* 2. *q.* 100. *art.* 11. tractat de præceptis moralibus Decalogi; ſed ea recenſendo, de gradibus conſanguinitatis nec verbum facit. Pariter 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad tertium* advertit copulam inter parentes, & filios reapſe illicitam eſſe, & naturæ legi repugnare: *Aliæ vero perſonæ .... non habent ex ſeipſis indecentiam, ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundum conſuetudinem, & legem humanam, vel divinam.* Si D. Thomas ſenſit præcepta omnia Levitici moralia eſſe, nedum deſignare debuerat copulam patris cum filia natura illicitam eſſe, ſed etiam copulam cum quacunque perſona in Levitico expreſſa. Hoc non dixit; immo: *Aliæ perſonæ quæ non conjunguntur ſecundum ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ex ſeipſis indecentiam.* Veruntamen, ut lector plene acquieſcat, cum Eminentiſſimo Cajetano ibidem *art.* 9. animadverto præcepta Levitici 18. conſiderari poſſe, vel ut abſolute matrimonium interdicunt inter perſonas ſanguine affines, vel inter aliquas determinate, ſive circa determinationem graduum, quibus perſonæ conjunguntur. Prima acceptione præcepta ſunt moralia; cum carnalis conjunctio inter ſanguine affines naturali decentia coercenda videatur. Secunda autem exceptione, aſſero, quot, & quæ perſonæ ſint, quibus ex lege ſanguinis carne commiſceri non liceat, potiori ex parte non morale, ſed judiciale præceptum eſſe; quandoquidem matrimonium tot perſonis interdictum non

fuit,

fuit, quaſi quod natura ſua illicitum eſſet, ſed quia Deo hebræo populo tum ſic expedire viſum eſt, quemadmodum expedire ut uno fratre abſque liberis decedente, ejus vidua alteri fratri nuberet: quod tamen nunc ſtatutum eſt non expedire.

17. Neque id meo marte dictum, ſed ex conſideratione eorum quæ Levitici 18. interdicuntur; quippe quod ibi legitur vetitum ad mulierem menſtrua patientem ingredi, tamen quis hoc aſſerat morale, non judiciale præceptum? Quid quod uxoris viventis ſororem accipere interdicitur, nulla mentione facta ſororis defunctæ uxoris? Si natura inceſtuoſum eſſet matrimonium cum ſorore uxoris contractum, etiam conjuge demortua eſſet hujuſmodi. Non itaque hujus præcepti vera ratio inceſtus; ſed potius diſcordia inter ſorores & familiam, ſi ambæ ſimul ejuſdem viri conjuges forent, quemadmodum de Rachele & Lia traditum eſt; ſecus Jacob qui utramque ſororem habuit, præceptum morale violaſſet; nec tamen ex Scriptura reprehenditur. Quid plura? Deus ipſe eodem capite iterato teſtatur Hebræis daturum *præcepta, & judicia;* non mera igitur moralia, ſed qua moralia, qua judicialia erant. Deus præcipit (*Levit.* 18. 3. 4. 5.): *Juxta conſuetudinem terræ Ægypti, in qua habitaſtis non facietis, & juxta morem regionis Chanaan.* Volebat igitur Deus morem, & conſuetudinem variare. Inde ſubdit: *Facietis judicia mea, et præcepta mea ſervabitis. .... Cuſtodite leges meas, atque judicia.* Porro ſi Deus teſtatur ejus præcepta etiam eſſe judicia; jam inter ejus præcepta quædam erunt judicialia. Concludis quod *primi ſubſellii Cardinalis aſſerit, Papam juſtis de cauſis relaxare poſſe interdictum in omnibus gradibus, præter illos patris cum filia, filii cum matre.* Is Cardinalis Cajetanus, qui non propria opinione, ſed innixus doctrinæ D. Thomæ ſupra laudatæ hæc habet (*in 2. 2. q. 154. ad ar. 9. §. ad object. 3.*): *Præcepta illa quæ ad tot perſonarum inhabilitationem ſunt judicialia, non moralia ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſcilicet quantum ad naturalem reverentiam per accidens, quam Moyſes tangit in reliquis perſonis non violandam ex naturali coitus turpitudine, et ideo hodie non ligant, niſi ab Eccleſia ſint aſſumpta. Et propterea poteſt Papa diſpenſare cum omnibus perſonis conjunctis, niſi cum patre, et matre, ut matrimonium contrahant, et hoc Auctor* (ideſt D. Thomas) *ex auctoritate Auguſtini inſinuat in littera, dicendo quod commixtio fratrum, et ſororum, non natura, ſed religione prohibente facta eſt damnabilis &c.* Ratio D. Th. *ibidem ad* 3. eſt quod *in commiſtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt quod eſt ſecundum ſe indecens, & repugnans naturali rationi, ſicut quod commiſtio fiat inter parentes, & filios, quorum eſt per ſe, & immediate cognatio. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus. .... Alia vero perſona quæ non conjunguntur ſecundum ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam.* Hæc D. Thomas, cujus veſtigiis Cajetanus adhæret. Inter fratres tamen, & ſorores, hoc non obſtante, nullus Pontificum unquam indulſit; quod ſi in ceteris diſpenſatum, ſua auctoritate potuiſſe jam demonſtratum. Neutiquam tamen impudice dicemus, quæ Lutherus (*Lib. de captiv. Babyl. cap. de Matrim.*): *Si urgeat amor juventutis, & quævis alia neceſſitas, propter quam diſpenſat Papa, diſpenſat etiam quilibet frater cum fratre, aut ipſe cum ſeipſo, rapta per hoc conſilium uxore de manu tyrannicarum legum, utcunque poterit.* Quoniam hic agitur de præceptis naturalibus, & moralibus ideo inevitabilibus. Quamobrem non mirum ſi de hac re P. Segneri redarguat Lutherum, & de his quæ dicta ſunt etiam Calvinum. Enimvero mirum, quemadmodum hi audeant opponi legitimæ ac perpetuæ poteſtati Eccleſiæ relaxandi in præfatis caſibus.

§. IV.

§. I V.

Falſa pſeudoreformatorum doctrina, circa Decalogum, Evangelium, & Conſilia Evangelica.

18. NEc minus aſſeris inique probris & calumniis tuis maledicum *pag.* 181. P. Segneri, quod dixerit, *ex Reformatorum doctrina deduci, Decalogum non pertinere ad Chriſtianos magis, quam lex caremonialis pertineat*. Benignus nimis Pater Segneri, deduci dumtaxat ex reformatorum doctrina aſſerens, quod expreſſe, & ſententioſe eorum quiſpiam docet. Audiamus Lutherum (*Serm. de Moyſe*): *Mallem nunquam concionari, quam aliquid ex Moyſe proponere. Allegare Moyſen, eſt Chriſtum ex cordibus hominum auferre. Moyſen non admitto; quia ſi eum in uno articulo recipio, recipere etiam oportebit in omnibus caremoniis Judaicis. Nolumus admittere Moyſen, quia mortuus eſt, & regimen ejus finitum. Stulti patiuntur ſe induci in Moyſen, ſicut porci in ſtabulum. Moyſes non pertinet niſi ad Judaos, non ad Chriſtianos, aut Gentiles. Nullus ergo apex, aut punctum in Moyſe ad nos pertinet &c.* Et poſt: *Ex textu clare patet, quod etiam decem pracepta ad nos non pertinent; non enim nos, ſed ſolum Judęos Dominus ex Ægypto eduxit.* Inde ad *cap. 20. Exod. Nihil ad nos Gentiles, et Chriſtianos, ſed ſolum ad Judęos lex pertinet .... Quamobrem Moyſes Decalogum ſolum ad populum Judaicum ex Ægypto eductum dirigit.* Super *Epiſt.* vero *ad Galat. cap.* 4., reprehenſis D. Thoma, aliiſque, tradentibus judicialem, & cæremonialem quidem legem a Moyſe latam fuiſſe abrogatam, non autem moralem; & ſtatuto inter judicialem, cæremonialem, & moralem legem, ideſt Decalogum nullam differentiam deſumendam eſſe, ſubdit: *Nam cum D. Paulus teſtatur, nos per Chriſtum a maledicto legis liberatos eſſe, certe de tota lege loquitur, ac pręcipue de morali, quę ſola accuſat, maledicit, condemnat conſcientias, non item reliquę duę ſpecies. Quare dicimus legem Decalogi nullum habere jus accuſandi, et perterrefaciendi conſcientiam, in qua Chriſtus per gratiam regnat, quia Chriſtus jus illud antiquavit.* Hęc Lutherus. Patet Picenine adhuc, quiſnam reformatorum dixerit novo teſtamento moralem legem abrogatam? Lutherus pſeudoreformationis Archon, & Ægæon, relegavit Moyſen cum toto Decalogo, & morali lege, immo totam Evangelicam legem. In ipſum *cap. 4. ad Galat.*, explicans Chriſtum *factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret*, ait: *Porro hic locus teſtatur quoque Chriſtum completo tempore legis eam abrogaſſe, et per hoc liberaſſe oppreſſos ea, non tuliſſe novam poſt, et ſupra veterem illam Moyſi. Quare Monachi, et Sophiſtę non minus pernicioſe errant, et non minori contumelia Chriſtum afficiunt, quod imaginantur eum tuliſſe novam legem ultra Moyſi, quam Turcę, qui faciunt ſuum Mahometem novum, et meliorem legiſlatorem poſt Chriſtum. Non venit abrogaturus veterem legem, ut novam conderet.* Et poſt multa ad ſtatuendam hanc blaſphemiam, concludit: *Hęc prorſus aliena ſunt a doctrina Papiſtarum, qui Chriſtum fecerunt Legiſlatorem, & quidem Moyſe ſeveriorem ..... Non eſt igitur Legiſlator, aut Judex ſecundum legem.* Ergo per Lutherum nulla lex; non vetus, neque quo ad moralia præcepta, & Decalogum; non Evangelica, ex quo Chriſtus nullam legem edidit; minus vero per ipſum humana lex; quandoquidem (*Lib. de captiv. Babyl.*) aſſerit, *neque Papam, neque Epiſcopum, neque ullum hominem habere jus unius ſyllaba conſtituenda ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu ....* Item, *Chriſtianis nihil ullo jure poſſe imponi legum, ſive ab homine, ſive ab Angelis, niſi quantum volunt.* Uno verbo: *Chriſtianus nulli legi addictus eſt, niſi divinę.* Sic Lutherus, qui hac doctrina, libertinorum regula, re-

for-

formationis Princeps fieri nactus eſt. Sane, more ſuo, ſe retractare indicavit; & videns Antinomos edita ejus doctrina inſiſtere ad vitandam obſervantiam legis, mirari viſus eſt, dicens (*adverſus Antinomos*): *Non poſſum ſatis mirari, qua ratione mihi imputent, quaſi legem, ſeu Decalogum Dei rejiciam.* Porro ſatis nimis id docuerat. Hi *Antinomi*, contra quos Calvinus etiam ſcribit, a te citatus (*Lib. 1. Inſt. cap. 7. §. 13.*) negabant obſervandam eſſe legem; quos propterea Calvinus *imperitos* vocat, cum *impios* appellare debuerat. Tua prodierunt a pſeudoreformatione, inter primos Lutheri diſcipulos, a quo lac primum; vel melius peſtiferum virus delibarunt. *Extiterunt Witembergę anno ab hinc prope vigeſimo, qui ſicut antea docti fuerunt a Luthero, legem operum rejiciebant* (*Hoſius Lib. 2. de hęres*). Dicebant, teſte Luthero (*Lib. de Conciliis*): *Si es adulter, ſcortator, uſurarius, avarus &c. ſi tamen credis, ſalvus es.* Quæ doctrina conceptis ferme verbis traditur in Theſibus Heidelbergæ a Luthero editis anno 1517., in quibus legitur: *Non ille juſtus, qui multum operatur, ſed qui ſine opere multum credit in Chriſtum.* Porro etiam ſi a Luthero expreſſe abrogata non eſſet lex moralis, ex erronea ejus doctrina eliminata deducitur: quoniam Moyſes promulgat legem, quę operibus bonis impletur; Lutherus autem aliam edit, per quam omnis actio bona evacuatur. Quamobrem Lutherus, nec non Calvinus in his ab illo non alienus, Decalogum ad Chriſtianum non pertinere cohęrenter tenebantur inferre. Perperam niteris Magiſtrum tuum ab hac nota liberare, quandam ejus ſententiam opponendo adverſus *Antinomos* loco mox citato; quippe cum non eam conciliare valeas cum his quæ docet in *Antidoto Concilii Tridentini ſuper 20. canonem ſeſſ. 6. Sciendum eſt a mandatorum obſervatione nequaquam pendere ſalutis fiduciam. Stat enim ſemper illud Pauli, in eo differre a lege Evangelium, quia non ſub conditione operum, ſicut illa, ſed ex fide vitam promittat.* Porro ſi ſalutis fiducia ex obſervantia mandatorum apud Chriſtianos non pendet Decalogus, apud ipſos inanis, & vacuus jacet. Quod autem hodierni Proteſtantes huic doctrinæ non adhæreant, ut alibi te probare contendes: id non officit, quin hanc doctrinam moralem pſeudoreformationis primi Antiſtites docuerint, vel ſaltem ſuis principiis ei præluſerint; quod Patris Segneri ſatis confirmat aſſerti veritatem.

19. Patrem Segneri *pag. 181.* contumelioſe appellas *Theologonum*, quod *ipſi non placent dicta Lutheri, nempe quod Chriſtus in Evangelio non praecipit, ſed conſulit, hortatur, precatur.* Illum reprehendis, *quia non indicat locum, vel aliquam ejus ſententiam*; inde ſubdis: *Cur ille in Luthero reprehendit Theologiam proprię ſcholę?* Si Chriſtus legem veterem abrogavit, ſi novam legem non condidit, ſi Legiſlator non eſt, ut vidimus; in Evangelio igitur nil pręcipit. Supponamus vero Lutherum conceptis verbis non pronuntiaſſe quod Chriſtus in Evangelio non *praeipit*, ſed *conſulit*, neque ex licentia, quam Chriſtiano Lutheri doctrina concedit, id inferri: immo Lutherum oppoſitum docuiſſe; nempe in Evangelio Chriſtum cuncta præcipere, nil conſulere, ut nimirum ſcribit in ſua Epiſtola reſponſiva ad Fratres Minores conventus *Juterboci: Nulla ſunt conſilia, ſed omnia Evangelii ſunt præcepta.* Hæc tamen doctrina frequens eſt in ſcholis pſeudoreformatis, quam inter ceteros tenet Thomas Hobbes in ſuo *Leviathan cap. 42. pag. 247.*, ubi expreſſe contendit probare, Chriſtum, & Apoſtolos non novam legem, ſed doctrinam novam in Mundum induxiſſe; novum vero teſtamentum, antequam a Principibus mandata fuiſſet ejus obſervantia, non legem, ſed *conſilium*

lium fuiſse certum, quod a quolibet poterat nulla injuria ſuſcipi, vel rejici. Addit, Chriſtum precepiſſe Apoſtolis prędicare quod appropinquabat regnum Dei; & ubi non reciperentur, *pulverem ejus Civitatis pedibus ſuis excuterent, ſed non ut ignem e Cælo ad deſtructionem eorum poſtularent*; inde concludit: *Nihil eſt hic imperii, ſed conſilii tantum*. Quod miſit eos ut agnos ad lupos, non ut Reges ad ſubditos; non ipſis mandavit leges condere, ſed mandata jam impoſita ſervare, & obedientiam alios docere: quam doctrinam mox a te audiemus inſinuatam, cum aſſeres nullum novum præceptum a Chriſto conditum, ſed præceptorum quæ impoſita erant obſervantiam dumtaxat promoviſſe. Hæc & hujuſmodi ſancta dogmata prodeunt ex Proteſtantium ſcholis; & P. Segneri immerito aſſerit ea ſibi non placere?

20. Qua ratione quæſo Picene probas, *P. Segneri propria ſchola Theologiam in Luthero reprehendere?* Quomodo *Doctores Romæ præcepta Chriſti vertere in conſilia?* Jam habeo tuam mirabilem ſane rationem: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Hoc præceptum eſt patentiſſimum, cui obedire tenentur omnes fideles, ut ſint filii Patris, qui in Cęlis eſt; & Fratres ex eo conſilium faciunt, ferme ac ſi id obſervantes, plus adimpleant, quam quod Deus præcipiat, promerentes Paradiſum ſibi, & aliis.* Perpetuus jam mos iſte tuus, diſputare apertis mendaciis. Nos igitur de præcepto diligendi inimicos conſilium fecimus? Domine Jeſu tu probe noſti, quo zelo & contentione Concionatores noſtri inſiſtunt, inculcant, declamant vehementiſſime neceſſitatem hujus præcepti; ut compeſcant Chriſtianorum animos a furore vindictæ, flectant ad remiſſionem offenſæ, moveant ad pacem habendam cum inimicis. Quoties Pater Segneri, & quam diſerte, & nervoſe, hujus pręcepti cauſam in ſuis miſſionibus peroravit? Poſſibile quod qui jactas noſtrorum libros non raro ob oculos habere, nunquam illos legeris, qui hoc argumentum longe lateque pertractant? Quid non legiſti Divum Thomam 2. 2. q. 25. *ar.* 8. & 9., quem in hac re omnes ſequuntur? Quęrens *utrum de neceſſitate charitatis ſit ut inimici diligantur*, & etiam *de neceſſitate ſalutis*, reſpondet *dilectionem inimicorum tripliciter* poſſe *conſiderari. Uno quidem modo ut inimici diligantur in quantum ſunt inimici, et hoc eſt perverſum, & charitati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius. Alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, ſcilicet in univerſali; & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate charitatis: ut ſcilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat. Tertio modo poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali, ut ſcilicet aliquis in ſpeciali moveatur motu dilectionis in inimicum; & iſtud non eſt de neceſſitate charitatis abſolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter eſt de neceſſitate charitatis .... Eſt tamen de neceſſitate charitatis ſecundum præparationem animi, ut ſcilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret.* Et Articulo 9. *Sic ergo dicendum eſt de effectu, et ſigno dilectionis exhibendo. Sunt enim quædam ſigna, vel beneficia dilectionis, quę exhibentur proximis in communi, puta etc. .... Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere eſt de neceſſitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ, contra id quod dicitur Levitici* 19. *Non quęres ultionem, et non eris memor injuriæ civium tuorum. Alia vero ſunt beneficia, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis. Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna exhibere, non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi,*

ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis: ſecundum illud Proverb. 25. Si eſurierit inimicus tuus ciba illum; ſi ſitit da illi potum. Sed quod pręter articulum neceſſitatis hujuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non ſolum cavet vinci a malo, quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt etiam perfectionis, dum ſcilicet non ſolum cavet propter injuriam ſibi illatam pertrahi ad odium, ſed etiam propter ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſuum amorem. Hæc D. Thomas, quibus dilucide patet quod in hac re præceptum ſit, quod vero ex conſilio; quę tu cum Calvino miſces & confundis (*Lib. 4. Inſt. cap. 13. §. 12.*) ubi rejiciens conſilia Evangelica, falſiſſime de nobis, præſertim Monachis, ſupponit: *Aperte enim docent ſe plus oneris ſuſcipere, quam Chriſtus ſuis impoſuerit; quoniam ſcilicet Evangelica conſilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non jurando, ſe ſervaturos promittunt, quibus non ſunt communiter adſtricti Chriſtiani.* Falſiſſimum commentum. Nemo quippe unquam aſſeruit, diligere inimicos, & non appetere vindictam, non *pręcepta* eſſe, ſed *conſilia*.

21. Diligenti inimicum tanquam proximum ſuum, quo ſenſu dilectio præcepto præcipitur, Paradiſum promittimus in pręmium; quia ſic promiſit Chriſtus. Diligenti vero inimicum forti dilectione, quatenus nedum paratus diligere, ſed beneficiorum exhibitione, corde, & opere inimicum diligit, ſic implens tam pręceptum, quam conſilium, majus præmium, & meritum a Deo promittitur; quoniam implet & quæ Deus mandat, & ea quæ non mandat, ſed præciſe conſulit. Contra Evangelica conſilia hic turpiter inſanis: *Conſilia Evangelica Fratrum* (ut ais) *vel honeſta, veracia, juſta, pura, amabilia, bona fama, & virtutis reſpiciunt, vel non. Si reſpiciunt, præcepta ſunt perſpicua. Si non reſpiciunt, nec monita eſſe debent, nec præcepta.* Peto ex te: Omnibus privari propter amorem Dei, juſtum & honeſtum eſt, nec ne? Si juſtum, ergo præceptum. Quare igitur tu, qui Picenini jam demortui larva lates, multa poſſidens non ea vendis, ſed retines, & ſic non implendo præceptum graviter peccas? Si non juſtum; cur Deus præcipit? Cur *Matth.* 19. 21. dicitur: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus?* Ad hæc. Virginitatis conſilium a D. Paulo inſinuatum (*1. Cor. 7. 25.*): *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do,* juſtum reſpicit, nec ne? Si reſpicit, præceptum eſt perſpicuum. Quid porro tu non illud imples? Si non reſpicit, nec monitum, nec præceptum eſſe debuerat. Et tamen S. Paulus fatetur: *Conſilium autem do.* Non capis quod ultra bonum datur optimum, & perfectum? Bonum res eſt præcepti, optimum conſilii. Ad vitam adipiſcendam æternam oportet ſervare mandata; ad majorem obtinendam gloriam opus eſt majora facere. Adverte quemadmodum Chriſtus (*Matth. cap. 19.*) loquatur. Accedit unus, & ait: *Quid boni faciam, ut habeam vitam ęternam?* Cui Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* En impletio præcepti. Quoniam vero hic reſpondit: *Omnia hæc cuſtodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deeſt?* Reponit Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quę habes, & da pauperibus, et habebis theſaurum in Cælo.* Itaque dico ſine præceptorum obſervantia in Cælum ingredi poſſe neminem. Hic ſubſtantiis ſuis etiam non venditis, nec pauperibus datis, ſalutem conſequi poterat; Chriſtus autem hęc tantum proponebat, ſi perfectus eſſe cupiebat. Ergo cum Chriſtus dixit illi: *Vade, et vende,* non pręceptum tulit, ſed conſilium exhibuit, & medium ad perfectius bonum, & meritum. Quoniam autem Calvinus impudenter audet aſſerere; *Nulli unquam veterum in men-*

tem

tem venit, omnes una voce clamant, nullam penitus voculam a Chriſto emiſſam, cui non ſit neceſſario obtemperandum. Ignorantiæ, & mendacii ſui teſtes invoco veteres omnes, Græcos, & Latinos, qui uno ore fatentur, in Evangelio *præcepta*, & *conſilia* contineri. Inter Gręcos eſt Origenes ad *cap. 15. ad Rom.*, Baſilius *de vera Virginitate*, Chryſoſtomus *hom.* 8. *de pœnitentia*, *hom. 21. in 1. ad Corinth.*, Theodoretus *ad cap. 7. 1. ad Corinth.*, Dorotheus Abbas doctrina 1., ubi ſcribit: *Non dixit vade, et vende omnia quæ habes tanquam imperans, ſed tanquam conſulens; illud enim: Si vis, conſulentis eſt, non imperantis*. Inter Latinos Cyprianus *de habitu Virginum, et de Nativitate Chriſti*, ubi aſſerit: *Ad virginitatem non cogit neceſſitas, aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium*; D. Optatus *Lib. 6. contra Parmenianum*, D. Ambroſius libro *de Viduis*, ubi notat: *Cum vero ſe præcepta legis memoraſſet impleſſe* (ille nempe qui acceſſit ad Chriſtum) *conſilium ei datur, ut vendat omnia, et ſequatur Dominum*; D. Hieronymus *adverſus Jovinian. Lib. 1. cap. 7., et Epiſt. 22. cap. 8.*, D. Auguſtinus millies; *Enchirid. ad Laurentium cap. 121., Lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 14. Multa ſunt facienda non jubente lege, ſed libera charitate;* poſt pauca autem ſubdit, quod multa *tractanda ſunt non pręſcripto legis, ſed conſilio charitatis*; in *lib. de Sancta Virginitate cap. 14., Lib. 2. quæſt. Evang. cap. 19. et cap. 30.*, ubi de præceptis & conſiliis ſermonem habens, ſic differit: *In illis Dominus imperat vobis, in his autem ſi quid amplius ſupererogaveritis, in redeundo reddet vobis*. Omnes hos veteres Patres recentiores auctores ſequuntur; fas quipe non eſt ultra ligna in ſilvam ferre.

22. P. Segneri animadvertit, *apud reformatos idem eſſe eleemoſynam pauperi dare, ac alapam*. Bene habet; quippe cum apud pſeudoreformatores bona opera nil proſint ad meritum, omnia ſint peccata, & fides ſit, quæ ſola juſtificat, ſane idem eſt, reſpectu noſtri, ſtipem, ac alapam dare pauperi. Vel e contra, ſi eleemoſynam dare nobis proderit, ſi culpa erit dare alapam, dicendum erit bona opera prodeſse nobis, mala autem obeſse; unde præter infidelitatem aliquod aliud peccatum erit, quod immediate contrarium eſt doctrinæ Lutheri (*Lib. de capt. Babyl. cap. de Baptiſ.*) aſſerentis, quod Chriſtianus, *etiam volens, non poſſit perdere ſalutem ſuam, quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere: nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas*; & in Theſibus Lipſiæ expoſitis adverſus Echium, *in bono opere peccare hominem*. Quod confirmat Calvinus (*Lib. 3. Inſt. c. 14. §. 9.*): *Nec unum a Sanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereatur juſtam opprobrii mercedem*. Porro ſi quodcunque opus bonum peccatum eſt; ſi nullum peccatum pręter infidelitatem imputatur, nonne ſtipem, & alapam mendico dare idem erit? Vos, novę impreſſionis Reformatores, *nil vehementius populo ſuadetis e ſuggeſtibus veſtris, quam dilectionem proximi*. Sit. Quid tamen hæc; cum juxta doctrinam a veſtris pſeudomagiſtris traditam peccatum ipſi ſuadetis?

23. Nil te juvat difficultatis fugam dicteriis, & probris quærere, componendo calumnias adverſus P. Segneri & ejus Societatem, *pag. 182.* declamando, *manus non habere niſi ad accipiendum, ad devorandas domos pauperum viduarum*. Fideles uberius curando ſuſtentationem Ordinis, qui zelo, & fructu ſuarum animarum ſalutem promovet, Chriſti præceptum implent (*Luca cap. 10. 7.*): *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Si populus tenetur alere miniſtros politicę reipublicæ, cur non miniſtros Jeſu Chriſti? Pſeudoreformatos offendit Religioſos reditus habere; vellent quippe, ut Angliæ ſit, ceteriſque locis eorum erroribus infectis, in proprium luxum convertere, eorum ſpoliis ditari, & forte in pejores uſus profun-

ſundere. In tales uſus, ſi te audiam, pie erogarentur ſumptus qui a noſtris impie rapiuntur: *Quod Sacerdotibus ſani legaverit chriſtiana vidua valet* (Ambroſius *Epiſt.* 12.), *quod miniſtris Dei non valet*. Et D. Hieronymus (*Epiſt. ad Nepotianum*); *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, mimi, aurigę, & ſcorta hæreditates capiunt, ſolis Clericis, ac Monachis hoc lege prohibetur*. Religioſos odiſtis, quia plagas veſtras acu tangunt, & putida ulcera revelant. Romam objurgas hic, quod dicat *anathema qui dicit Chriſtianum non eſſe illum qui fidem habet abſque charitate.* Quid hac noxa prætendis? Charitatem requiri ut quis Chriſtianus ſit, neque ſufficere fidem? Omnis ergo peccator qui non diligit, immo Deum offendit, Chriſtianus non erit. Inſignis doctrina! Alibi autem dices ſolam fidem ſufficere ut homo juſtus ſit, nunc vero nec eam ſufficere ut Chriſtianus ſit. Si charitas facit Chriſtianum, tu Chriſtianns non es, dum tam indiſcreto odio, maledicam & peſtiferam tuam ſcripſiſti Apologiam. Chriſtianus ſignificat fidelem qui ea credit, quæ in Evangelio ſuo Chriſtus revelavit: charitatem autem ſervat, qui vitam ducit, & operatur juxta ea, quę credit. Quot juxta ea quæ credunt non agunt? Infideles ne iſti recenſendi? Vide lector perverſam doctrinam! Pſeudoreformatores nolunt bona opera valere ad juſtificationem, & ſolam ſufficere fidem. Nunc vero ut quis ſit fidelis charitatem habere volunt, quæ obſervantia legis exercetur; *Si diligitis me mandata mea ſervate* (*Joann.* 14. 15.).

§. V.

Defenſio doctrinæ morum Romanæ Eccleſiæ.

24. PAter Segneri ſtatuit, *ſanctitatem doctrinæ moralis indicare Eccleſiæ veritatem*. Veriſſimum id autumas; porro ſubdis *pag.* 181. *Hoc aſſertum ſufficit ad inſtituendam cauſam contra doctrinam Jeſuitarum*. Erras homo; ab Eccleſia Romana & ejus doctrina ad illam Jeſuitarum flectis. Hic aſſeritur quod doctrina Eccleſię ab ipſa probata ſancta ſit, & ſignum ſuę ſanctitatis, non autem doctrina hujus, vel illius ex Doctoribus Eccleſiæ, qui errare poſſunt in ſuis doctrinis moralibus, non tamen univerſa Romana Eccleſia. Venditas ceu Jeſuitarum doctrinam quamlibet moralem non ſanctam, quamvis ipſorum plurimi ſcripſerint, ſcribantque doctrinas ſanctiſſimas. Porro ſi quis in laxas opiniones declinavit, erravitque, exinde dicendum omnes erraſſe? Hujuſmodi doctrina erronea, & periculoſa, probata ne unquam ab Eccleſia? Solemniter ne eam tenuit, an proſcripſit? Notum eſt qua paſtorali virga in ipſam animadvertiſſent Summi Pontifices Alexander VII., Innocentius XI., Alexander VIII., & Innocentius XII., zizania eradicantes ab agro Evangelico: quod pariter ut diligentes meſſores præſtiterunt Joſeph Cardinalis Aguirre, P. Tyrſus Gonzales Generalis Jeſuitarum, Antonius Charlas, in inſignibus Operibus ſuis adverſus doctrinam præfatorum moraliſtarum jam æditis Romæ juxta ſanctam mentem Summorum Pontificum. Id autem non ſatis evincit Sanctitatem Eccleſiæ in doctrina morum? Hoc tamen maligno ſilentio diſſimulas, quod gentile tibi ſit in tuis paginis malum unice exaggerare. Quid hic liberculum illum memoras, Anglię promulgatum, ſub Toleti, Sanchez, aliorumque privatorum ſcriptorum nomine, qui forte aliqua opinione claudicarunt? Ad damnandam infectę doctrinę totam Romanam Eccleſiam, Pontificum Conſtitutiones, doctrina Conciliorum in medium proferenda erant, & probare, ſi potis eras, propoſuiſſe Fidelibus infectam doctrinam, qua nos ad oſtendendam pravam pſeudoreformationis moralem expandimus doctrinam Lutheri, Calvini, aliorumque, qui ignota doctrinæ arcana comprehendiſſe gloriantur. Si ex noſtris quidam male au-

dierunt, correpti fuerunt; quanquam nunquam impias blaſphemias, & ſcandaloſas protulerint ſententias vulgatas a pſeudoreformatoribus, & ut dogmata commendata a ſuis ſectariis. Nunquam docuerunt, uxore negante debitum, virum poſſe ad ancillam, vel ad aliam ingredi fęminam: nunquam, uxorem habentem impotentem virum, probari quamvis nequeat, liberam eſſe cum aliis commiſceri, etiam cum fratre viri ſui: nunquam, ad ſedandas ſenſuales tentationes fornicationem, & ſacrilegia aptum eſſe remedium, ut diſcretus Lutherus docebat.

25. *Doctrina Bellarmini, quod Papa poteſtatem habeat diſpenſandi a votis, & juramentis Deo praſtitis, ſana ne habenda eſt?* Sic ludendo peris, integræ moralis zelotes eximius. Profecto ſi ſana fuit doctrina Lutheri, & ejus Collegii, diſpenſantis Lantgravium ad ſuperducendam uxorem alteram prima ſuperſtite, ſola libidinis explendę cauſa, contra Evangelicum verbum Chriſti; quid non ſana doctrina Papam juſtis de cauſis diſpenſare poſſe in votis? Si Lutherus in ſuo libro *de votis Monaſticis*, omnia vota exterminat, quod in Scriptura nulla eorum ratio habeatur, traditionis humanę commenta ſint, immo illicita, & periculoſa; ſancte prudenterque Papa votis obnoxios diſpenſabit. Si doctrina Lutheri ſana fuit, cum a ſolemni caſtitatis voto, qua ad rem uxoriam abuteretur, Catharinam abſolvit, cujus exemplo atque indulgentia ducti ejus diſcipuli tot Sanctimoniales ad thalamum rapuerunt; cur potiori jure, & ſaniori doctrina Papa, ex auctoritate D. Petro a Chriſto collata: *Quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in Cœlis*, non poterit diſpenſare in votis? Cum Papa in voto, vel juramento, quod lex eſt ab homine ſibi impoſita, diſpenſationem dat, non naturalem, vel divinam legem ſolvit; ſed comperto manente voto majus bonum impediri, gravius malum imminere, declarat dumtaxat hìc & nunc votum non conſtringere, quemadmodum accidit de alicujus humanæ legis diſpenſatione, ut docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 98. *ar.* 10. *in corp. & ad* 2.: *Non fit ut legi humanę non obediatur, quod eſt contra legem naturę, & mandatum divinum, ſed fit ut hoc quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu. Ita etiam auctoritate ſuperioris diſpenſantis fit ut hoc quod continebatur ſub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc caſu hoc non eſſe congruam materiam voti.* Cur tibi non ſana hæc doctrina? Non ſana enimvero, ſed ſacrilega hæc Lutheri doctrina: *Si urgeat amor juventutis, & quęvis alia neceſſitas, propter quam diſpenſat Papa, diſpenſat etiam quilibet frater cum fratre, aut ipſe cum ſeipſo, rapta per hoc conſilium uxore de manu tyrannicarum legum, utcunque poterit &c.* Inſiſtis: *Sana ne doctrina, docens Papam poſſe ſubditos a fidelitatis juramento Principi debito abſolvere?* Ita ajo. Ita plane; ſaniſſima, caſu quo Chriſtianus Princeps apoſtataret a Chriſto, & Eccleſia, & in apoſtaſiam cogeret ſubditos: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, docet Petrus (*Actor.* 5. 29.). Inſana profecto & ſeditioſa lex illa Lutheri (*Lib. de captiv. Babylon.*) apud Natalem Alexandrum *Secul.* 15. *&* 16. *cap.* 2. *art.* 10. §. 2., & *Epiſt. ad Sicking.*: *Quicunque leges addunt civiles legibus divinis, ſunt inimici Dei, & Apoſtoli Diaboli, & qui recipiunt, vel obediunt, Diſcipuli ſunt Leviathan. Amplius dico, neque Papam, neque Epiſcopum, neque ullum hominum habere jus unius ſyllabę conſtituendę ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu; quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fieri; Eccleſię legibus veram Eccleſię libertatem, non modo captivari, ſed peſſundari penitus; Chriſtianis nihil ullo jure poſſe imponi legum, ſive ab homine, ſive ab Angelis, niſi quantum volunt. Res eſt nimis fœda, indigna, & prava, hominem Chriſtianum, qui liber eſt, ſubjectum eſſe aliis legibus, quam divinis, & celeſtibus.* Ex

Lib.

Lib. de ſeculari poteſtate concludit: *Inter Chriſtanos nulla debet eſſe ſuperioritas*. Quid hoc aliud, quam Reges, Principes e medio tollere, & ſubditos ad rebellionem incitare, eos vocans, improba, impudentique petulantia (*Lib. contra mandatum Imperii*) *veſanos*, *furioſos*, *carnifices*, *tyrannos*, *nebulones*, *ſaccos vermium*, *moriones*, *porcos*? Garris iterum: *Sancta ne forte Jeſuitarum moralis de mentalibus ſuis reſtrictionibus*, *& æquivocationibus*? Hæc prava doctrina reſtrictionum mentis ab Eccleſia Romana proſcripta fuit ex ore Innocentii XI. anno 1679. die 2. Martii. *Propoſ.* 26. & 27. Doctrina igitur Romanæ Eccleſiæ ſancta eſt, & ſana. Non improbo minus, quam maligno labore Moraliſtarum omnium Libros lectitaſti, decerpendo, araneorum more, putidas opiniones, quo deduceres doctrinam morum Romæ perverſam eſſe. Stultiſſimum illatum. Unus, vel plures etiam Doctores, Romanam non faciunt Eccleſiam, quod errantibus hiſce Romanam Eccleſiam erraſſe dicendum ſit. Reſpicere debebas Pontificum etiam decreta, ibique opiniones omnes cenſura dignas proſcriptas deprehendens, ingenue fateri, ſi vir ſanus eſſes, doctrinam morum Romanæ Eccleſiæ ab ipſa probatam ſanctam eſſe; quo ſigno illam nimirum veram eſſe Eccleſiam compertum ſit. Quod tamen perverſa tuæ obſtinatione ſententiæ repudiabis.

26. *Quæ Sanctitas in illo axiomate* (ſic *pag.* 184.): *Hæreticis non eſt ſervanda fides*? Iniqua hęc calumnia evulgata fuit a Bohemis, aliiſque ſectariis Hieronymi a Praga, & Joannis Hus flammis damnati in Concilio Conſtantienſi. Evulgatum Imperatorem Sigiſmundum datam ſyngrapho fidem Joanni Hus violaſſe, & Concilium ſtatuiſſe hoc axioma: *Hæreticis non eſt ſervanda fides*. Utrumque tamen falſiſſimum, neque oppoſitum a quopiam evinci poterit; minus vero Concilium amplum ſyngraphum dediſſe duobus illis hęreticis. Id accurate tractatum a Roberto Sverzio in Opuſculo *de fide hæreticis ſervanda* contra Danielem Plancium Prædicantem Delphorum, & ab Eriberto Roſvveido in libro ejuſdem tituli, præſertim pag. 24. & 117., tum etiam *Apologie pour les Catoliques* adverſus librum: *La Politique du Clergè de France p. p. c.* 22. Genevæ Magiſtratus, *duce Calvino*, flammis Servetum damnavit; nec Concilium poterat, ſolutum ab omni vinculo publicę fidei, ad flammas damnare duos divinæ & humanæ etiam fidei perjuros? Videatur etiam alius liber ejuſdem Roſvveidi inſcriptus *Syllabus malæ fidei*, *pag.* 241., ubi legitur declaratio Hieronymi de Praga, qua ſponte reum mortis ſe fecit. Hus autem igni damnatus fuit, ad cujus experimentum ipſe provocaverat. Ratum tandem ſit, doctrinam morum Romanæ Eccleſię Sanctam eſſe, Catholicam, Apoſtolicam, quę firmat Reſpublicas, & Regna, cui tuto fidere Principes poſſunt, quia veritatem judicibus aperit, in promiſſis fidem, in contractibus ſecuritatem, in ore veritatem, & ſinceritatem preſcribit, dum fraudes prohibet, ęquivocationes damnat, & cordis cogitationes ingenue ore proferre præcipit: ſecus ac perverſa, & iniqua morum doctrina, profeſſione & praxi inſinuata ab hæreticis, & præſertim a perfidis prædicantibus, quorum ars eſt miſeras animas decipere.

CAPUT XIV.

Sanctitas morum ſignum eſt veræ Eccleſiæ.

§. I.

Extra Eccleſiam degens veram ſanctitatem habere nequit.

1. Aſſeris *cap.* 16. *pag.* 185. *Apologia*, *gradatim* te ſequi P. Segneri; quamobrem ſecum a *doctrina morum* progrederis

deris ad *morum ſanctitatem*. Quæ autem P. Segneri probat, hæc ais *poſſe paucis contrahi*: *veram eſſe Eccleſiam illam, in qua ſanctitas nitet; illam Eccleſiam, qua de vere Sanctis merito gloriatur. Hinc hujuſmodi eſſe Romanam Eccleſiam contra reliquas totius chriſtianitatis. Propterea, ſubdit, ſuos exhibeant Sanctos*. Ad hæc occurris, inquiens: *Claudicant amba propoſitiones adverſarii*. Primam autem propoſitionem P. Segneri niteris falſam probare, dicens *indubium eſſe ſanctitatem Eccleſia Chriſti eſſe omnino neceſſariam, qua in Symbolo Sancta commendatur. Nihil ipſi prodeſt tam ſplendidum nomen, niſi in operibus ſancta ſit; nomen inane, crimen, immane. Fides ſine operibus mortua eſt, fides hypocrita, immo Diaboli. Nihilominus dici non poterit ſanctitatem eſſe characterem diſtinctivum Eccleſia, diſcretivum vera a falſis. Cathari, Donatiſta, aliique heterodoxi recte vivebant, attamen Jeſuita dicet fuiſſe ſynagogam ſatana. Waldenſes, Albigenſes, Pauperes Lugduni, adverſariorum ſententia, Conciliabulum erant excommunicatorum; moribus tamen irreprehenſibiles erant &c. Ergo neceſſaria illatione ſequitur, aut Waldenſes veram habuiſſe fidem, vel falſum eſſe Jeſuita aſſumptum; & ſanctitatem morum non eſſe ſignum diſtinctivum vera Eccleſia*. Hæ lepidæ Predicantis ſtrophæ. Parumper eas conſideremus. Ergo *Sanctitas* omnino neceſſaria eſt Eccleſiæ Chriſti, quæ *Sancta* eſſe debet, non tam *nomine*, quam *operibus*, quoniam fides ſine operibus mortua eſt. Id tu Picenine; propterea indubium erit. Quæ ſequuntur mea ſunt. At Eccleſia a Luthero erecta, a Calvino firmata, *ſancta* non eſt operibus; & fides quę in ipſa juſtificare prætenditur, fides eſt ſine operibus, quemadmodum Lutherus plane docuit in Theſibus Heidelbergæ *tom. 1. fol. 54. Non ille eſt juſtus, qui multum operatur, ſed qui ſine opere multum credit in Chriſtum*; & Calvinus *Lib. 3. Inſt.* cap. 14. §. 9. *Nec unum a Sanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereatur juſtam opprobrii mercedem*. Hæc igitur Eccleſia ſancta non eſt, immo vero in operibus depravata. Fides igitur tua ſine operibus eſt, neque eſt Eccleſia Chriſti. *Nihilominus*, ais, *Sanctitas operum non eſt character vera Eccleſię, quippe cum Cathari, Donatiſta, Albigenſes, Waldenſes, aliique* nobis excommunicati *recte viverent*. Addere debebas Arianos, Pelagianos, Semipelagianos, Neſtorianos, Eutychianos, immo Turcas, & Gentiles, qui forte rectis moribus vivebant, quod etiam de Turcis Lutherus ajebat; & ſic rem concludere, inter Sanctos, auctoritate tua, referendo ipſoſmet, qui noſtris & tuis ſunt heterodoxi, & infideles. Hos tamen prętermittis, & ſolos in ſcenam profers Catharos, Donatiſtas, Waldenſes, Albigenſes; quippe cum, ut vidimus, hi fuerint pſeudoreformationis Lutheri, & Calvini pręcurſores, ideo recte vivebant, & ſancti erant. Porro neſcis, ut quis juſtus, ſanctus, & Deo placens ſit, quanquam non ſufficiat, requiri tamen qua fundamentum boni operis veram fidem? Dogma enimvero D. Pauli eſt (*ad Hebr. 11. 6.*): *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; & (*ad Rom. 14. 23.*): *Credere oportet accedentem ad Deum*; item: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Diſcere ſane debueras ex D. Auguſtino (*Epiſt. 105. ad Sixtum*) totius juſtitię initium fidem eſſe, & fundamentum totius verę bonitatis. Non inficiamur falſæ fidei plurimos quadam rectitudinis ſpecie ſuis moribus vixiſſe, dum Auguſtinus (*Lib. 5. de Civit. Dei cap. 15.*) aſſerat, rem Romanam, & Imperium Romanis Deum dilataſſe, in præmium moralium eorum virtutum; & etiam aſſerit: ob quas virtutes æternam vitam ipſis daturus non erat. Non igitur ſanctitas vera, ubi fides non vera. Quocirca, quiſpiam etiam infidelium ſit, qui recte vixerit, inferendum ſtatim non eſt, *ſanctam* eſſe ejus religionem, neque *ſanctitatem* non eſſe ſignum veræ religionis. Miror qua tu, qui fidei totum tribuis, nunc

nunc veram quæras ſanctitatem extra veram fidem. Dummodo tamen contra P. Segneri dicas, nil refert quid dicas.

2. Interea ſcrutemur, quos adeo Picenine commendas, quemadmodum aſſeris, ſic re vera illos recta morum integritas ornaret. Cathari id oſtentabant; ſed ſuperbe, & ambitioſe: *Cathari, qui ſeipſos iſto nomine, quaſi propter munditiam, ſuperbiſſime, atque odioſiſſime nominant, ſecundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Novatum ſectantes hæreticum.* Sic eos vocat Auguſtinus (*Lib. de hæreſ. cap.* 38.). Tu autem appellas *recte vivere* munditię nomen ex ſuperbia, & ambitione affectare? Si ita, tum etiam Phariſæi recte vivebant, & immerito reprehenduntur a Christo. Qui Donatiſtarum mores? Sacrilegi Sacramenta profanabant: *Juſſerunt* (ſic Optatus *Lib.* 2. *cap.* 19.) *Eucharistiam canibus fundi, non ſine ſigno divini judicii: nam iidem canes accenſi rabie ipſos dominos ſuos, quaſi latrones ſancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque Chriſmatis per feneſtram, ut frangerent, jactaverunt, & cum caſum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpirituali ſubvectione deduceret: projecta caſum ſentire non potuit, Deo muniente, illæſa inter ſaxa conſedit.* En duo miracula, unum Euchariſtiam, Chriſma alterum commendans. Altaria etiam demoliebantur, ſacros calices confringebant, eccleſiaſticas veſtes lacerabant. Sic Optatus eorum refert virtutes (*Lib.* 6. *cap.* 23. 4. & 5. &c.): *Conflaſtis impie calices, confregiſtis, & inconſulti raſiſtis altaria &c.* Adverſus Catholicos inaudita crudelitate ſęviebant, potiſſimum ſub Juliano Apoſtata, in ipſos mortuos etiam inſanientes; & ſub ſpecie martyrii ſibi ipſis mortem conſciſcebant. Legatur Optatus *Lib.* 2. *cap.* 16., & Auguſtinus *Epiſt.* 68. eorum deſcribentes mores. Hoc autem apud te eſt *recte vivere*, & morum integritas irreprehenſibilis? Hujuſmodi ſacrilegia commendas, ne te & conſectarios tuos condemnes. Quandoquidem vos pariter Sacramenta profanaſtis, Euchariſtia canibus projecta, altaribus dirutis, conculcatis veſtibus ſacris; calices impie conflaſtis, adverſus Catholicos inſaniſtis, tum etiam mortuos Sanctorum noſtrorum ſacros cineres in ventos diſperſiſtis. Galliæ, Angliæ, Germaniæ id feciſtis, quove vos impulit inſanus furor, ne dicam Diabolus ipſe.

3. Nunc Waldenſium mores. Circumferebant ſummam in extima facie pietatem & religionem, ſimulantes zelum legis, in inceſſu compoſiti, a ſpectaculis, a choreis, & theatris alieni, extrinſecus triſtes & macidi facie; oſtentationes omnes, & hypocriſis, qualis illa Phariſæorum. Secreto autem turpiſſima committebant, promiſcue abutentes ſuis mulieribus, occultantes tamen eas Neophytis ſuis, ne ſcandalum ſumerent. Id refert Ebrardus *cap.* 22. *Antihęreſeos*, & Emerycus *Direct. Inquiſit. q.* 14., in ipſis probato D. Hieronymi effato (*in Oſeam cap.* 7.): *Raro hæreticus diligit caſtitatem, & quicunque amare pudicitiam ſe ſimulant, ut Manichęus, & Marcion, & Arius, & Tatianus, & inſtauratores veteris hęreſeos, venenato ore mella promittunt; ceterum, juxta Apoſtolum, quæ ſecrete agunt, turpe eſt dicere.* Eccleſia eos detexit, & proſcripſit; murmuras tamen de hac proſcriptione, cum pſeudoreformatores tui fraternitatem cum Waldenſium reliquiis juraverint: juſtum autem eſt ad pſeudoreformationem hos *Sanctos* pertinere; quatenus certatim ſecum Papam deteſtantur, *Meretricem* appellant Romanam Eccleſiam, duo dumtaxat recipiunt Sacramenta, invocationem Sanctorum negantes, & Reliquiarum cultum; & ſomnia dicentes miracula, vanitates Sanctorum feſta, & impia alia profitentes, quæ ut dogmata Waldenſes una & Proteſtantes ſuſcipiunt.

4. Albigenſium mores. Hi peſſimi, improbi, ſacrilegi. Quidam doce-

docebant ab umbilico & infra neminem peccare poſſe; gravius peccatum non eſſe cum matre, & ſorore jacere, quam cum quacunque alia: & quod docebant uſu frequentabant, ut refert Lucas Tudenſis (*Lib. 3. adverſ. Albigenſ. cap. 5. in dialog.*). Sacroſancta Evangelia conculcabant, & loca ſacra profanabant: unde Cæſarius (*diſt. 5. cap. 21.*) auctor coævus narrat, quod obſeſſa a Catholicis Urbe Bitterrenſi, Albigenſes obſeſſi mingentes in ſacra Evangelia, ea projiciebant Catholicis, dicentes: *Ecce lex veſtra miſeri*. Toloſæ illorum quidam, egeſto ventre prope majus altare, accepta mappa fimum deterſit. Alter ſuper altare jacens, cum ſcorto rem veneream habuit. Sanctam Virginem horrende blaſphemabant. Deteſtabantur, ut tu facis, cultum Imaginum, Cruces abhorrebant, Sacramenta peſſundabant. Manichæiſmum excitantes, duos admittebant Deos, benignum unum inviſibilium auctorem, malignum alterum viſibilium ſatorem (*Petrus Vallium Cernay hiſt. Albig. cap. 2.*). Primo novum, ſecundo vetus teſtamentum tribuebant. Hunc mendacem, homicidam, crudelem dicebant, quia juſſit Sodomitas puniri, & Pharaonem in mare demergi; blaſphemantes quoque Chriſtum mortuum & crucifixum ſceleſtum fuiſse, & Mariam Magdalenam, & Mulierem in adulterio deprehenſam ejus fuiſſe pellices; quod bonus Chriſtus nunquam corpus aſſumpſit, nunquam manducavit, nec bibit, nec viſibilem ſe præbuit, niſi ſpiritualiter in corpore D. Pauli, & D. Joannem Baptiſtam unum fuiſſe pejorem ex Dæmonibus, aliaque impiiſſima, quæ horrere & contremiſcere fariunt audientes. Hæc Donatiſtarum, Catharorum, Waldenſium, & Albigenſium Sanctitas a Picenino pſeudoreformationis Apologiſta decantata. Uſque dicta plane pandunt, ubi non eſt vera fides, neque veram eſſe *Sanctitatem*, hancque illius argumentũ exiſtere.

5. Inter ſigna veræ ſanctitatis recenſetur præſertim humilitas, & obedientia. Has duas virtutes hæreticorum nullus unquam habuit, quia ſuperbia fuit ſemper omnium hæreſum mater, nutrix, & altrix. D. Auguſtinus (*Lib. contr. Epiſt. fundam. cap. 6.*) loquens de Manichæo, id in hunc modum confirmat: *Illa ſuperbia mater omnium hæreticorum impulit hominem &c.* Et aptans hæreticis D. Pauli verba (*2. Timoth. 3.*): *In noviſſimis temporibus inſtabunt tempora ſæva, erunt enim homines ſeipſos amantes*, iterum (*Enarrat. in Pſal. 106.*) ſic diſſerit: *Primum malum ſeipſos amantes, utique ſibi placentes ...... ſed multum de ſe præſumentes ..... reprobati ſunt ab Eccleſia Dei, & magis quia principes eſſe voluerunt*. D. Hieronymus (*in cap. 1. Abdiæ*): *Quis enim hæreticorum non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſimplicitatem parvipendens, & fidem imperitiam reputans?* Hæreticis accommodat illud Abdiæ *cap. 1. Superbia cordis tui elevavit te &c.*, & ait: *Tumorem hæreticæ mentis oſtendit, confidentium ſibi in myſteriis, & ſecretis ſuis, & quantum in ipſis eſt*. Inobedientia comes ſemper individua fuit hæreſis, dum iſta nil aliud ſit, quam pertinax inobedientia, & rebellio adverſus Eccleſiam, & contra eos qui dati ſunt a Deo doctores, & magiſtri. Donatiſtæ & Waldenſes, qui plus ceteris pietatem affectabant, tumidiores ceteris, dedignabantur cum aliis Chriſtianis commiſceri, quia plures horum videbant malis moribus irretitos, & muſſitare auſi ſunt Eccleſiam apoſtataſſe. Donatiſtæ ulli obtemperare renuebant, Waldenſes negabant ſuperiori obedientiam ſi peccatum haberet; immo negabant poteſtatem condendi leges cunctis Principibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſecularibus. En quos morum irreprehenſibiles nobis offers, omnes abſque fundamento virtutis, & probitatis, abſque humilitate, & obedientia. Hujuſmodi, nec ne ſint pſeudoreformatores, patet cuilibet in pſeudoreformationis hiſtoria verſato. Num his virtutibus ejus

eius auctores ornati eſſent, cuique conſtabit legenti ſcripta Lutheri, Zuinglii, Calvini, ubique redolentia arrogantiam, ambitionem, ſuperbiam, contemptum erga Rectores Eccleſiæ, inſcitiæ arguendo Patres, tyrannidis Pontifices. Inobedientiæ autem & ſuperbię Proteſtantium certum argumentum præſto lector habes, tantum legas Apologiam Jacobi Picenini, arrogantia, & contumeliis redundantem. Interim vide Italia, quæ horum ſanctitas ſit, qua eorum agnoſcas fidem.

6. Qua ſoles audacia *pag.* 186. ais: *Prima propoſitio Patris Segneri falſa eſt, ſi illam Religioſis, & Religionum Auctoribus accommodet, maxime ſi Sanctitas haberi velit ex cælibatu, abſtinentiis, macerationibus, jejuniis, aliiſque extrinſecis actibus, quos interdum nemo accuratius exhibet quam hypocrita.* Si harum virtutum frequens uſus non eſt *Sanctitatis* argumentum, dubitandum erit de *Sanctitate* Hilarionis, Pauli Eremitæ, Antonii Abbatis, omniumque Anachoretarum, immo de *Sanctitate* Baptiſtæ, & ipſius Chriſti, qui per quadraginta dies jejunavit. *Hypocritę etiam id faciunt.* Quælibet virtus actibus externis expreſſa, eſse poteſt falſitati obnoxia; propterea ne in ſe virtus non eſt? Aurum poteſt adulterari; aurum ergo non eſt? Cęlibatum, abſtinentias, jejunia, & alios externos virtutum actus interdum nemo accuratius quam hypocritæ exhibent; propterea ne concludendum erit veram Sanctitatem in externis actibus veræ charitatis, & juſtitię erga proximum non haberi, quatenus interdum perverſa intentione depravantur? Phariſæus ille hypocrita (*Luca* 18. 11. & 12.) a Chriſto damnatus, nedum jejunabat: *Jejuno bis in Sabbato*, ſed juſtitiæ exercebat opera: *Non ſum ſicut ceteri hominum, injuſti, raptores, adulteri.* Ergo dicendum, quod exercitia illa charitatis, et juſtitiæ, quæ tam alte de tua pſeudoreformatione magnificas, nullum validum tibi argumentum præſtare valeant de tuorum perfectione; immo neque id præſtare totius legis obſervantiam, cum perverſa & ſimulata intentione valeat corrumpi. Non capis hanc tuam illationem minime ſequi? Quam ſi adhuc ſequi contendes; inferam ſtatim neque doctrinam eſſe veræ fidei argumentum, quandoquidem ut veram quis poteſt palam tradere doctrinam, quæ falſa ſit. Quemadmodum autem non deeſt ratio diſcernendi veram doctrinam a falſa; ita non deeſt ratio diſcernendi pietatis ſinceritatem a fermento hypocriſis. Accede, & vide an jejunia, abſtinentiæ, ceteręque virtutes a Religioſis noſtris, & eorum Patriarchis exercitæ, illis ſint hypocritarum ſimiles: de quo regulam Chriſtus ipſe pręſtabit. Hypocritæ ſua faciebant, ut viderentur ab hominibus, ad vanam gloriam, & honorem captandum. Superbi erant, ceteroſque deſpiciebant ut peccatores. Abſtinentiæ, jejunia, eleemoſynę, quas Religioſi noſtri, & eorum Auctores exercebant, tanta humilitate, & ſui abjectione condiebantur, quod ſeipſos ſerio putarent omnibus deteriores, ceteros vero juſtiores ſe. Non qnærebant laudes, ſed fugiebant, oderant: non oſtentabant, ſed qua poterant alienis oculis ſuarum virtutum theſaurum abſcondebant; neque in his tantum eorum ſanctitas hærebat, ſed maxime in zelo accenſo divini honoris, in ardenti charitate ſalutis proximorum, laborantes aſſidue ad aliorum converſionem, hac de cauſa ſuos Ordines inſtituentes. His ſignis quis dubitabit Sancti ne, an Hypocritæ eſſent? Si adhuc, Picenine, dubites, de Chriſto conquerere, qui certa non dederit ſigna diſcernendę Sanctitatis ab hypocriſi; quamobrem de Sanctitate Apoſtolorum amodo dubitandum erit.

7. Hypocriſis parum ſe mentiri poteſt, & mendacium cedere oportet veritati. Waldenſium ficta bonitas aliquandiu vera bonitas apparuit, & plurimos ſefellit; at demum

qua

qua vera hypocriſis ſe prodidit, & damnata fuit. E contra Sanctitas Auguſtini, Benedicti, Franciſci, Dominici, ceterorumque Religionum Patriarcharum, ſemper & quandocunque vera Sanctitas habita eſt. Ceteroqui quæcunque Sanctitas, tum inſignium primævę Eccleſiæ Sanctorum, tum ipſorum Apoſtolorum anceps nutat, ſi credibile ſit, Deum hunc errorem in Eccleſia ſua permittere; vel confitendum prælaudatos viros vera Sanctitate excelluiſſe. Refers *pag.* 180. D. Hieronymum (*in cap.* 7. *Matth.*) quaſi dicentem, *hæreticos continentia, caſtitate, jejunio quaſi quadam pietatis ſe veſte circumdare, & ſimplicium fratrum corda decipere*. Fas eſt Hieronymum ſuorum temporum hæreticos intellexiſſe, quandoquidem noſtræ ætatis hæreticos timendum minime eſt hac pietatis ſe veſte circumdare; cum palam execrentur continentiam, cælibatum, macerationes, & jejunia. Aptius ſane foret, quod Maximus Doctor *in Joel. cap.* 1. ſcribit: *Difficile eſt hæreticorum reperire qui diligat caſtitatem, non quod eam præferre deſiſtat in labiis, ſed quod non ſervet in conſcientia, aliud loquens, aliud faciens*. Neque id forte opportunum, cum nuperi pſeudoreformatores continentiam, cælibatum, jejunia in labiis tantum habeant, quantum ea rideant. Subdis: *Origenes, ut teſtatur Vincentius Lirinenſis, ſanctæ vitæ vir erat: Bellarminus tamen Hæreſiarcham eum diffamat, & novæ hæreſis Auctorem*. Nemo Origenis vitam carpit, qui caſtitatem ſuperſtitioſe etiam coluit, ad quam indiſcrete cuſtodiendam ſe eviravit. A quo autem habes Origenem hæreticum pertinacem fuiſſe in ſuis retinendis erroribus? Plures diſſeminavit in ſuis ſcriptis; quoniam vero eos pertinax non defendit, fidelium communionem non amiſit, nec hæretica dicenda eſt ejus perſona, ſed dumtaxat doctrina. Hęretici ſane fuerunt ſectatores ejus, qui contra damnationem Eccleſiæ, illius doctrinam tueri obſtinate voluerunt. Hinc S. Epiphanius, qui Conſtantinopoli Origenis damnationem tractavit, juxta Georgium Alexandrinum (*in Vita S. Joannis Chryſoſt. cap.* 43.) *non ipſum Originem extra communionem eſſe decrevit, ſed libros ſolum criminatus eſt*. Nec Bellarminus præcitato a te loco aliud prætendit, quam damnare ut hæreticam & erroneam doctrinam, non perſonam Origenis. Non Hæreſiarcham illum Bellarminus dicit, ut tu vociferaris; ſed ait: *Origenis hæreſis fuit; Origenis fuit error*. Immerito igitur triumphum canis exemplo Origenis. Neque enim negamus pium alias hominem errare non poſſe, ſed hæreticum pium eſſe hominem poſſe negamus, quippe quod ex illo inſtanti quo hæreticus fit, a pietate cadit, quia Eccleſiæ, & Chriſto rebellis, & contumax fit. Enimvero tu extra chorum, ut ajunt, canis; quoniam P. Segneri nunquam prætendit pietatem morum ſignum eſse veræ doctrinæ, quaſi quod integer moribus, integer doctrina eſse debeat. Quot moribus probiſſimi, ex ignorantia in doctrina errarunt? P. Segneri prætendit Eccleſiam illam, in qua vera, & non ficta morum Sanctitas viget, veram eſſe Eccleſiam, & veram profiteri doctrinam. Id probatum: nec oppoſitum uſquam oſtendiſti ineptiis & calumniis tuis.

§. I I.

Eccleſia Romana veram habet Sanctitatem.

8. DEſcendis oppugnare ſecundam propoſitionem P. Segneri qua male oppoſitam, inquiens *pag.* 187. *Quomodo verificabit unquam ſuam illam Concluſionem: Reſtat igitur totam Sanctitatem eſſe apud Romanam Eccleſiam? Ubi hujus Sancti? Segneri præſentat ſe cum caterva veterum Sanctorum, cum Athanaſio, Hieronymo....* inde ſubdis: *Bene habet prætermittendo Apoſtolos....* Uno verbo prætendis veterum Sanctorum neminem ad

Eccleſiam Romanam pertinere; ego autem dico omnes pertinere. Omnes in ea fide erant, quam hodie Romana Eccleſia profitetur, ut probatum eſt ſupra, articulo ad articulum; Omnes igitur ad Eccleſiam Romanam pertinebant. Omnes hanc agnoſcebant caput omnium Eccleſiarum; Omnes igitur ad eam pertinebant. Veterum Sanctorum plurimi Pontifices fuerunt: hi plane Eccleſiæ pſeudoreformatę non erant. Omnes cælibatum, jejunia, quadrageſimam commendabant, defunctorum ſuffragia, Reliquiarum cultum, Sanctorum invocationem, Sacrificium Miſſæ &c. Erant igitur Sancti omnes Romanæ Eccleſiæ, in qua hæc eadem dogmata fide, & uſu ſervantur; non autem pſeudoreformatæ Eccleſiæ, quæ ea negat, deteſtatur, quæque, ut oſtenſum eſt, nondum tot capitum hydra ex abyſſo eruperat. Ad hæc. Si iidem ipſi veteres Eccleſiam appellant *Apoſtolicam*, ſequitur Romanam Eccleſiam cum reliquis ſuæ communionis Apoſtolos habuiſſe fundatores, & iſtos inter ſuos Sanctos eſſe referendos. Proteſtantium autem Eccleſias deſcendere ab Apoſtolis, eorumque profiteri doctrinam, vos quidem affirmatis, oppoſitum tamen aſſerit univerſa vetuſtas, immo pſeudoreformatores ipſi; qui vetuſtatem videntes contrariam ſuorum dogmatum novitati, erraſſe dicunt, & ad tuendas ſuas partes adſtringuntur refugium quærere vel apud Donatiſtas, fingendo a mille annis & ultra Eccleſiam apoſtataſſe, & in paucis manſiſſe, ad lucem autem denuo reſtitutam; cujus opera? Unius Apoſtatæ a Fratrum clauſtris profugi, qualis Lutherus, tum Calvini ope, tum aliorum; Nebulones omnes pluribus delictis irretiti. In ſumma vociferantur, Patres omnes qui a V. ſeculo hucuſque floruerunt Apoſtatas fuiſſe, & ſolos hæreticos fuiſſe *Apoſtolicos*; commenta omnia antiquitus oppugnata, ab Optato præſertim, & Auguſtino adverſus Donatiſtas; immo improbabilia, & incredibilia, cuique vix ſui compoti.

9. Poſcis *pag. 187. Si Eccleſia Græca diceret: Nos habemus D. Ignatium, D. Chryſoſtomum, D. Baſilium, D. Juſtinum Martyrem, alioſque, quid reponeret Jeſuita?* Quid reponeret? Peteret ab Eccleſiis Græcis, quando hos Sanctos habuerint? Profecto tunc, quando cum Eccleſia Latina unum corpus charitatis vinculo conjunctum componebant; quando Romani Epiſcopi earum Synodis præerant, & approbabant. Poſtquam autem ab Eccleſia Romana diſceſſerunt, ubi ſunt eorum Sancti? Si dumtaxat iſtos habuerunt quando ſecum unitatem ſervabant, eos tunc amiſerunt cum unitatem ſecum habere deſtiterunt. Si veteres Græci ſanctitate inſignes Romanum Epiſcopum Eccleſiæ caput fatebantur, ad eos non pertinent qui id negant fateri. Græcæ Eccleſiæ quæ antiquitus prima Sanctitatis ornamenta habebant, poſt ſchiſma nullum Sanctitatis nec veſtigium quidem valent proferre. Tu in hiſtoriis tam probe verſatus, indica mihi quot Sancti poſt *Photii* ſchiſma Græcam Eccleſiam illuſtraverint? Seriem texe; neque Sanctos intelligo a Romano Pontifice relatos in canonem, ſed Viros, qui præclaris vitæ geſtis Sanctitatis famam & nomen adepti ſint; quemadmodum veteres illi a te laudati ſibi meruerunt, quamvis non hodierno Romano ritu ſolemniter in canonem aſſumpti. Signum igitur, Gręcas Eccleſias recentiores ſuorum veterum Patrum doctrinam non retinuiſſe; quam exacte retinuit Latina Eccleſia, quæ, quidquid pſeudoreformatio blateret, in illis contemplatur omnia ſua dogmata. Inſiſtis: *Quid impia Synagogę proderat commemorare: Nos Patres habemus Abraham, Moyſen, Samuelem &c.?* Hoc eſt ab inſtituto deflectere, Picenine, & Sanctos illos nobis cedere, quos tentabas auferre. Gratias tibi; jam reſpondeo. Ex parte illi proderat, ex parte non. Illi proderat, qua Synagogam veram Eccleſiam probabat. Non proderat, qua genus ſuum ab Abraham oſtentabat, cujus mores imitari deſtiterat; quame-

Digitized by Google

mobrem eam Chriſtus increpabat, dicens (*Joan.* 8. 40.): *Si filii Abraha eſtis, opera Abraha facite.* Si de Eccleſia Romana idem velles aſſerere, ſcito infirmum, & inane probationis genus eſſe meram aſſertionem tuam.

10. *Proferat igitur Jeſuita Sanctos ſuos. Franciſcus Aſſiſii, Dominicus, Ignatius Lojola ſui ſunt, non inficior.* Ceteri autem qui a V. Seculo uſque nunc in Eccleſia floruerunt? Quoniam eos *apoſtaticę* Eccleſiæ membra reputas, & ideo inter tuos non recipis, nobis illos omnes concedere debueras, non tres tantum mox laudatos; ſed addere Auguſtinum, Gregorium, Damaſcenum, Bernardum, Anſelmum, ceteroſque, qui vel in Martyrologio, vel Annalibus ab illo Seculo uſque ad præſens deſcripti ſunt. Non diſplicebit Patri Segneri *de nuperis ſuis Sanctis falli*, ſicut *falli ipſi contigit de S. Georgio Martyre.* Falleris tu, qui S. Georgium Martyrem Arianum facis, & ſupina ignorantia neſcis diſtinguere inter Georgium Epiſcopum, ac Arianum, & S. Georgium Militem, & Martyrem. Quomodo probas Sanctos, quos *nuperos* vocas, veros Sanctos non eſſe? Quia, inquis, *horum Sanctitas tota erat in abſtinentiis, macerationibus, & hujuſmodi; quibus interdum palliantur hypocritæ, immo & heretici.* Jam id ſupra decantaveras; quid iterum recantas? Repetam: acute illatum! Quis abutitur abſtinentiis, macerationibus, & hujuſmodi; ergo hæc rectæ vitæ, & Sanctitatis ſigna non ſunt; perinde ac dicerem: Quis Sacra Scriptura abutitur, ipſa palliando errores ſuos; ergo Scriptura non eſt veræ doctrinæ ſignum. Aut: Quis miniſterio Apoſtolico abuſus eſt; extant pſeudoapoſtoli, & pſeudoprophetæ: ergo nec Apoſtoli veri Apoſtoli, nec Prophetæ veri Prophetæ, quoniam extiterunt pſeudoapoſtoli, & pſeudoprophetæ. Palam oſtendendum, macerationes, & jejunia horum Sanctorum hypocriſi fuiſſe palliata; Sanctitatem his mediis procuratam, ſimulatam, nec veram fuiſſe, & ſic contra nos inſurgere. Oſtendendum prætere a Sanctos noſtros nonniſi macerationes, & jejunia frequentaſſe; nunquam autem alios heroicæ virtutis actus exercuiſſe, non zeli, non fidei, non vivæ ſpei, & ardentis Charitatis. Ab his abſtines, vel quia eorum geſta legiſti nunquam, vel quod de his criticæ artis tuæ ſtudium neſcit quid opponat; hinc aſtute iſta diſſimulas.

11. Inquirere tamen inſtituis acta Sancti Franciſci, Dominici, & Ignatii. *Hic* (ais *pag.* 188.) *magnus dicitur Sanctus, & tamen ejus vitæ Scriptores ignarum eum tradunt.* Immo mirabile, illitteratum hominem zelo ſuo promoviſſe tam inſigne bonum in utilitatem Eccleſię Chriſti. Chriſtus ignaros homines ad Apoſtolatum elegit, quia ipſe Apoſtolos eos inſtituere voluit Spiritus Sancti magiſterio. Tu qui Ignatium ignarum animadvertis; cur non item animadvertis tot & tales illuſtrationes in ſpelunca Manreſæ divinitus ipſi immiſſas, quod ſi ſacrę litterę non extarent, attamen pro fide mori paratus erat? *Ab incunabulis profanos habuit ſpiritus, tempus miſere præteriit inter vanitates, & inſanos amores.* Non ergo converſus, non factus eſt Sanctus? Non ab incunabulis ſtatim Sanctitatem adeptus; ſed ab inſtanti quo Pampejopoli ictu tormenti bellici Divina gratia eum poſtravit ut Saulum, & ut Saulum convertit. Quia Saulus perſequutor olim Eccleſiæ fuit, non ideo Apoſtolus, non ideo Sanctus? D. Auguſtinus adoleſcens ſpiritus profanos habuit, tempus miſere conſumpſit inter vanitates, & hęreticus erat Manichæus. Leguntur ſuarum Confeſſionum libri. Attamen hic ipſe Auguſtinus, poſtquam precibus Matris, & ſermonibus D. Ambroſii illuſtratus fuit, factus eſt gemma Sanctitatis, inter pretioſiſſimas quæ Eccleſiam Chriſti decorant. *Hic extima auſteritate aliquam famam ſibi primo acquiſivit Venetiis; hinc Romam ſe tranſtulit, ubi ad aucupandam Sanctitatis gloriam, flagellis coram diſcipulis*

pulis ſuis inſtabat pereuti: affectata erat Sancti hujus nuperi Sanctitas. Mendacia propria calami ſcribę ſcribentis! Unde ſcis extimam tantum, & fictam fuiſſe ejus Sanctitatem? Scrutatus es cor, examinaſti viſcera ejus? Venetiæ & Roma oculis eum videntes non viderunt; hoc autem arcanum diſſitis Proteſtantibus ita reſervatum, quod ipſi ſoli totum Mundum ab errore debuerint liberare? Charitas erga proximum, qua ardebat, major Dei gloria, quę in omnibus actibus ſuis nitebat, animarum converſio ſuorum laborum meta, temeritatem tuam falſitatis exprobrant; & rectitudo ſuarum operationum apertiſſime loquitur, ipſum alium fuiſſe Apoſtolum zelo tuendę Catholicę fidei adverſus Lutherum & Calvinum, ut antiqui Apoſtoli adverſus Idololatriam. *Percuti volebat ab ipſis diſcipulis.* Si id verum; actus heroicę pęnitentię, & humilitatis, a putido, & ſacrilego Prędicantis ore hodie traducitur quaſi actio hypocritę.

12. Franciſcus Aſſiſii ſecundus a te inquiſitus, & accuſatus primo, quod: *Homo ſimplex erat, qui hirundines ſorores, lupos fratres vocabat, piſcibus prędicabat. Inſpecto Agricola, duos agnos tergo bajulante, ait: Quid fratres meos ſic erucias? Conſcientia metuebat vermem occidere.* Hęc ſimplicitas, quam irrides, inſigne teſtimonium eſt innocentiæ Franciſci, quam nimirum Chriſtus a ſuis expoſcebat (*Matth. 10. 16.*): *Eſtote ſimplices ſicut Columbæ.* Propterea eos oves nominabat, ipſe autem Paſtor dici volebat. Si Franciſcus hirundines ſorores vocabat, ejus ſpiritus raptus ſemper, in his ſuum Creatorem contemplabatur. Non refers, aviculas ab ipſo non fugere, ſed circa ipſum volitaſſe, nec abiiſſe, donec benedictionem ab ipſo impetrarent? Taces, piſces vocatos ad audiendum verbum Dei obedientes adnataſſe, & in omnibus, quę ſimplicitate facta videbantur, Dei omnipotentiam miraculis affulſiſſe? Secundo ipſum carpis *occidiſſe Mediei filium, ut conſolationem haberet eum ſuſcitandi.* Si vere eum revocavit ad vitam, prodigium hoc plane fuit a nullo Proteſtantium unquam editum. At Franciſcus Medici filium non occidit, ſed mortuum reſuſcitavit; quod quid mali? Chriſtus pariter Lazarum mori permiſit, quem ſanare poterat, ut eum miraculo reſuſcitaret. Res eſt, vel Chriſtum male ſe geſſiſſe, vel non male Franciſcum. Nil ultra geſſit hic Sanctus? Taces cetera, quæ non vales maledicere. Taces Evangelicam paupertatem, qua reliquit totum pingue patrimonium, ut cum Apoſtolis diceret (*Matth. 19. 27.*): *Ecce nos reliquimus omnia.* Profundiſſimam taces humilitatem, qua a laudibus quaſi injuriis abhorrebat, & injurias quaſi laudes captabat. Cordis puritatem taces, ſummam fidentiam, qua ſe totum Deo committebat. Hæc & heroica alia, quæ ipſum inter primos Eccleſiæ Chriſti Sanctos extulerunt diſſimulas, quia ad rem tuam non faciunt, quæ unice maledictis delectatur.

13. Dominicus tertius eſt inquiſitus, & præ ceteris criminatus. Ejus accuſationes graviſſimæ: *Vir fuit ſanguinarius, qui rabidus per Gallias ultro citroque curſabat, ad arma ciendo Principes contra Albigenſes. Plus quadringenis millibus quaſivit ad mortem.* Alibi inclyti hujus Sancti, cujus inter filios mea gloria recenſeri, partes aſſumpſi, expeditionem ſuam contra Albigenſes vindicavi, & impoſitas calumnias tuas in hac parte rejeci. Sanguinarius non fuit Dominicus, nec Albigenſium ſanguinem, ſed animarum ſalutem ſitivit. Non rabies illum per Gallias egit, ſed zelus ardentiſſimus honoris Dei, & Virginis ulciſcendi, quem blaſphemiis ſuis, ut mox & alibi oſtendi, hæretici illi impie lacerabant. Quid cum illis conſilii eſſe poterat? Moniti pluribus colloquiis, & diſputationibus; confuſi nedum hujus Sancti rationibus, ſed etiam Dei miraculis; pertinaciores, ex hæreticis ſeditioſi, & rebelles effecti. Permittendum ne

ne ovile Chriſti ab his Lupis rapacibus deprædari? Eccleſia materna ſua pietate cernens illos abuti, ſeculari poteſtati puniendos dimiſit, ut olim contra Donatiſtas geſtum fuit; qui cum blandis matris Eccleſiæ monitis inſoleſcerent, quam reſipiſcerent, indictum ipſis bellum, quod juſtum fuit. Videatur Optatus, & Auguſtinus. Cur non idem contra Albigenſes intentandum? Eccleſia religionem, Gallia ſtatum tueri tenebantur, & Philippus Auguſtus altum dominium Toloſani Comitatus, a quo ſubtrahi Albigenſium auctus viribus Raymundus Comes machinabatur. Pax Regni turbata, violata illa Religionis; quæ major, & juſtior ratio conclamandi ad arma? Cælum ipſum id probavit, victoria prodigio obtenta. Catholici numero, & viribus valde impares, præpotentes hæreticos debellarunt, occiſione viginti duo millium iſtorum, octo Catholicorum. Adſtitit Dominicus miſſionarius, non miles. Aggrediebatur Albigenſes non gladio belli, ſed gladio verbi Dei; præliabatur, ſed Roſarii armis; & animarum perditionem in occiſorum morte lacrymabatur. Gallia manſit ad reliquos convertendos, & plus centum millibus Eccleſiæ matri pœnitentes reſtituit. En *ſanguinarium, qui plus quadringentis millibus Albigenſium* occidit. Legatur Guilielmus Brito *Lib. 6. Philippidos*, Lucas Tudenſis *Lib. 2. adverſ. Albigenſ. cap. 11.*, Paulus Æmilius *Lib. 6. de rebus geſtis Francorum*, Petrus Vallium Cernay *Cap. 7. hiſt. Albig. At Dominicus debuerat Albigenſes ad vitam revocare; & ſi, ut ipſe credebat, Hæretici moriebantur, ita agere, quod boni Catholici iidem reviviſceren,t.* Debebát Deus Pharaonem, alioſque mari demerſos, tot etiam populos habitantes terram promiſſionis ab Iſraelitis occiſos, ad vitam revocare; & ſi infideles moriebantur, ita agere, quod boni fideles reviviſcerent. Debebat Chriſtus Judam a morte revocare, & ſi proditor moriebatur, ita agere, ut fidelis diſcipulus reviviſceret. Hæ omnes perverſæ & ineptiſſimæ illationes a miraculoſa Picenini logica deducendæ ſubjiciuntur.

14. Quoniam autem lectores vocas *ad comparandam horum trium Sanctitatem cum Sanctitate Prophetarum, Apoſtolorum, & primæva Catholica Eccleſia Sanctorum*, fiat quod petis; & Ignatii, Franciſci, Dominici Sanctitatem comparemus illi Prophetarum, Apoſtolorum, ac ceterorum, & in Ignatio, Franciſco, Dominico, Eliæ & Apoſtolorum zelus facile conſtabit. Elias totus ſe contulit ad declamandum adverſus abuſus, & Dei offenſas; & hi tres, Eliæ ſpiritu, totos ſe dederunt ad corrigendos malos mores, & hæreſes exterminandas. Apoſtoli intenti fuerunt ad prædicandum Evangelium per univerſum Mundum; & hi ad diffundendum per univerſam terram, etiam inter barbaras nationes, mediis ſuorum Ordinum profeſſoribus. Veteres Sancti valide reſtiterunt ſuorum temporum hæreſibus, quod eorum libri teſtantur. Id præſtiterunt tres laudati, & adhuc demortui præſtant in ſectatoribus ſuis. Scio ingratum tibi eſſe armis errores ſubjugare; ſed Dominicus tanquam extremi mali extremum remedium id probavit, exemplo Auguſtini, & Optati adverſus Donatiſtas. Attamen quod probavit verbo, opere ipſe non implevit. Quid tum muſſitares, ſi ille novus Elias (4. *Reg.* 1. 10.) ignem e Cælo arceſſiſſet ad incinerandos Albigenſes; ſi qua Petrus ad pedes ſuos, ut Ananiam & Saphiram, extinctos cadere feciſſet; ſi armatus ut Joſue ſuis manibus mactaſſet? Hi antiqui Sancti; & hęc fecerunt. Populus pugnabat, Moyſes orabat, & hoſtes extincti cadebant. Moyſes ergo ne *Sanguinarius*? Exercitus pugnabat, Dominicus orabat, & Albigenſes victi cadebant. Ergo ne Dominicus eos occidebat? En inter Moyſen, & Dominicum perſpicuum paradigma. Diſplicet tibi diurno pręlio exterminari hęreſes, pręſertim Albigenſium, qui pſeudoreformationi regulam pręſcripſerunt. Deus (*Deuteron.*

Digitized by Google

teron. cap. 13. 14. 15. 16.) nonne præcipit, ſi quæ civitas Dei cultum deſerat: *Quære ſolicite, & diligenter rei veritate perſpecta, ſi inveneris certum eſſe quod dicitur ..... ſtatim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, & delebis eam &c.?* Si Deus præceperat, fieri ſane poterat. Non tam ſolicite tamen in Albigenſes animadverſum; comperta quippe ſuarum abominationum veritate, dilatum eſt, ad exhortationem, & reſipiſcentiam: nec in ore gladii percuſſi fuerunt, niſi cum tolerantia abuſi ſunt ad pertinaciam, & petulantiam. Eccleſia uti debet ſpirituali gladio, & Principes in cauſis fidei gladio ferri in tutelam Eccleſiæ, ut docet S. Bernardus (*Lib. 4. de Conſider. cap. 3.*): *Uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille vero & ab Eccleſia exerendus eſt: ille Sacerdotis, is militis manu. Sed ſane ad nutum Sacerdotis, & juſſum Imperatoris.* Sic contra Albigenſes. At quid plura? Chriſti Sanctitas a calumniis Hebræorum, illa Apoſtolorum a Gentilibus, illa veterum Sanctorum a veteribus Hæreticis blaſphemata. Patiamur igitur & nos Sanctos minus vetuſtos linguis pſeudoreformatorum impie maledici, & præſertim a ſerpentifera Picenini.

15. Iterum Pontifices probris aggrederis, petens *rationem de eorum Sanctitate*. Facile mihi longam Pontificum ſeriem texere, quorum vita ſancta fuit & immaculata. Nolo tamen a decimo Seculo & infra te eos quærere. Concedis igitur ab exordio Eccleſiæ ad hoc uſque Seculum Sanctos Papas extitiſſe; & tamen, per te, ſaltem quinque Seculis prævie horum Pontificum Eccleſia apoſtataverat. A decimo Seculo infra ſi non multi Papæ ſolemniter in canone Sancti, multi tamen integerrimam vitam, & probatiſſimam duxerunt. Verum Sanctos omnino omnes prætendis; hinc *pag. 188. Iſtis veluti innata eſſe debebat Sanctitas, ſi Vicarii Chriſti, & Dei erant in Terra. Cui aptior vita Sanctitas eſſe potuit, quam his, qui infallibiles arbitri doctrinæ eſſe debuerant?* Juſta quæreres, ſi Sanctitas dignitatis Sanctitatem inſtitueret perſonæ, & dignitas Vicarii Chriſti eadem eſſet ac impeccabilitas in eam habente. Caſus Petri, primi Pontificum, teſtatur Chriſtum Vicarios ſuos deſtinare homines, non Angelos. Sancta eſſe poteſt Eccleſia, Papa moribus non Sancto, quoniam Chriſtus, non Papa, Sanctam facit Eccleſiam. Papa Vicarius eſt, miniſter, inſtrumentum, organum, & Deus ſæpe fragilia quædam & miſera elegit, ut magna, & fortia perpetraret. *Fax accenſa ſplendet, ſive albus eam, ſive Æthiops deferat.* Effatum hoc tuum. Quid autem ſi hoc adhibes ad probandum, quicunque ſint pravi tuorum pſeudoreformatorum mores, iſtis tamen veritatem doctrinæ minime corrumpi; nunc non conſentis valere ad componendam cum Sanctitate doctrinæ quorundam minus rectam Pontificum vitam? Hoc eſt aſſentiri erroribus Donatiſtarum, Catharorum, aliorumque, qui vitiis redundantes, in aliis exigebant miniſterii veritatem inſeparabilem a Sanctitate morum; adeo ut mali miniſtri, veri Dei miniſtri ab ipſis non haberentur. Non ex perſonali Papæ Sanctitate repræſentatur Sanctitas Eccleſiæ, ſed ex Sanctitate legum, & morum, qui plerumque in ſuis fidelibus admirantur. Sit quod Bartholomæus Caranza, & Guicciardinus obloquantur de moribus Alexandri VI., quid inde? *Inde* (ais) *totus Chriſtianus Orbis expoſcebat reformationem in capite, & in membris, & qui id oneris ſuſceperunt, apud Jeſuitas ſunt Sectarii, Novatores, Athei, a Clauſtris profugi, nefandi Sponſi, bibones, ſacrilegi.* Falleris; neque enim totus Chriſtianus Orbis hanc expoſcebat reformationem in capite, & in membris, ſed hæ dumtaxat audiebantur a Germania voces, ore diſcipulorum Lutheri concinnatæ. Hi ſoli, qui deformiores erant, omni vitio depravati, ut vidimus, reformationem expoſcebant. Tandem factum

ctum. Videndum modo a quibus, & quomodo factum. Promotores Lutherus, Zuinglius, Bucerus, Calvinus; homines revera religioſi, Apoſtolici ſpiritus, idonei ad corrigendos abuſus *in capite*, & *in membris* Eccleſiæ depravatæ. Hi ſane digni Reformatores Eccleſiæ. Quomodo autem factum ſit ſtatim dicam. Abrogando Indulgentias, Miſſam, Confeſſionem, Jejunia, etiam Quadrageſimalia: reprobando Cælibatum, rapiendo Sanctimoniales a clauſtris ad nuptias: diripiendo ab Altaribus Cruces, Imagines Sanctorum & Virginis, harum execrando cultum, & ſuffragia Defunctorum. Hi deteſtabiles erant abuſus, quos Zelotes iſti Reformatores abegerunt. Nec poſſunt a Segneri hujuſmodi Reformatores appellari Sectarii, Novatores, Athei, profugi a clauſtris, ſponſi nefandi, bibones, ſacrilegi?

§. I I I.

Sancti chimarici Pſeudoreformationis.

16. Nova ſcena. Non hìc Picenine perſonam actoris facis inquirendo a Patre Segneri de Sanctis ſuis, ſed P. Segneri actor introducitur, quærens: *Oſtendant Sanctos ſuos.* Arbitrabar ſane hìc, quemadmodum Chriſtiani probant ſuæ religionis Sanctitatem a Chriſto, qui eam inſtituit, ab Apoſtolis, qui eam promulgarunt, a Martyribus, qui ſanguine eam confeſſi ſunt, ſic tu probandum aſſumeres tuæ deformatę religionis Sanctitatem, ex Sanctitate pſeudoreformatorum. De his tamen nec verbum. Age nunc Picenine, tempus eſt oſtentandi novæ Eccleſiæ reformatæ excellentiam; palam faciendo Sanctitatem illuſtrium virorum, qui non verbo tantum, ſed exemplo magnum hoc opus confecerunt. Lutherus, novus Evangeliſta, miſſus a Deo extraordinaria miſſione, qui Spiritum Dei habebat, doctior Hieronymis, Auguſtinis, & cunctis Patribus, poſitus ad extirpandos tot abuſus, tot errores ab Eccleſia Chriſti, ad deſtruendam Idololatriam; hic, aliique ſui coapoſtoli Sancti non ſunt? Zuinglius in acie mortuus profuſo ſanguine, & tot alii pro veritate certantes ſanguine, tum Galliæ, tum Angliæ, non ſunt Martyres, Sancti non ſunt? Ad manus veniat Kalendarium Foxianum, legatur longa ſeries Sanctorum qui ibi notantur. Nil refert non fuiſſe a Papa in Sanctorum canonem ſolemniter aſſumptos. Quot quippe ex antiquis Sanctos veneramur, quos, ut ais, non a Papis in canonem relatos, Sanctos tamen fecit irreprehenſibilis, & illuſtris eorum vita? Proferantur pſeudoreformatorum acta, mores, heroicæ virtutes ab ipſis frequentatæ, & Sanctos eos cum tota deformatione dicemus. Aſt tu nec verbum: & tamen hic erat loquendi locus. Silentium ſane tuum omni voce clarius, verum eſſe prodit totum id, quod Hiſtorici de peſſimis eorum moribus tradiderunt.

17. Re conſulta redis ad ingenium, & quod tibi deeſt nobis invides; unde *pag.* 189. ais: *Canonizatio Sanctorum octavo quidem ſeculo cœpit, quod fatentur Bellarminus, Cottonus prǽteritati.* Bene habes, dicendo *Canonizationem*, non *venerationem* Sanctorum; hæc quippe incœpit, cum primo incœpit Eccleſia, & Martyres habuit, ut jam indicavi, & alibi probaturus latius ero. Canonizatio igitur ſolemni ritu, quo nunc fit, non ſtatim incœpit, non quod Sanctos in canone nec haberet Eccleſia, nec coleret, ſed quia nondum hodierno ſolemni ritu in canonem illos referebat. Ne error irreperet, nec Sanctus diceretur, & coleretur, qui Sanctus non eſſet, vel e contra ne cultus & Sanctitatis honore vere digni privarentur, Judex illa ſemper eſſe voluit inquirendo de eorum vita, & virtutibus; defectu cujus Gentiles exprobrabat Tertullianus. Gloriabantur hi ſuos Deos habere. Ille autem a quo facti petebat? Non ex merito, ſed ex Senatus conſulto, qui frequentiſſime inter Deos recenſet immeritos, di-

gnos relinquens abſque divinitate abjectos. Lege igitur attentius Tertullianum, quem placuit in medium adducere. (*in Apologet. cap. 11.*): *Deos facitis crimınoſiſſimos quoſque ... Quod tamen potiores viros apud inferos reliquiſtis aliquem de ſapientia Socratem, de juſtitia Ariſtidem, de militia Themiſtoclem, de ſublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de eloquentia Demoſthenem. &c.* Tertullianus injuſtitiam reprobat faciendi Deos juxta libitum, non juxta meritum. In noſtra canonizatione Sanctorum non eos inſtituimus, ſed Dei ſervos declaramus: neque ingenium, & libitum Papæ, vel Conſiſtorii Sanctos faciunt, ut arbitrium, & voluntas magiſtratus Deos adoptabat; ſed bona opera, virtutes, miracula patrata in teſtimonium Sanctitatis Sanctos conſtituunt: & Papa inquiſita ſevere, ut ait P. Segneri, & comperta veritate bonorum operum, & virtutum alicujus viri, nil aliud agit, quam univerſæ Eccleſiæ teſtificare, & proponere hujuſmodi virum qua Sanctum. Antiqua Eccleſia id faciebat, ut refert Tertullianus (*Lib. ad Martyr. cap. 2.*) ſcribendo acta Martyrum, ut eorum memoriæ celebrarentur. Garris adhuc *pag.* 189. quod *P. Segneri inter ea quæ Romæ diligentiſſime fiunt ad Sanctum in canonem referendum, tacet unam ex præcipuis cautelis, nempe magnam pecuniæ ſummam, erogandam ad captandum favorem Deorum Romæ.* Exigitur ſumma pro ſolemni publica pompa canonizationis, non ad lucranda vota, quæ tum jam data ſunt, nulla erogata pecunia. Nos non *poſtponimus Sanctos veteres recentioribus*, dum ipſis eandem reverentiam, & cultum exhibeamus. Pſeudoreformatores enimvero ab Eccleſiis ſuis vetuſtos, & recentiores Sanctos exterminant. Scriptores autem *qui in dubium revocant Sanctitatem alicujus viri, qui ſolemniter univerſæ Eccleſiæ ut Sanctus proponatur*, nullam merentur fidem. Hinc etiamſi Caſſander *in conſult. ar.* 1., & Beſſario a Bodino relatus *Methed. hiſt. cap.* 4., ut opponis, dubitaſſent, quaſi videntes in canonem relatos nonnullos vitæ minus Sanctos, contra communem ſententiam non mererentur audiri. Saltem tamen cum ipſis indicare debueras qui eſſent, de quibus auctores hi videntur dubitare. Res tamen eſt, quod Caſſander citato loco non agit de Sanctis, bene vero de unitate divinæ eſſentiæ in tribus perſonis, & oſtendit quod articulus iſte quamvis *habeat firma, & certa divinarum litterarum teſtimonia; tamen hanc diſtinctionem, & expreſſam confeſſionem, & appellationem Perſonarum in Eccleſia receptam, & obſervatam eſſe ex antiqua, & perpetua traditione, decreto Concilii Nicæni*, & *concordi Eccleſiaſticorum ſcriptorum teſtimonio conſignata; ut vel hinc appareat quæ vis ſit Catholicæ traditionis in præcipuis quoque fidei controverſiis.* Sic Caſsander in favorem traditionis. Quod Bodinus de purpurato Beſſarione refert, minus eſt fide dignum; tum quia voci *narratur* innititur, nec Bodinus ex ore tam pii, & docti purpurati id audiviſſe valet jurare, tum etiam quia Bodinus in hujuſmodi rebus nimium accedit ad Proteſtantium genium; merito propterea proſcriptus ut *Homo temerarius, & inſolens, falſo admodum pro more ſuo, & manifeſta mendacia ſcribens.* Sic de ipſo Cujaccius *obſerv.* 181. *cap.* 38. *Auditionibus, & incertis rumoribus nimium ſerviens.* Sic Guilielmus Condenus in *Hibernia ſua.* Hinc lector habe, quæ fides Bodino debeatur.

18. Demum Sanctos tuos prætendis indicare, inquiens: *Sancti noſtri ſunt Apoſtoli, Martyres primævæ Eccleſiæ.* Ad ſuadendum, Apoſtolos & primos Martyres veſtros eſſe, probandum erat tum temporis veſtram, non noſtram extitiſſe Eccleſiam. Oppoſitum a me jam oſtenſum fuit. Irenæus, Auguſtinus, & Tertullianus, in catalogo Eccleſiarum quas Apoſtoli fundarunt ab ipſis exarato, veſtrarum nullam commemorant. Si

inſtes

inſtes quod veſtri agnoſcantur ex uniformitate doctrinæ, quæ ab ipſis prædicata, a vobis fideliter cuſtoditur; id jam manifeſtiſſime falſum oſtenſum eſt teſtimonio ipſo veſtrorum pſeudoreformatorum: oppoſitam enim eorum doctrinæ doctrinam prædicatis. Inter Martyres extant Papæ plurimi: hi profecto non veſtri, utpote vobis odibiles. Putabam inter veſtros Sanctos te oſtenſurum Donatiſtas, Waldenſes, Albigenſes, quos quaſi ſanctas animas ſæpe commendas; & memini ex te audiviſse, tum temporum cum Eccleſia perierat, vel apoſtataverat, hos ſeptem illos mille fuiſse non flectentes genua Idolis. Ais *Sanctos tuos eſſe plurimos, pie viventes, & ad ſanctitatem anhelantes*. Optarem eorum acta legere, audire heroicæ eorum documenta virtutis, ſin miraculorum, alicujus inſignis ſaltem chriſtianæ pietatis prodigii. Subdis: *Juxta doctrinam vetuſtæ Romæ omnes fideles Sancti.* O belle! Reprehendis novam Romam, quod in unius ſeculi curſu quatuor, vel ſex Sanctos declaret; inde vetuſtæ Romæ plaudis, quod, ut hariolaris, Sanctos habebat omnes Chriſtianos. *Paulus* (*ad Rom.* 1. 6.) ais, *Sanctos dicebat omnes fideles;* Sanctitate tamen religionis, non perſonæ. Inter fideles Corinthios multi probi, ſed improbi etiam multi; ambitioſi ſuperbi, litigioſi. Legantur ejus Epiſtolę (1. *Corinth. cap.* 5. & 6.). Hi *fideles*, nec tamen *Sancti* perſona, & moribus. In hac terra Sancti non negantur, ſed Sanctitatem habentes in vaſe fictili, quod facile frangitur. Militia eſt vita hominis ſuper terram, quæ expugnari poteſt, & heu nimium, expugnatur. Sola Sanctitas in cælo coronata, in tuto eſt; quia confirmata, & conſummata: quæ cum probata, & propoſita nobis ſit ab Eccleſia, nulla dubitatione a nobis colitur. Antiqua Eccleſia Martyribus carcere detentis obſequium præſtabat; non eos tamen in libros Martyrum referebat, nec colebat, donec morte martyrii agonem non conſummaverant.

Hęc conroverſia inter me, & te, nempe ad quos pertineant antiqui Sancti, ab ea pendet quęſtione, an fidem a noſtris, an a tuis profeſſam illi haberent. Hinc ut tuo indulgeam genio, ſtato loco inquiram de articulis de quibus Eccleſia Romana, & pſeudoreformatæ decertant.

§. IV.

Picenini calumnia adverſus univerſam Eccleſiam, ex privatis culpis quorundam Catholicorum.

19. MOrdere cogitas *cap.* 16. *pag.* 466. his tuis phraſibus nos aggrediendo: *Videt Jeſuita ſuæ Matris nuditatem, & filii pietate commotus, tegere eam tentat, ſed foliis. Catholicorum culpa, ait, non minuunt Sanctitatem Eccleſiæ, quia delicta, dum narrantur a Novatoribus, vel interpolata ſunt, vel amplificata.* P. Segneri id facit, quod olim Auguſtinus. Donatiſtæ, æque ac pſeudoreformati, ad fucandam aliquo colore pravam eorum Apoſtaſiam, incuſabant Eccleſiam variis criminibus, quibus falſo jactabant ipſam a Chriſto apoſtataſſe. Idem Manichæi faciebant. At D. Auguſtinus, etſi non inficiabatur in Eccleſia nonnulla mala eſſe, & peccata, ſuæ tamen fidei puritatem tuebatur, inſiſtens (*Lib.* 1. *de moribus Eccleſ. Cath. cap.* 34.): *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.* Ceſſate vos pariter, iniqui Ariſtarchi, maledicere Eccleſiæ Romanæ, & Catholicæ, & veſtra conſiderate vitia, innumeraque crimina. Probate, ſi valetis, Eccleſiam noſtram docere, & conſulere peccata, aut ea jam commiſſa approbare, ut vos facitis. *Si in Prælatis ſuis vita fuit ſcandalo obnoxia*, ideo quia vixerunt contra ſanctiſſimas ejus leges; *Si culpæ ſunt in populo*, ideo quia declinat ab ſuis

 inſti-

inſtitutis; Eccleſia ſanctiſſimis legibus munita non deficiet a Sanctitate, quanquam ſectatores ſui deficiant a lege: quemadmodum Synagoga non amiſit Sanctitatem, quanquam populus deflexerit ad Idola. Bene habet P. Segneri, quod *delicta Catholicorum, dum narrantur a Novatoribus, vel interpolata ſunt, vel amplificata*. Nec fas eſt ad id probandum longe argumenta repetere, cum in Apologia tua lectori monumenta prębeas evidentiſſima, quatenus levem quamlibet feſtucam videns in oculo Catholici, trabem illam tuis ſcriptis facis. Multi equidem ex noſtris ea memorarunt, & exaggerarunt; aſt noverunt diſtinguere inter Catholicorum mores, & Sanctitatem Eccleſiæ; nec propterea *adulteram* eam, & *meretricem* dixerunt, nec ſchiſma fecerunt. Pro me modo valeat ſermo ille Lutheri in expoſitione pſalmi ſecundi, quem lego *Tom.* 4. ſuorum Operum editorum *Jenæ* 1558. Hunc improperabant Catholici, quod eum ipſe gloriaretur novo Evangelio ſuo veniſſe ad reformandam Eccleſiam, deteriores tamen inter ſuos viderentur mores: *Papiſtarum ſcripta lege* (hæc ipſe), *audi conciones, & invenies hoc uno eos niti argumento; quod dicunt nihil ex noſtra doctrina enatum boni: nam ſtatim poſtquam Evangelium noſtrum ſonuit, ſecutam ſeditionem horribilem Agricolarum, orta in Eccleſia diſſidia, & ſectas; diſſolutam diſciplinam, ac quaſi effractis repagulis legum, ſumma licentia omnes cupiſſe uti, ſicut profecto verum eſt. Major enim licentia omnium vitiorum nunc, quam fuit ſuperioribus temporibus &c.* Quoniam igitur evidentia veritatis eum cogit fateri, ex ſuo Evangelio non prodiiſſe niſi ſummam licentiam, audiamus quid inſignis iſte Reformator reponat: *Sed tu pauliſper differ ſententiam, & prius de tota re cogita diligentius, ac in formam dialecticam argumentum redige, et diſpice num bona conſequentia hæc ſit: Theologus eſt malus, ergo etiam Theologia eſt mala: Juriſconſultus iſte eſt nequam, ergo cognitio quoque Juris eſt mala: Hic magiſter eſt ſcortator, ergo artes quas profitetur ſunt ſcortatio. An non inſanum dicemus, qui has conſequentias defendat bonas, & firmas eſſe? Et tamen nihil prudentius colligunt adverſarii.* Ratio hæc vera, falſo tamen oppoſita; quoniam qua verum erat pravos eſſe ſuorum ſectariorum mores, tam verum erat falſam fuiſſe doctrinam & Evangelium, quod prædicabat; valeat ad ſatisfaciendum tibi. Do inter Catholicos nonnullos eſſe, vita & moribus perverſos: ſed tu pauliſper differ ſententiam, Domine Jacobe; primum diſpice num bona conſequentia hæc ſit: Catholicus hic vel ille male vivit, ſcortator eſt, adulter eſt &c.; ergo etiam Eccleſia, & Religio, in qua vivit, vera non eſt, ſed fornicaria, & adultera. Si ſana mente loqui volebas, ſic rationem debebas inſtituere: Hic Catholicus male vivit, ſcortator eſt, adulter, nec Eccleſia Romana eum damnat, ſed legibus ſuis approbat ejus delicta; ergo Romana Eccleſia male vivit, adultera eſt, et fornicaria. Quod ſi non probas (nec in æternum probabis) Lutheri ſententia inſanus eſto.

20. Sit quod *Cornelius Muſſus* Romæ prædicans, increpando pravos mores, dixerit in Concione Feriæ ſextæ ante V. Dominicam Quadrageſimæ: Apud omnes nationes Romanum nomen odioſum; & declamaret: Civitas ſancta quam profanata es! Concionatores commendare nedebent mores populi, quam objurgare defectus? Forte Cariæ aliter fiet. Loquens tamen Muſſus de Romana fide, ait nunquam eam in ullam hæreſim eſſe delapſam. Inter Corinthios fornicationes erant, & adulteria, itaut uxorem patris ſui filius opprimeret. D. Paulus 1. *Corinth.* 5. & 6. id exaggerat & reprehendit. Eccleſia igitur Corinthi fornicatrix ne erat? Quando purior unquam Eccleſia, quam ſub conſpectu ipſo Chriſti? Inter ſolos tamen duo-

decim

decim nonne Judas proditor? Nonne Petrus, qui Chriſtum negavit? Eccleſia hic in terris area illa eſt cum frumento mixto palea, ager ille, qui bonum ſemen habet, & zizania; propterea terreſtris hęc Eccleſia quotidie dicere debet: *Dimitte nobis debita noſtra*. Videatur D. Auguſtinus *lib. 1. Retract. cap. 7.*, *Epiſt. 50. ad Bonifac.*, *Ep. 57. ad Dardanum*. In Eccleſia Chriſti homines ſunt moribus perverſi, nemo tamen ideo debet ab illa recedere. Donatiſtæ qui ab Eccleſia ſe ſegregaſſe dicebant propter malos, qui ibi habitabant, ab Auguſtino reprehendebantur (*Lib. de fide & operibus cap. 4.*): *Etiamſi mali fuiſſent, propter quos in Eccleſia non eſtis; vos tamen, quos emendare, aut ſegregare minime poteratis, in Eccleſia permanere debuiſtis.* Et infra (*Cap. 5.*): *Nos vero ad ſanam doctrinam pertinere arbitremur, ex utriſque teſtimoniis vitam, ſententiamque moderari, & ut canes in Eccleſia propter pacem Eccleſia toleremus: & ut canibus ſanctum ubi pax Eccleſia tuta eſt non demus. Cum ergo ſive per negligentiam Præpoſitorum, ſive per aliquam neceſſitatem, ſive per occultas obreptiones, invenimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſtica diſciplina corrigere, aut coercere non poſſumus: tunc ne aſcendat in cor noſtrum impia, & pernicioſa præſumptio, qua exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos.* Demus igitur in Eccleſia fuiſſe mala exaggerata a Muſſo, a Concilio Tridentino, ab Alvaro Pelagio, a Petrarca, a Claudio Eſpenceo, & ab aliis, quod *temporibus D. Bernardi eſſent abuſus, quos ipſe refert*, quamvis hæc verba: *Miniſtri ſunt Chriſti, & ſerviunt Antichriſto* non legam, nec in veteri editione 1538., nec in recentiori 1679. utraque Lugduni; quod omnes Aſſeſſores Papæ eſſent *ambitioſi, avari, impii*. Age, ſint hæc omnia. Quemadmodum tamen nec D. Bernardus, nec quiſquam ex præfatis, ſe ſubtraxerunt ab obedientia Papæ, neque Eccleſię Romanæ, quaſi adulteræ, ſic nec ſubtrahi ſe debebant auctores pſeudoreformationis, eo vel maxime cum nemo eorum Paſtor eſſet, non incumbebat ipſis tam indiſcrete zelare gregem Chriſti. Hinc peto ex te. Inter tot illos, quos, ut ais, in ſeculis Luthero pręviis exoptabant, & expoſcebant reformationem Eccleſiæ, unum oſtendes reformationem expoſcentem in fide, & doctrina, in religione, & cultu, qui pręſertim perficitur Sacrificio Altaris, pro exterminanda Superiorum auctoritate, illa potiſſimum Papę, quę recentioris pſeudoreformationis fuit ſemper totius furoris ſcopus? Optabant, & petebant quidem reformationem in moribus, qui in plurimis depravati erant. Quod ſi mens quædam inſana, & ſeditioſa, ut Petrus de Bruis, Arnaldus a Brixia, auſa ſit dogmata reprehendere, nonne ad ea tuenda omnes inſurgebant, non permittentes rem fidei nec in minimo variari? Audiatur D. Bernardus *Serm. 66. in Cantica* quo zelo agat adverſus ſuæ ætatis hæreticos, qui abſtinentias, purgatorium, preces pro defunctis, & invocationem Sanctorum ab Eccleſia moliebantur avertere. Alvarus Pelagius in ſuo libro *de planctu Eccleſia* exhibet quidem nobis Eccleſiam plorantem mala, & diſſolutiones quorundam ſuorum in moribus; minime vero errores in fide. Sed hunc profecto Picenine non legiſti, quippe ſi legiſſes in primo libro qua reverentia & favore loquatur de auctoritate Papæ, ab hujus Auctoris mentione facile abſtinuiſſes. Idem repeto de Claudio Eſpenceo. Quamvis carpat licentioſos quorundam mores, dogmata tamen tractans, aperte tuetur illa Eccleſiæ Romanæ, & de Proteſtantibus loquitur tanquam de hæreticis. Quare igitur inducis Auctores iſtos tanquam conteſtes neceſſariæ reformationis in fide, qui revera ſunt cauſæ noſtræ probati vindices? An vera ſint crimina oppoſita pſeudoreformatoribus, jam dictum eſt ſupra, oſtendendo ea narrata nedum a noſtris, ſed ab ip-

ſis

ſis Proteſtantibus, atque ideo fide digna.

21. Non præclare minus, quam veræ ſcripſit P. Segneri, quod „ſicut ebrio pauca numero objecta, „multa apparent, ita Proteſtantibus „culpæ quorundam ex noſtris ipſorum oculis multiplicantur, ut plurimis, ne dicam omnibus, communia eſse videantur„. Duo præſertim reos nos faciunt apud Proteſtantes; quæ tu ſæpe commemoras in *Apologia*. Unum eſt *conjuratio regia familia Angliæ*, de qua *pag.* 467. refers: *Plurimi ex Romanis Catholicis conjuraverant diruere Atrium Weſtmonaſterii, cum Rege, Regina, regia familia, & illuſtris illius Regni nobilitatis flore.* Alterum parricidium *Henrici III. Regis Galliarum*, de quo nedum Clementem, ſed plures alios religioſos viros reos facis. Duobus autem hiſce exemplis ad omnia ſtricte arguis, concludens: *Inſpicite quam ſecuri ſint Principes in Religione Panigarolæ.* Illatio a duobus caſibus ad omnes, pene ſi rebellio, & parricidium dogmata eſsent præcepta, & non deteſtata ab Eccleſia Romana, in ſana dialectica, quomodo permittitur? Quo ad parricidam Henrici III., jam dixi impium latronem proditorem fuiſse, atque iterum repeto; nego tamen hunc fuiſse Fratrem Jacobum Clementem, & apertiſſima calumnia eſt hunc communicaſſe *Priori ſui Conventus, aliiſque Religioſis ſuum nefandum auſum, & approbationem obtinuiſſe.* Circa conjurationem *Pulveraria* contra regiam domum Angliæ, reos facis confeſſos Jeſuitas *Garnetum*, & *Oldcornium*; ſed puto te falſum impoſtorem ſupra probaſſe, & illorum innocentiam integram oſtendiſse, lectorem mittens ad P. Bartoli in ſua hiſtoria Angliæ. *Thomas Bates* P. Garneti accuſator, videns longam ſpem fortis ſuæ deſperatam, calumniam ſaſſus eſt, & ſe retractavit. Conjuratione deprehenſa, Puritani omnes Catholicos complices criminabantur (cum fuerint admodum pauci) ut populus ita commotus ſtragem faceret omnium qui Londini ſupererant; Papam etiam, alioſque Principes conſcios vociferantes. Horum porro lingua loqueris. Quale tamen teſtimonium magis authenticum de evidentia hujuſmodi calumniæ, quam ipſa declaratio Jacobi Regis, in quem intentata fuerat conjuratio? Hic comperto gravamine impoſito tot innocentibus, offenſus licet, & ſecta Proteſtans, ſuo Edicto edito die 7. Novembris 1605. declaravit „de fidelitate Catholicorum (exceptis paucis nominatis, & ſi qui alii addendi eſſent) ſuaſum & certum eſſe; „& quod abominabantur execrabilem illam conjurationem, et neminem eſse qui paratus non eſſet „ſanguinem & vitam dare in defenſionem ſuæ perſonæ &c.„. Quantum vero ad Principes, declarabat „fraudulentos, malitioſos, inſtigatores perditæ gentis, quoſcunque „illos culpantes conſcios eſſe tam „barbaræ conjurationis„. Sic teſtatur Jacobus Rex offenſus; & Jacobus Piceninus omnes vult complices? Quid mirum, inter tot Catholicos in illo Regno oppreſſos, nonnullos cogitaſſe animo tale facinus, ſibi male ſuadentes licitum facinus Sampſonis contra Philiſtæos? Ex illis *centum Religioſis, innumeriſque laicis, quos innocentes ait Pater Segneri fuiſſe ultimo ſupplicio affectos*, ſi acta eorum juridica legi poſſent, conſtaret nec verbum unquam extortum ex ore illorum, quo vel ſe reos, vel complices alios deponerent. Papiſtæ tamen erant, Regem omnes negabant religionis caput; propterea rebelles, & morte plectendi. De hoc alibi ſatis. Hic addo ad tui notitiam, noſtrorum neminem unquam pronuntiaſſe Reges ſub lege ſubjici, populum vero ſupra legem dominari; quod tamen Buchananus tuus ſcripſit, in libro inſcripto: *Dialogus de jure Regni apud Scotos*; idque ad incitandos populos, nedum Scotiæ, ſed totius Orbis, ad promptas ſeditiones contra ſuos Principes, putantes ſe ſupe-

ſuperiores Principibus, & Principes quaſi adminiſtros, & officiales populi; Liber merito execratus a Guilielmo Barclai *de regno, & regali poteſtate*, contra Buchananum, Brutum, Bucherium, alioſque Monomarchomacos. Noſtrum nemo unquam pronuntiavit Principes eſſe Tyrannos, quemquam ex populo eſſe quidem in gratiam Regis; aſt univerſam populi collectionem ipſi ſuperiorem eſſe, magiſque Regibus præeminere Nobiles, & Magiſtratus ſimul, aliaque aſſerta offenſiva Principum: id tamen tradit Stephanus Junius Brutus in libro *Vindiciæ contra Tyrannos, ſive de Principis in populum, populique in Principem legitima poteſtate*, merito confutatus a Barclai, immo a duobus Auctoribus Catholicis Scotis, nempe a Canero Doctore Lovanienſi, & Epiſcopo Loevvandienſi Friſiæ in libro *De Officio Principis Chriſtiani*, & a Niniano Vinceto duobus operibus, videlicet: *Velitatio adverſus Buchananum*, & *Flagellum Sectariorum*. Hinc immerito iraſceris adverſus Panigarolam, quod ſcripſerit *ipſam Principis vitam tutam eſſe non poſſe, ubi ſunt hæreſes*. Immerito, quia ſi oculos verteres ad Regnum Galliæ, quo tempore Calviniana hæreſis illic graſſabatur, attentis ſeditionibus, ac diſſidiis illius Regni, ſtragibus & funeſtiſſimis Angliæ tragœdiis, ex quo Henrici libido tot ſectas introduxit, hanc veritatem, ſin fateri velles, compertam tamen habere deberes. Res tamen una eſt. Manifeſtæ ſeditiones, conjurationes, rebelliones Calviniſtarum ceterorumque pſeudoreformatorum adverſus Principes, juſtæ vindictæ ſunt irritatæ innocentiæ; quicunque autem leves Catholicorum motus contra aggreſſores & depravatores Religionis antiquę Majorum, manifeſtæ ſunt *rebelliones*, impiæ conjurationes, juxta ſententiam Prædicantium. Quod ſi Catholicorum quis ad ſe redimendum ab iniqua vexatione in aliquam vindictam conſpiraſſet, quid plus tentaſſet; quam quod præter ſupradictos docuit *David Pareo*, & ipſe Calviniſta? Suis quippe commentariis *in Epiſt. ad Rom.* hæc tradit: *Subditi non privati, ſed in Magiſtratu inferiori conſtituti, adverſus ſuperiorem Magiſtratum, ſc. Rempublicam, & Eccleſiam, ſeu veram Religionem etiam armis defendere jure poſſunt, his poſitis conditionibus; prima cum ſuperior Magiſtratus degenerat in Tyrannum; ſecunda cum ad manifeſtam Idololatriam, aut blaſphemiam ipſos, vel ſubditos alios ſuæ fidei commiſſos velit cogere &c.* Quo denotat concedere inferioribus Magiſtratibus armis invadere Regem poſſe, quatenus hic ad Catholicam Religionem vellet eos cogere; cum Religio Catholica, & ejus ritus, apud Calviniſtas, nomen obtineant Idololatriæ, & blaſphemiæ; quare igitur Catholico Magiſtratui reſiſtere armis non liceret contra ſuum Regem, qui ad Calviniſmum eum cogens, apoſtatam ſuæ Religionis fieri vellet? Me non latet Jacobum I. Angliæ, etſi Proteſtantem, hunc Calviniſticum ſpiritum execratum fuiſſe, qui commovet ſubditos ad rebellionem contra ſuos Reges; cujus doctrinam ab Univerſitate *Oxonii* proſcribi, & a Davide Ovveno confutari curavit. Negare tamen nequis Davidem Pareum Calviniſtam hanc docuiſſe, & proſcriptam, adhuc a Parei filio mordicus fuiſse defenſam. Porro ſi nonnulli Catholici Angliæ id praxi tenuiſsent, adimpletum ab ipſis foret quod in Scholis Calviniſticis traditur; niſi prætendere audeas, licitum eſſe contra Regem inſurgere volentem ſubditos Catholicos fieri, minime vero cogentem a Catholica Religione ad Calviniſmum addici. Videatur liber: *Apologie pour les Catholiques p. 1. cap. 2. 3.*

22. „ Catholicorum delicta (ait „ P. Segneri) Sanctitati Religionis „ derogare nequeunt; dum a prima„ ria intentione minime procedant, „ ſed dumtaxat per accidens, neque „ Eccleſiæ imputanda, quæ ea vitu„ perat; conſulit vero, & præcipit „ omnes virtutes,„ Idem aſſerebat Auguſti-

guſtinus, qua ratione Donatiſtarum, & Manichęorun probra repellebat. Tu autem *pag.* 468. ad hæc clamas: *Peccatum grande Idololatria; hoc prodit a Romana Eccleſia non per accidens, ſed primaria intentione; quoniam eam preſcribit, præcipiendo illis ſervire, qui natura Dii non ſunt.* Hæc inſignis eſt calumnia Cariæ compoſita; cui dico: mentiris. Eccleſia quippe Romana Idololatriam gravius deteſtatur, quam ipſi Proteſtantes. Idololatriam autem eſſe cultum Sanctorum & Imaginum, probabo pſeudoreformationis ſomnium eſſe, & chimæram; non minus ac declamare *pag.* 468. *Peccatum grande eſt perfidia, juramentum frangere, infideli etiam factum. Id manifeſtum ex facto Saul cum Gabaonitis. Romana Eccleſia docet, hæreticis non eſſe ſervandam fidem; quaſi pejores hi Paganis.* Tum hoc etiam eſt Calvinianæ perfidiæ commentum, Eccleſiæ Romanæ impoſitum. Id nunquam noſtra Eccleſia tradidit; immo oppoſitum docet. Qua enim conſcientia id effutire vales, cum non tam noſtrorum univerſitas Doctorum ſervandam eſſe etiam hæreticis datam fidem tradat, quam Concilium ipſum Tridentinum *Seſſ.* 13. 14. 18., quod hanc Proteſtantibus ſacroſanctam exhibuit, ſi accederent ad Concilium, comminando tenus pœnas omnes jure naturali, divino, & humano debitas tranſgreſſoribus? Hæreticum porro infideli deteriorem eſſe D. Auguſtinus (*Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 25.) probat: *Cum pejor utique ſit deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator ejus effectus, quam ille, qui non deſeruit quam nunquam tenuit.* Adhuc garris: *Peccatum grande inceſtus. Romana Eccleſia inceſtum concedit; diſpenſat gradus a Deo vetitos.* Si Eccleſia diſpenſat, non ergo ultra peccatum eſt, & inceſtus. Tuum eſt probare, hanc non habere poteſtatem, & factis rationibus occurrere. Defuncti uxorem a fratre ſuſcipi in lege veteri Deus & concedebat, & volebat: neque Chriſtus præcepit oppoſitum. Eccleſia igitur id poteſt permittere. Profecto Lutherus large ſe & alios a ſolemnibus votis diſpenſavit. Mendacia perorando, concludis *pag.* 469. *Si occiditur Princeps, ſi mentitur, ſi fraus fiat; peccata hæc ſunt imputanda Romanæ Eccleſiæ, quæ parricidas fovet, Martyres eos acclamando, quæ amphibologias defendit, & mentis reſtrictiones.* Quandonam Eccleſia *parricidas* fovit? Quando Martyres hos acclamavit? Damnas Romanam Eccleſiam, quatenus judicio ſuo a tuo recedit; dum illa Martyres judicat in ſua defenſione cadentes, quos tu *parricidas* appellas. Gentibus pariter ſacrilegi & rebelles erant, qui thus Jovi dare, & Tyrannorum obtemperare decretis in præjudicium chriſtianæ fidei recuſabant: Martyres tamen antiqua Eccleſia hos acclamavit. Verum de his jam ſatis dictum. Reſtrictiones autem mentales, & fraudes Eccleſiam probare quam falſum ſit, ex decretis Summi Pontificis Innocentii XI. expreſſe ea damnantis, cognoſcere, inique detractor, facile poteris.

23. Videris *pag.* 469. velle te P. Segneri in ſermone capere, quaſi quod poſtquam dixerat, *Sanctitatem teſtificare Romanam Relig onem veram eſſe*, inde aſſerat, *gravia delicta Catholicorum, eorum fidem manifeſtare*, inquiens: *Quemadmodum vis morbi, qui ſit natura Athletarum vigor, indicat; ſic gravia Catholicorum delicta, cujus ſit veritas ſuæ fidei, manifeſtant*, Patris Segneri diſcurſum non capis. Quippe aſſerit: cum Catholicus tanta munitus gratia, quæ ipſum in virtute robuſtum faciat, in deterius labatur; ſumma profecto eſt hujus ægritudo, quatenus ex exceſſu pravæ voluntatis procedit, quod hujuſmodi auxiliis reſiſtat. Gradus ſublimitas nedum ex eo qui ſtat, quam ex eo qui cadit commenſuratur; quoniam quo eminentior eſt gradus, immanius eſt præcipitium. Angelus a ſummo ad ima cecidit: & Judas ex Apoſtolica Sanctitate corruit in impiiſſimam proditionem.

24. Deformatis Catholicis ceu

monſtra iniquitatis, pſeudoreformatos tuos commendas quaſi Sanctos, & ais *pag. 469.: E contra ſi vitium aliquod in Eccleſia reformata deprehenditur, per accidens evenit*. En Phariſæum, qui nos ut Publicanos deſpiciens, ſe poſtea extollit, & inflat. *Non vitium, quod non vituperetur, non virtus, quæ ex ſuggeſtibus noſtris non commendetur. Non attritionem, quam contritionem neceſſariam nos prædicamus. Nemo noſtrum docet abſque dilectione Dei ſalutem poſſe conſequi. Nemo ad Idololatriam hortatur. Nemo fraudes pias eſſe probat. Omnes clamant contra polygamiam, contra inceſtum, & fornicationem. Si a noſtra doctrina morum deflectitur, Filiorum noxa eſt, qui regulas Matris excedunt.* Phariſæum juſtitias ſuas oſtentantem audivimus, attendamus nunc ſi juſtificatus diſcedat. Calviniana pſeudoreformatio, non (ut eam exhibes) tam formoſa ſpecie Proteſtantibus apparuit. Eſhuſius audiens a multis vellicari tanquam Calviniſtarum fautor, exclamavit: *O vos mendaciſſimi, perverſiſſimi, impudentiſſimi Calviniſtæ, qui in omnibus venis veſtris ne unam quidem guttam habetis, vel fidelis Chriſtiani, vel viri boni!* Eos Illyricus ſic deteſtatur: *Cum Sacramentarii contra propriam conſcientiam nitantur, & ſint prorſus impœnitentes, dico, habendos eſſe tanquam Ethnicos, & Publicanos, & nulli viro bono, & ſalutis ſuæ amanti conſuetudinem, amicitiamve ullam cum ipſis eſſe debere; & qui ſecus fecerit, denuntio eadem lepra infectum, & ſic ira Dei ſuper illum.* Nicolaus Amſdorfius: *Anabaptiſtas, & Calviniſtas periculoſiſſimos eſſe ſeductores, illos ſimulata pietate, hos ſophiſtica doctrina ad illaqueandum miſerum populum, artifices miros, Germaniæ everſores, cum quibus ſalva conſcientia commercium tolerari non poteſt, minus hæreſes eorum probari.* Stancarus eos vocat: *Pejores Cainitis, Arianis, Eutychianis, Apollinariſtis.* Joannes Schunt: *Mahometiſmus, Arianiſmus, & Calviniſmus ſunt tres fratres, & quatuor caligæ ejuſdem panni.* His coloribus ipſi Proteſtantes Calviniſmum pingunt, de quo tu ais: *Si vitium aliquod in eo deprehenditur, per accidens evenit.* Age, ſit quod hi ſecta Lutherani, ex præjudicio partium, non ex veritate loquantur. Certum enimvero eſt pſeudoreformationem (ne iterum dicam de ſuorum Auctorum vitiis) ex inobedientia erga Prælatos ſuos, ex ſuperbia ſuorum Auctorum prodiiſſe, tum ex tumultibus Helvetiç, & Germaniæ, ex rebellionibus Galliç, & Anglicanæ Eccleſiæ proceſſiſſe. A religione autem in his fundamentis conſtructa exſpectari ne leges poſſunt ſua indole ſanctæ, & vitia tantum *per accidens*? Vix apparuit, quod prætextu exterminandæ ſuperſtitionis, & Idololatriæ, Europa tota contabuit, fœdata ſacrilegiis, ſtupris ſacrarum Virginum, Templorum, & Altarium devaſtationibus, contumeliis Euchariſtiæ, & Sacrarum Imaginum. Tunc Cælibatus in deriſum habitus, Jejunia proſcripta, ubique licentia, ubique luxuria. Tunc auditum Deum eſſe Tyrannum, arbitrio hominem privantem, qui creat ut damnet, qui peccati Auctor eſt quod inde ſeveriſſime punit; quæ omnia jam ſupra probata, quæ cuncta in Picenini ſchola docentur, quç inſonant a *Suggeſtibus Proteſtantium*. Contritionis & dilectionis Dei neceſſitas a vobis prædicatur? Contra Idololatriam, parricidium, fraudes, mendacia, polygamiam, inceſtum, fornicationem clamant ſuggeſtus veſtri? Hæc omnia pariter a noſtris ſuggeſtibus audiuntur: & in his hucuſque juſtificatus appares. At non ſubdis quæ ex ſuggeſtibus veſtris declamantur adverſus Papam, Sanctos, Cælibatum, Jejunia, Miſſam, bona opera, quç exinanitis, anſam præbendo homini qua impune peccet, dummodo fidem ſervet; bene habens P. Segneri dum dicit, quod = ex doctrina Lutheri, qua homo ſceleſtior eſt, eo promptior Deus eſt ad infuſionem gratiç =. Quanquam autem id farcire ſtudeas, commentando, *apud Lutherum ſce-*

ſceleſtum eſſe, intelligi idem, ac reum ſe confiteri, exinanire ſe coram Chriſto, peccatorem proteſtari; hoc tamen commentum Lutheri doctrinæ nequit accommodari, qui ſæpiſſime docet Chriſtiano nullum nocere peccatum, dummodo fidem ſervet, & credat, auſus uſque dicere, nullum præter infidelitatem haberi peccatum. Quibus facile conſtare poteſt, hæc ne lex ſit, in qua: *Si vitium aliquod deprehenditur, per accidens evenit*.

25. Etſi autem naturalis legis in aliquo præcepto obſervantia vigeret, quid tum ex ea boni, ſi ſupernaturalia præcepta evacuantur, & ad ingenium cujuſque credendorum fides conſtruitur, dum mens pſeudoreformatorum facta ſit ſupremum *diſcretionis* tribunal, in quo plurimi proſcribuntur articuli cunctis ſeculis jam retenti, & crediti? Ipſę etiam Gentes, quæ legis naturæ erant obſervabant. Mahometani quoque pari ratione tecum contendent, cum Idololatriam, fraudes, injuſtitias in profanis templis ſuis execrentur. Ipſorum nemo parricidium commendat, nec licita habet mendacia. Si id valeat, dici item poterit inter ipſos: *Si vitium aliquod deprehenditur, per accidens evenit*. Phariſæus Deo recitabat juſtitias ſuas, neque ut ceteros hominum eſſe gloriabatur, adulteros, raptores; ideo ne *juſtificatus deſcendit*? Audiatur D. Auguſtinus in *Pſ.* 54., ubi agendo de Donatiſtis, qui, ut tu facis, gloriabantur eſſe cum Chriſto in multis magis, quam Catholici, ſumptis illis Pſalmi verbis: *In multis erant mecum*, introducit illos alloquentes ſic: *Baptiſmum habebamus, utique in eo erant mecum. Evangelium utique legebamus, erant in eo mecum. Feſta Martyrum celebrabamus* (hoc tu nequis aſſerere) *erant ibi mecum. Paſcha ſolemnitatem celebrabamus, erant ibi mecum*. Sequitur inde Auguſtinus ad eorum corrigendum errorem: *Sed non omnino mecum. In ſchiſmate non mecum, ſed in his paucis, in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum*. Conſidera, Picenine, Auguſtini ſermonem, & evaneſcet omnis gloriatio tua.

26. Notat P. Segneri, quod ſi in aliquo pſeudoreformato *relucet quędam virtutis ſpecies, id oriri, quatenus recedunt minus a Romanis ritibus*. His acriter reſiſtis *pag.* 470., opponens: *Quomodo Romę ritus laudabiliter irradiare illos valent qui minus recedunt, dum non irradiant illos qui cominus accedunt? Si Italia populos quos integre illuſtrant minime ſanctificant, quomodo rigidiores Lutheranos ſanctificabunt, qui illos dimidiate habent, & in minima parte cuſtodiunt?* Nihilo ſecius P. Segneri ſcite loquitur cum prælaudato D. Auguſtino, qui probat Paganos longius a Chriſto diſtare, quam Donatiſtas; quia illi minus quam iſti cum Eccleſia cohærebant. Peto itaque modicum: Illud boni, quod adhuc ſupereſt in ſectis veſtris, unde acceperunt pſeudoreformatores veſtri, niſi ab Eccleſia Romana, a qua nutriti, tanquam perfidi filii longe receſſerunt? Veſtigia illa minima honeſtatis, quæ quadantenus uſque modo Mahometani ſequuntur, antiquæ ſunt impreſſiones illius veræ virtutis, quæ quondam ſteterat in illis regionibus, quando ibi res Chriſtiana dominabatur, a qua Mahometes ſuffuratus eſt quidquid boni in Alchorano inſeruit. Umbra illa pietatis, quam retinent Hebræi, eſt tenuis vapor antiquæ lucis, qua majores ſuos vera religio illuſtravit. Sic radius ille qui nitet inter nonnullos Hæreticos, ad illos extenditur ex minori diſtantia a ritibus Catholicę fidei. Ita loquitur P. Segneri. Populi autem Italiæ nec ne ſanctificati ſint, explorare non debes ex his, qui cæci eſſe volunt in meridie; ſed ex multitudine eorum, qui luce bene utentes ad videndum, in Domino vivunt, & poſt mortem noti fiunt fama ſanctitatis; quibus pſeudoreformati prorſus carent, cæcæ talpæ ſemper in tenebris jacentes.

27. Directe *pag.* 470. P. Segneri op-

oppugnas: *Si aliquis laudabilis radius ſplendet in Romana Eccleſia, & preſertim in Conventibus, debent Jeſuita id adſcribere noſtra Reformationi; quod fatetur quidam ex eorum communione. Deus permiſit ſuſcitari poſtremas hereſes, ut excitaretur Catholica Eccleſia ad corrigenda ſcandala, qua videntur in Monaſteriis.* Deus poſtremas permiſit hæreſes, quomodo permittit mala ut veniant bona; quomodo permittit Dæmonem tentare nos, ut Job, ad exercitium virtutis; quomodo permiſit perſecutionem Eccleſiæ ad confirmandam fidem in juſtis, crudelitatem in Tyrannis ad conſtantiam Martyrum probandam. Quid porro ex his inferendum? Pſeudoreformationem ſanctam eſſe, & morum emendationem promovere? Aſt nonne patet Deum non eam voluiſſe, ſed duntaxat permiſiſſe, quemadmodum mala permittit, & peccatum? Quamobrem ſi pſeudoreformatio ſancta ideo habenda ſit; ſic ſanctus Dęmon, Tyranni, Turcæ, omnes hoſtes Chriſti, quoniam his omnibus uſus eſt ad bonum ſuæ Eccleſiæ procurandum. D. Auguſtinus (*de vera Religione cap.* 8.) ad illa verba D. Pauli: *Oportet multas hereſes eſſe*, ait: *Cum autem foris ſunt* (hæretici) *plurimum proſunt, non verum docendo quod neſciunt, ſed ad verum quarendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando..... Utamur igitur etiam hereticis, non ut eorum approbemus errores, ſed ut catholicam diſciplinam adverſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores, & cautiores ſimus, etiamſi eos revocare non poſſumus.* Et alibi (*Epiſt.* 105. nunc 104.): Ab hæreticis, *tanquam de ſomno ignavia noſtra excitatur induſtria; ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam quod inimicus ad perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium.*

28. *Ob quot*, clamas, *a partibus Romanenſibus ad noſtras traducti emendatiores facti ſunt, & cum erroribus vitia pariter Babylonia depoſuerunt!* Quinam hi Sancti? *Vergerius, Petrus Martyr, Zanchius, Michael Angelus, Caſar Gaffori &c.* Subdere tum etiam poteras Ochinum, qui factus Calviniſta, inde Anabaptiſta, Atheus tandem interiit. Habeas tibi tuum Vergerium, tuum Martyrem, Gafforium, & alios mille Apoſtatas a Clauſtris, & a Fide. Scribe illos qua *famoſos Viros* in Annalibus tuis. Ego habeo illos & collacrymor qua miſeros deſertores, & cum D. Auguſtino aſſeram (*in Pſal.* 106.): *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis; ſi enim ex nobis fuiſſent, permanſiſſent utique nobiſcum.* Pravos mores, quos ſecum detulerunt, non ab Eccleſia Romana, ſed ex perverſa ſua voluntate traxerunt: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* De illis *conſpicuis familiis, qua relicta Luca ſua Patria, Genevam demigrarunt*, translatę a ſuis majoribus apoſtatis, dicam item cum Auguſtino (*Epiſt.* 93. jam 48. ad *Vincent. cap.* 5.): *Quam multi, quod certo ſcimus, jam volebant eſſe Catholici, manifeſtiſſima veritate commoti, & offenſionem ſuorum reverendo quotidie differebant. Quam multos, non veritas, in qua nunquam præſumpſiſtis, ſed obdurata conſuetudinis grave vinculum colligabat. Quam multi propterea putabant veram Eccleſiam eſſe partem Donati* (dicam Calvini) *quia eos ad cognoſcendam Catholicam veritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos, pigroſque faciebat. Quam multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, qui neſcio quid aliud nos in altare Dei ponere jactitabant. Quam multi nihil intereſſe credentes in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde diſcedere, atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat.* Quemadmodum itaque ex una vel alia harum rationum Donatiſtę in erroribus detinebantur; ſic illæ familię Genevæ a deſertoribus Parentibus propagatæ, ſupinæ jacent in morbo hæreditario Calviniſmi cum lacte transfuſo. Jam finis tui ſacrilegi garritus, quo jactabas ita actu-

rum, ut Eccleſia Romana a ſuiſmetipſis profeſſoribus inceſſeretur.

CAPUT XV.

Ritus ab Eccleſia Romana ſanctificati.

§. I.

Eccleſia poteſtatem habet diſponendi, & ordinandi ritus.

1. BAcchanti tuo domeſtico ſpiritu *Apolog. cap.* 17. damnas multiplicem rituum ſeriem in Romana Eccleſia, quaſi quod graviſſimum delictum ſit exercitia devotionis, & media ad promovendam Chriſtianam pietatem multiplicare. Hinc *pag.* 471. ais, quod Segneri *non tot reperiret, ſi ad illos tantum attenderet, quos Deus ordinavit, & vetuſta Eccleſia uſu frequentavit*. Jam ſupponis hìc ritum, vel morem aliquem legitimum eſſe non poſſe, niſi a Deo ordinatus, & a veteri Eccleſiæ uſu probatus fuerit: quod tamen nec ipſimet pſeudoreformatores tui poſuerunt, qui in Præfatione ad Helveticam Confeſſionem pronuntiarunt: *Semper enim hac in re* (ideſt *in ritibus, & cæremoniis*) *Chriſti Eccleſia uſę ſunt libertate. Id quod in hiſtoria Eccleſiaſtica videre licet*. Ritus igitur, & cæremoniæ, Eccleſiæ arbitrio a Chriſto commiſſę fuerunt, cum facultate & jure eas immutandi, addendi, minuendi, quatenus ad regimen fidedelium opportunum, & congruum eſſe judicaret. Hinc D. Paulus (1. *Cor.* 7. 10.) quædam imponebat ut a Deo præcepta: *Dico non ego, ſed Dominus*; alia vero ab ipſo, non a Deo injuncta: *Dico ego, non Dominus*. De indiſſolubili matrimonii vinculo a Chriſto prçcepto (*Matth.* 19. 6.): *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* loquens, non ipſe, ſed Deus præcipiebat. De cohabitatione vero cum uxore infideli, viro ad fidem converſo, cum hoc ad matrimonii ſubſtantiam non pertineret, ſed ad circumſtantiam, Paulus dicit, quamvis non dicat Chriſtus. Quocirca D. Auguſtinus (*Lib.* 1. *Serm. Dom. in monte cap.* 16.): *Si ergo non præcipit ex Domini perſona, ſed ex perſona ſua monet, ita eſt hoc bonum, ut ſi quis aliter faceret, non ſit præcepti tranſgreſſor.* Hujuſmodi erant ea, quæ D. Paulus Corinthiis ſcribens (1. *Corinth.* 11.34.) dicebat ſe diſpoſiturum in adventu ſuo circa Euchariſtiæ uſum: *Cetera cum venero diſponam*; de quibus, cum nullibi in Epiſtolis ſuis diſpoſita fuiſſe legantur, tenendum eſt verbo tenus diſpoſuiſſe. *Ex quo patet* (D. Thomas *in* 1. *Cor.* 11. *lect.* 7.) *quod Eccleſia multa habet ex diſpoſitione Apoſtolorum, quæ in ſacra Scriptura non continentur. Eccleſiaſtici* 10. 3. *Civitates inhabitabantur per ſenſum potentium; ideſt Apoſtolorum*.

2. Hanc doctrinam fuſe legere poteris apud D. Auguſtinum, *Epiſt.* 118. nunc. 54. *ad Januarium*, ubi diſtinguit in Eccleſia Sacramenta a Chriſto inſtituta, ritus, & conſuetudines univerſalis Eccleſiæ, inde cujuſque particularis Eccleſiæ ritus: & ſtatuto, Sacramenta a Chriſto in ſacra Scriptura fuiſſe inſtituta, ſubdit: *Illa autem, quę non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas commendata, atque ſtatuta, retineri, ſicut quod Domini paſſio, ac reſurrectio, & aſcenſio ad cœlum, & adventus de Cœlo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebretur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervetur ab univerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia*. Jam hìc ab Auguſtino docemur, quoſdam in Eccleſia univerſali ritus cuſtodiri, qui vel traditione Apoſtolica, vel Conciliorum auctoritate diſpoſita fuerunt. Loquens vero de ritibus, quos particularis quælibet Eccleſia retinet, hęc habet: *Alia vero, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicuti eſt*

ti eſt quod alii jejunant ſabbato, alii non, alii quotidie communicant corpori, ac ſanguini Domini, & alii certis diebus accipiunt, & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt; totum hoc genus liberas habet obſervationes, nec diſciplina eſt in his ulla melior, gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit: quod enim nec contra fidem, neque bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur ſocietate, ſervandum eſt. Eadem Epiſtola circa finem, poſtquam dixit Chriſtum Euchariſtiam diſtribuiſſe Apoſtolis non jejunis; ſubdit: *Nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſa Eccleſia, quod a jejunis ſemper accipitur?* Inde concludit: *Ideo non præcepit* (Chriſtus) *quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet.* Inde relatis D. Pauli verbis: *Cetera cum venero ordinabo*, ait: *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quod univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.* Poſtremo refert ritus aliquos, qui tum in uſu erant, nunc autem obſoleti ſunt.

3. Stetit igitur, juxta D. Auguſtinum, in Eccleſia poteſtas novos ritus inſtituendi, vel ab univerſali Eccleſia, vel particulari cuſtodiendos. Tenore hujus auctoritatis Concilia antiqua, & poſteriora, generalia, & provincialia, ſanctiſſimos canones ediderunt, circa ritus, & diſciplinam, ad dirigendos mediis aptis fideles in Deum, juxta conditiones perſonarum, & temporum. Stupor igitur iſte tuus. quod *tot ſint ritus in Romana Eccleſia*, ferme ac ſi *ſolis a Deo ſtatutis, & a primæva Eccleſia cuſtoditis* ſtare debuiſſet, fœtus agnoſci debet pinguis ignorantię tuæ, quæ jejunum te facit eorum, quę conſueta ſemper fuerunt, & Eccleſia uſa eſt ſemper perenni ſua auctoritate ordinare. Multiplicare ritus, idem eſt, ac plures aperire vias facilis acceſſus ad Deum, & plura apponere medicamenta, ad quotidianas noſtras infirmitates curandas. Tot ritus non fuerint in veteri Eccleſia ſicut in noſtra, quod tamen eſt falſum; quid inde? Duobus primis Mundi millenariis pauciſſimi habebantur ritus, vixque eorum mentio fit, quibus Deo Patriarchæ illi ſerviebant. Sub Moyſe tamen tot numero præſcripti ſunt, ut tres libros impleant, Numerorum, Levitici, Deuteronomii: & hoc ideo, quia cum populus ille variis modis recederet a Deo, plura etiam ſubroganda erant media, quibus ad Deum reverteretur. Pluribus auctis infirmitatibus, plura, & nova inſtituenda remedia. Primæ ætatis fidelium ferventem charitatem nos habere non jactitamus, qui pro Chriſto ſubſtantias & vitam liberaliter dabant. Infirmi ſumus, & debiles; quamobrem ſi illi paucis ad ſanctitatem proficiebant, nos multis indigemus, quibus laborantes vix eam attingimus. Soli Proteſtantes, jactantia tumidi, primis Chriſtianis omnino pares ſe faciunt. Ipſis unus actus fidei ſufficit ad aſſequendam totam juſtitiam Chriſti; nobis ſpiritu infirmis, & laxis, neceſſaria ſunt feſta, proceſſiones, jejunia, abſtinentię, ne Epicureorum more vivamus.

§. I I.

Pſalmodia, preces, flagella, & Proceſſiones ſupplicantium.

4. Pſallere, *laudabile* (ais *pag.* 471.). Sed fatetur Calvinus ipſe (*Lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 32.): *Canendi vero in Eccleſiis ritum, non modo vetuſtiſſimum eſſe conſtat, ſed Apoſtolis quoque in uſu fuiſſe ex illis Pauli verbis* (1. *Cor.* 14. 13.) *colligere licet: Canam ſpiritu, canam & mente. Item ad Coloſſenſes* (3. 16.): *Docentes, & commonefacientes vos mutuo in hymnis,*

&

& pſalmis, & canticis ſpiritualibus, canentes cum gratia in cordibus veſtris Domino. Verum ſubdis: *Ad ædificationem canere oportet nota lingua.* Idem & Calvinus prætendebat citato loco §. 23. Pſalli debet nota lingua omnibus communi, ſicut communis omnibus eſt Eccleſia. Tot ſunt vernaculæ linguæ, quod ſi mea canam, incolæ quidem capient, ſed advenis barbarus fiam meo cantu. E contra, latino idiomate communi canentem me omnes intelligunt. Quod autem idiota non capiat, parum refert, quoniam ſi non capit verba, quid agat tamen optime noſcit; & ſat eſt, ut quomodo ſuam Sacerdotis voci accommodat, ſic & intentione adhæreat, qua ratione non tam voce, quam ſpiritu, & corde canet, & ad ædificationem. Precibus homo ad Deum loquitur, concionibus Deus ad homines. Iſtæ intelligi debent a rudi etiam populo, quia omnes debent mandata Dei implere; quapropter conciones vernacula lingua proferendæ ſunt. Publicę autem preces populi Eccleſiam repræſentantis, mittuntur ad Deum, unde ſat eſt Sacerdotem eas intelligere, qui, qua Eccleſiæ miniſter populi nomine, Deo eas exhibet. Quę canuntur, ſive Pſalmi, ſive hymni, ſive litaniæ, ſancta omnia ſunt, & impetratoria. Litaniæ tibi non placent, quia his Virginem & Sanctos interpellamus, ut pro nobis intercedant apud Deum in his, quæ a Deo petimus. Si non tibi, nobis tamen placent, & plurimum expediunt.

5. Petis *pag. 471. cur in Eccleſia ſoli clerici canant? Cur non conceditur omni populo canere, juxta praxim antiquę Eccleſię?* Falſum quod univerſim in tota Eccleſia antiqua populus caneret: immo per aliquod ſeculum nullus erat cantus, ſaltem in quibuſdam Eccleſiis. Calvinus ipſe præcitato loco id deducit ex D. Auguſtino (*lib. 9. Confeſs. cap. 7.*), qui aſſerit tantum Ambroſii temporibus introductum fuiſſe cantum in Mediolanenſem Eccleſiam, cum, Juſtina Valentiniani Matre Catholicam fidem perſequente, populus, pluſquam conſueverat, orationibus, & vigiliis vacabat: & mos hic qui in Eccleſiis Orientalibus jam ſervabatur, hoc exemplo ab aliis Occidentalibus acceptatus fuit, & ejus ętate ab Eccleſiis Africę, ut fatetur *lib. 2. Retract. cap. 11.* Si igitur cantus univerſę Eccleſię communis non erat, minus communis uſus erat, quod omnis populus ſimul cum Sacerdote caneret. Immo antiquitus populus vigilabat, & orabat in Eccleſiis. Poſtea: *Tunc hymni, & pſalmi ut canerentur, ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tędio contabeſceret, inſtitutum eſt.* Sic D. Aug. (*lib. 9. Confeſſ. cap. 7.*). Introducto cantu in Eccleſiam, non unus ritus, ſed diverſus fuit, quemadmodum notat D. Auguſtinus (*Epiſt. 119. de ritibus Eccleſię cap. 18.*). In Africana Eccleſia ipſe diſtinguit Sacerdotum cantum a precibus totius populi: *Quando autem non eſt tempus, cum in Eccleſia fratres congregantur, Sancta cantandi, niſi cum legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clara voce precantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur.* Erat igitur Sacerdotum cantus, & communis oratio populi. Sic & nos facimus. Canunt Eccleſiaſtici in Choro Sacra, & populus adſtat, & orat. Canit populus Pſalmos, Roſaria, Litanias, Hymnos, juxta id quod a Sacerdote, vel Concionatore indicitur. Laici etiam canunt tum in Eccleſiis, tum in Oratoriis, & ſic varii ſunt cantus, ſicut varii ſunt ſtatus in Eccleſia Chriſti. Si Plinius Junior (*lib. 10. Epiſt. 97.*) referens Trajano Chriſtianorum geſta, aſſerit omnes ſimul canere Hymnos Chriſto ut Deo, talis forte mos erat Orientis unde ſcribebat. Si Cardinalis Baronius, non ad annum 52. *Sect.* 71., ut tu mendoſe ſcribis, ſed ad annum 60. *Sect.* 28. affirmat per aliquod tempus perſeveraſſe uſum canendi alternatim inter clericos, & populum, ſubdit etiam ex imperitia cantantium ſæpe accidiſſe diſcrepantiam, & diſſonantiam vocum.

vocum. Quocirca D. Joannes Chryſ. (*hom. 1. in cap. 8. Iſaię*) id memorat ut quid indecens Eccleſiaſticę dignitati: *Idcirco* (verba ſunt Baronii) *neceſſario Eccleſiaſticis inſtitutis proviſum eſt, ne præter certos ad hoc opus adſcriptos, quis in Eccleſia pſalleret;* & citat Canonem 15. Concilii Laodiceni a te tam large commendati: *Canon enim Laodiceni Concilii prohibens, ait, non licere præter canonicos pſaltes, ideſt qui regulariter exiſtunt, quique pulpitum aſcendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Eccleſia pſallere.* Hic ritus eſt qui in hodiernum diem ſervatur plerumque in Romana Eccleſia.

6. *Flagellationes, ſolitę exerceri a Fratribus, in uſu erant apud Paganos. apud Indos, quorum Monachi mendicantes affligebant ſe vita auſteritate, flagellis; quemadmodum facere ſolent Monachi Romana Eccleſia.* Sic *pag.* 471. Illi propter Idola, Fratres propter amorem Jeſu Chriſti id faciunt; quæ intentionis diverſitas, actionem juſtificat. Pagani habebant Templa, Altaria, Pontifices, Sacerdotes, & Prædicantes. Chriſtiani ſimilia habentes, dicendi ne propterea Paganis ſimiles? Si ob hanc rationem irrides flagellationes, *quæ inter nos fiunt ob propria, & aliena peccata*, poteris itidem irridere flagellationes, ſpinas, paſſionem, mortem, quibus attritus eſt Chriſtus propter ſcelera noſtra, & tandem omnium Martyrum paſſiones qua Gentilium inſanias; quoniam inter Paganos etiam occurrent nonnulli, qui tormentis, flagellis, morti ſe ſponte obtulerunt. Sin audeas tam enormem proferre blaſphemiam, deſine comparare vel *Sacerdotibus Baal*, vel *Bracmanis Indorum* ſpontaneos pœnitentes noſtros. Irridendi ratio eſt, quia inter Proteſtantes hujuſmodi macerationes uſu non recipiuntur, nec conveniunt vitæ Epicureæ, & Sybaritanæ, quæ a tuis præſcribitur; ideo ſcrutaris, *injunctus nec ne a Deo mos iſte ſit ſe flagellandi pro alienis peccatis*; & totus inniteris falſo illi principio, quod ſemel flagellatus Chriſtus propter nos & peccata noſtra, quamlibet ſatisfactionem noſtram excludat. Sed de hoc alibi dicam, explicaturus qua ratione flagellationes noſtrę ſumantur ut ſatisfactoriæ pro peccatis. Pro nunc certo habeas, quando quis corpus ſuum cruciat, nil aliud ſentire, prçter id quod D. Paulus (*ad Coloſs. 1. 24.*): *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Et (*1. Corinth. 9. 27.*): *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo;* adhibito etiam divi Auguſtini monito (*de agone Chriſtiano cap. 6.*, & *tract. 2. de diverſis cap. 3.*): *Vide eum gubernatorem, eundemque viatorem Apoſtolum Paulum, vide illum jumentum ſuum domantem. In fame, inquit, & ſiti, in jejuniis ſæpius caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. Ita ergo & tu, qui ambulare deſideras, doma carnem tuam, & ambula: ambulas enim, ſi amas, non enim ad Deum paſſibus, ſed affectibus venimus.*

7. Abſtinere poteras a conviciis contra noſtras ſupplicantium Proceſſiones, & a ſcrutinio poſſint nec ne comprobari, *vel divino præcepto, vel exemplo Scripturæ.* Ritus non a Scripturis unice repetendi, ſed ab Eccleſiis, a quibus propoſiti fuerunt tanquam opportuna media vel ad beneficia obtinenda, vel ad vitanda mala. Contentus eſſe debueras noviſſe, quam acceptæ Deo viſæ ſint ſupplices Proceſſiones a Mamerto Epiſcopo Viennenſi, & a D. Gregorio Magno ordinatæ. *Humeris portare Deos mos erat Gentium, quam Dei populi.* Sic calumniaris Proceſſiones; cum potius ſubdere debueras ſupplicationibus circuire vias exemplum ſumere a populo Dei, dum geſtabatur Arca comitatu populi, cantantibus Choris, & David ſaltabat totis viribus ante Dominum: ex quo inferre debueras, quemadmodum Michol ſubſilientem David deſpiciens a Deo puniri meruit, ſic tu ſupplices Proceſſiones noſtras irridens, juſtam Dei ultionem dicteriis tuis provocas. Indicare poſ-

ſem

ſem noſtrarum Proceſſionum formam quandam haberi in Proceſſione, quam Chriſtus cum ſuis Apoſtolis ſuſcepit a Jeruſalem ad Montem Olivarum, in regreſſu in Jeruſalem, & in publico ingreſſu in Sanctam Civitatem, quem turbæ canentes præibant, & ſequebantur. Tantum afferam: quemadmodum Calvinus (*lib. 3. Inſt. cap. 20. §. 30.*) teſtatur neceſſaria eſſe Templa, nec cuique ſufficere domi tantum orare velle, quia: *Ille qui pollicetur ſe facturum quidquid duo, aut tres petierint in nomine ſuo congregati, palam conceptas preces ſe minime aſpernari teſtatur;* ſic eadem ratione proficuæ ſunt Proceſſiones, ad quas populus convenit ſupplicaturus; & ſi ille adeundo Templum gratos Deo facit greſſus ſuos, ſic etiam procedendo ſupplex. Quoniam ſi Deus ſtantis preces exaudit, procedentis etiam ſupplicationes acceptas habebit: quod negare inſanum.

§. III.

De Lectione Scripturę.

8. PEtis *pag. 472. Cum pios libros frequenter legere utile ſit, cur privatur populus libro Dei?* Quis privat populum libro Dei? Pii libri medulla ſunt eorum, quæ in libro Dei continentur, digeſtus cibus ad ſtomachum infirmiorum aptus. Sic D. Paulus cum Corinthiis: *Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nunc quidem poteſtis* (*1. Corinth. 3. 1. & 2.*). Idiotæ ſtomachum habent nutriendum lacte, non eſca, & qua infantes non a ſeipſis, ſed a matre ſua ali debent, ne pro lacte venenum abſorbeant, quemadmodum plurimis accidit, qui ex Scriptura, pane & eſca vitæ, pravitate intellectus ſui toxicum traxerunt, quo ſe, & alios infecerunt. Prudens, & ſancta Eccleſiæ Romanę regula eſt divini verbi cibum omnibus præſtare; ſed aliis ut ſibi ſumant ex ipſa lectione ſacrorum librorum, aliis vero ut a Paſtoribus accipiant. Fides, & verbum Dei ex auditu, non ex viſu in corda fidelium deſcendit. *Audite verbum Domini*, inquiunt Prophetæ, non *legite*. Et D. Paulus *Rom. 10. 14.* ordinem credendi exponens, *de auditu* ſemper, non de *lectione* loquitur: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prędicante?* Fides dilatata eſt prædicatione verbi Dei, non lectione; unde concludit Apoſtolus: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Si D. Paulus quæ tu ſenſiſſet, inferre debuerat: *Ergo fides ex lectione*, minime vero: *Ergo fides ex auditu*. Nec tamen populus privatur verbo Dei. Tantum præſcribitur ejus lectio his qui didicerunt illud interpretari, non his qui pro ingenio ſuo interpretari malunt, ut Proteſtantes faciunt. Id etiam præſcribebat D. Petrus fidelibus ſuis (*Epiſt. 2. cap. 1. num. 20.*): *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturę propria interpretatione non fit.* Ob hanc cauſam notat D. Hieronymus (*Epiſt. inter Auguſtinianas 11.* nunc 75.) quod D. Paulus, etſi Apoſtolus, aſcendit Jeroſolymam ad communicandum cum Petro, & ceteris qui cum eo erant: *Oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelii prædicandi, niſi Petri, & qui cum eo erant fuiſſet ſententia roboratum.* Inter Proteſtantes autem ſecuritatem interpretationis verbi Dei habere prætendit quiſquis, etiam ex infima plebe, nullo nec præmiſſo magiſterio?

9. Unde probas ex veteri teſtamento Scripturæ lectionem? *Ex Deuteronomio*, ais, *eruitur omnes legiſſe Scripturam Sanctam. Rex in Throno, Pater in domo ſedens, & ambulans in itinere legebant.* Proferamus textus, qui duo ſunt. Primus (*Deuteron. 17. 8. 9.*): *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, &*

cauſam, lepram, & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quęreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Non hìc Moyſes ait: Sume tibi librum Legis, & in eo quære, & judicio diſcretionis tibi indito fac tibi judicium veritatis; ſed: *Venies ad Sacerdotes .... & ad Judicem*. Sic facit populus in difficultatibus legis. Pergit ad Sacerdotem, quęrit ab eo, & facit juxta ejus ſententiam. Sequitur: *Et facies quodcunque dixerint qui pręſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Hìc deſignatam video in obedientia debita illi Sacerdotum Synedrio, & Judici, ipſammet quæ debetur Conciliis, & Eccleſię capiti, tum etiam ſententiæ, & definitionis infallibilitatem. Hactenus bene. Procedamus: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille*. Non vides hìc ſententiam mortis latam in omnes Proteſtantes, qui ſuperbiunt, nolentes obedire Sacerdotis imperio, qui miniſtrat Domino?

10. Textus alter eſt (*Deuteronom. cap. 6. 7. 8. 9.*): *Eruntque verba hęc quæ pręcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens; & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ*. Hinc pręceptum quidem deducitur tenendi omni tempore in corde legem, & promiſſa Dei; non autem Scripturam manu ad legendum. Inſinuabat Deus animo obſervantiam legis, & pręſertim Decalogi, & dilectionis Dei; non lectionem; neve horum obliviſcerentur, pręcipiebat patribus narrare filiis ſuis, & meditari omni inſtanti, eam habere ante oculos, in limine, & oſtiis domus ſcribere: quomodo autem Biblia tota in liminibus, & oſtiis ſcribere potuiſſent? Si obvio ſenſu litterę hoc ſit intelligendum, non ſoli nos, quam Proteſtantes agunt contra pręceptum, non obſervantes ad litteram, ut animadvertenti conſtabit. Sic exponunt interpretes, & hoc in mea Eccleſia cuſtoditur, quę enixe mandat Prędicatoribus, Paſtoribus, Presbyteris animarum curam gerentibus inſiſtere populis, ut corde, animo, & mente ſemper teneant obſervantiam legis, & Evangelii, quæ propterea quotidie ferme docent, & explicant.

11. Ceteri quos hìc inſeris textus, propitiores non ſunt cauſę tuę. In illo *Iſaiæ cap. 34. 16.*: *Requirite diligenter in libro Domini, & legite*, lectio pręcipitur. Quid tamen requirere debebant Hebręi in libro Domini? Mala, quę Deus comminatus erat inimicis. Sic Calvinus in *Cap. 34. Iſaiæ*. Si tu legeris illum librum, nedum non reperies debere quemquam magiſterium quęrere in lectione verbi Dei, ſed contremiſces audiendo mala quę Deus comminatur inimicis ſuę Eccleſię. Textum affers (*Joannis 5. 39.*) in quo Chriſtus ait: *Scrutamini Scripturas*. Hoc Chriſtus dicit Hebręis illis, qui ſecum contendebant. Hi certe non turbę, non infima plebs, quę ipſum ſequebantur, & credebant in eum, ſed Scribę erant, Phariſęi, legis Doctores, de quibus ait: *Vos miſiſtis ad Joannem*. His, qui ſtudebant legi, optime dictum: *Scrutamini Scripturas*. Conferte, & videte quod *teſtimonium perhibent de me*. Hactenus Picenine hac ſerie textuum videris parum proficere. Si *Eunuchus Iſaiam legebat* (*Actor. 8. 27.*), *Berœenſes legebant Scripturam* (*Actor. 17. 11.*); ille legebat Iſaiam, ſed non intelligebat, & explicationem quęrere debuit a Philippo: *Putaſne intelligis quæ legis? Qui ait: & quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?*

mihi? Sic contingeret plebi, ſi Scripturam pre manibus haberent. Satius igitur cum Eunucho Doctores, & Sacerdotes querere, a quibus de Scripturarum ſenſu edoceantur. Berœenſes, qui legebant: *Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ*, de Synagoga erant, experti ſcilicet & docti in lege, cum a Paulo & Sila audiſſent Scripturam adduci in teſtimonium de morte, & reſurrectione Chriſti; ideo erant: *Quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hęc ita ſe haberent* (*Act.* 17. 11.).

12. Præter Scripturę laudatos textus, duos inſuper ex D. Chryſoſtomo, & D. Auguſtino deſumis, quibus putas evincere, uſum Scripturę indiſcriminatim omnibus conceſſum. Audiatur Chryſoſtomus (*hom.* 9. *in cap.* 3. *ad Coloſſ.*): *Audite obſecro ſeculares omnes.. Comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel novum teſtamentum acquirite, Apoſtolum, Acta, & Evangelia, continuos, ac ſedulos Doctores.... Hoc demum malorum omnium cauſa eſt, quod Scripturæ ignorantur.* Hęc ille; quibus, ſi verborum corticem attendamus, favere tibi forte videbitur: non ita tamen, ſi cur hęc dicta ſint, intentio, & ratio attendatur. Conciones habebat ad populum profanos libros quotidie legentem, non curantem Scripturas ſacras; hinc commotus zelo, ait: Vos omnes patresfamilias a nobis inſtructi, comparate vobis Biblia, & mei aliquando diſcipuli eſtote aliorum magiſtri. Studete his, & docete uxores, & filios, nec omne pondus nobis relinquite. Hęc D. Chryſoſtomi mens: *Vos oportebat dumtaxat a nobis inſtitui, uxores vero a vobis, a vobis & liberos. At omnia nobis ſuſtinenda relinquitis &c.* Nolebat igitur, ut tu velles, omnes viros, uxores, pueros, idiotas, ruſticos ſcrutari Scripturas; ſed quod patresfamilias, jam a Presbyteris inſtituti, magiſterium ſumerent ceterorum, nec omne pondus Paſtoribus relinquerent; quod minime a nobis impeditur, immo conſulitur, & impletur. Quot ſeculares devoti, prudentes, ac pii, habent domi Biblia, quæ docent uxores, & filios, & diebus feſtis ad Eccleſiam pergunt docentes ibi Chriſtianam doctrinam, relevantes pondus Epiſcopis; non aſſumentes ſibi Epiſcopatum, ut pſeudoreformati faciunt? Preterea Chryſoſtomus, cum D. Paulo, non ſolam hortatur Scripturę lectionem (hęc quippe laborioſa eſt:) ſed etiam pſalmodiam: *Quoniam lectio Scripturæ laboris. & moleſtia plurimum habet: non ad hiſtorias legendas inducit* (Paulus) *ſed ad Pſalmos, ut & animum pariter cantando oblectes, & labores fallas: Hymnis inquit, & cantionibus ſpiritualibus.* Id in Eccleſiis, & Ædiculis noſtris frequenter fit, ubi etiam laici, preſertim diebus feſtis pſalmis, & hymnis per horas vacant. Quid igitur nos redarguis?

13. D. Auguſtinus *in lib. de catechizandis rudibus, cap.* 6. & 8. a te citato, non loquitur de Catechumenis prorſus ignaris, ſed de illis qui ad fidem convertuntur moti ex miraculis, & viſionibus (vide continuata miracula, & viſiones) de his aſſerens a catechiſta debere diſponi ad cognitionem Scripturæ, non ſtatim ipſis conſignando Biblia, ſed exarando quę ibi continentur: *Inde jam exordienda narratio eſt ab eo, quod Deus fecit omnia bona valde &c.* nempe proponendo ex Scriptura Deum Creatorem. In *Cap.* 8. non loquitur de Catechumenis rudibus, & illiteratis, ſed in liberalibus ſcientiis bene inſtitutis: *Si ad te quiſquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus*; et ſupponit hunc ante converſionem ſuam plura ex Scripturis noſtris legiſſe: *Tales enim non eadem hora, qua Chriſtiani fiunt, ſed ante, ſolent omnia diligenter inquirere, & motus animi ſui, cum quibus poſſunt, communicare, atque diſcutere.* Hic igitur interrogandus ex quibus libris veritatem Chriſtianam acceperit; & ſi conſtet eam legiſſe in canonicis libris, & in proficuis tractatibus editis a Perſonis Eccleſiaſticis, ipſi concedendi ſunt, prævia admonitione,

ne, *ut caveat præſumptionis errores*. Si vero hæreticorum libros legiſſe deprehendatur, *ſedulo edocendus eſt, prælata auctoritate univerſalis Eccleſiæ, aliorumque doctiſſimorum hominum, & diſputationibus, & ſcriptionibus in ejus veritate florentium*. Vide nunc qua cautela Sanctus hic Doctor Catechumenos inſtrui volebat in intelligentia Scripturarum, prælata ſcilicet auctoritate univerſalis Eccleſiæ, & ejus doctiſſimorum hominum; quamvis in hoc etiam procedendum caute, quoniam ex Catholicis Doctoribus, vel minus intelligentibus, vel minus intellectis, quidam offenſionem erroris deprompſerunt: quod non mirum, dum etiam ex libris canonicis, in quibus omnia veriſſime, & ſanctiſſime dicta ſunt, nedum ex diverſitate intellectus a ſcriptore ſacro, & a veritate alieni, ſed etiam *id, quod perverſe, & prave opinati ſunt, animoſitate acerrima, & pervicaci arrogantia defenſitantes, multi multa pernicioſa dogmata conſciſſa communionis unitate, pepererunt*; inter quos Picenine excellis.

14. Poſtremo reſtat Magni Gregorii textus deſumptus ex *Lib. 4. Epiſt. ep. 40.*, *præſcribentis Medico Sacræ Scripturæ lectionem*. Quid hic Picenine prætendis Medicos cum Idiotis computare, & cum imperita plebe commiſcere? Quoniam Medico conſulit Gregorius Scripturæ lectionem, propterea omnibus conſulit? Theodorus Medicus, quem hortatur Gregorius ad lectionem Scripturæ, vir erat excellentis ingenii, ſed ad ſecularia ſtudia nimium deditı: quem ut ad cæleſtia erigeret, Sanctus proponit ipſi Scripturam, ſic eum alloquens: *Erga dulciſſimam mentem glorioſiſſimi filii mei Domini Theodori habeo aliquam querelam; quia donum ingenii, donum rerum, donum miſericordiæ, atque charitatis a Trinitate percepit, ſed tamen ſecularibus indeſinenter cauſis adſtringitur, aſſiduis proceſſionibus occupatur, & quotidie negligit legere verba Redemptoris ſui*. *Quid eſt autem Scriptura ſacra, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam*? Profecto putas nos ſacram Scripturam ſeptem ſigillis occluſam tenere, & ſoli Sacerdoti Summo aperiendam tradere, dum D. Gregorium nobis opponis eam Medico reſignantem. Sacra Scriptura apud nos palam divenditur, & poteſt quilibet eam ſibi acquirere. Vernacula lingua non permittitur, ne ad manus quorundam aſcendat, qui ex ignorantia ex bono malum ſibi comparent. Et hoc totum, quod tibi bilem ad naſum concit. Velles eam vernacula lingua editam. Non illa pro omnibus tota: & licet quo ad hiſtoriam pro omnibus, non autem quo ad myſteria. Sic Gregorius (*lib. 1. Moral. in Job cap. 21.*): *Scriptura enim ſacra aliquando nobis eſt cibus, aliquando potus. Cibus eſt in locis obſcurioribus, quia quaſi exponendo frangitur, & mandendo glutitur. Potus vero eſt in locis apertioribus, quia ita ſorbetur ſicut invenitur &c.*

15. Exprobras pag. 473. *Pii libri, qui Italia leguntur, ſunt narratiuncula de D. Franciſco, Antonio. Verbum Dei inter libros vetitos aſſervatur*. Putidum mendacium tuum redarguunt Bibliopolæ omnes, qui cuiquam petenti librum Scripturæ ſacræ publice vendunt, & tot Doctores qui Italiæ eam commentantur. Prædicatores a ſuggeſtibus proponentes, Parochi popolum eam docentes. Si non permittitur vulgi lingua ab omnibus haberi, quod Caupones, & Aniculæ Interpretes ſint Scripturæ, ut apud Proteſtantes fit, hæc cautela prudens eſt, & impedit id apud nos non contingere quod apud pſeudoreformatos, inter quos in eadem domo vir Scripturam uno ſenſu accipit, alio uxor, filii diverſimode a parentibus; hinc unus Calviniſta, altera Lutherana, ceteri neutram partem habent. Apud nos præter Scripturas in Eccleſia leguntur Sanctorum geſta. Si quid oppoſitum habes, lege Concilium Carthaginenſe III., quod *can. 47.* docet: *Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, cum anniverſarii dies eorum celebrantur*.

tur. Poſtremo, unde habes a Chriſto præceptum, quod omnes viri, mulierculæ, docti, & indocti Scripturam Sacram lectitent? Habeo quidem Chriſtum mandaſſe Apoſtolis prædicare, & docere omnes gentes Evangelium; quod autem mandaverit omnibus legere Scripturam, non habeo. Immo ſi mandavit Apoſtolis prædicare, & docere, ſequitur populis nil aliud impoſitum, quam audire, & diſcere. In vetuſtiſſimis Conciliis ſtatutam video Scripturæ lectionem, & præſcriptos libros; non tamen in quacunque domo, & cuique perſonę, ſed in Eccleſiis, ſolis miniſtris ad id ordinatis, qui *Lectores* vocantur. Videantur Concilia Laodicenſe, & III. Carthaginenſe. Finem tecum facio. *O Pſeudoreformatio! O Pſeudoreformatio! Vana præſumptio, quæ tibi adularis te ſolam Scripturas ſcire, hęc omnium malorum cauſa.*

§. IV.

Sacramentorum numerus.

16. Romanam Eccleſiam nulla neceſſitate plura numero introduxiſſe Sacramenta contendis *pag.* 473. Hinc quæris: *Quare Jeſuita ſeptem habet Sacramenta, ſi in vetuſta Eccleſia duo tantum deſignabantur? De duobus loquuntur Auguſtinus Lib. 3. de doct. Chriſtiana cap. 9., Chryſoſtomus in Joan. hom.* 84. *De duobus Theophilactus. De duobus Paſchaſius ipſe lib. de Cœna Domini. Audiatur Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 9.: Quod Baptiſmus, & Cœna Sacramenta ſint, certiſſimum eſt. De ceteris vero non adeo notum.* Qua fieri potuit te novitatem Romanę contra antiquam Eccleſiam aſſerere ſeptenarium Sacramentorum numerum, ſi Calvinus ipſe tuus teſtis eſt ſuę vetuſtatis (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 19. §. 4.): *Verum illa de ſeptem Sacramentis opinio, omnium fere ſermonum trita, ſcholaſque, & conciones pervagata, vetuſtate ipſa radices egit, & hominum animis etiam num inſidet.* Non novum igitur aſſerere, ſed novum negare, quod *vetuſtate ipſa radices egit.*

Et quamvis Calvinus, de more inſtabilis, §. 3. ſubdat: *Si veteris Eccleſiæ auctoritate premere nos velint, dico eos fucum facere; nuſquam enim apud Eccleſiaſticos ſcriptores numerus hic ſeptenarius invenitur;* fatetur tamen neſcire quando inductus fuerit: *Nec ſatis conſtat quo primum tempore obrepſerit*. Propoſitionibus his Calvini poſitis, videlicet: *Vetuſtate ipſa radices egit*; item: *Nec ſatis conſtat quando primum obrepſerit*, hæc poteſt inſtitui ratio. Sacramenta ſeptem eſſe opinio eſt, quæ *vetuſtate ipſa radices egit, nec ſatis conſtat quando primum obrepſerit*: Juxta D. Auguſtini regulam (*Lib.* 2. *de Baptiſ. cont. Donat. cap.* 7. & *Lib.* 5. *cap.* 23.) quæ quamquam in Apoſtolicis litteris non exarata, *per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis Apoſtolis tradita, & commendata creduntur*: Ergo ſeptenarius Sacramentorum numerus, qui teſte Calvino vetuſtate ipſa radices egit, nec conſtat quando primum obrepſerit, credendus erit ab ipſis Apoſtolis traditus, & commendatus.

17. Si veterum nemo expreſſe tradidit Sacramenta ſeptem eſſe, neque veterum quiſquam tradidit duo, vel tria dumtaxat eſſe, vel non ſeptem. Hinc D. Auguſtinus (*Lib.* 3. *de doctr. Chriſtiana cap.* 9.) duo commemorat Sacramenta, Baptiſmum, & Cœnam, ſed exempli cauſa: *Sicuti eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio Corporis, & Sanguinis Domini*. Alia tamen haberi non negat: immo *Epiſt.* 118., recenſitis exempli cauſa præfatis duobus Sacramentis, indicat alia quædam eſſe, ſubdens: *Et ſi quid aliud in divinis litteris commendatur.* Et in *Pſal.* 103. *Concion.* 1. præclarius: *Reſpice ad munera ipſius Eccleſiæ. Munus Sacramenti eſt in Baptiſmo, in Euchariſtia, in ceteris Sanctis Sacramentis*. Revera in particulari loquens, & de Chriſmate tractans (*Lib.* 2. *cont. litt. Petiliani cap.* 104.) habet: *In hoc unguento Sacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium Signaculorum ſacroſan-*

Digitized by Google

ſanctum eſt ſicut & ipſe Baptiſmus. Si Chriſma ſicut Baptiſmum ille ſacroſanctum habet,non equidem ritus erit, & cæremonia, ſed verum Sacramentum; ſicut etiam Ordo, de quo (*Lib.* 2. *cont. Epiſt. Parmen. cap.* 13.) eadem ratione loquitur, ac de Baptiſmo: *Utrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur, & ideo utrumque non licet in Catholica Eccleſia iterare..... ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat injuria.* Matrimonium vero (*Lib.* 2. *de bono conjug. cap.* 18. & 24.) quatuor vicibus *Sacramentum* expreſſe vocat. Tandem de Extrema Unctione loquitur in Speculo *ex Epiſtola Jacobi*, ubi loqui ſe teſtatur de his omnibus, quæ *etiam nunc, ideſt tempore novi teſtamenti, ad vitam piam exercendam moresque pertineant.* Quibus apparet Calvini error *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 19. §. 18. & 20., ubi falſo commentatur Unctionem quam commemorat S.Jacobus non eſſe Sacramentum ordinarium, & perpetuum Eccleſię, ſed unum ex donis a Deo Apoſtolis collatis; & ideo ad nos non pertinere: *Ut igitur maxime demus Unctionem Sacramentum fuiſſe earum virtutum, quæ tum per manus Apoſtolorum adminiſtrabantur, nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum adminiſtratio commiſſa non eſt.* Poſtea: *Promiſſionem, quam ferociter jactant nobis non eſſe datam. evidenter demonſtravimus &c.* Quocirca cum in Libro de Dogmatibus oſtenſuri ſimus Pœnitentiam in numero Sacramentorum contineri, ex D. Auguſtino ſtatuta manent omnia Sacramenta, quæ a nobis profitentur, licet *ſeptem* numero ab ipſo expreſſe non proponantur.

18. Joannes Chryſoſtomus, & Theophilactus duo tantum Sacramenta commemorant, quia de illis tractant deſignatis in aqua, & ſanguine, quæ a latere Chriſti emanarunt, quæ principaliora ſunt. & magis communia: non ideo tamen cetera excludunt. Paſchaſius agebat de Cœna, quamobrem ad intentum non pertinebat ſeptem Sacramentorum numerum ibi recenſere. Patres non inſtituebant minutiſſimas Catecheſes, quod tenerentur recenſere Sacramentorum ſucceſſivam ſeriem, ſed de illis diviſim agebant, juxta rerum opportunitatem. Qui autem de Patrum ſententia compos eſſe velit, noſtræ communionis Theologos adeat, qui plene de his tractant, cum mea res hic non ſit niſi Piccnini objectis occurrere. Hinc ſarta tecta manent anathemata Concilii Tridentini contra negantes *ſeptenarium* Sacramentorum numerum. Calvinus fatetur hanc doctrinam *vetuſtam*. omnium fere ſermonum tritam, ſcholas omnes pervagatam, neque conſtare quo primum tempore obrepſerit. Nemo Patrum unquam aſſeruit duo dumtaxat eſſe, nec ſeptem: his tamen non obſtantibus, ipſemet, & Lutherus, pertinaciter contendunt nonniſi duo eſſe, nunquam ſeptem. Quid porro iſtis non ſemel, ſed millies anathema dici non debuit? Quid quod Calvinus (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 10. §. 28.) juxta morem levis, & inconſtans, non audet excludere a Sacramenti ratione Presbyteratum? *Quantum ad verum Preſbyterii munus attinet, libenter eo loco habeo*, ideſt Sacramenti. Tantum excuſat abſtinuiſſe illud ceteris apponere: *Quod autem tertium in numero non eo factum eſt, quod non ordinarium, nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus.* Prius autem dixerat (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 14. §. 20.): *Impoſitionem manuum, qua Eccleſię miniſtri in ſuum munus initiantur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria non numero.* Ordo ergo Calvino Sacramentum eſt, quamvis, utpote non commune omnibus, inter Sacramenta non numeret. An autem hac auctoritate munitus ſit Calvinus recipiendi rejiciendique Sacramenta, ſit qui judicet; ſat quippe mihi demonſtraſſe, etiam juxta Calvinum, Sacramenta in genere duo tantum non eſſe. Bellarminum porro aſſerere, *certiſ-*

ſimum

ſimum, Baptiſmum, & Cœnam Sacra menta eſſe ; de ceteris vero non adeo notum, hic loquendi modus non indicat cetera dubia eſſe ; ſed dumtaxat duo prima, utpote in Evangelio tradita, nunquam controverſa fuiſſe, cetera autem, non ita aperte in Evangelio expreſſa, quibuſdam aliquando in dubium fuiſſe revocata. Quo tamen non fit, quin & ipſa tanquam certa Sacramenta habenda ſint ; quemadmodum ſacri libri, quamvis de aliquibus aliquando fuerit dubitatum, minime vero de aliis, id tamen non officit, quin ſacri, & canonici certiſſime habendi ſint tam illi, quam iſti, & anathema non ſit qui quemquam eorum in dubium verteret. Ipſe Bellarminus (*Lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 24.*) & Scriptura, & Patribus probat, cetera eſſe vera Sacramenta, non minus ac Baptiſmum, & Cœnam.

19. *Quod interdum Patres Sacramenti nomen dilatarent ad res quaſcunque myſticam referentes ſignificationem*, rationi factæ non obeſt, niſi ſimul probes, dum de noſtris poſitis Sacramentis ipſi loquuntur, præter Baptiſmum, & Cœnam, cetera vocent *Sacramenta* ex aliqua *myſtica* ſignificatione, minime vero ex gratia ipſis, ex divina inſtitutione, annexa. Auguſtinus comparat Baptiſmo Confirmationem, & Ordinem, & quater Matrimonium *Sacramentum* appellat. Pœnitentiam, oraculum, & promiſſum Chriſti *Joannis cap.* 20. certo ſuadet; Extremam Unctionem Jacobi teſtimonium *cap. 5. ver. 14. & 15.*, & hæc doctrina *vetuſtate ipſa radices egit*, Calvino teſte, *nec ſatis conſtat quo primum tempore obrepſerit*. Summa igitur impudentia eſt velle adverſari, & Patres in alienum ſenſum detorquere, evertendo ex inani Novatorum ingenio & inſolentia quinque Sacramenta, a perpetuo priſcorum conſenſu probata. Auctor ille priſcus ſub nomine S. Cypriani non aſſerit, *Ablutionem pedum a Chriſto factam, eſſe in ſemetipſa Sacramentum ;* bene vero *figuram* Sacramenti Pœnitentiæ, in qua velut in lavacro purganda ſunt crimina poſt Baptiſmum commiſſa. Tibi tamen gratias de excitata notitia hujus Auctoris, apud quem plura quam duo in ablutione pedum ſignificata Sacramenta deprehendo; nempe Baptiſmum, Ordinem, Chriſma, & Pœnitentiam. Ad probandam quippe hujus *ablutionis* neceſſitatem, per quam, ſcribit. Chriſtus *oſtendit nobis Pœnitentiæ viam*, ſequitur ille: *Nam Baptiſmum repeti Eccleſiaſtica prohibent regula.* En Baptiſmum. *Et ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus conſecrans præſumit accedere.* En Confirmationem. *Nemo Sacros Ordines ſemel datos, iterum renovat.* En Ordinem. De Euchariſtia, Extrema Unctione, & Matrimonio non loquitur, quia ſunt iterabilia: nec propterea hæc negat. Quocunque tandem te vertas, in ſcopulos incidit Corbita tuæ malitiæ & ignorantiæ.

Minus juvat vanas chimæras tuas, S. Ambroſium (*Lib. 3. de Sacram. cap. 7.*) *Lotioni* pedum *Sacramenti* nomen tribuere, quia non id nominis proprie, & ſtricte illi tribuit, ſed dumtaxat ut cæremoniæ ad abluendas peccatorum reliquias: vel ſi pertinaciter velis Sacramentum eam appellaſſe ſtricta ſignificatione, hanc tamen privatam ſe habere opinionem teſtatur, quam Romana non habebat Eccleſia. Audi ejus verba, & diſce a Sanctiſſimo Doctore quo obſequio veneranda ſit Eccleſia Romana. Poſtquam de lotione pedum pronuntiaverat: *Vide gratiam, vide ſanctificationem*, ſubdit: *Non ignoramus, quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habet, cujus typum in omnibus ſequimur, & formam.* Audis? Inde: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam: ſed tamen & nos homines ſenſum habemus. Ideo, quod alibi rectius ſervatur, & nos recte cuſtodimus.* Porro ſi Lotio pedum Romæ uſum non obtinebat, ſicut Mediolani, nec Ambroſius id reprehendebat, ſignum, proprie eam *Sacramentum* non habuiſſe.

D. vero

D. vero Bernardus (*Serm. 1. de Cœna Domini*) non minus temere a te citatus, miſcet *Sacramenti* & *Signi* nomen, oppoſite ad nomen *Exempli*, vultque ritum lavandi pedes fieri, nedum ad exemplum Chriſti, verum etiam ad ſignificandam ex ipſa, intimam animæ ablutionem a peccatis per pœnitentiam; niſi & ipſe D. Bernardus privatam habuerit D. Ambroſii opinionem, quod ad præſentem quæſtionem non pertinet; quoniam, Calvino Judice, ſeptenarius Sacramentorum numerus non in uno vel altero Patre, *ſed vetuſtate ipſa radices egit*, per omnes ſcholas pervagatur, omnium fere ſermonum trita ſententia: unde univerſæ Eccleſiæ Chriſti animo inſidet. Quamobrem non inſcitiæ, non ſtupiditatis tantum, quam impudentiſſimę inſanię eſt illum negare.

§. V.

Inanis, & deceptoriæ ſpes æternæ ſalutis eorum omnium, qui extra communionem Romanæ Eccleſię vivunt.

20. EXtra rem ſane exaggeras hic Cœnę tuæ ſomniata bona, & ſanctæ noſtræ Miſſæ ſomniatam vanitatem, utpote huic loco importuna. Quocirca opportune alibi hæc tractaturus, ſiſto in ipſa accuſatione a te lata adverſus P. Segneri, Calvinum ſcilicet laceſſentem, quaſi hic ſcripſerit, *fidelem poſſe de ſalute ſua certum eſſe, æque ac Chriſtus regnans*; unde relatis Calvini verbis, concludis: *Non capio quale toxicum exprimi poſſit ab his cariſſimis floribus*. Et ego Calvinum legi, qui docens ea quæ P. Segneri adnotavit. nec ego capio quid doleas de pretenſa calumnia. Audiamus Calvinum (*Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 2.*): *Nec regnum Cælorum, quo jam ingreſſus eſt, poſſe magis nobis excidere, quam ipſi.* Præterea: *Rurſum peccatis noſtris non poſſe nos damnari, a quorum reatu nos abſolvit, cum ea ſibi imputari voluerit, ac ſi ſua eſſent.* Hæc profecto ſunt ipſiſſima Calvini verba, & eadem quæ P. Segneri refert. Hæc autem verba forte non reddunt hæreticæ blaſphemiæ typum, cum doceant fideli viatori regnum Cælorum non magis poſſe excidere, quam ipſi Chriſto illud jam poſſidenti? Nequiori ne paradigmate obloqui poteſt? Æternam Chriſti gloriam gloriæ illi comparare, quam Calvinus vaniſſime hariolatur certam, & infallibilem ſectariis ſuis? Enimvero vaniſſimum ejus ſenſum pro nunc tolerantes; qui hodie fidelis eſt, & Cœnam ſumpſit, nonne poſſibile cras infidelem fieri, vel ſaltem peccatorem? Profecto non negabis, niſi arrogantiſſime inſanias, confideles tuos impeccabiles, & immobiles eſſe in fide, & juſtitia. Si cum Calvino audeas reponere peccata illis non imputari, quæ ſibi Chriſtus imputari voluit, ac ſi ſua eſſent; ergo ſumpta Cœna, vanum eſt fidelem de obſervantia legis curare; quandoquidem cum ſibi Chriſtus tranſgreſſiones ejus imputari voluerit, nulla illi imputabitur. Quod ſi iterum ſubdas, fideli regnum Cælorum non excidere, media tamen legis obſervantia; falſum itaque infero regnum Cælorum non magis fideli, quam Chriſto excidere poſſe, cum poſſit fideli excidere lege non ſervata, vel non retenta fide, Chriſto autem nullo pacto, nulla hypotheſi poteſt excidere. Falſum iterum infero; ex quo Chriſtus peccata noſtra ſibi imputari voluerit, ſequi, nullum nobis imputari peccatum.

21. Panigarolæ loquendi ratio ab ea Calvini diſtat, qua ab Inferno Empyreum. Panigarola ſcribit *Fideles ſalutem conſequuturos*, nimirum illos, qui juſtitia perſeverabunt uſque in finem. Quoniam autem nemo conſcius, & certus eſſe poteſt ſibi hoc donum tribui, addit neminem poſſe æternam ſalutem ſibi in particulari certam tenere. E contra Calvinus vult fideli cuique ſua Cœna corroborato Regnum Cęlorum non magis poſſe excidere, quam ipſi Jeſu Chriſto. Sane verum dixiſſe Chriſtum (*Joan. 6.*

55.

55.47.): *Qui manducat meam carnem .... habet vitam æternam .... Qui credit in me, habet vitam æternam;* ſed item verum, ad habendam vitam æternam perſeverare oportere in fide, & bonis operibus uſque in finem, & id Chriſtus bis dixit (*Matth.* 10. 22.*&* *cap.* 24. 13.): *Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit.* Quis autem de hoc ſibi certus? Quot bono incœpto meliori per aliquod tempus, progreſſu perverſo fine damnantur? Vide quam facile pereant ſomnia Picenine tua.

22. Nec contentus ineptiſſimis vindiciis tuis Calvino indulſiſſe, falſum crimen noſtris audes imponere *pag.* 475. his verbis: *Temerarii hi appellari poſſunt, qui Scriptura non aſſentiente, immo adverſante, peccatores faciunt Redemptori pares. Jeſuitæ Papa tribuunt illam infallibilitatem, quam habuit Jeſus Chriſtus in terris militans, & auctoritatem, quam habet in Cœlis triumphans.* Putabam peſtiferum cordis tui virus adverſus Papam jam totum evomuiſſe, vel ſaltem in articulo Primatus omnem ſæcem egerendam contineres; verum ſanie hac tua pagellam intactam eſse non permittis. Rudis, & inſana calumnia tua eſt, nos Papæ tribuere infallibilitatem Chriſto æqualem. Quod ſi tale aſſertum palam editum fuit in publicis theſibus anno 1661. die 12. Decembris: *Chriſtus eandem, quam habebat ipſe, infallibilitatem, conceſſit ſucceſſoribus ſuis;* & tu fateris, *eandem theſim ab Eccleſia Gallicana fuiſſe proſcriptam.* Ex ore tuo confiteris imprudens hanc non eſſe Catholicæ Eccleſiæ doctrinam; quæ nunquam ſenſit Papam eſſe Chriſti ſucceſſorem, cui nemo ſuccedit: *Et alii quidem facti ſunt Sacerdotes,* (ait D. Paulus *ad Heb.* 7. 23.) *idcirco quod morte probiberentur permanere; hic autem* (Chriſtus) *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Papa ſuccedit D. Petro in auctoritate ſibi a Chriſto delegata ſui Vicarii, ad regimen militantis Eccleſiæ, eo viſibiliter abſente. *Papa infallibilis eſt in definitionibus ſuis.* Hanc tamen infallibilitatem a Chriſto habet ex verbis D. Petro pronuntiatis: *Non deficiet fides tua . . . confirma fratres tuos.* Chriſtus Homo Deus non ab aliis accipit infallibilitatem ſuam, & infallibis fuit erigendo Eccleſiam, videlicet in fide eam firmando, & Papa idcirco infallibilis eſt in ejus regimine; Chriſtus qua caput, Papa qua primus ejus miniſter. Quod nec ferre, nec pati Picenine potes.

§. VI.

Honores & tituli Summo Pontifici exhibiti, & ejus auctoritas.

23. Hanc aggreſſus provinciam, eam peſſundare omni conatu niteris, anxius nimis *pag.* 475. *quorundam nominum nimium ſapientium faſtum, & quorundam honoris generum nimiam humiliationem præſeferentium, quę Papę exhibentur.* Si mente tamen captus ita non eſſes, quod animadvertere quadantenus valeres quem Papa hic in terris repræſentet, nimirum Jeſum Chriſtum, mirari deſiſteres de quibuſdam titulis ipſi interdum adſcriptis. Si animadverteres in perſona Petri Papæ dictum: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis;* & Deum auctoritate ſua collata Moyſi ſuper Pharaonem, proprium etiam illi nomen dediſſe: *Conſtitui te Deum Pharaonis;* & Jacob Eſau dixiſſe (*Gen.* 23. 10.): *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei;* non tam inuſitata & abſurda tibi viderentur nomina, quæ Papis tribuuntur a plurimis perſonis piis, Miniſtro adſcribentes quæ Domini ſunt, Vicarium Chriſti appellantes ipſis Chriſti nominibus. Mediolanenſis Senatus profecto non eſt ipſe Rex, quem tamen cum repręſentet, in ſupplicibus libellis ipſi porrectis inſcribitur *Potentiſſimus Rex.* Pari ratione, indubium eſt Papam non eſſe Deum, nec Jeſum Chriſtum; ſed cum in terris ejus perſonam

nam gerat, abſolute poteſt nominibus Chriſti decorari. Nec a te increpari Panigarola meretur, quod Papam *unicum Dominum* appellarit. Non egemus a te inſtrui, *unum Deum, unum Dominum Jeſum Chriſtum* habere. Divus Paulus jam id monuit (*Epheſ.* 4. 5., 1. *Corinth.* 8. 6.) ſed alio, & alio ſenſu Panigarola Papam dicit *unicum Dominum*, nempe ad oſtendendam Eccleſiæ in terris unitatem, quod probat teſtimonio D. Hieronymi (*adverſ. Jovinianum*): *Unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio*; & vult intelligi, quod niſi Eccleſia unum Caput, & unum Dominum rectorem haberet vice Chriſti in terris, ſed a pluribus regeretur, non una eſſet, ſed ſchiſmatibus continuo proſcinderetur, quemadmodum Religiones, & Regna uno Capite, uno Domino privata, in ſectas diſtrahuntur. Quid heu tanti mali ex his? Excluditur ne Chriſtus *unus Dominus?* Si Papæ tribui nequit *Unus Dominus* D. Pauli, niſi quatenus Chriſti Miniſter perſonam Chriſti gerit, & Miniſter res eadem ſit cum Domino ſuo, quomodo excludi poteſt Chriſtus? Quid porro juvat magnificos hic revolvere titulos, non a Papis ſibi, ſed a pietate, & obſequio fidelium excogitatos, ad exornandam Chriſti Vicarii majeſtatem? Honor Miniſtri honor Regis eſt, cui adminiſtrat. Si autem tituli, quos ſibi Papa ſcribendo ſumit, nonniſi ſunt *Servus ſervorum Dei*; ſi ſcribens, vel alloquens fideles, nec etiam ſubditos, ſed *Fratres*, & *Filios* eos appellat, quid Papam mordes de titulis ipſi ſponte exhibitis a commendatoribus ſuæ dignitatis, & gradus? Teſtis mihi ſit Grotius (*Append. ad Comment. de Antichriſto*): *Papa non tales ſumunt ſibi titulos, ſed illum modeſtiſſimum* Servi ſervorum Dei, *cum Conſtantinopolitanus ſe ſcribat* Patriarcham generalem, *Alexandrinus* Terrarum Orbis Arbitrum. *Neque vero Papa ſe æquant aut Chriſto, immo ne Petro quidem, cujus ita ſe dicunt in Sede ſucceſſores, ut donis a Deo datis multo ſe Petro minores agnoſcant.*

24. Segneri ſcribit, quod Papa *ex Dei imitatione* aſſerere poteſt: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Ex imitatione*, ſcribit, non ex natura, proprietate, & æqualitate. Si Chriſtus juſte gloriari poteſt Reges habere ſubditos; juſte pariter ad imitationem id aſſerere Papa poteſt de Regibus Chriſto ſubditis, cujus eſt Viceſgerens. *Geneſ.* 41. 39. *&c.* Joſeph interpretatus fuit Pharaoni ſomnium ſuum, & Pharao conſtituit illum Præfectum, & Proregem ſuper Regnum ſuum; ſed attende modum: *Quia oſtendit tibi, Deus omnia, quæ locutus es .... Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni ſolio præcedam te ..... Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Inſuper: *Vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem Mundi.* Poſt hęc, nonne juſte dicere poterat Joſeph, per ipſum fieri quæ in Regno fiebant? Id autem comparemus cum auctoritate a Chriſto collata Petro. Hic faſſus eſt Chriſtum Filium Dei: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* (*Matth.* 16. 16.); & Chriſtus ipſi: *Quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus ... ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves &c.* Imperio ſuo fideles omnes ſubditos fecit: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Vertit nomen: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Cogita nunc, & fatere; poſt hæc, Petrum, & Papas ejus ſucceſſores, jure & merito in Domino gloriari poſſe, uno tantum Regni ſolio Chriſto præcedente, in omnibus quæ Eccleſiæ ſunt regimen tenere, & omnes ſibi obedire, dum cuncti qui Chriſtiani ſunt, Regno Chriſti ſubdantur, nimirum Eccleſiæ, & oves ſint Summi Paſtoris curæ traditę. En qui poteſtatem contulit Papæ ſublimandi, & deponendi, ſi neceſſaria res Fidei, & Eccleſiæ id poſtulet.

25. Dixerat Segneri, *Gregorium II. hac auctoritate uſum fuiſſe ſupra*

Leonem Iſaurum, qui ab ipſo exauctoratus fuit Imperio, quod a Leone III. Carolo Magno datum fuit: & Pipinum Francorum Regem a Pontifice Zacharia Statum obtinuiſſe. Indicas admittere quod infra negas, immemor alibi verum id te ſuppoſuiſſe, rebellem tenus traducentem Gregorium II., ferme ac ſi Italiæ populos contra Leonem Iſaurum concitaſſet, quo Orientalis Imperii exterminium cœpit. Muſſitas *pag. 476. hac eſſe Seculi VIII. exempla*, & petis *quomodo probetur a Deo habere auctoritatem hunc* noſtrum *Papam, & qua antiquitate gaudeat?* Probatum jam, & alibi infra probandum, hanc auctoritatem Eccleſiæ coævam eſſe, & a Chriſto Papæ donatam. Tu vero Cairinus Socrates ſcientiſſimus eorum, quæ nos miſeri Catholici ignoramus, doces nos: *Antiquis ſeculis non Papę Imperatoribus imperabant, nec eos exauctorabant, ſed Imperatores Papis, & Epiſcopis Romanis imperabant, quos & deponebant.* Mirandum ſane detegis, & uſque modo reconditum! Si de Imperatoribus Romanis intelligas vere Chriſtianis, de his ſane ratum habebis reverentia, & obſequio præditos fuiſſe, nedum erga Summos Romanos Pontifices, quam erga qualemcunque Epiſcopum. Res ne parva tibi Theodoſium cernere ad pedes Ambroſii, Magnum Conſtantinum ſumma reverentia obſequentem Nicæni Concilii Patres, ne tot alios commemorem? Si quis Cæſarum Epiſcopos depoſuit, Arianiſmo, vel alio forte errore infectus erat, nec certe laudem hac de cauſa ſibi comparavit. Imperatores Papis adverſi, aut ſolicitati fuerunt blateronum tibi ſimilium fraudibus, aut fide claudicabant. Ad hęc. Pontifices depoſiti, vel non recepti ab Imperatoribus, ideo ne Pontificiam amiſerunt dignitatem? Eccleſia illos ſtrenue defendit, Antipapas exegit, & anathemate confixit. Id autem animadverto, Imperatorum neminem, Eccleſiæ quantumvis & Pontificum inimicum, unquam tentaſſe ab Eccleſia Papatum eliminare, ut Secta tua, qua poſſet, vellet; immo qui Papam hunc vel illum oderat, alterum ipſi ſubrogare curabat, optime ratus, quantum interſit Eccleſiam Caput habere, nec alterum quam Romanum Epiſcopum. Hoc inventum abrogandi penitus ab Eccleſia Papatum, recens induſtria eſt zelo pſeudoreformatorum excogitata, ne quis habeatur, qui hæreſes eorum premat, & conterat.

26. Calvinianus Socrates iterum nos docet, *Leonem Iſaurum Imperium retinuiſſe, et Gregorium II. illum recognoviſſe.* Gregorius II. non exauctoravit Imperio Orientis Leonem, ſed dempſit illi ſolita tributa Italiæ, atque ideo Imperii partem illi ademit, qua in re obedientiam obtinuit, immo & laudem a Cedreno, & Zonara græcis Hiſtoricis. Falſum etiam tradis *Zachariam Pipino Statum contuliſſe, quem* (doces) *collatum fuiſſe a Magnatibus Francorum ex conſilio Zacharia, attenta impotentia Hilderici.* Calvinus impudentiori calamo idem ſcribit (*Lib. 4. Inſt. cap. 7. §. 17.*): *Nam cum Zacharias Pontifex Romanus ei adjutor fuiſſet ad perfidiam, et latrocinium, ut pulſo legitimo Rege, Regnum, quaſi præda expoſitum raperet, hoc mercedis tulit, ut in Eccleſias Gallicanas juriſdictionem haberet Romana Sedes*; quaſi antea non habuiſſet. Prætereo quæ mendaciſſimus Hæreſiarcha addit contumeliæ plena adverſus Zachariam, Pipinum, & Carolum Magnum, quoniam & iſte: *Erat Romano Pontifici obnoxius, quod ejus ſtudio ad honorem Imperii pervenerat.* Parum non eſt ex hujus etiam confeſſione haberi Papam illis temporibus tantæ fuiſſe auctoritatis, quod Regna, & Imperia diſtribueret. Bona venia tamen, Calvinus tecum ignorantiam ſuam hac narratione aperte probat, dum res certa ſit, quod Magnates Francorum, & D. Boniſacius Moguntinus Epiſcopus, negotia Regni videntes prorſus diſperſa, potiſſimum circa Religionem, ex negligentia & deſidia Hilderici Regis viri inepti, ad Zachariam confugerunt, qui auctoritate ſua illum exauctoraret, ut re vera fecit,

Rege

Rege ejus vice Pipino ſubrogato. Sic Cedrenus, & Paulus Diaconus referunt, poſt D. Bonifacium in Epiſtola ad Zachariam. Sic Sigebertus in Chronicon *ad ann.* 750. *Hildericus Rex Francorum in Monachum tonſuratur, Pipinus vero Princeps auctoritate Apoſtolica, & Francorum electione, a Sancto Bonifacio Moguntia Archiepiſcopo in Regem ungitur, & conſecratur.* Sic Abbas Uſpergenſis in Chronicon: *Zacharias vero Papa ſuper hujuſmodi negotio conſultus* (videlicet ſuper damna Francorum ex malo regimine Hilderici) *remandavit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret. Dataque auctoritate ſua, Pipinum Regem conſtitui juſſit anno Domini* 752. *Pipinus per auctoritatem Zacharia Papa, more Francorum electus eſt ad Regnum, per manus S. Bonifacii Epiſcopi Moguntiacenſis elevatus eſt in Regni ſolium in Sueſſionum Civitate.* Hinc conſtat error tuus Picenine, qui innixus dicto Trithemii, & aliorum, vis Zachariam ſolo conſilio partem habuiſſe in aſſumptione Pipini ad Regnum; quandoquidem conſilium Zachariæ fuit, *melius eſſe vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret.* At Pipinum Regem creari pro Hilderico, auctoritate Zachariæ factum fuit: *Dataque auctoritate ſua, Pipinum Regem conſtitui juſſit. Pipinus per auctoritatem Zacharię Papa, more Francorum electus ad Regnum etc.* Ad hæc. Pipinus a Stephano Zachariæ ſucceſſore ſolutus fuit a juramento fidelitatis jam præſtiti Hilderico: *Sic ergo Pipinus ex Præfecto Palatii auctoritate Apoſtolica ſublimatus, & cunctus in ſedem Regni, poſtea regnavit annis XV., abſolutus per eundem Papam Stephanum a juramento, quod Regi Hilderico cum ceteris Regni Primoribus fecerat.* En autem ab octavo uſque ſeculo Papas exercuiſſe, Reges autem agnoviſſe auctoritatem abſolvendi ſubditos a juramento fidelitatis. Sic Uſpergenſis, hiſtoricus ceteroquin apud te magnæ fidei. Id fatentur ipſi Magdeburgenſes *Cent.* 8. *et* 10., quamvis & ipſi factum improbent, aſſerentes Zachariam divinam uſurpaſſe auctoritatem. Hoc tamen geſtum juſtum vindicant omnes Hiſtorici, & Magnates ipſi Galliæ, qui ad Zachariam non confugiſſent, niſi publica fama noviſſent Zachariam hac potiri auctoritate; & hìc mendax Calvinus evincitur, blaterans ante Pipinum, & Carolum Magnum, in Galliis notam non fuiſſe auctoritatem Pontificis. Præ omnibus juſtam declarant Pipini electionem divinæ illæ benedictiones, quæ ejus Regnum felicitarunt, & illud Caroli, ut omnibus notum eſt. At tu exaſperatus adverſus Gregorium II., & Zachariam, prætermittis Leonem III.. qui in perſonam Caroli Magni tranſtulit Imperatoriam dignitatem. Validum id ſane in hac re Pontificiæ auctoritatis argumentum, quod probatum fuit totius Catholici Orbis plauſibus.

27. Graviſſime fers Principes adorare Papam, & ejus exoſculari pedes. *Pag.* 477. non probas, quod *Papa acceptet oſcula hac obſequioſa.* Hujuſmodi tractatum prætermittere poſſem, Joſepho Steccano tibi indicato, qui in ſuo tractatu *de adoratione pedum Romani Pontificis*, æquitatem probat hujus adorationis, & oſculorum. Ne tamen me ſimulaſſe fugam invide detractes; dicam inter potiſſima Chriſtianæ Religionis argumenta unum hoc eſſe, tot nimirum Imperia, & Regna adoratores jam facta hominis, qui vitam egit mendicam, & vitam in patibulo Crucis amiſit. Ratio autem efficax pro veritate Primatus Papę, & ſupremæ ejus auctoritatis in Eccleſia, eſt cernere tot Reges, & Imperatores non dedignari ad ejus pedes procumbere, & oſcula dare, agnoſcentes hac humiliatione Majeſtatem in ipſo propria ſuperiorem. Id Gerſonus (*tom.* 1. *de poteſt. Eccleſ. conſid.* 11.): *Ex conſideratione poteſtatis hujus ſtupenda, & miraculoſa, Imperatores etiam, & Reges procumbunt ad oſcula pedum Papa.... Non aliter exiſtimandum eſt de prioribus S. Patribus extollentibus Papam miris modis.* Poſt pauca: *Hinc*

ſit præterea, quod abſque mendacio, vel adulatione, Papa nequiſſimus poteſt appellari Sanctiſſimus, poteſt adorari cultu duliæ uſque ad oſcula pedum, et ita de reliquis honoribus. Gerſonus nequit a te illis adjungi, quos appellas Papæ *Adulatores, et Paraſitos.* Imperatores cunctis ſeculis Pontificiam dignitatatem excoluerunt ſignis humiliationis, tanquam propria ſupremam. Fidem faciunt obſequentiſſimi tituli, quibus litteras ad Pontifices datas exornarunt, quemadmodum Conſtantinus ad Silveſtrum, Honorius ad Bonifacium, Valentinianus, Marcianus, Pulcheria Auguſta ad S. Leonem, Juſtinianus ad Joannem, & alii tranſactis ſeculis Imperatores. Fabianus in tertio ſeculo ſuperioritatem ſuam Philippo Imperatori oſtendit, cum in Eccleſiam eum recipere noluit, niſi inter pœnitentes prius ſtationem acciperet (apud Euſebium *Hiſt. lib. 6. cap. 27.*): *Imperator alacri animo, & lubenti, Epiſcopo morem geſſit, & religioſam, piamque affectionem Dei timore incitatam re ipſa declaravit.* Quod refert etiam Nicephorus (*Lib. 5. cap. 25.*). Et Symmachus Papa in Apologetico contra Anaſtaſium Imperatorem, inſtituta comparatione inter Pontificiam, & Imperatoriam dignitatem, hac utitur phraſi: *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille humanarum rerum curam gerit, iſte divinarum. Tu Imperator a Pontifice Baptiſmum accipis, Sacramenta accipis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas. Poſtremo tu humana adminiſtras, ille tibi divina diſpenſat.* Hæc reverentia eſt, quæ Imperatores ad Papæ pedes flectit, qua Papæ patiuntur id permittere. Reges terræ proſpiciunt in Dei Miniſtris excellentiæ gradum ſuo eminentiorem, & pene divinum, qui illos impellit Majeſtatem ponere, & adorare. Nabuchodonoſor in Daniele id proſpexit, & quamvis ſuperbus, ad ejus pedes cecidit oblaturus thura, & Sacrificia: *Tunc Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit, & hoſtias, & incenſum præcepit ut ſacrificarent ei* (*Daniel 2. v. 46.*). Id agnovit magnus Alexander in Jaddo ſummo Sacerdote Synagogæ, & comperta in ipſo divina Majeſtate, *Alexander ut vidit e longinquo....* (Joſeph Hebræus *Lib. 11. antiq. Judaic. cap. 8.*).... *ſolus ad eum accedens, nomen illud adoravit, & ſalutavit Pontificem.... Syriæ Reges, & reliqui obſtupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem: ſolus Parmenio propius accedens rogavit familiariter, quid ita, cum ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judæorum Pontificem? At ille, non hunc ſe adoraſſe reſpondit, ſed Deo, cujus Pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe.* Ille Alexander, qui Divinitatis avidus filius Solis nuncupari volebat, videt in Pontifice hebræo Dei Majeſtatem, & eam adorat; tu vero Picenine vis Chriſtianos Principes cæcos eſſe qua tu, ne videant Majeſtatem Chriſti & Dei in Summo Eccleſiæ Sacerdote, neve proni adorent? Ita; quinimmo Adrianum Pontificem nobis proponis tuæ poſitionis Patronum, qui ſcribens Conſtantino, & Ireni, ad eorum pedes ſe advolvebat: *Veluti præſentes, genibus advoluti, et coram veſtigia pedum volutando, ego cum fratribus meis coram Deo ſupplico.* Sed inſtabat tum Orientis calamitas reparanda, ab Iconomachis excitata; quo caſu in cauſa Dei decet ſuum Vicarium humillime precari, in ſignum ſolicitudinis, & zeli. Immo ex hoc accipe, non ad faſtum & arrogantiam ab Imperatoribus Papas adorationes exigere, ſed ad meram dignitatis, qua ornantur, decentiam, cum ipſimet ad majorem Dei gloriam promovendam, non dedignantur ad ipſorum Imperatorum pedes procumbere.

28. Refers *pag. 477. inter Romanos Imperatores quoſdam exegiſſe pedibus ſuis oſcula figi, & iſti ſuperbię monſtra erant; nempe Caligula, Maximinus, Diocletianus. Populus autem fremebat.* Et tamen Imperatores erant, qui hæc a ſubditis poſtulabant: nunc

nunc vero Imperatores ſponte procumbunt ad pedes Summi Pontificis; nihilominus quis fremit? Pauci rebelles obloquuntur, ſed univerſus Orbis Catholicus plaudit, ſublimiores vero Principes gloriantur ſe humiliare, & hanc deſiderant humiliationis opportunitatem. Cum oſcula pedum, & adorationes a Caligulis, Maximinis, Diocletianis quærebantur, tum merito populi angebantur; nil quippe in illis monſtris adoratione dignum: & divinitas ab ipſis affectata, cum eorum vaniſſimum ſuperbiæ commentum eſſet, odium, non cultum in ipſos excitabat. Oſcula autem, & adorationes Vicario Chriſti tributa, nedum populi non execrantur, ſed ipſi Reges & Imperatores piiſſimi felices ſe reputant, poſſe obſequii oſcula Vicarii Chriſti pedibus figere. Si autem venenatum Picenini cor fremens peteret: Quid ita, cum ipſi adorentur ab omnibus, nunc proſtrati Papam adorent? Non dubitabunt cum magno Alexandro reponere: *Non hunc ſe adoraſſe, ſed Deo, cujus Pontifex eſſet, honorem exibuiſſe*. Ineptum porro, & fœdiſſimum eſt tuæ eruditionis commentum, animadvertens: *Si Seneca Imperatores et Reges ipſos ad pedes Summi Pontificis vidiſſet, indignatus eſſet*. Quid non potius rememoraſſet quod Lucilio ſcripſerat (*Epiſt.41.*): *Vis iſthuc divina deſcendit... Non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare*? Majeſtas illa, ad quam procumbunt Imperatores & Reges, divinam vim habet. Vis illa, quæ adorationes trahit ab illis, qui Throno petunt adorari, *non poteſt ſine adminiculo Numinis ſtare*.

29. Nec pati vales *pag.* 341. & 477. *Fridericum Imperatorem ſtapiam tenuiſſe Adriano IV., & hunc illum reprehendiſſe, quod pro dextera ſtapia ſiniſtram teneret; pariter Alexandrum III. Venetiis ejuſdem Friderici collum pedibus calcaſſe*. Ex Platina habetur quod Adrianus: *Imperatori fit obviam, qui ex equo deſcendens, eum ut verum Chriſti Vicarium ſalutat*. De Alexandro III. idem ſcriptor refert: *Convenerat jam Venetias Alexander componendę pacis Italiæ cauſa; eo & Fridericus accedens, in veſtibulo Sancti Marci Pontificis pedes exoſculatur; ſimul deinde ad Altare majus profecti, accepta, dataque ſalute, de fœderibus pacis inter ſe multum, diuque collocuti ſunt: quæ poſtea ſequenti die ex ſententia confecta eſt*. Romualdus Salernitanus coævus auctor, minutatim referens quæ inter Alexandrum III., & Fridericum Venetiis ſequuta ſunt, nil fert de Friderico pede ſubjugato; hinc pie creditur, hæreticorum, Picenine indolis, commentum id eſſe, ad concitandum odium contra Papam: quod & ipſi minus inſanæ mentis hæretici fabellam putant. Alexander ipſe III. qui geſta ſcripſit ſub die 26. Julii ad Abbatem Caſſinenſem, id non memorat. Dumtaxat memorat, poſt humiliationis ſigna in veſtibulo Eccleſiæ S. Marci Venetiarum, & peracto Sacro, conſcendente equum, Fridericum ſtapiam tenuiſſe. Epiſtola habetur apud Baronium (*ad ann.*1117. *num.*24.). Acta Alexandri III. quæ habentur in Bibliotheca Vaticana, relata ab eodem Baronio (*ibidem num.*23.) habent, quod Fridericus viſo Papa, qui ante Portam Templi S. Marci illum attendebat: *Proſtravit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis, tanquam Principis Apoſtolorum, pedibus, vera pacis oſculum ipſi devotiſſime dedit*; & peracto Sacro, Fridericus *dexteram Pontificis apprehendit, et extra Eccleſiam uſque ad album Caballum conduxit ipſum, et ſtraguam, ſtapbam ſcilicet fortiter tenuit. Cum autem frenum acciperet, et ſtratoris officium vellet adimplere, Pontifex, quia iter ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit, quod affectuoſe voluit adimplere*. Quæ ni ſatis, Domini Felicis Contelori liber videatur, Lutetiæ Pariſiorum editus anno 1632., inſcriptus: *Narratio concordiæ inter Alexandrum III. Summum Pontificem, et Fridericum I. Imperatorem Venetiis confirmata*, quo nota fiet calumnia ab his concinnata, quorum ſtudium eſt Papæ nomini invidiam et odium ciere. Quod autem

autem Jacobus Faber Papam carpat, *quod velit adorari, cum adorari ſe non permiſerit Angelus Apocalypſis:* hoc ipſo gravi cenſura dignum Faber ſe prodit, quoniam ignorare indicat hujuſmodi obſequium in Jeſum Chriſtum ordinari, cujus perſonam Pontifex gerit, non minus Angelo Apocalypſis; idcirco adorationes ſuſcipit, ſicut tres Angeli illas Abrahami ſuſceperunt (*Gen.* 18. 2.).

30. Inſtas *pag.* 478. *Papam velle a Principibus hac honoris tributa, ea præcipit, et ecce in ſacris ritualibus jam præſcripta.* Cum dignitati, quam tenet, debita ſint; quid ea velle non debet? Principes quoque, & Reges terræ, obſequii tributa exigunt a ſubditis ſuis, & in ritualibus ſuis deſcripta ſunt. Subditi hoc vel illo obſequii tributo Principes ſuos colere primo inſtituerunt; quod uſu frequentatum, præſcriptionem obtinuit, & facta eſt lex. Sic Principibus primo placuit Vicarium Chriſti ſponte adorare: quę conſuetudo plauſu excepta, & frequentata a ſucceſſoribus ſuis, factus eſt ritus præſcriptus; quem cuncti qua hujuſmodi agnoſcunt, quaſi in ipſo impletum Iſaiæ oraculum *Cap.* 60. *v.* 14. Et *venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Siſcitaris an *Papa adoretur ut Paſtor, vel ut Princeps?* Utique, Domine, ut Paſtor univerſalis gregis Chriſti, ut ſupremus OEconomus myſteriorum ejus. At prætendis *hunc non eſſe honorem præceptum a Deo.* D. Paulus tamen mandat (*ad Heb.* 13. 1. 7.) quod: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit ... cui honorem honorem.* Quid ſublimius poteſtate repræſentante perſonam Chriſti? In veteri lege Jacob ſepties Eſau adoravit (*Geneſ.* 33. 3. 7.), filii Jacob cum Lia & Rachaele adorarunt. Joſeph adoratus fuit a fratribus ſuis (*Geneſ.* 42. 6.). Abigail Davidem adoravit (1. *Reg.* 25. 41.), quem & Miphiboſeth adoravit (2. *Reg.* 9. 6.); Bethſabee Salomonem (3. *Reg.* 1. 16.). Innumerabiles ſunt in libris ſanctis hæ adorationes, non a Deo præſcriptæ, ſed ab hominibus exhibitæ. Quid non exhiberi poterunt Summo Pontifici, te licet invito? Quæ craſſior inſcitia, quam opponere, hunc adorandi ritum uſum non obtinuiſſe apud priorum ſeculorum Imperatores, ſi Pagani erant, adorantes Jovem, non Jeſum Chriſtum, minus vero Vicarios ejus, quos uſque ad Martyrium inſectabantur? Uſum tamen obtinuit apud Chriſtianos Imperatores: & P. Segneri inter *adoratores Papæ refert Juſtinum, et Juſtinianum Imperatores.* Si autem hoc *teſtimonium non recipis, quia ſumptum ab Anaſtaſio teſte domeſtico*, quæſo a quo ſumendum ſit teſtimonium; forte a Calvino, Luthero, a Proteſtantibus, juratis Romani Pontificatus inimicis? Ad hæc ſubdis, *Juſtinianum hunc non hujus nominis primum, ſed ſecundum fuiſſe anno* 710., *in illis ſeculis, in quibus Papa Thronum ſuum ædificabat.* Si in illis ſeculis Papa Thronum ſuum ædificavit ſuper obſequia Principum, & Regum, his uſque ad pedes ſuos accerſitis, neque reſtitit ullus, niſi modo unus Catrinus Prædicans, immo omnes ſponte ſe humiliaverunt; vel ipſi ſtupidi, & fatui; vel nec novus & indebitus iſte cultus, ſed antiquus, & debitus. Profecto non ſtupidi, non fatui Pipinus, & Carolus Magnus; & tamen Paulus Æmilius ſcribit, quod uterque in primo congreſſu cum Papa, pedes exoſculati ſunt. De Pipino: *Pedes, ut ferunt, exoſculatus, coerceri non potuit, quin in equo ſedentem* (Papam) *proſecutus in Regiam deduceret.* De Carolo Magno: *Præſtolabatur Regem Adrianus cum ſacro cœtu pre gradibus ædis Sancti Petri: ille ubi in congreſſum venit, prius Pontificis pedes oſculo contigit, quam ſe illi amplectendum daret*; quod quidem hi Principes præſtiterunt, ſervantes morem antiquum. Hinc Anaſtaſius narrans univerſale gaudium in electione Leonis IV., refert quod ipſum reluctantem ſuæ electioni ſumpſerunt, & deportarunt ad Palatium Lateranenſe,

nenſe, ubi: *Morem conſervantes antiquum, omnes oſculati ſunt pedes*. Si mos antiquus erat nono ſeculo, non igitur incœptum habuit illis ſeculis, in quibus, ut tu garris, *Papa Thronum ſuum ædificabat*. Juſtinianus I. qui ſeculo VI. vixit, ſin legatur Pontificem adoraſſe, expreſſit tamen ſuam ſubjectionem Joanni Papæ C. *De ſumma Trinit.*, *et Fide Catholic.* Sane legitur de Juſtiniano II. qui monitus Conſtantinum Papam Conſtantinopolim intraſſe, gaudio exhilaratus, obviam occurrit, & *in die, qua ſe viciſſim viderunt, Auguſtus Chriſtianiſſimus cum Regno in Capite ſe proſtravit, pedes oſculans Pontificis*. Profecto id ab Anaſtaſio fertur, *teſte*, ut ais, *domeſtico*; ſed quod falſum ſit, tibi probare incumbit. Ratio, qua *S. Petrus primus Paſtor non permiſit a Cornelio adorari*, ab ipſo Petro pronuntiata fuit (*Act.* 10. 25. *et* 26.): *Surge, et ego ipſe homo ſum*. Novit Cornelium ritu Gentium ipſum adorare, quaſi inſidentem haberet Divinitatem: quamobrem, ne cultus ſoli Chriſto debitus ipſi tribueretur, reſtitit. D. Gregorius: *Primus Paſtor Eccleſiæ, cum adorante ſe Cornelio, ſuper ſe ſibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis ſuæ citius recurrit, dicens: Surge, et ipſe ego homo ſum. Quis enim neſciat, quod conditori ſuo homo debeat, et non homini proſterni?* Tum etiam ſi Papa, quopiam ſe ipſi proſtrante, ſuammet perſonam noſceret adorari, ſtatim impediret, dicens: *Surge, et ego ipſe homo ſum*. Hinc cuilibet proſtraro ad pedes ſuos benedictionem impartitur, quo ſciat in ipſo benedicendi auctoritatem adorare, non ſuammet perſonam. Quibus demum propoſitio tua undequaque falſa evincitur; videlicet a Catholicis tentari *Papam Chriſto parem* facere: his technis meditando juſtam accuſationem in Calvinum latam retundere, qui aperte adſtruit, *Fideles Chriſto pares eſſe in certitudine ſuæ ſalutis*. Poſtremo his concludam, quæ olim D. Auguſtinus Paganis (*Lib.* 18. *de Civit. Dei cap. ultimo*): *Nos ergo qui ſumus, vocamurque Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus .... Ille Petri magiſter Chriſtus, in doctrina quæ ad vitam ducit æternam, ipſe eſt magiſter noſter*. Hinc Innocentius III. (*Lib.* 2. *de myſt. Miſſæ cap.* 37.) ait: Subdiaconus, vel Diaconus, *non manus, ſed pedes Summi Pontificis oſculatur, ut Summo Pontifici ſummam exhibeat reverentiam, et ut eum illius oſtendat Vicarium eſſe, cujus pedes oſculabatur mulier illa, quæ fuerat in Civitate peccatrix*.

§. VII.

Sola Romana Eccleſia vere ſanctificat.

31. Solito ritu tuo probandum aſſumis non Eccleſiam Romanam ſolam ſanctam eſſe, nec ſolam ſanctificare fideles ſuos; & ubi P. Segneri oſtendit, *ſola contemplatione Imaginis Sanctæ Roſæ factas fuiſſe converſiones*, tu contra contendis *pag.* 479. has fabulas eſſe, & non aliter eſſe tenendas, ideo quia Piceninus dixit, oraculum veritatis. Si vox Concionatoris animam valet permeare, & gratia Dei instructa Peccatorem valet convertere, conſpectus Imaginis, in oculos tacite loquentis, quid non poterit virtutes S. Roſæ menti objicere, & gratia intus urgente, peccatoris cor conterere ad pœnitentiam? Conſpectus Serpentis erecti a Moyſe corpora ſanabat, & conſpectus Imaginis alicujus Sancti non poterit a Deo inſtrumentum ſumi ad ſanitatem animæ? Gregorius quamvis prohiberet Imagines colere cultu debito Sanctiſſimæ Trinitati, opportunas tamen eas habebat ad excitandam compunctionem; quapropter ſic契Sereno ſcribit: (*Ep.* 13. *alias* 10. *lib.* 11.): *Sed hoc ſolicite fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, et in ad ratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur*.

32. Pater Segneri demonſtrat quam ſoliciti ſint Catholici in timore Dei, hinc animadvertens, *Hæreti-*

reticos tutiores eſſe in facultatibus, fama, et re domeſtica, ex famulitio Catholicorum. Cui te non credere reſpondes, *famulos Catholicos futuros heris Proteſtantibus fideles. Quippe quę fides exſpectare poteſt herus Evangelicus a ſervo Papiſta, dum Jeſuitarum regula valeat: Hęreticis non eſt ſervanda fides?* Sic ad putidum, jam a me diſſipatum, calumniæ vomitum redis. Catholicus in re licita, & indifferenti, fidei cuſtos eſt Proteſtante cautior. Non hìc tamen diſſimules efficacem rationem, ex qua P. Segneri Concluſionem ſuam deducit, inde reſponde: ,, Si in aliqua Civitate (hæc Segneri) lex eſſet inevitabilis, unumquemque teneri revelare & deponere apud Miniſtrum Principis, quid geſtum, quid dictum, quidquid in ſumma factum ſit in qualibet domo; nonne frænum arctum id eſſet ad vivendum caute, & conſiderate, in verbis, & factis, ſciendo cuncta fore revelanda Miniſtro? Hæc forma regiminis nonne Principi foret tutior cautio pro Subditorum fidelitate? ,, Hoc ratiocinio infert P. Segneri majorem fidelitatem in Catholicis, prę Proteſtantibus. Tenentur illi homini in Sacramentali Confeſſione (ſub pœna a Deo nunquam obtinendæ veniæ) aperire quidquid mali factum, dictum, vel concupitum. Proteſtantes hac lege conſtringi nolunt, quæcunque ſit in eorum cordibus culpa. Catholicus ſemel lapſus, & abſolutus, iterum relapſus, tenetur revelare Miniſtro caſum ſuum, correctionis pudorem ſuſtinere, addita comminatione irremiſſionis ſi recidat. Proteſtans millies cadat, nemini hominum, ſed ſoli Chriſto confiteri vult, de quo credit juſtitia ejus quodcunque iteratum flagitium obtegere. Ex horum alterutro, quis ad non cadendum, recidendumve, arctiori fræno cohibetur? *S. Paulus* (ais *pag.* 479.) *ad Coloſſ. 3. 22. 23. 24. 25. rationes adducit, quibus ſervi ad fidelitatem tenentur, profundo tamen ſilentio abſcondit Jeſuitę rationem. Si mala fidei opera non devitat ſervus, quod Deus ſciat, cui rationem redditurus eſt ſuæ ſervitutis ſtrictiſſimam: quomodo devitabit ex terrore Tribunalis Confeſſionis?* Hallucinaris ſemper. D. Paulus tantum dicit, ſervum rationem Deo fore redditurum ſuæ fidelitatis, non autem modum explicat, quo ſit redditurus. Majus fręnum non eſt ad cuſtodiendam fidelitatem debitum reddendæ rationis Deo, una & homini ſe manifeſtandi, quam uni Deo tantum corde confitendi? Quot meditatio humani judicii in fidelitate continuit, quos non terrebat divini judicii a longe inſpecti contemplatio? Catholicus duobus frænis a peccato continetur; Dei videlicet Tribunali, & Confeſſionis. Tu unum habes (ſi quod habes), Tribunal ſcilicet Dei. Profecto verum, Confeſſionis Tribunal *eras remittere hodie commiſſa*, & Deum ipſum remittere, ſi peccatorem pœniteat. In Tribunali tamen Confeſſionis non remittitur noxa, niſi indicia conſtent pœnitentiæ, & propoſiti non ultra peccandi: & iterato peccato, ſuſtineri iterum debet pudor culpæ manifeſtandæ, & correctionis, immo forte excluſionis a venia. Quod ſi apud nos, ut ſubdis, Confeſſionis Tribunal occulta crimina non patefacit, neque *perfidiam ſervi, quanquam totam heri ſui domum depradatu eſſet, machinando etiam contra ejus vitam*, neque vero Deus hæc patefacit; a cujus Tribunali venditas ſatis te cohibitum a peccatis, & ſceleribus patrandis.

33. Verum enimvero tu, ex doctrina Calvini, de tua ſalute ſecurus qua Chriſtus ipſe, dummodo fiduciam tua non hæſites, nec Dei Tribunal times, nec æterna ſupplicia. Id advertit P. Segneri, cui quin teſpondeas, injuriarum congerie inceſſis *pag.* 479. *Fratres ſunt, qui quæcunque licet immunditie fœdati, præſumunt, non ex efficacia fidei, & juſtitię Chriſti omnibus æque imputata, ſed ex operibus ſuis, juſtiores eſſe Patriarchis &c. Hi ſunt &c.* Non *Fratres*, ſed Calvini ſectarii ad effrænem

pec-

peccandi licentiam, perfido mendacio ſuadent miſeris animabus, quocunque peccato quis irretitus, dummodo fiduciam teneat innocentię Chriſti, id ſufficere, quin ipſi imputetur ullum peccatum, etiam ſi Judas eſſet. Nonne Lutherus, ille, qui publice Heidelbergę *ann.*1518. defenſavit: *Non ille eſt juſtus, qui multum operatur, ſed qui ſine opere multum credit in Chriſtum?* Non Fratres, ſed Proteſtantes ſunt, qui quacunque licet *immunditie fœdati*, fide ſua ita ſe juſtos reputant, ut hac una nec Apoſtolis Petro, & Paulo, nec Sanctiſſimæ Virgini cedant, quęcunquæ ſint illorum perfecta opera. Non Fratres, ſed Proteſtantes, ad indulgendum ventri Deo Epicureorum, jejunia irrident, abſtinentias, & macerationes ſubſannant, venditantes Phariſaicam eſſe arrogantiam fovere ſpem obtinendę ſalutis mediis operibus bonis; & ſeducentes puſillos, meritum ſuperbiam dicunt, bona opera audaciam, & nil boni quamvis faciant, dignos tamen, ac certos ęternę ſalutis ſe reputant pares Chriſto. Non *Fratres* tandem, ſed Proteſtantes ſunt, qui ſua fide tumidi, & ſuperbi, eo temeritatis faſtigio ſe extollunt, ut illam habere majorem præſumant Chriſto homine, dum hunc tranſitoriæ deſperationis incuſent in cruce morientem. Si juxta Proteſtantium doctrinam ſuperba præſumptio eſt ſpes conſequendæ juſtificationis actu pœnitentiæ, lacrymula a corde emanata; ſi docet Lutherus (*in Bulla Leon. X.*) quod *in omni opere bono juſtus peccat*, & *opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum*, cum pœnitere opus bonum ſit, homo pœnitendo peccabit, unde optime dicit P. Segneri, *apud illos peccatores pœnitentia pejores fieri;* ſi peccata omnia obtecta ſunt juſtitia Chriſti, nec fidelibus ullum imputatur peccatum, juxta Calvini novam ſententiam, bene habet P. Segneri, *ipſos ſe non reputari peccatores*. Si certi ſunt æternæ ſalutis, quemadmodum Chriſtus, quia teſtantur habere fidem juſtitiæ ſuæ, quæ ſemel apprehenſa nunquam amitti poteſt, juxta Calvinum (*Lib.* 3. *Inſt. cap.* 2. §. 11. & 12.) ita ut peccato etiam admiſſo, parum referat; ſola quippe memoria Baptiſmi jam recepti totum plene remittitur, juxta eundem Calvinum (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 15. §. 3. & 4.); ſi Calviniſtę tot tantiſque modis in tuto poſiti ſecuri fiunt, ſequitur, hac oſtentatione, curandum nunquam, *vel in juventute vel in ſenectute, emendari.* Quilibet enim reſipiſcentiæ actus, ad conſequendam juſtitiam ordinatus, inutilis eſſet, & offenſa juſtitię Chriſti, quaſi ſi ea ſola eſſet inefficax ad juſtificationem, prætenderent ex propriis ſe juſtificare. Aſſerere autem *veram Pœnitentiam manifeſtari mutatione vitæ*, eſt manifeſta contradictio, quo datur intelligi ad ſecuritatem ſalutis non ſufficere fidei firmitatem, ſed mores etiam bene inſtitutos requiri, nec verum eſſe Fideli nullum peccatum imputari, ſi Chriſtus omnia ſibi imputari voluit. Hæc porro eſt fraus inſipientum deceptoria, ad fucum faciendum errori, qui forte a ſimplicibus deprehendi poſſet: etenim vel fideli poteſt imputari peccatum, vel non. Si poteſt imputari; ergo falſa doctrina Calvini, *Peccatis noſtris non poſſe nos damnari, a quorum reatu nos abſolvit, cum ea ſibi imputari voluerit, ac ſi ſua eſſent*. Si nequit imputari; quid refert homini vitæ emendatio, quo etiam in vitio perſiſtente, dummodo fidem incolumem teneat, nullum jam ipſi peccatum, nulla damnatio? Hæ ſunt frigidæ, & deceptoriæ nugæ, quibus Calvini ſectarii omnem ſuam navant operam, ad illaqueandas, & perdendas puſillorum animas.

§. VIII.

Proteſtantes immerito rejiciunt ſacros ritus, illos præſertim Baptiſmi.

34. Videris *pag.* 480. mutaſſe ſententiam, niſus ſuadere falſum Proteſtantes *abegiſſe omnes ritus Catholicæ Eccleſiæ, ſed recentiores tantum Romanæ Eccleſiæ, quos Catholica*

lica non agnoſcebat. Si poſtulemus autem quæ ſit hæc Eccleſia *Catholica* a Romana diſtincta, neſcit reſpondere verbum. Romana Eccleſia una cum illis ſuæ obedientiæ Catholicam faciunt Eccleſiam, quæ in dogmatibus eadem eſt ac antiqua, gubernata a ſuis Epiſcopis, Imperatoribus ipſis teſtantibus rerum Eccleſiaſticarum judicium ad Epiſcopos pertinere; Calviniſtæ autem nec Epiſcopos habent, nec volunt; quorum Eccleſiæ in ſpiritualibus judicium ſupremum a laicis quærunt, & exſpectant. Joannes Clericus (*de eligenda ſententia cap* 11.) quanquam Sectarius Arminianus, fatetur regimen ſuæ partis ab illo antiquæ Eccleſiæ diverſum, quæ Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, Lectores, Oſtiarios, Exorciſtas habebat; Sacerdotibus mulierum commercium prohibebat, illos damnabat qui jejunia cunctis Eccleſiis communia reprehendebant; quæ continentiæ votum probabat; quæmadmodum videre eſt in vetuſtiſſimis Synodis, Ancyrano *can.* 19., Eliberitano *can.* 33. *cap.* 14., Gangrenſi *can.* 19., Laodiceno *can.* 20. 24. *&c.* Calvinus et Lutherus hæc ſtatuta deteſtantur, & perſuadere audent ſe ſolos Eccleſiam antiquam ſequi, cujus legibus adverſantur.

35. Doles de Patre Segneri, qui *ad excitandum totius Italiæ odium in Reformatos*, imputet integrum Baptiſmum hos non habere. Cum autem præter ineptias, & compoſitas fraudes nil habeas quod reſpondeas, propterea ſubdis: *Non habemus forte integrum Baptiſmum, quia non baptizamus in nomine Patris, Filia, & Spiritua Sancta, quemadmodum ante Reformationem interdum baptizabant ſui Presbyteri latinum idioma non intelligentes.* Putas nos ignorare, octingentis annis ante tuam miſeram pſeudoreformationem contigiſſe unum dumtaxat Germaniæ Presbyterum ex ignorantia latinæ linguæ præfatis verbis bona fide baptizaſſe. Videatur *Can. Retulerunt diſt.* 4. *de Conſecratione.* Quid porro ex his deducis? Ego quippe infero, octingentis annis ante pſeudoreformationem formam Baptiſmi pronuntiari ſolitam latina quidem, non germanica, ſive quacunque alia vernacula lingua, ut ſectarii faciunt. Quinam igitur novus ritus, noſter, an veſter? Ad hæc, advertendum, quod tu malitioſe ſiles, ſtatim ac S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus errorem illius Presbyteri deprehendit, illico Summum Pontificem conſcium fecit.

36. Iterum clamas: Cur non integer Proteſtantium Baptiſmus? *Forte quod in Baptiſmo non utimur oleo, ſale, ſaliva, aliiſque miſturis? Si præter iſta integer erat priorum baptizantium Baptiſmus, cur noſter non integer? D. Joannes baptizabat aqua; aqua baptizatus fuit Chriſtus; aqua baptizabant Apoſtoli, & eorum ſuffraganei.* Ambiguis ſemper fugam quæris. Non hic de natura, ſive de materia Baptiſmi ſermo, quam confitemur & nos ſolam eſſe aquam: ſed res eſt de ritu, & modo adminiſtrandi Baptiſmum. Oleo baptizatos linire, uſus ſalis, ſalivæ &c., mos & ritus eſt Eccleſiæ vetuſtiſſimus. Calvinus (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 15. §. 19.) impiiſſime licet de his loquatur, inducta tamen fatetur ab exordio Evangelii; & Bullingerus (*Decad.* 5. *ſerm.* 8. §. *Tertullianus*) varios textus refert D. Auguſtini, hunc confirmantes univerſalem ritum ſuæ ætatis Eccleſiæ. De oleo, & chriſmate affirmat D. Auguſtinus *Lib.* 15. *de Trinit. cap.* 26., & *Serm.* 20. *de Tempore*. De ſale, & benedictione, vel ſigno Crucis, legatur *Lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 11., *& de catechizandis rudibus cap.* 20., *& tract.* 36. *in Joan.* De ſputo mentionem facit D. Ambroſius *Lib.* 1. *de Sacram. cap.* 1., *& de iis qui myſteriis initiantur cap.* 1. De ceteris ritibus agit Bellarminus *Lib.* 1. *de Sacram. Bapt. cap.* 15. 16. *et* 17. Quæſo nunc an primis illis ſeculis Eccleſia intacta eſſet in ſuis ritibus, & legitima in miniſterio Sacramentorum? Calvinus ſane id fatetur cum Proteſtantibus, mendaciſſime oſtentans deſignaſſe Reformationem ad

nor-

normam antiquæ Eccleſiæ. Porro hęc Eccleſia in ſua puritate adhibebat in Baptiſmo oleum, ſal, ſalivam, aliaque a nobis adhibita; quia vero hodie Calvinus, Piceninus oppoſitum ſtatuunt, momento cuncta abigenda? Quæ auctoritas apud ipſos reprobandi ritus a prima Eccleſia pręſcriptos, & tot ſeculorum perpetuo uſu ſacros? Qua animoſitate audent hæc appellare *mimica, ſcenica, theatrica, inventa Satanæ?* Inſurgis *pag.* 481. *Uſus ſolius aquę antiquiori innititur conſuetudini, primo ſeculo frequentata, Apoſtolorum ſeculo.* Verum Calvinus dum ritum benedictionis aquæ, uſum cerei, olei, & exorciſmi in Baptiſmo inductum facit *fere inter ipſa Evangelii exordia*, mentiri te aperte oſtendit, qui audacter præſumis ſolus ſcire antiquos mores poſt XVII. ſecula; Chriſtianos vero uno vel altero vix ſeculo diſtantes, eos ignoraſſe. Tertullianus ſeculi tertii ſcriptor (*de Bapt. cap.* 7.) loquens nomine ſuæ ætatis Chriſtianorum, teſtatur: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione, de priſtina diſciplina.* Si unctio benedicta antiqua fuit Tertulliano: primo igitur ſeculo in uſu erat; tu vero qui negas, ignarus es, & imperitus.

37. Ritum a Calvino præſcriptum audiamus (*Lib.*4. *Inſt. cap.* 15. §.19.): *Quanto igitur ſatius erat, omiſſis theatricis pompis ... quoties baptizandus aliquis eſſet, in cœtu fidelium ipſum repræſentari, & tota Eccleſia velut teſte ſpectante, & orante ſuper eum, Deo offerri, recitari confeſſionem fidei, qua ſit inſtruendus Catechumenus, enarrari quæ in Baptiſmo habentur promiſſiones, Catechumenum baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remitti demum cum precibus, & gratiarum actione.* Hæ cęremonię Calvinianæ ſunt, non a Chriſto pręceptę, non in rituali Apoſtolorum ſcriptę, ſed in illo tantum Calvini, qui ſua temeritate antiquas proſcribit, quamvis introductas a publica auctoritate Rectorum Eccleſię. Tu vero Picenine adhuc garris *pag.* 481. *Chriſtiani illi, qui ſale, ſaliva, oleo, accenſis cereis utebantur, lac pariter, mel, oſculum pacis, pedum lavacrum adhibebant, & albam veſtem, qua induebant baptizatum, et velum diſtinctum ad caput; quę cuncta Romana Eccleſia abrogavit. Si Romana Eccleſia poſtrema hæc, vetuſta licet, abrogare potuit, quid damnantur reformata Eccleſia hæc poſtrema & prima abjicientes, ut ritus humani ingenii?* Inſulſe tamen, & pueriliter blateras; ritus quippe noſtri, nempe exorciſmi, olei, ſalis uſus &c. univerſę vetuſtę Eccleſię communes ſemper fuerunt, ut ex Gręcis, & Latinis Patribus docemur. Ritus lactis, & mellis in uſu erat ętate D. Hieronymi in ſolis Eccleſiis Occidentalibus (*in Cap.* 55. *Zachar.*). Oſculum frontis mos fuit Africanę Eccleſię, apud S. Cyprianum (*Lib.* 3. *Epiſt.* 8. *ſive* 59.). Lotio pedum Mediolani apponebatur, teſte D. Ambroſio (*Lib.* 3. *de Sacram. cap.* 1.). Succeſſu temporis omnes iſtę Eccleſię, univerſalis Eccleſię ritibus conformes factę ſunt, conſentientibus ſuis Epiſcopis, & Paſtoribus; pſeudoreformatę vero omnia abrogantes ſuorum Auctorum ſententia, qua poteſtate id tentarunt? Quis Calvino actoritatem dederat, reprobandi quidquid in univerſali Eccleſia ab ævo Apoſtolorum per XVI. ſecula cuſtoditum fuerat? Quis poteſtatem ipſi contulit novi ritus pręſcribendi, a ſeculis uſque tum inauditi?

38. Mimice iterum ſciſcitaris *pag.* 481. *Qua integer non eſt Baptiſmus noſter? Forte quod Tintinnabula* (ſive Campanas) *non baptizamus, Triremes, Naves bellicas, ut Jeſuitę faciunt? Etiamne id Apoſtolicum? Etiamne ornari id poteſt aureo vetuſtatis titulo?* His ſcurrilibus ſtrophis mulcere ſtudes miſeros gregarios tuos, quatenus illis ſuadeas, quaſi rationales creaturas, Tintinnabula, Triremes, Naves nos baptizare. Lege, Nebulo, lege Pontificale Romanum, & comperies inanimata quæque benedici, non baptizari. Nec Joannes XIII. primus Tintinnabula benedixit, ſi mille ab hinc annis legitur, a Theodoro Archimandrita, Sancti Gregorii

Magni coævo, benedicta fuiſſe; ut refert Gregorius Presbyter. Walfridus Strabo (*Lib. de rebus Eccleſ. cap.* 5.) id tradit inſtitutum a S. Paulino Nolano, qui vixit IV. Seculo, ſanctiſſimo fine convocandi ipſorum ſonitu ad Eccleſiam populum, & ad officia divina; quod ſane moleſtum nonniſi Prędicantibus fit, qui divina officia oderunt. Quis tam rudis, & fatuus, qui neſciat, ea benedicendo, non baptiſmales ritus adhiberi, quemadmodum tu mendaciſſime aſſeris? Quod dictum pariter ſit de benedictione Triremis, & Navis. Legatur Concilium Colonienſe *de Conſuetudinibus Eccleſiaſticis cap.* 14. Verum inſania tua eo te dementavit, ut de induſtria libros veritatis cuſtodes omnino devites, quo audaciſſime valeas incondita quęque, & putidiſſima mendacia ad ingenium ſcriptitare. Videatur interea Dominus Rava in tractatu de *Campanis*, & ſatis ibi conſtabunt commenta Proteſtantium; in hoc etiam hi Turcis confęderati, qui pariter a Tintinnabulorum uſu abhorrent.

§. IX.

De Miniſtro neceſſario ad Baptiſmum.

39. SOlita mendaciorum tibia canis *pag.* 481. *Legitimus non eſt Baptiſmus noſter, quod Mulieribus hunc miniſtrandi auctoritatem non concedimus? Jeſuitæ autem in prætenſis caſibus neceſſitatis id faciunt. Stupendum ſane! Eccleſia Catholica id damnabat ut errorem Marcionitarum. Concilium Carthaginenſe III. Can.* 100. *auctoritate baptizandi fęminas privat. Error autem damnatus qua hęreticalis a Catholica Eccleſia, veritas modo eſt a Jeſuitis profeſſa.* Hic de more memoria laboras; quoniam cum jam pręvie defendere nitereris, omnes baptizatos, & mulieres tenus ęquanimiter Sacerdotes eſſe, probando Fęminam univerſalis Eccleſię Caput, cum juriſdictione in Eccleſiaſticis, & Spiritualibus, modo detrectas in caſu neceſſitatis permittendum Mulieri baptizare, hęreticum traducens conſentientem. Antiqua Eccleſia ſtatuit Baptiſmum debita forma collatum manu hęretica habendum ratum, & legitimum, nunc ſchola Calvini damnat Baptiſmum a Muliere etiam Catholica, vel a Laico miniſtratum. Hęretica igitur fuit antiqua Eccleſia, quæ, teſte Calvino, in neceſſitatis articulo permiſit cuipiam baptizare. Ipſemet fatetur (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 15. §. 20.): *Ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet*; inde §. 21. inducit Epiphanium exprobrantem Marcioni, quod Mulieribus concederet baptizare: *Epiphanius Marcioni exprobrat, quod Mulieribus daret baptizandi licentiam.* Si uſu ab exordio Eccleſiæ receptum erat in periculo mortis permittere quibuſcunque Laicis, & conſequenter Mulieribus baptizare, quomodo Epiphanius, & Eccleſia Marcioni exprobrare poterat, quod ipſa faciebat? Sic ſemetipſam damnaſſet. Marcion vivebat inchoante ſeculo ſecundo. Eccleſia igitur ſi id uſu receperat, Marcionem damnare nequiverat; ceteroqui ſi illum damnavit, dicere cogimur non uſu recepiſſe quod damnabat. Epiphanius itaque Marcionitis exprobrabat abuſum permittendi Mulieribus fungi miniſterio ſolemniter baptizandi, & coram Eccleſia, quod apertiſſime indicant ejus verba *Lib.* 2. *hæreſ.* 42., quę nimirum eſt illa Marcionitarum: *Nihil eſt enim apud illos niſi ludibrio, ac riſu digniſſimum: cum vel myſteriis ipſis, adſtantibus Catechumenis operari non dubitent.* De viris tamen laicis, Tertullianus (*de Baptiſ. cap.* 17.) loquens de Miniſtris ait: *Dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem .... alioquin etiam laicis jus eſſet*; & explicans articulum, quo Laicus baptizare valeat, ſubdit: *Sufficiat ſcilicet in ne-*

ceſſi-

ceſſitatibus ut utaris, ſicuti aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit.

40. Tertullianus Mulieribus vetat baptizare, ſicut Paulus illis non permittit docere; non in abſcondito in domo, vel ex neceſſitate, ſed palam in Eccleſia, ut audacter faciebant. Hinc apparet non abſolute prohibuiſſe illis baptizare, private ſcilicet, & compellente neceſſitate; ſed dumtaxat palam, & tanquam Miniſtris ad id deſignatis. Idipſum fuit intentum Synodi Carthaginenſis IV., non III. ut ponis, *Can.* 100. Can. pręcedenti ſtatuerat: *Mulier, quamvis docta, & ſancta, viros in Conventu docere non pręſumat.* Igitur in Can. 100. ſequenti ſtatuens: *Mulier baptizare non præſumat*, intelligitur *in Conventu*, in Eccleſia ſcilicet, & publicis cœtibus, non caſu neceſſitatis, cum, ut monet Tertullianus, periclitantis ſalus præponderare debeat. Walfridus Strabo (*de rebus Eccleſiaſticis cap.* 26.) totum id explicat his conceptis verbis: *In hoc tamen, & ſimilibus, non tribuitur quibuſcunque indiſcreta licentia, cum in Concilio Carthaginenſi Mulieres prohibeantur baptizare: ſed demonſtratur per hæc, ubi inevitabilis neceſſitas poſcit, melius baptizari ubicunque, & a quocunque in nomine Trinitatis, quam periclitantem ſine remedio deperire.* Calvinus autem miſcere vult miniſterium Baptiſmi cum illo Prędicationis, & Cœnæ, ita quod quemadmodum hæc duo unquam exercere nequeunt niſi qui Apoſtolis ſuccedunt; ſic baptizare ad illos dumtaxat pertineat deſignatos ab Eccleſiaſtico miniſterio, non vero laicis, nec mulieribus. Sed fallitur, ait Grotius *in* 1. *ad Cor. cap.* 1. *v.* 17., ubi animadvertens D. Paulum dixiſſe: *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*, ſubdit: *Baptiſmus per quemlibet impleri poterat, ſicut illi a Petro converſi in Pentecoſte non omnes fuerunt ab ipſo baptizati. At prędicatio res erat maxime digna Apoſtolis, & maximo cum periculo conjuncta.* Quod ſi res ita ſit, ut placet Calvino, qua auctoritate ipſe prędicabat, Cœnam miniſtrabat, & Baptiſmum? Si ejus ſententia (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 15. §. 22.) *nemo in Eccleſia, teſte Apoſtolo bonorem ſibi uſurpat, ſed qui vocatus eſt ut Aaron*, & ideo: *Quiſquis ſine legitima vocatione baptizat, in alienum involat munus*; ipſe laicus homo, & profanus, nulla legitima vocatione, vel delegatione prædicabat, Cœnam, & Baptiſmum miniſtrabat? Ad hæc. Si Chriſtus ſolis Apoſtolis, non omnibus dixit: *Prædicate, baptizate, accipite, hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, unde non omnes poſſunt prædicare, baptizare, miniſtrare Cœnam; quid porro ipſe Calvinus vult quod dictum ſit omnibus, Cœnam ſumere ſub utraque ſpecie? Cum dixit accipite, manducate, bibite, loquebatur illis Apoſtolis, quibus item dixit *baptizate*; quamobrem autem hoc ad ſolos miniſtros coarctatur, illud ad omnes, Viros, Mulieres, Eccleſiaſticos, Laicos dilatatur? Gravioris forte neceſſitatis Baptiſmus non eſt, quam Cœna? Hoc enimvero eſt verba Chriſti ad libitum vertere; ſermo Sectariorum proprius, qui nonniſi confuſionem, & errorem mente concipiunt.

41. Me non latet Calvinum, ſophiſmatum, & fraudum ſutorem peritiſſimum, e medio tollere Baptiſmi neceſſitatem, aſtruendo, Chriſtianorum Infantes, antequam naſcantur, Deum ſuos pronuntiare, quo verbo eorum ſalus continetur: *At periculum eſt, ne is qui ægrotat, ſi abſque Baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratia privetur. Minime vero. Infantes noſtros, antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronuntiat Deus, cum ſe nobis in Deum fore promittit, ſeminique noſtro poſt nos. Hoc verbo continetur eorum ſalus.... Quantum damni invexerit dogma illud male expoſitum, Baptiſma eſſe de neceſſitate ſalutis, pauci animadvertunt.* At quis non capit ſycophantam de abyſſo in abyſſum ruere? Si filios credentium, antequam naſcantur, in ſuos pronuntiat Deus, jam antequam naſcantur ſan-

ſanctificati erunt, & ab originali peccato liberati; quamobrem Baptiſmus ad hunc finem inſtitutus, inutilis prorſus, & perperam dabitur. Item ſi eos, antequam naſcantur, in ſuos adoptat Deus, etiam ſine Baptiſmo decedentes ſalvi fient. Ergo poſtquam in ſuos pronuntiavit, non illis imputat originale peccatum, a quo antequam naſcantur eos mundaverat. Quid feſtinatur autem ad eos baptizandos? Quid refert ſignum hoc ſenſibile, cum jam ſignati ſint ſigno divinæ promiſſionis? Hìc Calvinus purus putus Pelagianus eſt. *Quiſquis* (Auguſtinus *Epiſt.* 28. *ad Hieronymum*) *dixerit quod in Chriſto vivificabuntur parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt* (en Calvini ſententiam) *hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto vivificari omnino non poſſe. Qui autem non vivificatur in Chriſto, reſtat ut in eadem damnatione maneat.* Argumentum Calvini illud eſt Pelagianorum, qui objiciebant: *Tot igitur animarum millia, quæ in mortibus parvulorum ſine indulgentia Chriſtiani Sacramenti de corporibus exeunt, qua æquitate damnantur?* His tamen non obſtantibus, Auguſtinus Epiſtolam ſuam claudit: *Hoc me non temere ſentire profiteor, eam, quæ vera eſt, non adverſari robuſtiſſimę, ac fundatiſſimæ fidei, qua Chriſti Eccleſia, nec parvulos homines, & recentiſſime natos a damnatione credit, niſi per gratiam nominis Chriſti, quam in ſuis Sacramentis commendavit, poſſe liberari.* Quemadmodum tot etiam fidelium filios, & baptizatos, permittit damnari; ſic pariter plurimos fidelium filios, permittit abſque Baptiſmo in communi damnationis maſſa manere. Demum peto ex Calvino quomodo aſſertum ſuum, nempe fidelium filios *antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronuntiat Deus*; conciliari poſſit, cum eo quod adverſus Anabaptiſtas tenet; Infantes baptizari debere? Si Anabaptiſtæ ab ipſo cauſam quærant ob quam neceſſarius ſit Baptiſmus, cum ſine ipſo infantes jam juſtificati ſint; quid ille reponet? Si abſque Baptiſmo ſalvantur, quid baptizantur? Quin vero potius exſpectandum ut adoleſcant, & apti fiant ad actus fidei eliciendos? Ad hęc. Si infantes in ſuos Chriſtus pronuntiavit, & aptos ad regnum Cælorum; quomodo Hæreſiarcha ait (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 15. §. 10.): *Infantes ipſi ſecum ſuam damnationem a matris utero afferunt..... Hanc damnationem ſublatam, & a ſe depulſam eſſe, certi per Baptiſmum fideles fiunt?* quod etiam dixerat *Lib.* 2. *cap.* 1. §.8. Quomodo aſſerere valet (*Lib.* 2. *Inſt. cap.* 1. §. 8.): *Omnes, qui ab impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione naſcimur infecti, immo antequam lucem hanc vitæ aſpiciamus, ſumus in conſpectu Dei fędati, & inquinati?* Scrutare, ſi vales, exitum ab hoc implicatiſſimo Calvini labyrintho, quo miſeras animas tot fraudibus detinet irretitas.

§. X.

De materia, & forma Baptiſmi.

42. Omnem propemodum lapidem moves, ad tuendum, & reparandum Babylonicæ tuæ pſeudoreformationis ædificium; quamobrem *pag.* 482. niteris ſuadere *univerſa Italia, Patris Segneri commentum calumniæ eſſe, Proteſtantes reos conſtituere depravata forma & materia Baptiſmi: hinc teſtes invocans noſtrorum plurimos, qui viderunt vel adſtiterunt ad lavacrum Baptiſmi, & viderunt baptizare in aqua, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Quis non videt P. Segneri non de ſolo Calviniſtarum grege loqui, ſed de tota Proteſtantium colluvie? Quocirca etiamſi ſi detur Calviniſtas mutatam non habere Baptiſmi materiam, & formam, de Lutheranis tamen non admittitur, quorum partes tueri non dedignaris. Lutherus (*in colloq. Sympoſiacis*

cis cap. 17.) quæſitus an ex defectu aquæ, ſicera, vino, vel lacte poſſet conferri Baptiſmus, primo reſpondit hoc pertinere ad divinum judicium quandoquidem quidquid *lavacri* nomine recenſeri poteſt, apta Baptiſmi materia eſſe valet. Si lavacra fieri poſſunt ſicera, vino, & lacte; conſequens fit, Lutherum Baptiſmi materiam immutaſſe: nec diu eſt, quod fas fuit Italiæ Mulierem rebaptizare, a pſeudoreformatione ad nos venientem, quod aqua roſacea fuerat baptizata, quæ pariter eſt inepta materia. Nonnulli in remotiore Bohemiæ plaga, & in ditione Marchionis Brandeburgenſis, pro materia habent quamcunque artificioſam aquam. Alii formæ verborum ſubſtantiam variant. Apud alios unus infundit, alter verba profert, quod Saxoniæ etiam fit a Lutheranis, qui *Molles* nuncupantur; & Francofurti mos eſt in ſolemniori Baptiſmo, a baptizante verba proferri, & ab adſtante aquam effundi, non ſuper caput Infantis, ſed ſupra manus Miniſtri baptizantis. De quibus monita ſacra Congregatio S. Officii, ordinavit, accedente Proteſtante ad abjurandam hæreſim, prius interrogetur circa qualitatem Baptiſmi ſoliti in regione ſua. Sic litteris ſuis die 18. Maii *an.* 1720. datis. Hinc nonne merito P. Segneri aſſerit Proteſtantes immutaſſe formam, & materiam Baptiſmi? Lutherus, Zuinglius, Brentius, quamvis aſſerant ſolita forma eſſe baptizandum, id tamen neceſſarium negant; & Lutherus (*de Captiv. Babylon. cap. de Bapt.*) probat qualemcunque Baptiſmum, quaqua forma, dummodo non in alicujus hominis, ſed in nomine Dei prolata ſit: *Quocunque modo tradatur Baptiſmus, modo non in nomine hominis, ſed in nomine Dei tradatur, vere ſalvum facit. Immo non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiamſi impius miniſter non det in nomine Domini, vere baptizatum eſſe in nomine Domini.* Zuinglius (*de vera, & falſa relig. cap. de Bapt.*) expreſſe tradit nullam in Baptiſmo neceſſariam eſſe determinatam verborum formam. Brentius vero in nobili ſua Catecheſi vult Baptiſmum validum eſſe, ſi Miniſter, poſtquam Catechumenus confeſſionem fidei pronuntiavit, hæc verba ſubdat: *Audivi eam ex te confeſſionem fidei tuæ, quod credas in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. In hanc igitur confeſſionem intingo te in aquam, ut hoc ſignaculo certus ſis, te eſſe inſertum Chriſto.* Suaderi nequeo Prædicantem futurum fore adeo perfidum, qui neget hanc non eſſe perverſam immutationem formæ S. Baptiſmi. Theodorus Beza (*Epiſt. 2. ad Thomam Tillium*) aſſerit „ in neceſſitatis articulo pro pane, & vino ſubſtitui „ poſſe aliquam analogam materiam, „ potiſſime quod intentum Chriſti ſit „ ſigna exhibere, quæ corpus alant, „ & repræſentent ſpiritualem animę „ cibum „. Id autem boni nobis hac vice accidit, audire Piceninum, meridianam lucem ceteroqui negare ſolitum, hoc tamen improbiſſimum Bezæ, qui unus eſt pſeudoreformationis Gigas, aſſertum non inficiari. Invertit ille igitur Euchariſtiæ materiam enormiſſime: ob quam rationem deducitur pariter ſenſiſſe, neceſſitate urgente, aquæ Baptiſmi ſubſtitui poſſe qualemcunque liquorem, quatenus intentio Chriſti fuerit nonniſi ſignum exhibere, quod corpus abluat, ad repręſentandam ſpiritualem animæ ablutionem. O inſaniſſimum abſurdum! Proteſtantes in articulo neceſſitatis Euchariſtiæ, & Baptiſmi materiam inverti, mutarique poſse ultro concedunt; urgente autem eodem neceſſitatis articulo, Miniſtrum Baptiſmi commutari poſſe nequaquam permittunt. Negant laicum, virum, vel fœminam, unquam Baptiſmum dare poſſe, quod Chriſtus expreſſe non negavit; nec ſcrupulum ſibi faciunt invertendi ad libitum materiam, quam Chriſtus conceptis verbis deſignavit.

43. Nauſeat vindiciæ, quæ Bezam tuum reparare ſatagis, inquiens *pag.* 482.: *Si minus recte id dictum ſit,*

cul-

culpet Jeſuita Scholaſticos; fere ſi Beza ab his didicerit verba hæreticæ ſuę blaſphemię. Falleris Picenine; Lutherum inceſſere debueras, a quo Beza edoctus fuit. Audiamus, quæſo, qui ſint *Scholaſtici* Bezæ Doctores. *Quidam variarum opinionum compoſitor* (ſic narras) *fert Cardinalis Cajetani fuiſſe ſententiam, conſecrationem poſſe fieri in pane cujuſcunque generis, nimirum pane caſtanearum &c., dummodo in uſu ſit, quia materia eſt panis in genere. Lixivio alii aſſerunt, defectu aqua, poſſe Baptiſmum miniſtrari. Et nonnulli Doctores aſſerunt defectu aqua ad Baptiſmum uti poſſe urina, jure, aqua e cœno expreſſa. Hac reverentia loquuntur de materia Sacramenti reverendi illi Patres.* Bezam ex noſtris Scholaſticis blaſphemias ſuas didiciſſe, mendacium eſt inter innumera Prædicantium, qui propriæ turpitudini alienę famę detrimento fucum faciunt. Ad notitiam veritatis, non Compoſitores lectitandi, ſed Auctores ipſi conſulendi. Videantur Cajetani Commentaria in 3. *p. q.* 74. *ar.* 1. & 3., & conſtabit cum D. Thoma hunc docere ſolum panem aptam eſſe materiam ad Sacramentum conficiendum, & hunc triticeum; quia vero ſpelta, & ſiligo videntur eiuſdem ſpeciei cum tritico, propterea aſſerit, hoc poſito, cenſere hanc eſſe aptam materiam: de pane autem caſtaneo nec verbum facit. Lixivium, jus, cœnum, urinam, & aliam quamcunque depravatam, ac iniquinatam aquam, ad rem Sacramenti conficiendam rejicimus; & impium, ac ſacrilegum haberemus, qui hæc adhiberet. Hic noſtrorum *Scholaſticorum* ſermo. Si quis inter hos forte ſit, qui laxa opinione ſua materiam Sacramenti dilataverit ad qualemcunque aquam, vel dubiam, vel minus probabilem; hęc opinandi licentia jam proſcripta intelligeretur ab Innocentio XI. *ann.* 1679. 2. *Martii Propoſ.* 1., qui illicitum eſſe decrevit in adminiſtratione Sacramentorum ſequi opinionem minus probabilem, tutiori relicta. Hinc ſectarii diſcant quod ſi quiſquam inter noſtros audeat minus recte, vel periculoſe opinari, ſtatim ſilentium ipſi imponitur; inter ipſos tamen non ita. Opinio Bezæ nunquam a zelanti pſeudoreformatione proſcripta fuit, nec proſcribi poteſt, niſi una ſecum pſeudoreformationis Coryphæus damnetur Martinus Lutherus, qui de Baptiſmo verba faciens, eadem ſenſit quæ Beza de Euchariſtia.

§. XI.

De Baptiſmo reſpectu peccati originis.

44. NOvus Thraſo jactantia tumidus, *pag.* 482. diſſipaturum oſtentas *malignos illos vapores, ſurgentes maculare innocentiam Calvini.* Audiamus innocentiam depuratam: *Panigarola* (ais) *Calvinum culpat interpretaſſe Pelagiano ſenſu verba D. Pauli: Omnes peccaverunt in Adam, ſcilicet imitatione*; quamobrem vehementer inſtas *deſignari locum, in quo hac proferat.* In oppoſitum inde refers plures Calvinis textus, *intenti ad confutandum Pelagium, & ad probandum ex prælaudatis D. Pauli verbis, peccatum Adami transfundi cum ſemine ad totam ejus poſteritatem*, nempe *Lib.* 2. *Inſt. cap.* 1. §. 6. & 8.. & *cap.* 13. §. 4. Pręcitatis locis revera Calvinus fatetur peccatum originale contrahi ab omnibus ex propagatione. *Libro* 4. *cap.* 15. §. 10. fatetur, omnes ab utero damnationem deferre, & omnes peccato infectos naſci. Veruntamen non ita ſemper; quoniam *Lib.* 4. *cap.* 15. §. 10. ſupra notato non eſt veritus aſſerere: Fidelium infantes, antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronuntiat Deus; & conſequenter a maledictione liberos eſſe: adeo ut decedentes etiam abſque Baptiſmo, ſalutem conſequi. Quę doctrina non incidenter & incaute e calamo ſuo ſemel excidit, ſed ſępius, & pluribus in locis ſerio ipſam docuit, nempe *De vera genuinaque Eccleſiæ reformatione; in Appendice de*

vera

vera Eccleſia, *in admonitione* 2. *contra Weſtphalum*; quem ſequitur Beza *in Creophagia fol.* 307., *in Confeſſ. cap.* 48. *de infantium Baptiſmo*, & *in abſterſione calumniarum Tilmani Heſhuſii fol.* 333. Ergo juxta Calvinum non omnes peccarunt in Adam, ſed fidelium filii ab hac infecta origine pręſervantur ex pacto, & ita pręſervantur, quod naſcantur juſti jam pronuntiati, atque apti ad Regnum Cęlorum abſque Baptiſmo. Hic ſermo audacior eſt ille Pelagii, qui, ut alibi dictum eſt cum D. Auguſtino *hæres.* 88., infantibus decedentibus ſine Baptiſmo, afferebat quidem vitam æternam, & beatam, ſed extra Regnum Dei; e contra Calvinus in Regnum illos introducit etiam abſque Baptiſmo. Tu qui alchymia excellis, commutando in aurum obrizum lutum cœnoſiſſimum, quæſo fœdiſſimam hanc *innocentis Calvini* doctrinam abſterge. Præterea, juxta Calvinum, juſtitia ſemel obtenta nequit amitti, donec cuſtoditur fides: & fidelis, qui in fide vivit, & moritur, neque per imitationem peccat. Si autem afferatur fideles habere peccatum originale, ſed ipſis non imputari, idque a Calvino doceri; hoc eſſe revera contra D. Paulum iterum dicimus, qui nulla exceptione, latiſſime tradit: *Omnes peccaverunt*, *omnes natura filii iræ ſumus*. & *gehennæ*, nec fidelium filios excipit, contra Calvinum, ubi ſcribit (*Lib.* 2. *Inſt. cap.* 1. §. 6.): *Satis etiam clare pronuntiat cæleſtis ipſe judex Chriſtus*, *omnes pravos*, *ac vitioſos naſci*, *ubi docet*, *quidquid genitum eſt ex carne*, *carnem eſſe*, *ideoque omnibus clauſam eſſe vitæ ianuam*, *donec regeniti fuerint*. Hic gordianus ille nodus, quem Picenine ſolvere omnibus circulationibus tuis verſutiſſimis fruſtra niteris, ad illibatam Calvini tui *innocentiam* depurandam. Hi *vapores* ſunt plane *maligni*, quos vanis jactantiis tuis diſſipare nunquam poteris.

45. Nihiloſecius quo ratione cares, audacia polles, & Calvinum adhuc purgare contendis, ubi a Panigarola incuſatur negaſſe *in Baptiſmo peccatum ablui*, & *Baptiſmi virtutem extenuaſſe*, *quod vix ad merum ſignum illam deprimat*. Pace tamen tua bene habet P. Panigarola; quandoquidem, quomodo Baptiſmus *peccatum abluit*, ſi fidelium infantes antequam illum ſuſcipiant, immo antequam naſcantur, juſtificati ſunt a Deo, ita quod ſine ipſo ſalvi fiant? Quomodo Baptiſmus *peccatum abluit*, ſi poſt Baptiſmum idipſum peccatum manet, dumtaxat contectum, & non imputatum? Abluere maculam non eſt eam tegere, ſed omnino detergere. Immo Baptiſmus neque efficit quin peccatum originis imputetur, ſi ante Baptiſmum fidelium filiis peccatum neque imputatur; quippe cum in Calviniana ſchola non imputari peccatum, pronuntiari juſtum & filium Dei, idem ſint. Si ergo fidelium filii juſti pronuntiantur a Deo ante Baptiſmum, ſequitur non Baptiſmum facere quod peccatum non imputetur, & ſic Baptiſmus erit *merum ſignum obſignans remiſſionem peccatorum*. *Sigillum* autem non ſe ipſo imprimit gratiam, ſed confirmat, ſancit, manifeſtat jam conceſſam, & impreſſam, iuxta ſancta dogmata innocentis Calvini. Quapropter volve revolve qua ſcias; ſane P. Panigarola non aberrat, Calvinum incuſando negaſſe in Baptiſmo peccatum ablui, & aſſeruiſſe (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 15. §. 1. 2. 5. 6.) Baptiſmum „ merum eſſe „ ſigillum, quod non inſerat nos „ Chriſto, ſed dumtaxat deſignet, „ quomodo nos, Chriſto inſerti, „ ambulare debeamus in novitate „ vitæ; non jungere nos Chriſto, „ ſed monere nos, quomodo nos con„ juncti Chriſto, participes erimus „ ejus bonorum omnium.„ Si Baptiſmus in electis *non eſt ſignum abſque* obſignato bono; hoc tamen ſignum ſecum non fert obſignatum bonum, immo hoc ſupponit. Uno verbo, in Baptiſmo abluitur peccatum, & non abluitur. Abluitur juxta garru-

la verba Jacobi Picenini, non abluitur juxta prava dogmata Joannis Calvini. Ablui revera tamen debet juxta doctrinam D. Pauli (*Epheſ. 5. 26.*): *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* (*ad Titum 3. 5.*): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.*

46. Frequentiſſime interrogas, nonniſi tamen inepte, & pueriliter; ſicut hic *pag.* 484. quæris, *quomodo Calvinus virtutem Baptiſmi extenuat?* Facillime reſpondetur: Non extenuat, ſed ad meri *ſigni* ſpeciem illum deprimit nil conferentis, ſed jam collatam deſignantis dumtaxat, & confirmantis. Nugaciſſime, & ſcurriliter ſubdis: *Capuccinus vellet Baptiſmum videri quaſi capſulam, divinæ gratiæ vas, quod hanc contineret, & conferret ex opere operato.* Panigarola prodigio tuo factus hic *Capuccinus*, *nollet* hanc ineptiam; tantum nollet Baptiſmum haberi quaſi ſignum tabernæ, mere deſignans, nil operans. *Nollet* totum tribui operantis fidei; *vellet* autem Sanguinem Chriſti medio Sacramento quidquam operari. *Vellet* fidem diſpoſitionem eſſe, ſed gratiam medio Sacramento recipi, per quod Sanguis Chriſti operatur. Hoc eſt *continere*, & *conferre gratiam ex opere operato.* Id Panigarola, immo & D. Paulus vellet prælaudatis locis, ubi exprimit „ ſalvos nos fieri per „ lavacrum regenerationis, & renova- „ tionis; & Chriſtum mundare nos „ lavacro aquæ „. Veritate dici nequit me mundatum, renovatum, ſanctificatum *in illo*, & *per illud*, *vel cum illo*, ſi merum ſignum ſit dumtaxat indicativum, vel conteſtativum meę munditiæ, ſanctificationis, & renovationis. Verba quæ ex Calvino refers non ex *cap.* 15., *ſed* 14. *lib.* 4. *Inſt.* §. 17. pulchrum præſeferunt aſpectum, nullam tamen ſubſtantiam: quoniam ſi a Calvino defenditur Sacramenta eſſe organa, ſive inſtrumenta, quibus Deus operatur; quid Sacramentis negatur operativa illa virtus, quæ ceteris inſtrumentis conceditur? Quid aſſerit, quod *hoc tantum illis divinitus injunctum ſit munus, teſtificari nobis, ac ſancire Dei in nos benevolentiam?* Item: *Id ſunt nobis a Deo, quod hominibus rerum lætarum nuncii, vel arrhæ in pactis ſanciendis?* Item, *non a ſe quidem largiantur aliquid gratiæ, ſed renuntient, & oſtendant, atque (ut ſunt arrhæ, & teſſeræ) rata apud nos faciant, quæ divina largitate nobis data ſunt?* Dum ſcribo, & calamum inſtrumentum adhibeo, calamus nedum teſtificatur me vel ſcribere, vel ſcripſiſſe; ſed ut verum ſit per ipſum, vel cum ipſo me ſcribere, motu & virtute a me impreſſa, oportet ad formandos characteres illum concurrere. Neque id operationi meæ præjudicat; quoniam calamus non ſcriberet, niſi illum dextera dirigendo moverem. Quod non eſt *in elementis concludere virtutem juſtificandi*, ut inſipienter garris; quippe qui non videt quod virtus tum incluſa maneret, quaſi unguentum in vaſe, cum Deus aliter juſtificare nequiret, niſi gratiam ex Sacramentis excuteret, quemadmodum ſine calamo non ſcribitur, vel vulnus non medetur niſi unguento e vaſe recepto? Verum Deus ille, cui lubet Sacramentis uti ad juſtificationem, abſque Sacramentis poteſt & ſæpe revera actu juſtificat.

47. Nec minus inſipide perſuadere putas, Miniſtrum Sacramenti nil aliud facere, quam *teſtificari*, *quod Deus in nobis operetur intrinſece.* Etenim ſcimus organum præterea animatum eſſe, per quod Deus operatur; quemadmodum Prophetæ nedum teſtabantur quod Deus loquebatur, ſed ipſi organa erant, per quæ Deus loquebatur, a quo eorum vox regebatur. Utrumque aſſertum a D. Auguſtino traditur. De primo cum Moſaica Sacramenta noſtris comparat (*Enarrat. in Pſal.* 73., *Lib.* 10. *con. Fauſtum cap.* 13., *qu.* 25. *in Lib. Num.*) aſſerens Sacramenta noſtra ſalutem dare, Moſaica vero promittere. Sacramenta noſtra *ſunt virtute majora, utilitate meliora*; Moſaica vero, *ſi per ſe attendantur, nullo modo poſſunt mederi;* & tamen hæc pariter erant ſigna,

&

& ſigilla promiſſionis Dei, qui dum noſtris concedat virtutem, & efficaciam, majora & meliora ea facit, quam mera ſigna. Secundum aſſertum a D. Auguſtino innuitur, loquendo de miniſtris (*Lib. 16. de Civ. Dei cap. 5.*), monens quod cum Scriptura Deum deſcendiſſe repræſentat ad confundendas linguas ædificantium Babelem, intelligitur deſcendiſſe per Angelos: *Oſtendens ita ſe operari per miniſtros ſuos, ut ſint etiam ipſi cooperatores Dei, ſicut Apoſtolus dicit: Dei enim ſumus cooperarii*. Re vera ſi miniſter nil aliud faceret, quam *teſtificari* quod Deus operatur; cum Cyprianus validum negabat Baptiſmum manu hæretica collatum, & Donatiſtæ aſſerebant per malos miniſtros non poſſe vera miniſtrari Sacramenta, facile convinci poterant, advertendo Sacramenta eſſe *mera ſigilla*, & miniſtrum ſolum *teſtem* eorum quæ Deus operatur. Patres tamen hac inepta reſponſione non utebantur, ſed conſtanter docebant: quamvis Deus principalis cauſa ſit ſanctificationis, hanc tamen producit mediis Sacramentis, & miniſtro. Neque Auguſtinus a Calvino citatus (*Lib. 3. quæſt. ſuper Levit. qu. 84.*) aſſerit miniſtrum nihil cooperari ad ſanctificationem, diſpenſatione Sacramenti; quinimmo ſupponit miniſtrum ad ſanctificationem miniſtratorie concurrere, dum ait: *Quomodo & Moyſes ſanctificat, et Deus? Non Moyſes pro Deo: ſed Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum, Deus autem inviſibili gratia per Spiritum Sanctum;* tantumve aſſerit externam miniſtri operam nil prodeſſe, niſi adſit inviſibilis Dei operatio: *Nam ſine iſta ſanctificatione inviſibilis gratiæ, viſibilia iſta Sacramenta quid proſunt?* Quippe quod ſive Petrus, ſive Paulus baptizet, idem ſemper Deus eſt, qui intus baptizat, & ſeipſo poteſt plene id perficere abſque miniſtro, cujus opus externum abſque Deo intus baptizante nil prodeſt. Quibus enucleate aſſertio Calvini (*Lib. 4. Inſt. cap. 14. §. 17.*) ponderata manet, quam adeo amplificas, quaſi Panigarola eam metuens, fugiendo devitaſſet. Fugis enimvero tu, dum Panigarola petente ex Calvino, *an ſigillum Sacramenti oſtendat gratiam productam, an producendam*, extra aleam garris: *Quid referunt hi circuitus Fratrum?* Non hi *Fratrum* circuitus, ſed tam implexi nodi, quod tua circulatoria arte difficile ſolves.

48. Neutiquam ut tibi videtur *pag. 485.* P. Panigarola *delirat, dum animadvertit Calvinum ſibi contradicere; quippe hinc docet in Baptiſmo remitti quodcunque peccatum, etiam futurum, illinc vero, nunquam nos abſque peccato vivere*. Hoc profecto imperceptibile, magiſque involutum fit ex frigida tua reſponſione puerilibus triſtiſque ſophiſmatibus contexta, in qua pronuntiare audes, *in Baptiſmo habere nos gratiam juſtificationis, tollentem peccatum ne imputetur, et gratiam ſanctificationis illud tollentem, ne in nobis regnet, immo ipſum ſenſim mortificantem*. Quæſo te, ſi Baptiſmus tollit peccatum, ne imputetur, neve in nobis regnet, doce nos ſublimi ſapientia tua quomodo liberi non ſumus a peccato? D. Auguſtinus certe docet: *Hoc eſt non habere peccatum, reum non eſſe peccati*. Si fidelibus peccatum non imputatur, in ipſis ergo peccatum non eſt. Si diceres nunquam nos non habere peccatum, quod Baptiſmus eum non tollat; facile tum intelligerem. At aſſerere Baptiſmum tollere peccatum, nec amplius in nobis regnare, inde nunquam ſine peccato nos eſſe; hoc plane idem, ac ſi dicerem creditorem remiſiſſe mihi debitum, ceteroqui me nunquam ſine debito eſſe. Quid, quod Calvinus ipſe loquendo de remiſſione peccati (*Lib. 3. Inſt. cap. 2. §. 11.*) illam commendat his verbis: *Ergo ut ſolos electos ſemine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam diſpereat ſemen vitę eorum in cordibus inſitum, ita ſolide in illis obſignat adoptionis ſuæ gratiam, ut ſtabilis ac rata ſit?* Quomodo autem fieri poteſt, quod electus, & fidelis in perpetuum re-

 gene-

generatus ſit, ut non diſpereat ſemen vitæ in ejus corde inſitum, & ſolide obſignatum habeat, ratum, & ſtabile *ſigillum* gratiæ; ac ſimul inſitum habeat in perpetuum obſignatum ſigillum, & veſtigium peccati? *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet*, ait S. Joannes (*Epiſt.* 1. *cap.* 3. 9.). Quod baptizatus dum hìc vivit peccare poſſit, dum in illo inſideat fomes, qui ad peccatum ſemper impellit; non indigemus id ſcire a Prędicantibus. Negatur hìc baptizatum hinc poſſe habere juſtitiam perpetuam inamiſſibilem, & obſignatum eſſe ſemper ſigillo gratiæ, juxta Calvini phraſim; hinc autem ſemper habere peccatum: quod ſine amiſſione juſtitiæ injuſtus eſſe poſſit, & in corde inſitam habere gratiam, qua mediante in ipſo peccatum non regnat; quandoquidem: *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, quoniam ab initio Diabolus peccat*; quemadmodum: *Qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt*. Baptizatus, heu nimium! peccat, nec juſtitia in Baptiſmo adepta inamiſſibilis eſt, & perpetua. Peccat ille; tum autem juſtus non eſt, & ſemen gratiæ tum diſpergit; quia uſquequo ſemen ipſius in eo manet non poteſt peccare: *Quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt* (1. *Joan.* 3. 9.).

§. XII.

Concupiſcentia peccatum non eſt.

49. PEregrina ſemper, & arcana nos Picenine doces; hìc pręſertim, dum mones, *concupiſcentiam in nobis manere*. O arcanum, lippis, ut ajunt, & tonſoribus tritum, ſicut quod concupiſcentia *quotidie nos in peccatum alliciat*. Principium tamen quod ad peccatum nos allicit, reliquia quidem, & cauſa peccati eſt, non autem peccatum. Quamobrem in baptizato quamvis concupiſcentia ſemper maneat, ſequitur quidem in ipſo effectum, & cauſam peccati ſemper manere, non vero peccatum. Audiamus D. Auguſtinum (*Lib.* 1. *de nupt. & concupiſcen. cap.* 23.) & bene attende: *Ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque ut ea perpetrent, a regina mente membra non dantur, ut ſi non fit quod ſcriptum eſt: Non concupiſcas; fiat ſaltem quod alibi legitur: Poſt concupiſcentias tuas non eas. Sed modo quodam loquendi* (attende) *peccatum vocatur, quod & peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit*. Aliud eſt concupiſcentię motus experiri, aliud eos ſequi, & voluntate conſentire. Hoc ultimum peccatum eſt, quia eſt poſt concupiſcentias ire; ſed primum peccatum vocatur, non quod in re peccatum ſit, ſed quod ex peccato originali deſcendat, vel quod niſi moderetur peccatum faciat: *Modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod & peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit*. Id vellem caperes; & ut funditus capias perlege Auguſtinum, ſed non Calviniſtę oculo, ab hęreſi ſcilicet tenebrato, & tuarum partium pręjudiciis infecto. Sic porro Auguſtinus: *Sic autem vocatur ipſa peccatum, quia peccato facta eſt, cum jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum, ſicut vocatur lingua locutio quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Itaque ſic vocatur peccatum, quia peccatum, ſi vincit, facit, ſicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, ſed quod pigros faciat*. Cetera autem quæ hìc addi poſſent, in articulo de Purgatorio lector habebis. Bene habet igitur Panigarola, ſcribens *mentiri Calvinum, dum concupiſcentiam afferit eſſe peccatum*. Tu vero *pag.* 485. gravi ſupercilio ſubdis: *Mentitur igitur quando quis cum D. Paulo loquitur? Panigarola fatetur D. Paulum in Epiſt. ad Rom. cap.* 7. *ſexies concupiſcentiam vocare peccati nomine. Ecce autem ut D. Paulus loquitur: Peccatum non cognovi niſi per legem; nam*

con-

concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Etiamſi D. Paulus concupiſcentiam non ſexies, ſed ſexagies peccati nomine appellaret, adhuc Calvinus mendax foret, quia D. Paulus vocando concupiſcentiam peccati nomine, non vult quod ſit ipſa peccatum; ſed ut dictum eſt cum D. Auguſtino: *Quod & peccato facta eſt, et peccatum, ſi vicerit, facit.* Quod ita ſit, attente lege D. Paulum *Rom.* 7. 8. Quid ſignificat: *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*, niſi quod concupiſcentia peccato facta eſt? Quid ſibi vult: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati*, niſi quod concupiſcentia impellit, allicit, *et peccatum, ſi vicerit, facit*? Id porro eſt D. Auguſtinum, tum etiam D. Paulum non legere Calviniſtę oculis. Attente ne Picenine D. Pauli ſententiam, quam refers, conſideraſti? Non capis Doctorem Gentium ibi non concupiſcentiam ſumere qua *principium concupiſcendi*, ſed qua *actum* ipſum *concupiſcendi* contra legem? *Principium concupiſcendi* peccatum non eſt, ſed origo peccati. Actus autem *concupiſcendi* contra legem peccatum eſt, quod oritur ex *principio concupiſcendi*, niſi moderetur: *Peccatum, ſi vicerit, facit.* Quod autem de *actu*, non de *principio concupiſcendi* D. Paulus loquatur, facile probatur. D. Paulus teſtatur hic cognoviſſe concupiſcentiam a lege vetitam; fomes autem, qui eſt *concupiſcendi principium*, lege non prohibetur, ſed ipſe actus liber, quo homo concupiſcentię adhęret, quoniam lex dicit: *Non concupiſces*. D. Paulus igitur concupiſcentiam ibi accipit, quatenus actum exprimit, quo ſenſu proprie peccatum eſt. Mentitur ergo Calvinus concupiſcentiam vocans peccatum; non autem D. Paulus mentitur, qui non loquitur quemadmodum ipſum loqui aſſerit mendaciſſimus Piceninus. Audiatur D. Gregorius (*Lib.* 11. *indict.* 4. *epiſt.* 64. jam *Epiſt.* 31. *indict.* 7. *ad Auguſtinum Monach. reſponſ.* 11.): *Tribus modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu; ſuggeſtio quippe fit per Diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum: quia primum culpam ſerpens ſuggeſſit, Eva velut caro delectata eſt, Adam vero velut ſpiritus conſenſit. Et neceſſaria eſt magna diſcretio, ut inter ſuggeſtionem, & delectationem, inter delectationem, & conſenſum judex ſui animus præſideat. Cum enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla delectatio ſequatur, peccatum omnino perpetratum non eſt. Cum vero caro perpetrari cœperit, peccatum incipit naſci. Si autem etiam ad conſenſionem ex deliberatione deſcendit, tunc peccatum cognoſcitur perfici. In ſuggeſtione igitur peccati ſemen eſt. In delectatione fit nutrimentum. In conſenſu perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationē trahat, nec tamen animus eidem delectationi conſentiat. Et cum caro ſine animo delectari nequeat, ipſe tamen animus voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquomodo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec conſentiat, ſed tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat. Unde & ille Cæleſtis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Si autem captivus erat, minime pugnabat. Sed & pugnabat: quapropter captivus non erat, & pugnabat igitur lege mentis, cui lex quæ in membris eſt repugnabat. Si hoc pugnabat, captivus non erat. Ecce itaque homo eſt, ut ita dicam, captivus, & liber. Liber ex juſtitia, quam diligit, captivus ex delectatione, quam portat invitus.* Sic ſeculo VI. D. Paulum S. Gregorius intelligebat.

50. Jam audio rixantem te Picenine, & clamantem *pag.* 485. *Capuccinum* (ideſt Minoritam Panigarolam) *mentiri*; *quippe quod ad probandam concupiſcentiam non eſſe peccatum, citat*

tat D. Auguſtinum in lib. 2. cont. 2. Epiſt. Pelagianorum, ubi verba, & doctrina ibi expiſcata non reperiuntur; immo ibidem D. Auguſtinus aſſerit concupiſcentiam vitium eſſe. Non inveniens autem ego prælaudato loco concupiſcentiam *vitium* vocari, puto te potius de more mentiri. Quid porro refert ex Auguſtino ſubciſivas emendicare auctoritates, cum in ſupra laudato loco, ubi rem tractat, tam præclare, & aperte ſuam mentem declaravit? Nihilo tamen ſecius, ſi averes ſcire quo ſenſu a D. Auguſtino concupiſcentia vitium appelletur, ne dedigneris legere in *Lib. 6. cap. 16. cont. Julianum*, ubi Juliano dicenti: *Si malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur*, reſpondet: *Multum erras; omni enim peccato caret, non omni malo. Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? .... Nunquid caret ignorantia malo?* &c. Baptizatus eſt abſque peccato, quamvis non abſque omni malo; non eſt autem ſine concupiſcentia, ſine corruptione, & ignorantia. Concupiſcentia igitur, quæ vitium & malum eſt juxta D. Auguſtinum, non propterea ipſa peccatum. Certe quod in eodem *cap. 6.* (non 5. ut tu habes, quod cum ſæpe facias, ſignum, non ad fontes, ſed ad ſtagna Compoſitorum te bibiſſe) ſcribit, *concupiſcentiam eſſe ignorantia pejorem*; qui tu vir es integræ fidei, rationem diſſimulare non debueras ob quam pejorem dicat, videlicet: *Ex eo autem concupiſcentia pejor eſt, quam ignorantia, quia ignorantia ſine concupiſcentia minus peccat, concupiſcentia vero ſine ignorantia gravius peccat.* Non ait ille, quia ignorantia minus peccatum eſt, concupiſcentia majus peccatum; ſed quod illa ſine concupiſcentia *minus peccat*, e contra concupiſcentia ſine ignorantia *gravius peccat*. Ergo neque ignorantia, neque concupiſcentia *peccata* ſunt, ſed principia peccati. Certum item eſt S. Doctorem ſubdere: *Neſcire malum non ſemper eſt malum, concupiſcere autem malum, ſemper eſt malum.* Verum quis, te excepto, non videt hic D. Auguſtinum non amplius loqui de concupiſcentia, quę eſt principium *peccandi*, ſed de actu orto ex concupiſcentia, non coercita, ſed obſecundata a voluntate? Hoc eſt illud peccatum, quod concupiſcentia, *ſi vincit, facit.* Pariter certum D. Auguſtinum aſſerere concupiſcentiam *reatu remitti, actu manere.* Si autem reatu remittitur; ergo in baptizato non manet concupiſcentiæ reatus: & concupiſcentia in ipſo manens, reatus amplius non eſt, nec peccatum. Caſu autem ſcire cupias, quid ſibi velit apud D. Auguſtinum *actum manere, non manere reatum*, dignare ipſum legere *Lib. 6. cont. Julianum cap.* non 6. ſed 19., ubi explicans quomodo peccata actu prætereant, & maneant actu; e contra concupiſcentia reatu tranſeat, actu maneat; ſic loquitur: *Sacrificium idolis factum, ſi deinceps non fiat, præterit actu, ſed manet reatu, niſi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale eſt ſacrificare idolis, ut opus ipſum, cum fit, prætereat, eodemque præterito reatus ejus maneat, venia reſolvendus. Tale eſt carnis concupiſcentia, ut maneat in homine ſecum per continentiam confligente, quamvis ejus reatus, qui fuerat in generatione contractus, jam ſit regeneratione tranſactus. Actu enim manet, non quidem abſtrahendo, & illiciendo mentem, ejuſque conſenſu concipiendo & pariendo peccata, ſed mala, quibus mens reſiſtit, deſideria commovendo; ipſe quippe motus actus eſt ejus, quamvis in mente non conſentiente deſit effectus &c.* Reliqua, que ibi habet D. Auguſtinus, Picenine perlege, quibus pręclariſſime oſtenditur quomodo concupiſcentia ſeipſa, & actu ſuo pravio ad conſenſum voluntatis, peccatum non ſit. Lector, qui plura deſideras, in articulo de Purgatorio quod exſpectas obtinebis, ubi, Deo dante, cetera gehennalia cairinæ hydræ capita conterere ſatagam, ne venenato halitu, quemadmodum confinia ſua, ita

ita vicinia noſtra contaminent.

§. X I I I.

De natura corrupta.

51. PIentiſſimus diſcipulus Magiſtrum Calvinum vis recte pronuntiaſſe, *naturam humanam totam eſſe peccatum, & omnium ſcelerum ſeminarium; totum hominem, ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem, nonniſi concupiſcentiam, peccatum, reatum, & culpam eſſe*; immo audes aſſerere ipſos ſcriptores ſacros ſic pronuntiaſſe. At hoc impoſſibile, reponet pro omnibus D. Auguſtinus (*Lib. 12. de Civ. Dei cap. 3.*). Quidquam, quod ſolum malum ſit, nuſquam eſt, nec eſſe poteſt. Vitium ſolum, ſine bono cui noceat, eſſe non poteſt: *Quamvis non poſſit vitium nocere incommutabili bono, non tamen poteſt nocere niſi bono; quia non ineſt niſi ubi nocet. Hoc etiam iſto modo dici poteſt, vitium eſſe nec in ſummo poſſe bono, nec niſi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi eſſe poſſunt, ſola mala nuſquam.* Nequis igitur tu, neque Calvinus tuus id effutire, naturam ſcilicet corruptam totam peccatum eſſe, & vitium; at vitium a natura diſtinguatis oportet, faterique malum ſit quamvis vitium, quod nocet, naturam tamen, cui nocet, bonam eſſe: *Quoniam naturæ etiam illa, quæ ex malo voluntatis vitio vitiata ſunt, in quantum vitiata ſunt, mala ſunt, in quantum autem naturę, bonę ſunt.* In natura corrupta ineſt concupiſcentia, quæ malum eſt, vitium eſt, peccatum tamen non eſt: ineſt etiam mens, quæ obtenebrata penitus non eſt; voluntas ineſt, non omnino depravata. D. Auguſtinus, & D. Paulus concupiſcentiam agnoſcunt in homine indeſinenter conflictantem; conflictus niſi inter duos colluctantes eſſe nequit: vitium quippe ſecum ipſo, nec cum vitio pugnat, ſed contra virtutem. Audi D. Paulum (*ad Rom. 7. 23.*): *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę.* Plane igitur conſtat, in D. Paulo unam legem fuiſse impellentem ipſum ad vitium, & hæc in membris ſuis inerat ex concupiſcentia: aliam vero legem fuiſse reſiſtentem, & hæc regina ratio erat in throno mentis collocata. Illa mala, quia ex peccato orta ad peccatum illiciebat; hæc bona, quia ex notitia boni orta ad virtutem tendebat. Non ergo ſolum vitium natura, quæ in ſe legem habet vitio repugnantem.

52. *Superbia Fratrum*, ſic modeſte, opponis *pag. 486.* illud D. Pauli: *Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum.* O Picenine miſer, non vides te prejudicio tuo excæcatum? Non vides in verbis ipſis, quę refers, a D. Paulo expreſſum non habitare in ſe, *hoc eſt in carne* ſua, bonum? Quid enim ſignificare intendebat? Docebo te ſemel. Conflictum ſignificare volebat, quem in ſe experiebatur carnis, & ſpiritus, mentis, & concupiſcentię, inter duas ſcilicet partes, quarum una in bonum, alia in malum ſolicitabatur: una qua bonum appetebat, alia qua a bono implendo retardabatur: una qua delectabatur lege Dei juxta interiorem hominem, alia qua trahebatur in captivitatem ſub lege peccati. Prima in mente regnabat, ſecunda in membris tumultuabat. Prima bonum, ſecunda vitium erat. Non ergo D. Pauli natura tota peccatum, tota vitium, tota reatus. Attendantur quę a Divo Paulo hìc enarrantur; inde conferenda cum his quę D. Auguſtinus ſcribit *Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 10.* Non me quidem latet, Calvinum niti ad perſuadendum, loqui D. Paulum de ſeipſo jam regenerato: *Quis in ſe tale diſſidium habeat, niſi qui ſpiritu Dei regeneratus, reliquias carnis ſuæ circumfert?* Et ſubdere, quod D. Auguſtinus hoc textu ſemel de natura interpretato, tanquam de re falſa retractatione ſe emendaverit. At Calvinus hìc, quantum poſſet, vellet nobis

fucum

cum facere; quod ſi a ſuis obtinet, Italię tamen, ubi infantes apertis naſcuntur oculis, puto non obtenturum. Ecquis enim rudis Tyro neſcit aliud eſſe confliċtantem carnem experiri, aliud vincere: quod non ſola natura, ſed gratia opitulante conſequitur; & hoc eſt quod Auguſtinus retractatione ſua explicavit (*Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 10.*): *Cum ipſa delectatio boni, qua etiam non conſentit ad malum, non timore pœnę, ſed amore juſtitia (hoc eſt enim condelectari), non niſi gratia deputanda ſit.* Ad experiendum tamen conflictum ſola ſufficit legis naturalis notitia. D. Paulus fatebatur per legem peccatum agnoſcere. Qui autem legem agnoſcit prohibentem peccatum, cur non valet ſibi dictamen facere, peccatum eſſe fugiendum ſaltem ex metu legis? Si concupiſcentia ad peccatum ſtimulat, ſtimulatus conflictum in ſe experitur. Pudor ille, quem Adam & Eva poſt amiſſionem gratiæ ob peccatum paſſi ſunt, erubeſcentes nuditatem ſuam, & abſcondentes ſe a facie Dei, dum ejus vocem audiebant, ex notitia ſane commiſſi peccati accendebatur. Manſit igitur in natura corrupta lumen quoddam ad agnitionem, & horrorem peccati; ſin ex amore juſtitiæ, ex inſtinctu ſaltem naturalis honeſtatis, vel ex metu pœnæ. Nonne Pagani, nonne Turcæ id experiuntur? Nonne a natura inditum ipſis dictamen quoddam, virtutem bonam indicans, vitium malum? Quocirca ſi in natura corrupta lex naturalis inſerta eſt bonum ſuadens, in carne autem lex altera ad malum impellens, quamvis iſta præpolleat, natura tamen corrupta dici nequit vitium tota, peccatum tota; ſed in ipſa ineſſe bonum, cui inſidiatur, & nocet peccatum. *Vitia carnis contraria ſunt boneſtati hominis. Non natura accuſatur, ſed vitiis medicus quæritur.* docet Auguſtinus (*de nat. & grat. cap. 54.*).

53. Panigarola non *ſumit partes naturæ corruptæ Pelagiano ſenſu*, ut ſolitis contumeliis, & probris ipſi imponis *pag.* 486. Pelagianus negat naturam eſſe corruptam, quod Panigarola fatetur, ſicut ad ſanitatem aſſequendam Chriſto medico indigere; negat autem in natura corrupta nonniſi corruptionem eſſe, mentis lumine omnino extincto, & libertate prorſus amiſſa. In ſumma non illam vult penitus mortuam, ſed tantum graviter ſauciatam. Hic eſt homo ille lapſus ab Evangelio deſcriptus in viatore plagis vulnerato, in ove quę perierat, quam Chriſtus ſanare tanquam medicum ſe veniſſe teſtatus eſt. Medicus non mortuos, ſed ægrotos curat. Ipſius gratiæ character, quę *auxilium*, & *adjutorium* vocatur, idipſum indicat. Non adjuvatur qui non eſt, vel nihil operatur. In natura igitur aliud quidquam eſt præter vitium. Et quid eſt hoc? Liberum arbitrium ad mortem ſaucium, non autem mortuum: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, ſed ideo juvatur, quia non tollitur* (*Auguſt. Epiſt. 80. q. 2.*). Prætereo dicteria quę in Panigarolam vomis, quoniam hic quotidianus eſt ſermo tuus, quatenus ſi a tuo magno Volumine ſcommata, & probra ad ſummam nauſeam dicta, iterata, & reiterata expungantur, magnum hoc volumen tuum molem referret æqualem libercul o Apologorum Æſopi. Rei igitur ſubſtantiam attendo; hinc aſſero Panigarolam non negare Deum odio habere peccatum, & peccatorem. ſed negat in homine lapſo nil aliud ineſſe, pręter corruptionem, & peccatum. Uno verbo, Panigarola Pelagianus non eſt, ſed odit etiam eſſe Manichæum, & Calviniſtam. Tibi integram hanc remittit gloriam, nec invidia. Habe illam, cum jam & mente, & voluntate revera, ſed vitio tuo, ſis maxime læſus, & pene extinctus.

§. XIV.

Verba Chriſti, Niſi quis renatus fuerit &c. *intelligenda ſunt de ſolo Baptiſmo, non de ritu.*

54. Novum Panigarolæ crimen *pag.* 487. his verbis exageras: *Calvinus probat, Chriſtum (Joan. cap. 3.) cum dixit: Niſi quis renatus eſt ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei; non loqui de Baptiſmo. Quid porro Panigarola facit? Intactis Calvini rationibus, audacter applicat ipſe ſententiam illam Baptiſmo.* Hoc minime crimen eſt, Picenine. Propterea quod Calvinus non vult textum illum de Baptiſmo intelligi, prętendis ne quod omnes ſubmiſſa fronte poſt Calvinum eant, atque audax ſit, qui illum non ſequatur? Tu non ſemel proteſtatus es, non juraſſe in nomine Calvini; indignaris ſi Calviniſtam audias appellari; inde vis Panigarolam jurare in nomine Calvini, ipſi odibilis qua Dæmon ipſe? Si Calvinus aſſerit Chriſtum ibi de Baptiſmo non eſſe locutum, Auguſtinus e contra docet oppoſitum *Lib. 6. de Baptiſ. cont. Donatum cap.* 12., *Lib.* 1. *de peccat. meritis, & remiſſ. cap.* 20. 29. & 30. Idem Juſtinus *Apolog.* 2., Tertullianus *de Baptiſmo*, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Baſilius, Nazianzenus, Niſſenus, Origenes, Chryſoſtomus, Cyrillus, Beda; Patres omnes venerabiliores Eccleſiæ. Audax itaque Calvinus negando, non audax Panigarola aſſerendo. Quid per aquam ſignificare voluit Chriſtus, ſi Baptiſmum ſignificare noluit? Calvinus reſpondet (*Lib.* 4. *Inſt. cap.* 16. §. 25.) ſignificare voluiſſe Spiritum Sanctum: *Quaſi diceret per Spiritum, qui purgando, & irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur.* Quemadmodum ſcilicet, cum *Matth. cap.* 3. 11. enuntiatur: *Qui ſequitur me, ille eſt qui baptizat in Spiritu Sancto, & igni*, tum non alium refert ſenſum, quam *Spiritum Sanctum conferre, qui in regeneratione, ignis effectum, naturamque habet.* Præcipua plane, & arcana interpretatio Calvini, non ad aliud exquiſita, quam ad declinandam confeſſionem inevitabilis neceſſitatis Baptiſmi ſuſcipiendi ad introitum ſalutis æternę, detorquentis ad inſaniam ſuam Scripturas, ut fucum faciat erroris impietati; conſuetus Novatorum mos: *Quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem*; ut ſcribit D. Hieronymus (*Epiſt. ad Paulinum*). Quare ſi hìc ex *Aqua* nomine Baptiſmus non deſignatur, ubi a Chriſto præſcriptus erit Aquæ uſus ad Baptiſmum? Quid ſatis non erit ſuper baptizandum invocare Spiritum Sanctum, qui animæ præſtet munus aquæ in corpore? Eo vel magis cum Joannes dicat (*Matth.* 3., *Marci* 1., *Lucæ* 3., *Joann.* 1.): *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu Sancto.* Cur dici non poterit, in Baptiſmo Joannis *Aquam* neceſſariam fuiſſe, ſed in Baptiſmo Chriſti Spiritum Sanctum vice *Aquæ* fungi? Hæc interpretatio nonne ea clarior foret, quæ a Calvino ſuo textui adhibetur? Ad hæc. Si Spiritus Sanctus, per novum Evangeliſtam Calvinum, nedum vice *Aquę*, quam ignis fungitur; cur in Baptiſmo ſola *Aqua* adhibenda, non *Ignis*? *Apoſtoli baptizabant aqua, & Chriſtus baptizatus eſt aqua*, ais tu Picenine; attamen baptizatus a Joanne, qui baptizabat aqua. Præterea. Præcepitne Chriſtus fideles baptizari aqua, ſicut ipſe aqua baptizatus fuit? Si in textu Joannis non eſt ſermo de *Aqua*, quot afferrentur textus, eodem modo commentari poterunt, & cum Calvino de illis aſſerere, pro *aqua* intelligi Spiritum Sanctum, qui vice *aquæ* fungitur. Vide nunc, fallaciſſime Prædicans, ubi tendant domeſtica tua ſophiſmata, & an interpretatio tua ſuſcipi valeat, nedum oppoſita Patrum ſententiis, quam tuorum etiam adhærentium. Hinc in Bibliis Deodati ad hunc textum dicitur: *Oſtendit* (aqua) *medium ordinarium*

hujus regenerationis, quod eſt Baptiſmus, & internam virtutem Spiritus Sancti, unde habet illud omnem efficaciam.

55. Pertinax tamen Magiſtri tui ſententiam niteris tueri, hac inſtructa ratione *pag.* 487. *Chriſtus loquitur de re prorſus neceſſaria ætate Nicodemi. Baptiſmus Nicomedi ætate neceſſarius abſolute non erat. Ergo ibi Chriſtus de Baptiſmo non loquitur.* Unde habes Chriſtum de re locutum neceſſaria eo tempore quo loquebatur? Biblia tua Chriſtum introducunt loquentem verbis de præſenti: *Niſi quis renatus eſt*; cetera tamen, non interpolata, referunt verba de futuro: *Niſi quis renatus fuerit.* Sic ubique refert D. Auguſtinus. Ceterum Legiſperito, quem eſſe oſtentas, minus decorum eſt ignoraſſe Scripturam futurum ſæpe de præſenti pronuntiare: *Omnia quæ futura ſunt jam Deo facta ſunt,* ait D. Auguſtinus (*in Pſ.* 47. *&* 126.). *Qua de re concludo* (ais) *cum Calvino Chriſtum ibi loqui de regeneratione ſignata Baptiſmo.* Et ego iterum concludo: Ergo Chriſtus ibi loquitur de Baptiſmo, & *aquæ* nomine *aquam* deſignat, qua baptizando utimur, non autem pro *aqua Spiritum Sanctum* vult intelligi. Immo diſtinguens Chriſtus *aquam* a *Spiritu Sancto*, illis verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, baptiſmalem aquam commodum indicat, quæ a Spiritu Sancto ſanctificatur. Jacobe mi, male, peſſime audis, aſſerendo Baptiſmum, & baptiſmalem *aquam eſſe ſigillum regenerationis.* Quemadmodum quippe Spiritus Sanctus non eſt merum *ſigillum*, ſic nec aqua; ſed quatenus Spiritus ſanctificat, ſic & aqua a Spiritu ſanctificata, dum extrinſecus corpus abluit. Quapropter mirabatur D. Auguſtinus (*Tract.* 80. *in Joan.*): *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Tantum ne miraretur magnus iſte Doctor, ſi *aqua* merum eſſet *ſigillum* jam factæ regenerationis? Petis cur *Panigarola aſſerat: Si Baptiſmus non ſalvaret, non opus eſſet exſpectare Baptiſmum ad introitum Cæli? Si Baptiſmus ſalvat, quid non omnes qui eum ſuſcipiunt ſalvantur?* Peto ex te: Si Chriſtus ſalvat, & ſalutem præſtat, quid non omnes, qui eum agnoſcunt, & confitentur, ſalvantur? Ab Auguſtino reſponſum habe, jam factum cuidam Nemeſiano Donatiſtæ (*Lib.* 6. *de Baptiſ. cont. Donat. cap.* 12.): *Aliud eſt enim: Omnis qui intrabit in regnum Cælorum prius naſcitur ex aqua, & ſpiritu, quia niſi renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non intrabit in regnum Cælorum, quod Dominus dixit, & verum eſt; aliud autem: Omnis qui naſcitur ex aqua, & ſpiritu, intrabit in regnum Cælorum, quod utique falſum eſt. Nam et Simon ille magus natus erat ex aqua, & ſpiritu, & tamen non intravit in regnum Cælorum. Sic fieri poteſt ut hæreticis* (attende) *etiam contingat, aut ſi non naſcitur ex aqua, & ſpiritu, niſi qui veraci converſione mutatur, omnes qui ſeculo verbis & non factis renuntiant, non utique de ſpiritu, ſed de aqua ſola naſcuntur, qui tamen & intus, teſte Cypriano, ſunt.* Baptiſmus igitur ſalvat, ſolus tamen non ſalvat; *& oportet quod cum Baptiſmo ſit teſtimonium bonæ conſcientiæ*, ut ais tu; cui in hoc aſſentior.

56. Sanguinem Chriſti per Baptiſmum applicari videris conſentire; illico tamen in præceps ruis, aſſerendo Chriſtum non occluſiſſe ſuum ſanguinem in Baptiſmo, quaſi quod ejus fructum non percipiant niſi qui eum ſuſcipiunt, qui vero non ſuſcipiunt, eo priventur. Profecto ſi Baptiſmus *aquæ* nequeat obtineri, vices ejus facit Baptiſmus ſanguinis, ſcilicet Martyrium, vel Baptiſmus ſpiritus, ſcilicet fides, & deſiderium vehemens Baptiſmi aquæ. Infantes tamen, qui Baptiſmum ſanguinis non habent, & fide, ſicut & deſiderio Baptiſmi incapaces ſunt, quomodo hos lavabis ſanguine Chriſti, ut ingredi poſſint in regnum Cælorum abſque Baptiſmo *aquæ*? Scilicet medio Calviniano, & chimærico pacto, quo antequam naſcerentur in ſuos eos

pro-

pronuntiavit Deus. Audiamus Auguſtinum; *Hæc gratia* (Baptiſmi) *cur ad illum veniat., ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, injuſta eſſe non poteſt. Nunquid enim iniquitas apud Deum? Abſit. Sed prius Sanctarum Scripturarum auctoritatibus colla ſubdenda ſunt* (*Lib. 1. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 21.*). Iniquum Calvino videtur, ex duobus infantibus fidelibus parentibus ortis, unum Baptiſmo tinctum ſalvari, alterum ſine Baptiſmo damnari. Age tamen, dic: *Ex illis ipſis baptizatis parvulis, cur alius rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, & alius vivit, impius futurus? Nonne ſi ambo raperentur, ambo in regnum Cælorum ingrederentur?* Pronuntias *pag.* 488. *Qui baptizatus fuerit ſalvus erit. Sanguis Chriſti per fidem applicatur, & per Baptiſmum; ſed fides magis ad ſalutem neceſſaria eſt, quam Baptiſmus.* Quomodo id probas? *Chriſtus non ſubdit: Qui non credit, & baptizatus non fuerit, condemnabitur; ſed: Qui non credit, condemnabitur.* Ut video, illud ignoras axioma: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu.* Ad ſalutem neceſſaria ſunt fides, & Baptiſmus, ad damnationem ſat eſt horum alterutrum defectus. Si dicerem. Ad rationem hominis, neceſſe eſt animal eſſe rationale; inde ſubderem hominem non eſſe, qui animal non eſt, propterea ne me pronuntiaſſe intelligeretur, ad rationem hominis valere potius animal eſſe, quam rationale? Inſtas: *Non Baptiſmi privatio* (*ait D. Bernardus*) *ſed aſpernatio damnat.* At non vides D. Bernardum de adultis loqui, in quibus non damnat privationem Baptiſmi, quatenus non hunc habentes, deſiderare poſſunt, & ſalvari medio Baptiſmo ſpiritus in parvulis tamen privationem Baptiſmi damnat? *Sane* (ait D. Bernardus *Tract. ad Hugon. de S. Victore cap. 2. num. 9.*) *infantes, qui hanc, prohibente ætate, non poſſunt habere fidem, hoc eſt cordis ad Deum converſionem, conſequenter nec ſalutem, ſi abſque Baptiſmi perceptione moriuntur.* Hæc eſt D. Bernardi doctrina, hæc veteris, & recentioris Eccleſiæ fides; cui qui contradicit, purus putidus Pelagianus eſt, ut Jacobus Piceninus.

§. X V.

Materia Eucharistia.

57. RElìquum eſt ut nenias tuas audiamus, quibus de P. Segneri ſic doles *pag.* 488. *Hic nobis inceſſit de immutata Eucharistia materia. Cur? Quia ſequentes nos hujus auguſti Sacramenti auctorem, non aliam præter panem, & vinum materiam habemus. Non aliam proponit Calvinus* (*Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 13. & 15.*). Negare tamen nequis heroem tuum Theodorum Bezam docuiſſe, defectu panis, & vini ſubrogari poſſe materiam aliquam analogam; cum, ipſius ſententia, mens Chriſti non alia ſit, quam præſtare *ſigna* nutritiva corporis. Hoc poſito, cur ex defectu panis & vini non poterunt ſubrogari *nuces, caſtaneę, ſicera?* Id ait Segneri, & nihil amplius; tu vero plorando ploras, quaſi inique oppreſſus ſis. Sola Romana Eccleſia invariatam ſemper Chriſti doctrinam cuſtodivit, ſolum nempe panem, & vinum aptam eſſe hujus auguſtiſſimi Sacramenti materiam, præter quam nulla *analoga* valeat ſubrogari. Forma Euchariſtię ſemper fuerunt Chriſti verba; & ritus ab Eccleſia appoſiti ſacroſancti ſunt, & myſteriis refertiſſimi, & in univerſo orbe Catholico uniformes; profani autem e contra ſunt illi, quos ad libitum commentantur hæreſum Miniſtri, quorum unus eodem loco Cœnam miniſtrat in fermentato, græco more, alter more latino in azymis: unus panem diſtribuit in proprio colore, alter in rubro, vel in alio arte fucato. Subſtantia illa rubri immixta ſubſtantiæ panis, nunquid materia eſt a Chriſto inſtituta? Illam Evangelium Calviniſtarum habet, non noſtrum, quod eſt Evangelium Chriſti.

57. Quibus jam plane conſtat noſtrorum rituum utilitas, & neceſſitas, ſicut eos deridentium ignorantia, & inſania. Diabolus etiam irridebat, quod ex comeſtione, vel abſtinentia a fructu Arboris, mors & vita penderet: *Cur præcepit vobis Deus? .... Nequaquam moriemini?* Adam tamen, & Eva ei adhęrendo, iram Dei experti ſunt, ſuo nimium, & noſtro periculo. Ride Picenine cum tuis Calviniſtis de noſtris ritibus, & foliaceos voca, dummodo ſub iſtis fruamur noſtræ ſalutis fructu. Nequit eſſe omnino *ſpiritualis cultus noſter*, ſi, ut blateras, homines ſumus, ſoliti tractare res ſenſibiles. *Spiritualis* ſit cultus ab Angelis Deo pręſtitus, quoniam puri ſunt ſpiritus; nos tamen qui ad inviſibilia Dei niſi per ea quæ facta ſunt valemus conſcendere, a ſenſibilibus primo progredi debemus ad acquirenda ſpiritualia; & ideo in ſenſibilibus inſtituit Chriſtus ſua Sacramenta: & aditum fidei in corda aperuit, media ſenſibilis prędicationis voce, & auris auditu. Ritus non deſtruunt, ſed cuſtodiunt, amplificant, quod a Jeſu Chriſto ordinatum fuit. E contra liberæ & profanæ mutationes ſubintroductæ a Prędicantibus in Sanctiſſima Sacramenta, deſtruunt inſtituta Chriſti, retenta omnibus ſeculis ab ea quæ noſtra eſt Vera Eccleſia.

CAPUT XVI.

Charitas erga proximum veræ Eccleſiæ ſignum.

§. I.

Charitas erga pauperes.

1. APologiæ cap. 18. *pag.* 489. novum tibi arrogas, ſcilicet: *Si Charitas erga proximum teſtimonium eſt veræ Eccleſiæ idoneum, ſit inde, Eccleſiam reformatam veram eſſe. Neque enim opera Charitatis ad illa ſola revocari debent; parcere inimicis, & in bonum proximi propria vita non parcere. Si nudus occurrat, veſtiendus, ſi famelicus, paſcendus, ſi oppreſſus, protegendus.* Malignus ſemper graviora confundis, ut hìc facis, ubi promiſcue de Charitate diſſeris, cum alias non qualiſcunque ejus actus validum ſit teſtimonium veritatis Religionis, ſed illi ſoli qui humanam conditionem vincunt, & finem ſupernaturalem reſpiciunt. Quatenus autem iſtiuſmodi difficiliores ſunt, & natura ſublimiores, hinc raro fiunt; ideo ſi frequenter videantur ab unius Religionis cultoribus exerceri, hanc probant non humano, ſed divino ſpiritu eſſe directam; in ſumma, ſolam habere contra ceteras veritatem. Porro qui difficilores actus, ipſo terreno homine majores, quam magno animo inimicis donare veniam, & proximis uſque ad ſanguinem propriam largiri vitam? P. Segneri uſitatiſſimos in Religione Catholica Romana hoc eſſe probat. Teſtimonium igitur exhibet certum de ſua veritate. Operire nudum, famelicum alere, opera ſunt communia Charitatis, quæ nulla repugnantia inſtinctu ſuo natura facit; quamobrem apud Ethnicos, & ſectas omnes etiam barbaras uſu frequentantur. Non igitur ea ſola ſufficiunt ad oſtendendam Religionis veritatem. P. Segneri veritatem Religionis ex operibus Charitatis probaturus, communia, & faciliora tacuit, majora, & heroica recenſuit, ex quibus illa facile inferuntur; quippe, qui tantum virtutis habet diligendi inimicos, & vitam tradendi in bonum proximi, paratus magis erit amicis ſubſtantias diſtribuere, & externa bona tradere, ſiquidem: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* (*Joan.* 15. 13.). Ceterum in teſtimonium veritatis meę Religionis non deſunt pauperes, infirmi, debiles, orphani, & cujuſcunque generis & ſexus miſeræ perſonę, quæ in Noſocomiis, & piis locis curantur, aluntur, & nubiles fœminæ etiam dotantur. Tot & talia ſunt hæc pia loca, opera iſta Charitatis, erecta a piiſſimis funda-

da-

datoribus, ut fundis ſuis magnam de territoriis partem teneant. Mitto quotidianas eleemoſynas, quæ a divitibus erogantur in egenos cujuſcunque conditionis, & ad arcendas puellas a periculis proſtituendę honeſtatis; ſecreta, & copioſa ſubſidia integris elargita familiis a ſplendido ſtatu delapſis. Mitto pia legata de providendis medicis, & medicamentis, de diſtribuendis pane, vino, & nummis; nec ulla in Civitate Parœcia eſt, quæ ſimilia non habeat. Illi ipſi Fratres, & Mendicantes, tot probris, & ſcommatibus a te peſſime laceſſiti, & *inutiles perſonæ* appellati, in dandis eleemoſynis inter alios generoſitate excellunt. Pauperum turbæ ad eorum Monaſteria confluunt. Peregrini ipſi ad illos confugiunt. Cujus veritatis integrum, & certum teſtimonium ferre poſſunt Proteſtantes ipſi, qui Orbem, & Italiam prę̨ſertim peragrarunt.

2. Maligniſſimum tamen caput non ceſſas oblatrare *pag.* 489. *Quod ab aliis impenditur in ornandis Templis, Iconibus inaurandis, illuminandis picturis, in alendis inutilibus Fratrum ventribus, vallibus mendicantium, ex aliorum ſudore viventium, a Calviniſtis impenditur in ſubſidium pauperum, qui vera Imagines Chriſti.* Tot redditus ex bonis Eccleſiaſticis, & piis legatis, a noſtris Catholicis inſtituti in locis nunc hęreſi infectis; ornamenta illa ad majeſtatem Templorum, ad honorem Dei, & Sanctorum ejus deſtinata; ſubſidia illa, quæ erogabantur in ſuffragia Animarum in Purgatorio languentium, quibus non *ventres inutiles* hæreticorum & Atheorum paſcebantur, ſed Religioſi viri, qui verbi Dei, & Sacramentorum pabulum populis adminiſtrabant, & publicis precibus Deum propitiabant; diſtribuuntur ne modo ad operiendos nudos, famelicos alendos, oppreſſos relevandos: quin potius in profanos uſus, piæ voluntati fundatorum omnino adverſos, & ipſi etiam doctrinæ Chriſti? Henricus VIII. de theſauris Eccleſiarum, quas deprædavit, de redditibus Eccleſiaſticorum, & cujuſcunque ordinis Religioſorum, & eorum Monaſteriis, quæ inique uſurpavit, Noſocomia ne erexit, & Xenodochia pro hoſpitandis infirmis, & mendicis; ex prę̨fatis redditibus eos paſcendo, puellas dotando, & hujuſmodi charitatis opera inſtituendo: quin potius omnia diſperſit in paraſitos, & ſcurras, Comites, & Dynaſtas feudis adaugendo, ut ſuæ libidinis aſſentatores remuneraret; ne dicam quæ projecta ſunt in uſus non inutiles, quam illicitos? Lege veridicas hiſtorias, & reſponde. Ex noſtris redditibus ſcimus nos decimas Deo reddere, & Sanctis ſuis, Templorum ornatui, & ſimul pauperibus abunde providere. Dicis vos facere *quemadmodum Epiſcopus ille* Jeroſolymitanus Cyrillus, qui *vaſa Templi vendebat, largiendo pretium pauperibus ſuæ Diœceſis. Sic* dicis *D. Ambroſium impendiſſe vaſa ſacra ad redimendos captivos.* Siccine fit inter vos, fidiſſimi S. Cyrilli, & Ambroſii imitatores? Heu Indis has tuas vendita fabulas, non Italiæ populis. De ſacris vaſis, & Eccleſiaſticis reddibus, quid a vobis factum ſit, jam diximus. Quæ dicitis vos, nec tamen facitis, ob oculos veſtros profecto fecit Mediolani D. Carolus Borromę̨us. Hic, divendito ampliſſimo feudo, unius brevis diei ſpatio totum pretium in pauperes erogavit, agente ipſo miſerrimam vitam, ut gregis ſui mendicos liberaliter paſceret; & ſuperſtant adhuc ubique locorum illius latę Diœceſis heroica ſuę charitatis monumenta. Fecit Franciſcus Saleſius; quæ pariter fecerunt, & faciunt tot Epiſcopi, & Prę̨lati, non cantu Phariſaicę tubę, ut tu modo canis, ſed aliena, & ſecreta dextera, quemadmodum Chriſtus mandat, viduas, & pupillos reficientes, amplis dotibus ſubſidium ferentes periclitanti puellarum honeſtati. Dicis, *Icones aurum non quærere, ſimulacra non egere cereis, non mortuos, ſed vivos eſſe noſtræ Charitatis objecta.* Hęc ſcilicet erat loquela ipſa eorum, qui a

Pha-

Phariſęo invitati fuerant (*Marci* 14. 5.), & plus ceteris Judæ de pretioſo unguento a Magdalena ſparſo ſupra pedes Chriſti. Ipſi quoque muſſitabant, unguentum poſſe venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus, dicentes: *Ut quid perditio hæc?* Porro ſcis reſponſum Chriſti, quin repetam. Iterum dico hujuſmodi Charitatis actus Segneri non retuliſſe, quia jam eos ſupponit, neque ipſos cenſet efficacia eſſe veræ Religionis teſtimonia. Quod autem Religioſi *ſuæ Societatis ab his operibus abhorreant, & pauperum poſſeſſiones rapiant*, ut ais ex ore *Doctoris Janſeniſtæ*, hæc perſonalis eſt ſatyra, cui reſpondendi neque locus hìc, nec tempus, ubi agitur de fidei ſumma. Sat vos ſcire, totum id, pejoraque dici de vobis veriſſime poſſe.

§. II.

De Charitate dilectionis inimicorum, & vita pro amicis ponenda.

3. Ngeris *pag.*400. quod P. Segneri *extollat ſuorum Catholicorum Charitatem, qua inimicis veniam, & pro animarum ſalute vitam largiuntur*. Inde ſubdis: *Quot Gentiles his geſtis inſignes? Quot iſtorum aggreſſoribus ſuis parcebant, & inimicis benefaciebant? Philippus, Alexander, Julius Cæſar, Auguſtus, aliique?* Arbitrabar de tuis exempla referres, quin a Paganis emendicares. Signum, hanc virtutem in pſeudoreformatione uſum non obtinuiſſe, quam alias Chriſtus adeo pręcipit, & proprio exemplo conſignavit. Ad rem tamen non veniunt Philippi, Alexandri tui, qui inſignes fuerunt hoſtibus parcendo bello victis. Neque enim in pręſens de his ſermo; ſed tantum de privatis inimicis offendentibus perſonam, quos contra fervet ſanguis, & iraſcibilis paſſio ad vindictam incitat. Hujuſmodi caſus quam raro accidunt, quos ideo ab omnium ſcriptorum calamis commendantur? Et tamen apud nos frequentes ſunt, nedum inter Reges, Principes, Equites, quam inter obſcuram plebem; atque ea eſt potiſſima ratio P. Segneri, quod non ſola nobilior fidelium pars, ſed ignobilis vulgi gregales omnes, vel ſtatim, vel in ipſa confeſſione peccatorum, & graves injurias, & proditiones dimittunt, non raro etiam offenſas beneficiis compenſantes, unice ob amorem Jeſu Chriſti. Quid plura? Si Chriſtus ipſe hunc actum innuit tanquam ſignum eorum qui veri filii ſunt ſui æterni Patris: *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cælis eſt* (*Matth.*5.45.), velle id ultra oppugnare, eſt velle Chriſto, non Patri Segneri contradicere.

4. *Quot Pagani* (ſic *pag.* 400.) *paratiſſimi erant victimas fieri in bonum proximi? Codrus, Curtius, Atilius, Damon, Pythia, & alii plurimi. Charitate præſtabant* Waldenſes; *Charitatem pariter exercebant, & exercent Anabaptiſtę. Jeſuita tamen primos ſectarios vocat; alteros vero ſecum & nos hæreticos eſſe dicemus.* Quid non unum ſaltem ex tuis enumeras? Per alienas domos quærere exempla Charitatis, indicat nulla propriæ domi haberi. Tot autem Hollandii, Angli, & aliarum Nationum Proteſtantes, qui pergunt, & navigant quotidie Japoniam, ad S.nas, Indos, & Infidelium regiones, quid non iſtos exhibes ceu Miſſionarios, a Charitate compulſus ad glorificandum Chriſti nomen inter barbaras illas nationes? Ah Picenine taces, plane conſcius non ex zelo Chriſtianæ fidei, dilatandæ & procurandæ ſalutis animarum, ſed auri & argenti ſacra fame, ex avaritia, & negotiationis cauſa illuc appellere. Convertamur igitur ad Gentes. Paganiſmus totus, non alios recenſere valuit, niſi eos nimirum paucos quos retuliſti; nos autem choros integros habemus, etiam in pręſens, hominum, qui vitam obtulerunt pro converſione Infidelium, qui quotidie ad remotiores tranſineant partes, hoc ſolo intuitu procurandæ ſalutis ba baricarum gentium; quam veritatem faſſus eſt etiam Samuel Pufen-

ſendorfius in ſuo *lib. de Monarchia Pont. Rom.* §. 41. Nunquid hæc comperies inter Waldenſes, & Anabaptiſtas? Petrus Waldus repentina morte territus amplas diſtribuit eleemoſynas, ſed non a Charitate, bene vero a vani nominis gloria ſeductus. Negata obedientia ſuis Prælatis, ab Eccleſia diſceſſit; & ad retinendam pertinaciam ſuarum opinionum, amiſit unitatem, & Charitatem. Waldenſes ſponte perſecutiones ſuſtinebant; tum etiam Donatiſtæ libenter eas ferebant, immo aggrediebantur: attamen ex ſatanico furore, non ex Charitate, & recto fine movebantur; qui ſchiſmate facto in Eccleſia, veram Chriſtianam Charitatem a Chriſto præceptam contempſerant. Anabaptiſtas autem quomodo ad Charitatis exemplum proferas non ſatis intelligo. Nicolaus Storkius eorum auctor, ſpecie ſervandæ libertatis prætenſæ Evangelicæ, ſuos hortatus eſt ferro & igne inſævire in omnes Principes, & Magiſtratus, qua Tyrannos. Hęc ne Charitas? Conciones Thomæ Munſteri, omnes tendebant ad ciendos tumultus, & ſeditiones. Hæc ne Charitas? Anabaptiſmus crudelitate erectus eſt; ſicut legitur in Meshovio *Lib. 6. & 7. hiſt. Anabapt.* Perſuadere ſtudes *pag.* 490., quod *vera Eccleſia notitia pendet ex combinatione harum duarum propoſitionum: Si perſeverabitis in mea doctrina, vere mei diſcipuli eritis. In hoc cognoſcent omnes quod mei diſcipuli ſitis, ſi diligetis invicem.* Sed fraudulentus taces, quod qui doctrinam Chriſti non ſervat, nec dilectionem proximi habet, nullum habet ſignum *veri diſcipuli Chriſti.* Pſeudoreformati doctrinam Chriſti non habent, ut oſtenſum eſt, & oſtendetur. Charitatem proximi non habent; nec hactenus tu oppoſitum probaſti. Non ſunt igitur *veri diſcipuli Chriſti.* Qui talis eſſe vult, perſeverare debet in ejus doctrina. Ad agnoſcendum tamen qui in ea perſeveret, grande ſignum eſt diligere invicem. Id totum maxime confirmat aſſertum P. Segneri, & ineptias tuas male confutas diſperdit.

§. III.

Pſeudoreformatio fundata non eſt in Charitate.

5. DE P. Segneri offenderis *pag.* 490., quod aſſerat *Lutherum promulgaſſe Evangelium oppoſitum illi Jeſu Chriſti. Evangelium non pacem volens, ſed ſanguinem, & ſeditiones; quod ruſticos contra nobiles civit, & facem invertens, nobiles accendit contra ruſticos.* De his doles, ſi quot de Luthero ſcripſerunt id teſtantur? Lege inter alios Voſſium in litteris *Præſtantium Virorum Epiſt.* 166., quam ad Hugonem Grotium ſcribit; quod & ſupra ego indicavi. Nonne Lutheri illud aſſertum eſt, propriam eſſe Evangelii naturam ſeditiones ciere; vel, ut fert Eraſmus (*Epiſt. ad Fratres inferioris Germaniæ*) *eſſe fas Evangelium fucis, ac technis promovere?* Nonne Zuinglii crudelis ſententia notiſſima eſt: *Evangelium ſitit ſanguinem?* Sententia a Stanislao Hoſio (*in judic. & cenſ. de adorand. Trinit.*) tam commendata: *Tartaream hanc eſſe vocem Poeta diceret. Verum talis Evangelii, quod ex imo tartaro profectum eſt, præconem non alia vox magis decebat. Neque vero dictis magis, quam ipſis etiam factis Evangelium, quod ipſe prædicabat, ſitire ſanguinem demonſtravit: ſtatim enim ut ſe Papam ipſe veſtrum conſtituit, cœpit ære ciere viros, martemque accendere cantu.* Poſt pauca, alludens Zuinglii morti, concludit: *Evenit illud, quod eſt apud Poetam: Primuſque cadit Tolumnius augur; cujus Evangelium ſanguinem ſitiebat alienum, ipſe ſanguis in acie prior, una cum vita profudit.* Revera quale exordium habuit eorum Evangelium? Nonne diſcordiis, & contentionibus inter Lutheri & Zuinglii Sectarios? Dum agebatur de concordia inter alterutras partes, nonne Lutherus teſtatus eſt ſe maledicere talem concordiam? Non me latet, in præſens omnium Proteſtantium ſectas invicem affectare ſummam unitatem, & pa-

pacem. Verum (præterquamquod oppoſitum oſtenſum fuit in *Cap. II.* ex ore ipſo Pufendorfii) neſcio inde an fœdus ſit inter ipſos, quin potius adverſus Catholicos; unde Hoſpinianus ipſe vocat hujuſmodi concordiam, *concordiam diſcordem* (*Lib. concordia diſcors cap.* 37. 38. 39. *&* 40.). Hoc plane certum, Archontes ſuos fœderatos non fuiſſe; quapropter vel ipſi errarunt, vel errant recentiores. Negari nequit Lutherum non excitaſſe Germaniæ Ruſticos ad rebellionem, ipſis prędicens victoriam. Aperte nimium id narrat Thomas Monetarius in Epiſtola *ad ſuos ſectatores* miſſa: *Incipite, & pugnate prelium Domini. Jamdudum tempus eſt, adhortamini fratres veſtros omnes, ad hoc ut divinum teſtimonium non irrideant, alioquin omnes peribunt.* Sane verum quod Lutherus jacto lapide, dexteram vaferrimus occultavit. Videns ſua vaticinia irrita in favorem Ruſticorum, verba mutavit; & ſuſceptis Principum partibus, noluit in ſuos amplius habere Ruſticos. Non deſtitere tamen hi illum manifeſtare, & probare auctorem ſuæ ſeditionis; nedum litteris ab ipſo ſcriptis, ſed doctrina etiam quam illos docuerat: quod ipſi exprobrabat etiam Eraſmus in ſuo *Hyperaſpiſte*: *Tu quidem libello in Agricolas ſęviſſimo ſuſpicionem abs te depuliſti, nec tamen efficis, quo minus credant homines per tuos libellos, pręſertim Germanice ſcriptos, in oleatos, & raſos, in Monachos, & Epiſcopos pro libertate Evangelica contra tyrannidem humanam hiſce tumultibus fuiſſe datam occaſionem.* Nunquid revera Ruſtici illi ex doctrina Lutheri, rebellionis, & turbarum ſemina ſuſcipere non debebant? Docebat is (*Lib. de capt. Babyl.*) *neque Papam, neque Epiſcopum, neque ullum hominum habere jus unius ſyllabæ conſtituendę ſuper chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu; ſecus autem facere, tyrannici ſpiritus eſſe.... Chriſtianis nihil ullo jure poſſe imponi legum, ſive ab homine, ſive ab Angelis, niſi quantum volunt....* „Nullam remedii ſpem „haberi, niſi, abrogatis humanis legibus, Evangelium libertati reſtitueretur, & cuncta proprio regerentur arbitrio.„ Hęc pręclara dogmata, Carolum V. excitarunt anno 1521. in congreſſu Wormatiæ, ſimul cum omnibus Imperii ſtatibus, pronuntiare doctrinam, & Lutheri libros, fontes & fomites ſeditionis. Sleidanus *Lib.* 8. *hiſt.*, *&* 14. *&c.* a te relatus, partim verum dicit, Lutherum libellum ſcripſiſſe, quo docebat Magiſtratui eſſe obediendum; ſed tu falſum narras, Lutherum ſcilicet id ſemper docuiſſe, cum Eraſmus oppoſiti ipſum inſimulet. Immo auditis a Luthero ſeditionibus Ruſticorum, eos commovebat, & incitabat: & uſquequo tumultuantes ſolas Eccleſias diruebant, & Monaſteria devaſtabant, ipſe plaudebat; comperto autem quod feudos invadere, & bona nobilium rapere cœpiſſent, quanquam intus gauderet, mimice abutens illo pſalmi: *Effuſa eſt contentio ſuper principes*; ad invidiam tamen, & odium vitandum, vertit ſtilum, & ex patrono factus eſt Ruſticorum adverſarius. Animadverte nunc lector an pſeudoreformatio *Charitate* regeretur, an Catholici ſint, qui plauſu excipiunt Proteſtantium ſtrages, ſive potius Proteſtantes illas Catholicorum, & totius Chriſtianitatis; cum Lutherus Chriſtianos dehortaretur a bello contra Turcam, meliorem hunc eſſe inquiens ipſis Principibus Chriſtianis.

6. P. Segneri reprehendis, quod Theodoro Bezæ falſo imputaverit dictum, *non aliud inquiri poſſe ad ſtatuendum Calvini Magiſtri ſui Evangelium in Galliis, quam igneam baliſtam, & gladium*; & quærens a Segneri ubi a Beza hæc dicta ſint, concludis *Jeſuitas praſtare fidem mendaciſſimis hominibus, conductis ad maledicendos Dei famulos.* Non id otii mihi supereſt, quo Bezę ſcripta revolvam, ad agnoſcendam rem, quæ tamen parum refert cauſæ noſtræ. Utique aſſero, Bezam hęc & pejora proferre facile potuiſſe, quem tamen

men tu audes collocare inter *famulos Dei*. Beza inter *famulos Dei!* Homo impudicus, & nefarius, ut latam fidem faciunt ejus poeticæ cantiones, ab ipſo in poſtribulis decantatę! Homo a Galliis profugus, potius ex metu pœnæ, quam alia de cauſa; ab Eshuſio in libro *veræ, & ſanæ Confeſſionis* deſcriptus purus Epicureus, ſacrilegus ſcurra; qui quamvis notorius ganeo per Gallias, *ſanctitatis* nomen affectabat! Homo qui Ludimagiſter factus, in auditorum animos Atheiſmi ſemina inſerebat, eorum aures implens dicto illo Virgilii, quod nemo beatus, niſi qui

—— Metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis averni!

Quam male audiret apud honeſtas perſonas, fidem faciunt ipſi collegæ ſui, ut videre eſt apud Gabrielem Patritium *pro fratre Balduino*, & Joannem Veterem *contra Bezæ calumnias*, qui in numero eorum erant ſuæ impietatis dogmata ſuſcipientium. Palam Beneficia Eccleſiaſtica vendebat, & matronarum etiam publicus maritus dictus fuit. In Colloquio Pictavienſi ann. 1561., pronuntiata hac blaſphemia de Sacramento Euchariſtico, *tantum ab eo diſtare Corpus Chriſti, quantum ſupremum Cælum a Terra*, nonnulli ejus antiqui ſodales eum reprehenderunt his verbis: *An mirum, ajebant, eum a ſacra exturbare Chriſtum Euchariſtia, qui Deum non credit eſſe in Cælo?* Verba ſunt Lindani citato loco. Videatur Varillas *Hiſt. hæreſ. tom.* 2. Hi ſunt *Dei famuli*, piiſſimi Picenini. Heroica geſta hujus *Dei famuli* leguntur nedum apud Lindanum, & Eſhuſium jam præcitatos, ſed apud Claudium Saintes *in reſponſ. ad Bezæ Apologiam*, qui præſens aderat, & Joannem Veterem *in Apolog. contra Bezæ calumnias*. Nihilominus ſi Diabolus, vel Diabolo ipſo pejor fuiſſet, recenſeri eum vis inter *Dei famulos*, quia linguam & calamum Calvino addixerat, factus hujus Hæreſiarchæ tam perditus cultor, quod Apoſtolis uſque parem eum fecit, immo ipſis ſuperiorem in interpretatione Cœnæ, ipſum præponens in intellectu Scripturarum quotquot Viris Apoſtolicis, qui hactenus ſcripſerint, tenus aſſerendo illum ſolum non erraſſe, ceteros autem velut umbras erraſſe, & huc illucque volitaſſe. Nunquam tam fuſe tractaſſem de peſſima vita & moribus Bezæ, niſi tu impudentiſſime auſus eſſes huic Nebuloni elogium hìc texere, velut Sancto vere digno tuarum partium, quem tibi tuiſque nulla invidia concedimus cum omnibus ſuis virtutibus. Hìc optime cadit vetus illud: *Dignum patellæ operculum*.

7. In ſtadium redeamus. Nobis perſuadere tentas *pag.* 491., *Calvino ſummopere diſplicuiſſe conjurationem contra Franciſcum II. Galliarum Regem*, ejuſque litteras refers *Bullingero ſcriptas*. Calvinus non aliter ſcribere debuit, jam comperto præcipuos conjurationis auctores alumnos ſuos fuiſſe; quod conſtat ex Regio edicto, quo Rex cenſuit, neminem ſupplicio tradi qua Calviniſtam, præter tamen Miniſtros, & Prædicantes hujus ſectæ, cum ceteris qui contra regiam domum conſpiraverant. Hoc edictum promulgatum fuit *ann.* 1560., quod refert Fontanonus *tom.* 4. tit. 7., & *tom.* 6. *Comm. Cleri Gallicani*. An Prædicantes hujuſmodi conjurationem ordiri potuerint, inſcio, ne dicam annuente, Calvino, judicet lector. Interim Picenine vide quam merito retundendæ hìc veniant acres illæ, & immanes reprehenſiones, quas Catholicis facis ob conjurationem adverſus Jacobum Angliæ Regem ipſis imputatam. Non pigeat præſtare aures Calvino cum Bullingero ſe excuſante de conjuratione: *Quantopere mihi diſpliceret conjuratio hac, cum publice, tum privatim oſtendi, abſque diſſimulatione*. Lutherus etiam proteſtabatur diſplicere ſibi tumultus Ruſticorum Germaniæ. Calvinus ad Farellum ſcribens, triſtari oſtentabat de morte Serveti, quam tamen ipſe ſolicitaverat. Addit Calvi-

vinus: *Sicut eorum expeditio nunquam mihi probata fuit, quia plus meo judicio tentabant, quam Deus permitteret: ita conſilio deſtituti, rem non legitimam, ſtulte, & pueriliter aggreſſi ſunt*. Duo hìc notatu digna. Primum, quod ait conjuratos tentaſſe *plus quam Deus permitteret*: quod ejus doctrinæ adverſatur, quæ tradit Deum non *permittere*, ſed poſitive *velle* omnia, tum etiam peccatum. Alterum, quod horrendum facinus, intentandi contra regiam vitam, *rem vocat non legitimam, ſtulte, & pueriliter aggreſſam*. Quid ad hæc Picenine, qui de conjuratione Anglicana phraſes non habes tam truces, nec tam horrenda verba ad exaggerandum ſatis? Verum hìc res erat contra regiam vitam Catholici; hinc *ſtulte, & pueriliter*, & ad ſummum *non legitima* habebatur. Illuc res erat de regia vita Proteſtantis; propterea nil pejus, nil execrabilius dictu.

8. Pati nequis Torſellinum (*Hiſtor. lib. 20. pag. 440.*) incuſare *Bezam inſtigatorem fuiſſe homicidii Ducis Guiſæ*; & quod aſſerat, *ipſum Ducem occiſum fuiſſe a quoppiam illius ſectæ, incitato, ut creditum fuit, a Theodoro Beza Hæreſiarcha Genevino*. Inde ſubdis: *Ecce fundamentum fabulæ: Quemadmodum fuit creditum*. Temperans nimium fuit Torſellinus in hac narratione, quia nedum creditum fuit Bezam fuiſſe hujus homicidii inſtigatorem, ſed revera ipſe inſtigavit *Poltrotium* ad flagitium; immo: *Cum exceptus, ac victus humanitate Principis, a tanto ſcelere deterreretur, & tibi* (ſic Bezam alloquitur Claudius Saintes) *Aureliam reverſus dixiſſet, ſibi horrori, ac conſcientiæ eſſe tam indignum facinus aggredi, eum es adhortatus ad audendum, eadem ferme oratione, qua Diabolus primos Parentes ad ſe necandos, ac jugulandos incitavit*. Falſiſſimum autem eſt Poltrotium hoc delicto eum expurgaſſe; immo proſequitur Saintes: *Cum equis diſtraheretur, te, atque alios auctores, & impulſores execrabatur, & accuſabat, & ſe hominem aliquando natum fuiſſe deteſtabatur, qui tantum nefas admiſiſſet in vita. Hoc ab infinita multitudine hominum qui ſpectabant auditum, &* (attende) *in acta publica relatum, nulla oblivione deleri poterit*. Id ſane gravius, quam: *Creditum fuit*. Ad hæc Joannes Veter idem refert his verbis: *Cum hujus ſcelerati hominis* (de Beza loquitur), *armatique concionatoris, & deformis reformatoris ſuaſu, & cohortatione vir ſanguinarius Poltrotius Illuſtriſſimum illum Ducem Guiſium in Aureliæ obſidione tormenti globulo perfidioſe intеremiſſet .... Beza hujus cruentæ mortis dux, & particeps, Genevam, ſicariorum omnium, atque latronum refugium, ſe recepit*. Subdit Saintes, meditatum fuiſſe conjurare contra vitam Pontificis, & Nobilium, aſſerendo contra Dei voluntatem eſſe, prętеr unum Regem, alios gradus, & ordines in Orbe terrarum haberi, ubi Deus æquales omnes fecerat. Videatur etiam Stanislaus Hoſius *de adoranda Trinitate pag. 326*. Hæc pia, & miranda indoles hujus inſignis *Dei famuli*. Ad juſtificandum Bezam ais, *juſſu Reginæ Galliarum vocatum fuiſſe ad Colloquium Pictavienſe*. Verum adde, hanc Principiſſam nimiam conniventiam tenuiſſe cum Beza, aliiſque ſeditioſis. Subdis: *Ibi nemo ex ſuis æmulis ipſum inceſſit ut ſanguinarium, & ſeditioſum*. Quid porro ex his? Colloquium Pictavienſe duobus annis ante cruentam necem Ducis Guiſę habitum eſt, nam hoc coactum eſt *ann. 1561.*, ille occiſus eſt *ann. 1563*. Quid mirum, neminem tum *Sanguinarium* illum imputaſſe? Velles confundendo tempora fucum facere mendaciis tuis, ſed non obtines. Ecce elogium Theodori Bezę, & verum. Tuo hoc appone, atque inde colloquemur.

§. IV.

§. IV.

Punire Hæreticos non contrariatur Chriſtianæ Charitati.

9. RAtus, te nequaquam poſſe recto tramite tuum *Dei famulum* Bezam tueri, obliquum calumniæ iter, obvium tibi, ac tritum aggrederis *pag.* 492., his verbis: *Baliſtis igneis, & gladio Religionem promovere, character eſt viſibilis recentioris Jeſuitarum Evangelii.* Quomodo probas? Scilicet, quod eorum charitas, potius quam eos moveat *ad vitam in bonum proximi perdendam*, compellit, *proximorum, quos hæreticos putant, vitam perdere. Hæreticus comburatur, ſententia eſt Panigarolæ.* Falleris. Sententia eſt Thomę Hobbes Proteſtantis, qui in Appendice *ad Leviathan pag.* 354. abſolute decernit: *Hæreſis eſt doctrina contra fidem Catholicam, vindicanda igne.* Non inficior hæreticos, non qui dicuntur, ſed qui revera tales ſunt, eſſe morte plectendos; tum etiam pertinaces hęreticos, non autem pœnitentes, flammis jure damnandos. Dura ne iſta ſententia, an mollis? Calvini aſſenſu Genevę Servetus flammis combuſtus fuit, quod oſtenſum eſt ſupra *Cap.* 3. §. 5. *nu.* 18.; nec acta agere debeo. Profecto ſi hæretici impęnitentes, & pertinaces, a Catholicis comburuntur; Catholici negantes ſubſcribere hæreticorum errores a Proteſtantibus morti traduntur: quod item probatum eſt. Quoniam vero ab incœpto deflectis, greſſibus inſiſtam tuis. Aſpero ſupercilio petis a P. Panigarola: *Quid eſt hęreſis? Quid eſt hęreticus? Hęreticum dicere qui Eccleſię Romanę non conſentit?* Hac vice tandem ex incauto ore tuo peregrina veritas reſilivit: *Ad hanc enim Eccleſiam* (ſic Irenęus in ſecundo ſeculo *Lib.* 3. *cont. hęreſ. cap.* 3.) *propter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quę eſt ab Apoſtolis traditio.* Angeris dici *hęreticum qui ad Scripturas appellat, & eas in ore aſſidue verſat.* Quis porro hęreticus in ore ſemper Scripturas non detulit, & in favorem ſuum non allegavit? Ariani, & Pelagiani non aliam, præter Scripturas, rationem admittebant: & tamen, qua tu, hęretici erant. Audi D. Hieronymum (*adverſ. Luciferianos*): *In illa eſſe Eccleſia permanendum, quę ab Apoſtolis fundata, uſque ad diem hanc durat. Sicubi audiatis eos, qui dicuntur Chriſti, non a Domino Jeſu Chriſto, ſed a quoppiam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſive Campates, ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam.... Nec ſibi blandiantur, ſi de Scripturarum capitulis* (attende) *videntur ſibi affirmare quod dicunt, cum & Diabolus de Scripturis aliqua ſit loquutus, & Scripturę non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo.* Angeris item dici *hęreticum negantem traditiones.* Sanctus Irenæus (*Lib.* 3. *contra hęreſ. cap.* 2.) hæreticos ęque illos habebat qui traditiones negabant, quam qui Scripturas. Traditionum negatio, una pręcipua ſemper fuit omnium hęreſum ratio. Mendacium quidem putidiſſimum, execrandum eſt, nos habere tanquam *hęreticos laudantes ſanguinem Chriſti, & miſericordiam Dei.* Non qui *commendat ſanguinem Chriſti*, ſed qui vituperat meritum operum, liberum arbitrium in homine, efficaciam Sacramentorum, *hęreticus* eſt nequiſſimus. Non *hęreticus qui non habet fundamenta Theologię Scholaſticę*, juxta inſanam perfidiam tuam, ſed qui Religionis fundamenta evertit. Fœtet ſane mali Catholici, *qui ſe torquet ſemel audiat bene loqui de majeſtate Romanę Eccleſię, & Sedis Apoſtolicę.* Qui autem ipſi quam debet obedientiam negat, qui eam vocat adulteram, meretricem Babylonicam, eamque inceſſit cum ceteris ſuę communionis Eccleſiis apoſtataſſe a Chriſto, & a vera fide, hic certum, & notorium habet hæreſis characterem, juxta D. Irenæum, D. Cyprianum,

Firmilianum, D. Auguſtinum, & Meletium. Nec refert me hìc tempus ultra terere in recenſendis technis, & nugis tuis, quibus ſcatent tuæ paginæ, contagione depravantes miſeros ſectatores tuos.

10. Ergo incipis *pag.* 493. ſic: *Hęreticus eſt qui captus errore fundamentali in doctrina fidei, cum errore pertinaciam jungit. Sic hęretici Ariani, qui divinitatem Chriſti negabant; Cerdoniani, Manichęi hęretici, qui duos fingebant Deos, bonum unum, alterum malum; hęretici Macedoniani, qui Spiritus Sancti divinitatem negabant.* At Calviniſtæ, Lutherani, Zuingliani, & tot fruſta ex fruſtis majoribus diſciſſa, quid hi ſunt? Statim indicas: *Hęretici illi ſunt, qui doctrinam habent oppoſitam doctrinę Apoſtolorum. Hoc ex Tertulliano de Pręſcript. cap.* 32. Proteſtantes, qui ſuadere vellent doctrinam habere non oppoſitam doctrinę Apoſtolorum, reſpondeant quęſo his Tertulliani verbis: *Si quę* (Eccleſię) *audent interſerere ſe ętate Apoſtolorum, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditę, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordines Epiſcoporum ſuorum.* Si Proteſtantes audent ſe interſerere ętate Apoſtolorum, vel eorum qui ab Apoſtolis originem traxerunt, & ſuam doctrinam aſſerunt illam eſſe, quam Apoſtoli docebant; edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordines Epiſcoporum ſuorum, ſic, quod horum primus auctorem habuerit, aut quempiam ex Apoſtolis, aut ex Apoſtolicis viris, quemadmodum a me actum fuit recenſendo ſucceſſionem Epiſcoporum Romanę Eccleſię. Quod ſi non edant, dicam eorum doctrinam oppoſitam eſſe doctrinę Apoſtolorum, & hęreticos eos denuntiabo, qui ex tuo dicto: *Cum convincuntur extra Scripturas, Scripturas accuſant. Quod aſſerit Iren. Lib.* 2. *adverſ. hęreſ. cap.* 2. Proteſtantes ſi urgeantur ex textu aliquo Scripturę, ſolent ſtatim librum apocryphum accuſare, & extra Scripturas nulla divina auctoritate munitum; *quaſi non recte habeant, nec ſint ex auctoritate.* Ita nimirum de libris Machabæorum, & aliis. Hæretici igitur ſunt, nec juvat ad eos tuendos quod ſubdis: *Manifeſta apoſtaſia eſt a fide, & ſuperbię crimen, reprobare quidquam ex eo quod ſcriptum eſt, vel addere quidquam, quod ſcriptum non eſt, dicente Domino Jeſu Chriſto: Oves meę vocem meam audiunt (Joan.* 10. 27.). *Id ex S. Baſilio in oratione de fide.* Silentio præterire non debebas quod ſequitur, ſcilicet quod D. Paulus *Vehementiſſime interdicit, ne quid eorum, quę in divinis litteris habentur, dematur, aut, quod abſit, addatur.* Proteſtantes addunt & demunt his quę ſcripta ſunt. D. Paulus (*ad Galat.* 2. 16.) ait, quod *homo juſtificatur per fidem*; & Proteſtantium Biblia id retulerunt uſque ad *ann.* 1590. Poſt vero, Lutheri exemplo, pene in omnibus addiderunt verbum *ſolam*, ut D. Paulum dicentem faciant: *Homo juſtificatur per ſolam fidem.* Scriptura dicit: *Non facietis Idola*; & plurima Biblia, pręſertim Ugonottica, dempſerunt *Idoli* nomen, & ſubrogarunt illud *Iconis.* Sic alios textus variant, prætextu habere illos emendatiora originalia. Ergo, juxta D. Baſilium, hæc eſt manifeſta apoſtaſia a fide, & crimen ſuperbiæ. Fateris, *omnes inſanos hæreticos tentare fucum facere audacibus commentis ſuis Evangelica ſententia, in qua Dominus ait: Multa adhuc habeo vobis dicere, quę non poteſtis portare modo. Id eſt ex D. Auguſtino tractat.* 97. *in Joannem.* Si S. Doctor de Novatoribus loquatur, qui in prælaudatum textum in Eccleſiam nova tentant introducere, nonne idem eſt Proteſtantium petere jugulum? Jam oſtenſum an novitates ament. Fateris iterum, *Luciferianos, & Donatiſtas ſolos ſe eſſe Chriſtianos dicere conſueviſſe, & audebant non Chriſtianos dicere quotquot erant extra eorum ſectam. Idque pariter eſt D. Auguſtini Lib.* 1. *cont. Parmen. cap.* 2., *& Epiſt.* 50., *Epiſt.* 166. Donatiſtæ dicebant veram Eccleſiam apoſtataſſe, & veram

Ec-

Eccleſiam inter ipſos tantum ſtetiſſe; & id pariter dicunt Proteſtantes. Illi *non Chriſtianos* vocabant eos qui in ſuis partibus non erant; & Proteſtantes Romanis Catholicis tribuunt *Idololatræ* nomen, quod tu ipſe, benigne Picenine, in qualibet fere pagina tuæ Apologiæ, vel melius rabidæ & *invectivæ* orationis, nobis imponis. Ipſiſſima argumenta D. Auguſtini contra Donatiſtas te oppugnare, & vincere jam ſupra oſtendi. Hic exactæ comparationis finis. Patet igitur præclariſſime qui ſint hæretici.

11. *Hæreticum* te jam deprehendi ſentiens, merita territus pœna exclamas: *Hęreticus comburatur? Dura profecto ſententia! Quę manſuetudo! Quæ Charitas! Nova & inaudita eſt prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Religio cogi non poteſt.* Sic pro cauſa tua Lactantium introducis *Lib. 5. divin. Inſt. cap.* 20. At peto quibus loquebatur Lactantius? Cum Catholicis ne, qui verberibus, & tormentis cogerent hæreticos ſervare Chriſto fidem illam, quam Sacramento Baptiſmi juratam, hæreſi polluebant? Minime Catholicos, nec hæreticos alloquitur, ſed Paganos, qui vice ſuadendi Chriſtianis eorum legem rationibus, eos verberibus cogebant; hinc ajebat: *Sicut in ipſa Religione, ſic in defenſionis genere falluntur. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, ſed polluetur, & violabitur. Nihil enim eſt tam voluntarium, quam religio.* Semel tamen jurata, & profeſſa, cur deſertores puniri non debent? Violentia ne infertur militi, ſi dato nomine militiam deſerens puniatur? Eccleſia non conſtringit eos qui Chriſto nomen non dederunt. Dolet equidem de tot infidelibus Mahometanis, Hebræis, & Paganis in ſuis erroribus perditis, quos vellet ſuos facere. Mittit præcones ſuos, quorum voce in eorum aures veritas inſonet; quam tamen ſi audire renuant, non eos cogit. Hæreticos autem, baptiſmo filios, hæreſi rebelles, jus habet compellendi ad fidem, quam ſuſceperunt; qui ſi amore allici renuant, terroribus, & pœnis vincantur: *Ad officium hæreticos* (Tertullianus *adverſus Gnoſticos cap.* 11.) *compelli, non allici dignum eſt: duritia vincenda eſt, non ſuadenda hæreſis.* Ex reprehenſione facta Joſaphat, quod auxilium præſtitiſſet Achab, infert Panigarola hęretico favorem non eſſe præſtandum; cui tu *pag.* 444. reſpondes, *hoc ad hæreticos minime pertinere, qui theoretica dumtaxat errant.* O commentum nobile? Achab fidelis natus erat, inde defecerat; nonne id hæreticus facit? *Achab* (ais) *ad Idola defecerat; hęreticus autem non eſt Idololatra.* Quemadmodum tamen Achab impius fuit, ſic & hæreticus; immo magis, quia Achab fidem polluit externo actu, hæreticus autem pravo actui externo jungit perverſam doctrinam, ideſt praxim ſpeculativę, quamobrem actu externo polluit fidem, & falſi dogmatis inſinuatione fidem radicitus divellere conatur. Hinc ſi Joſaphat reprehenſus fuit (2. *Paralip.* 19. 2.): *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris;* gravius meretur reprehendi, qui hæretico, in hæreſi pertinaci, favorem præſtat. Panigarolam iterum carpis, monentem, *hæreticum illico tribunali Sanctæ Eccleſię eſſe denuntiandum*, & dictum Chriſti opponis (*Matth.* 18. 15.): *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*; & ſubdis: *D. Franciſcus fratrem ſuum appellat lupum, & iſte Franciſcanus renuit fratrem appellare hæreticum.* Inepte ſemper erroribus errorem confirmas. D. Franciſcus lupum conſiderabat Dei creaturam; quamobrem ad eum laudandum, quemadmodum David creaturas omnes, vocabat. E contra *Franciſcanus renuit fratrem appellare hæreticum*, quia frater non eſt, qui membrum Chriſti capitis eſſe negat, in quo omnes *fratres* ſumus. Quomodo *frater* dici poteſt, qui a nobis ſe diviſit, nec Eccleſiam *matrem* habere vult? Franciſcanus obſervat præceptum

ptum Chriſti (*Matth.* 18. 18.): *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Præterquamquod bene habet Panigarola, *ſecretam* ſcilicet *correctionem locum habere in privatis offenſis: Si peccaverit in te, quomodo ait Chriſtus.* Hæreſis autem non unius privati offenſio eſt, ſed totius Eccleſiæ, & ejus corporis, in quod directe peccat. Hinc bene ponitur: *Dic Eccleſię.* Tandem tibi non placet, Panigarolam pro *Eccleſia* intellexiſſe *Sanctos Inquiſitores ſuos, ad quos* muſſitas *Chriſtum non cogitaſſe. Cogitabat* tamen *Chriſtus Eccleſiæ* ſuæ conferre auctoritatem judicandi in cauſis Religionis, quodque in Eccleſia ſua, ſicut in Judaica, Judex in his cauſis haberetur. Sit autem Judex Inquiſitor, Epiſcopus, vel Concilium, parum intereſt, dummodo extet, ſicut revera extat, & extare debet; quoniam ab uno horum, vel altero, hęretici ſemper judicati fuerunt. Demum, ſi ex opinione tua nemo ad Religionem cogi poteſt, male ſe geſſerunt veteres Patres, cogentes veteres hæreticos abjurare errores ſuos, & eos puniendo pertinaces. Male ſe geſſit Calvinus, & Genevę Magiſtratus, damnando flammis Servetum, & relegando Ochinum; ſicut Calvinianum Dordracenſe Conciliabulum male ſe geſſit, cogendo terrore mortis Arminianos.

12. Inſiſtis tamen hæreticos nonniſi benignitate eſſe captandos. Hinc *pag.* 494. quanquam Panigarola aſſerat D. Auguſtinum ſenſiſſe gladio Principum hæreticos eſſe & coercendos, & puniendos, hunc tanti Doctoris mentem aſſecutum non eſſe contendis, *quia Divus Auguſtinus eo loci non loquitur de hæreticis errore tantum doctrinę laborantibus, ſed de improbis, latronibus, & homicidis. Iſtiuſmodi erant Donatiſtarum Circumcelliones, mortem percontantes, & occidentes eos, a quibus non obtinebant occidi. At Dei gratia hujuſmodi non ſunt qui abſque miſericordia a Panigarola damnantur ad flammas.* Hęretici de quibus Panigarola tractat, quod non ſint ſicut *Circumcelliones* percontantes mortem, certiſſimum eſt. Quod tamen neces, & ſtrages a Circumcellionibus commiſſas, nec commiſerint, nec commiſſuri eſſent, falſiſſimum eſt, ut ſupra jam attigi, & teſtes ſunt Gallię, Anglia, necnon illorum temporum hiſtoriæ. D. autem Auguſtinum ibi de ſolis *Circumcellionibus* locutum, non de ceteris hæreticis, profecto tu male S. Doctorem lectitaſti, & peſſime intellexiſti. Lege iterum attente *Epiſtol.* 48. *ad Vincentium*, ubi Auguſtinus, probata utilitate obtenta vincendo Donatiſtas terrore pœnarum ad veram fidem, & quod Deus plurimos etiam hoc medio ad frugem bonam compulit, via clementię minime reverſuros, quędam etiam ibi tangit de Circumcellionibus, quorum plurimi in Catholicam ſe receperant. Poſtea loquens de ceteris mitioribus Donatiſtis, his phraſibus utitur: *Quid illud alterum genus morbi graviſſimi eorum, qui turbulentam quidem audaciam non habebant, ſed quadam vetuſta ſocordia premebantur, dicentes nobis: Verum quidem dicitis, non eſt quod reſpondeamus; ſed durum eſt nobis traditionem parentum relinquere. Nonne ſalubriter regula temporalis moleſtia excutiendi erant, ut tanquam de ſomno lethargico emergerent, & in ſalutem unitatis evigilarent? Quam multi ex ipſis nunc nobiſcum gaudentes, priſtinum pondus pernicioſi ſui operis accuſant? &c. At enim quibuſdam iſta non proſunt. Nunquid ideo negligenda eſt medicina, quia nonnullorum inſanabilis eſt peſtilentia? &c.* Quibus patet Auguſtinum ſenſiſſe non ſolos Circumcelliones pęnis & terroribus concutiendos, turbantes inſania ſua civitatis pacem; ſed etiam illos Donatiſtas, qui in ſuis erroribus pacifici continebantur, tantum parentum Religionem recuſantes dimittere. Quod perſpicue commendat factum Ludovici XIV. adverſus Ugonottas Gallię, de quibus cum Auguſtino dici po-

poteſt: Quam multi ex ipſis nunc nobiſcum gaudentes, priſtinum pondus perniciosi ſui operis accuſant, & fatentur ſalubriter temporali moleſtia excuſſos fuiſſe, ut tanquam de ſomno lethargico emergerent, & in ſalutem unitatis evigilarent? Immo Auguſtinus acerbior apparet, quam ipſa Romana Eccleſia. Punit iſtæ quos ex Catholicis fiunt hæretici; ſed qui in hæreſi nati, reverti ab errore detrectant, hos non cogit; immo fert inter Catholicos vivere, quin etiam Romę verſari, debita cautela: & dummodo non audeant errorem diſſeminare, diſſimulat, & tacet; cum Auguſtinus e contra eos etiam qui nihil audentes, ſola erroris ſui ſocordia premuntur, parentum traditioni hærentes, judicat vi, & rigore eſſe excutiendos.

13. Si Epiſtolam 50. revolvamus *ad Bonifacium Comitem*, legimus ibi S. Doctorem juſtitiam pœnalium legum ſuadere adverſus hęreticos, & debitum Principum eas condendi, ſicut ſubditorum obſequendi. Quoniam vero inſuſurrabant, *veram Eccleſiam non illam eſſe, quæ perſecutiones parat, ſed quæ illas patitur*, ut tu pariter Picenine muſſitas; S. Doctor reſpondet, eſſe probandum, quod qui perſecutionem patitur, eam patiatur propter juſtitiam, & qui eam infligit, propter injuſtitiam infligat; quod ſi qui patitur ad veram pertineat Eccleſiam, quid de Cæciliano dicendum, a Donatiſtis tot perſecutionibus vexato? Legatur tota Epiſtola, qua plene reſolvuntur quę a Proteſtantibus congeruntur. Poſtquam de Circumcellionibus ſermonem habuit, deſcendens ad ceteros Donatiſtas, qui in errore detinebantur, quia in illis regionibus verſabantur quas error invaſerat, ait: *Quid de illis dicamus, qui nobis quotidie confitentur, quod jam olim volebant eſſe Catholici, ſed inter eos habitabant, inter eos, quos id quod volebant eſſe, non poterant per infirmitatem timoris; ubi ſi unum verbum pro Catholica dicerent, & ipſi, & domus eorum funditus everterentur?* Poteſt ne preſſius loqui? Et nihilominus reſpondet: *Quis eſt tam demens, qui neget iſtis debuiſſe per juſta Imperialia ſubveniri, ut de tanto eruerentur malo, dum illi, quos timebant, timere coguntur, & eodem timore aut etiam ipſi corriguntur, aut certe cum ſe correctos eſſe confingunt, correctis parcunt, a quibus antea timebantur?* Opponentibus Apoſtolos non ita ſe geſſiſſe, reſpondet: *Non conſiderant, aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi*. Tunc Imperatores Chriſtum oderant, nunc adorant; & variis exemplis probat, Reges, niſi alia eis ſuppetat via, vi uti debere, cum abſurdum videatur, quod adulteri debeant puniri, ſacrilegi vero debeant permitti. Memoratis autem his, qui dicunt liberam debere eſſe fidem, nec Chriſtum quemquam coegiſſe, quod & tu Picenine garris, ſubdit: *Ubi eſt quod iſti clamare conſueverunt, liberum eſt credere? Cui vim intulit Chriſtus, quem coegit?* exemplum Chriſti inducit, qui ceteris Apoſtolis voce vocatis, minis inde, & terroribus Saulum vocavit; deinde concludit: *Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, ut redirent, ſi perditi filii coegerunt alios, ut perirent? quamvis etiam illos, quos non coegerunt, ſed tantummodo ſeduxerunt, ſi per terribiles, ſed ſalubres leges in ejus gremio revocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multo amplius, quam de his, quos nunquam perdiderat gratulatur*. Ex hactenus dictis, & his quę ſequuntur, jam probata, & explicata manet diſciplina Eccleſiæ Catholicæ Romanę erga hæreticos mitior ea ſane, quæ olim vigebat adverſos hæreticos.

14. Gloſſam hic introducis *pag.* 405., advertens D. Auguſtinum aſſerere, *a Concilio Africano ſe obtinuiſſe, ut per Legatos ad Imperatores miſſos ageretur, quod lex Theodoſii lata contra hæreticos de pena decem librarum auri, quas Epiſcopi hęretici tenebantur ſolvere, confirmaretur expreſſe magis contra Donatiſtas, nec vero contra omnes.*

mnes, ſed eos tantum, qui vim faciebant Eccleſię Catholicę. Sed more tuo hìc ſtetiſti, non ultra legens, quod Auguſtinus relata opinione ſua, ſubdit contrariam fuiſſe aliorum Epiſcoporum, gravioris ętatis, ſententiam, qui inſtructi erant exemplis aliarum Urbium, in quibus *per piorum Imperatorum legem, ad communionem homines Catholicam cogerentur*; & inſuper: *Sed Dei major miſericordia, qui ſciret, harum legum terror, & quędam medicinalis moleſtia, quam multorum eſſet pravis, vel frigidis animis neceſſaria, & illi duritię, quę verbis emendari non poteſt, ſed tamen aliquantula ſeveritate diſciplinę poteſt, id egit, ut legati noſtri, quod ſuſceperant, obtinere non poſſent.* Auguſtinus igitur *Dei miſericordiam*, & Eccleſiæ Charitatem vocat, quod tu phraſibus tuis vocas *crudelitatem*, *lanienam*, *barbariem*. Optarem Proteſtantes legerent has duas Auguſtini Epiſtolas, quia tum forte non conquererentur Principum Catholicorum, nec Eccleſię legum contra ipſos, cum viderent eas ab antiqua Eccleſia uſu receptas, & ab Auguſtino comprobatas aſperiori diſciplina, quam nunc exerceantur.

§. V.

De Hęreticorum Libris, & Inquiſitione.

25. Vult Panigarola hæreticorum libros comburi, textumque affert Actuum Apoſtolorum (*cap.* 19. 19.): *Multi autem ex eis, qui erant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt.* Petis *pag.* 495. *Libri illi curioſi, quid continebant? Libri erant incantationum, magię, ſortilegiorum, Diabolicę artis pleni, quibus utebantur ad divinationes, & expellendos Dęmones, ut ſeptem filii Scevę faciebant verſ.* 14. *Quid porro hi cum hęreticorum libris?* Primum animadverto te, tuę memorię pręſidendo, vel non legere, vel non intelligere Scripturam; quamobrem unum cum alio facto miſces. Scriptura (*Act.* 19. 13.) habet, quoſdam Judæos exorciſtas tentaſſe invocare nomen Domini Jeſu ſuper obſeſſos, *dicentes. Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevę principis Sacerdotum, qui hoc faciebant.* Velle excutere Dęmonem invocatione nominis Jeſu, videtur ne tibi incantatio, & necromantia? Hìc ubi *libri?* Diabolus in eos invaluit, & vulneravit, non ob necromantiam, ſed quod munus ſibi uſurpabant, quo digni non erant. Hoc primum factum, in quo nulla *librorum* mentio. Alterum autem illud eſt a Panigarola relatum, videlicet: Multi ex credentibus, *qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Unde Picenine habes, hos libros fuiſſe necromantiæ, & incantationum, quin potius vanitatum Gentilium, hariolorum, & ſortium? Fuerint autem necromantici libri, & ſuperſtitioſi; boni illi fideles hos combuſſerunt, & bene ſe geſſerunt: cur autem nunc iniquum erit hęreticorum libros comburere, qui gravius nocent? Combuſtis Epheſi illis libris, refert S. Lucas (*Act.* 19. 20.) quod: *Fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur.* Combuſtis a Catholicis pernicioſis hæreticorum libris, fortiter creſcet puritas Evangelii, & confirmabitur. E contra iſtis retentis, valde timendum erit ne decreſcat puritas veræ fidei. Merces ex infecta regione delatę, optimo conſilio comburuntur, ne uſu, & contactu Urbes contaminent. Libri Lutheri, Calvini, aliorumque clarculum introducti, & a Catholicis contrectati, quorundam mentem & corda corruperunt. Eccleſia igitur, juſta, & gravi ratione, eos comburit, & merito. Sic Apoſtolorum ætate cœpit fieri. Audiatur Origenes (*Homil.* 9. *ſuper Numeros*): *Si apud homines hodie judicaretur hęc cauſa, & apud Eccleſiarum Principes haberetur examen de his (verbi cauſa) qui diverſa ab Eccleſiis docentes; divinę vindictę pertulerunt ultionem, nonne judicarent,*

ut ſi quid locuti ſunt, ſi quid docuerunt, ſi quid etiam ſcriptum reliquerunt (attende) *univerſa pariter cum ipſorum cineribus deperirent*. Non igitur *lex eſt nova, & barbara Eccleſię Romana*, ut muſſitando muſſitas, ſed lex eſt vetuſtiſſima, libros hæreticorum comburi. Conſtantinus I. Imperator Chriſtianus juſſit illos Arianorum comburi, ſub pœna capitis clam retinentibus: *Si qua conſcriptio ab Ario facta reperitur, igni tradatur, ut non ſolum prava ejus doctrina depereat, ſed neque ulla ejus poſſint remanere commenta. Hoc etiam præcipio: Si quis conſcriptiones Arii celaſſe comperitur, & non repente proferens, igne conſumpſerit, mortis ſupplicio ſubjacebit* (*Socrat. hiſt. lib. 1. cap. 6., Sozom. hiſt. lib. 1. cap. 20.*). Valentinianus, & Martianus idem ordinarunt de libris Eutychetis, & Apollinaris: *Omnes vero hujuſmodi chardi, charta, ac libri, qui funeſtum Eutychetis, & Apollinaris complexi fuerunt dogma, incendio concrementur, ut facinoroſa perverſitatis veſtigia flammis combuſta .... pereant* (*L. Quicunque C. de Hæreticis*). Idem etiam juſſerunt Theodoſius, & Valentinianus (*L. Damnato C. eod. tit.*). Quid igitur fremis, ſi poſt tot vetuſta, & præclara exempla, Panigarola memorat *comburendos eſſe Libros Lutheri, & Calvini?* Lepidum ſane reſponſum adhibes *pag. 495. Si Libri hæreticorum cremantur, quod ſint pernicioſi, eadem ratione comburenda erunt Sacra Biblia, quando vernacula lingua edita ſint. Iſta pariter offenſionem faciunt Fratri*. Aſſuevimus jam inſanos ſermones tuos audire. Libri hæreticorum comburendi, non quod Catholici his male abutantur falſa interpretatione eorum, quæ vera in ipſis contineantur; ſed quod revera falſa pernicioſa dogmata læſiva puritatis Evangelii & fidei continent: in ſumma, quia ſunt libri reapſe impii, & ſacrilegi. Scriptura fideliter tranſlata, vel latina, vel vernacula quaqua lingua, ſemper continet idem ſanctum verbum Dei, & regulam noſtræ fidei, & Chriſtianæ vitæ. In *lingua vernacula* prohibetur, non quod reapſe noceat ejus lectio, ſed ne ex ejus ſiniſtra lectione, & interpretatione, vel interpolata traductione, nulla Eccleſiæ auctoritate, & approbatione edita, idiotæ erroris anſam ſumant, eam ex ignorantia intelligentes pravo Calviniſtarum, & Lutheranorum ſenſu, ab illo Spiritus Sancti alieno, myſtice accipientes quæ litteralia, & litteraliter quæ myſtica ſunt; neve tandem ex medicina venenum, e veritate error, ut tu frequentiſſime facis, perverſe adſtruatur. Ars medicinæ optima eſt; nec propterea ab omnibus exercenda: *Non potiſt error oriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de Scripturis non intellectis*, aiebat D. Auguſtinus (*Lib. 83. quæſt. qu. 60.*) in propoſitum Arianorum; & D. Hieronymus (*de ſtudio divinę Scripturæ ad Paulinum*), oſtendens nullam artem exerceri, niſi prius ſtudio, & diſciplina acquiratur: *Quod medicorum eſt tractant medici, tractant fabrilia fabri.* (Sequitur) *Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant .... Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi pręſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alii adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de Sacris Libris philoſophantur. Alii diſcunt (proh pudor!) a fœminis, quod viros doceant: & ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, immo audacia, ediſſerunt aliis, quod ipſi non intelligunt .... Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur quid Prophetę, quid Apoſtoli ſenſerint. Sed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem.* Hęc abſurda ętate Hieronymi, prodibant ex incondita lectione, & ad manus omnium Scripturarum facilitate. Legatur Alphonſus a Caſtro (*de juſta Hæret. punit. Lib. 3. cap. 6.*). Piceninum modo pa-

patienter audiamus: *Dico tandem quę Chriſtiani Gentilibus exprobrabant. Cur libri noſtri meriti ſunt flammis concremari? Ah Franciſce, comburere Libros Sacros Paganiſmum nimium ſapit. Noſtri de tuis conqueruntur, quemadmodum olim de Paganis. Nos* (ajebat Euſebius *lib. 8. hiſt. cap. 2.*) *noſtris oculis vidimus ſacros libros delatos, & in medio foro combuſtos.* Præclarum ſane paradigma, inter Sacras Scripturas, & Lutheri & Calvini libros; illæ ſacræ, hi ſacrilegi; illæ verbum Dei, iſti verba deſertorum Eccleſiæ, & Dei. Quę conventio Dei ad Belial, lucis ad tenebras? Qua juſtæ veterum Chriſtianorum querelæ, tam iniquę ſunt garrulæ ineptiæ tuæ. Nos potius de Luthero conqueri non immerito poſſumus, qui medio foro Witembergenſi furore inſano combuſſit Sacros Canones, & revera dicere: *Sacros libros in medio foro concremari oculis noſtris vidimus.* Id plane eſt Catholicorum libris facere, quod libris Chriſtianorum faciebant Gentiles. Falſum porro nos hæreticorum libros univerſim comburere, quos immo ſervamus, ad eos oppugnandos. Liber tuus Picenine, quamvis emporium ſit mendaciorum, calumniarum, & falſitatum, poſitus ad ſeducendam Italiam, atque ideo flammis dignus voraciſſimis, hactenus merito igni damnatus non fuit, immo nec univerſim ejus lectio prohibita. Hæreticorum libri nec omnibus concedendi, nec omnibus prohibendi, ſed permittendi his, qui idonei ſunt eos ad trutinam revocare; & noſtra hæc cautela a vetuſtate, & a Cælo comprobatur, facto quod refert Euſebius (*Lib. 7. hiſt. cap. 7.*) qui ex ore Dionyſii Alexandrini hæc narrat: *Ego vero in libris, & traditionibus hęreticorum cognoſcendis operam poſui; execrandis quidem illorum ſententiis animum meum tantiſper coinquinans, hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis, quam antea deteſtarer. Et cum frater quidam ex Presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitię illorum cœno commiſcerer: quippe animum meum contaminatum iri ajebat, & quidem veriſſime, ut ipſemet ſentiebam; e viſione Cęlitus miſſa confirmatus ſum. Et vox ad aures meas perlata diſerte mihi pręcepit hoc modo: Lege omnia quęcunque in manus venerint; idoneus es, qui ſingula diſquiras, & examines.* En ratio cui innititur Catholica Eccleſia in prohibendis hæreticorum libris, eos permittendo illis dumtaxat, de quibus ex Dei gratia non timetur infectionis periculum.

17. Petis *pag. 496. quale Tribunal ſit illud Inquiſitionis?* Tribunal eſt juſtum non minus, ac pium, quod recipit, abſolvit, & liberum dimittit quempiam ſponte deponentem commiſſa ſua, quanquam graviſſima, nec punit niſi eos, qui ſua pertinacia volunt puniri. Tribunal eſt Civitates, & Provincias intactas ſervans, & brachium eſt dexterum politici regiminis; Principum incolumitatem fovet, dum terrenæ poteſtatis reverentia & honor intenditur, ubi vera fides, & Dei religio cuſtoditur. Non immerito igitur Panigarola illud appellat *utiliſſimum Eccleſię, & putat male ſibi conſulere Provincias, quę illud habere nolunt.* Ejus ope Hiſpaniæ liberæ ſunt a Mahometiſmo, Hebraiſmo, Calviniſmo, Lutheraniſmo. Hoc medio Italia immunis eſt ab erroribus: de quo legatur Florimundus Remundus *de ortu, & progreſſu, & ruina hæreſ. p.2. lib.5. cap. 6. num.3. & cap. 4. num. 2.* Verbis plurimis ineptiſſimis multum hìc blateras, moleſtum quippe nimis tibi hoc Tribunal; quibus reſpondeo pauciſſimis, quanquam hoc etiam honore indigna ſint: Veteri Teſtamento Moyſes Inquiſitor fuit, quando Idololatriam contrivit; Prophetæ & Reges ipſi Inquiſitores fuerunt adverſus abominationes Iſraelis. Hoc tibi ſatis ſuperque ſit.

18. Veriſſimum autem eſt D. Dominicum *ann. 1216.*, non 1206., ab Innocentio III. Pontifice miſſum fuiſſe Inquiſitoris munere ad inquirenda, &

& extirpanda in Galliis zizania hęreſis Albigenſis. Hoc munus a Deo Jeremiæ pariter collatum fuit, dum eum conſtituit: *Super gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, ut diſperdas, et diſſipes, ut ædifices, et plantes* (*Jerem.* 1. 11.). Judicis partes non aſſumpſit Dominicus, niſi adverſus eos, qui quaſi Donatiſtarum Circumcelliones furebant, nec Apoſtolico munere vinci permittebant; prędicando, docendo, monendo, obſecrando errores dimittere: quo medio centum millia, & amplius, ad veram fidem revocavit. Qui autem benignitatem, & clementiam ſpreverunt, ſi juſtitiæ rigorem experti ſint, cui culpa tribuenda? Mentiris tamen cum tuo Conſalvio, proferens delatores ipſos factos eſſe Judices, & Carnifices. Unde habes? Unde probas? Judices in hoc Tribunali ſoli ſemper fuerunt a Sede Apoſtolica legitima auctoritate delegati. Hujus rectitudine, nedum Fridericus II., ſed plurimi alii Principes moti fuerunt ipſum protegere, & tueri. Nedum Innocentius IV., ſed ante ipſum Gregorius IX. illud ſtatuit, & omnes Pontifices ſucceſſores gratiis & privilegiis illud promoverunt, & ampliarunt. Conſulto pręterea hic plura puta mendacia, a te congeſta adverſus Inquiſitionem, cum ſuperfluum omnino ſit velle ea diluere, quæ ſponte ſua difluunt & evaneſcunt cum vituperio Auctoris; qui audes uſque falſo citare D. Thomam *p. part. qu.* 1. *ar.* 4. *et* 10., præſumens nos falſitates tuas non deprehendere.

19. Mendacem Panigarolam dicis, aſſerentem *Hæreticos Angliæ, & alibi, habere ſuos pſeudoinquiſitores*. Inter Proteſtantes utique ſunt Inquiſitores, explorantes inſtituta Religionis. Calvinus primus Inquiſitoris partes geſſit contra Servetum, ut oſtendi, & tot ex ejus ſchola prodiere inexorabiles Minoes, pœnis ſævientes adverſus ſuarum partium extraneos, quod Grotius (*diſcuſſ. Rivet. Apologetici*) hæc habet: *Pertinet ad iſta tempora locus illuſtris in oratione dicta in honorem Theodoſii Magni, qui & aliis, & Calvino aptari recte poteſt. Fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus Antiſtites, revera autem ſatellites, atque adeo carnifices, non contenti avitis evolviſſe patrimoniis, calumniabantur in ſanguinem, & vitas premebant reorum jam pauperum. Quin etiam, cum judiciis capitalibus adſtitiſſent, cum gemitus & tormenta miſerorum auribus, ac luminibus hauſiſſent, cum lictorum arma, cum damnatorum fræna tractaſſent, pollutas pœnali manus contactu, ad ſacra referebant, & cæremonias, quas inceſtaverunt mentibus, etiam corporibus inquinabant. Tales Antiſtites ex Calvini diſciplina viderunt & Rhæti, non contentos quæſtioni intereſſe innocentium, niſi ipſos in hac quæſtione expirantes viderent. Hiſtoria nota eſt & per ſcripta in hiſtoria Rhætica a nobili viro reformati nominis, ideoque in ſui narratione neutiquam ſuſpecto*. Tales erant Calvini miniſtri apud Rhætos, ex teſtimonio Grotii Proteſtantis. Merito igitur Panigarola aſſeruit, Hęreticos habere Angliæ, Genevæ, & alibi pſeudoinquiſitores ſuos. Hodie etiam adſtant contra Catholicos, neutiquam vero contra ſectarios. Hi quippe quicunqe ſint admittuntur, & recipiuntur, nec de quopiam inquiritur. Soli Papiſtę inquiruntur, denuntiantur, vexantur exiliis, carceribus, morte. Nec valet hic revolvere, *neminem Religionis cauſa a Proteſtantibus morte multatum*; ſiquidem oppoſitum jam oſtenſum eſt apertiſſime. Tui ſupplicio confecti Maria Regina regnante, *Martyres* ſunt; ſed qua Donatiſtarum Martyres. Hi quoque querebantur perſecutionibus vexari, & morientes *Martyres* haberi præſumebant. Verum Auguſtinus (*Epiſt.* 50.) eos ſic redarguit: *Quomodo ergo nunc ipſi non ſunt perſecutores, qui cum accuſando perſecuti ſunt Cæcilianum, & ab eo fuerint ſeparati, falſam ſibi gloriam impudentiſſimo mendacio arrogare voluerunt &c.* Quod & nos dicimus. Quomodo non perſecutores Lutherus, Calvinus, Henricus VIII., qui primo perſe-

cuti ſunt Eccleſiam, & ejus pacem violarunt? Quid porro conqueruntur ea patiendo, quæ ipſi excitarunt? Hæc autem grandis intercedit diverſitas; ipſi patiuntur rei propter iniquitatem; noſtri patiuntur innocentes propter juſtitiam. Inſaniſſimum eſt juſtos eos dicere, qui *dividunt membra Chriſti*, qui *exſufflant Sacramenta Chriſti*. Hoc eſt gloriam *Martyris* ab hominibus quærere, quam a Chriſto nequeunt obtinere: *Non ergo qui propter iniquitatem, propter unitatis impiam diviſionem, ſed qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, hi Martyres veri ſunt.... Poteſt enim eſſe impiorum ſimilis pœna. ſed diſſimilis eſt Martyrum cauſa. Nam & Agar paſſa eſt perſecutionem a Sara, & illa erat Sancta, qua faciebat, illa iniqua, qua patiebatur.... Si autem melius diſcutiamus, magis illa perſequebatur Saram ſuperbiendo. quam illam Sara coercendo; illa enim Dominę faciebat injuriam, ipſa imponebat ſuperbiæ diſciplinam*. Sed cetera calumniæ tuæ falſa commenta, quæ pauca non ſunt, tandem expendamus.

§. VI.

Charitas Romanæ Eccleſiæ, & Summi Pontificis pro converſione Animarum.

20. SAtur jam pugnæ contra Panigarolam, P. Segneri maligno linguæ gladio ſic aggrederis *pag.* 497. *Jeſuita Charitate gloriatur, quaſi perfecta eſſet in ſua communione, nec unam ſcintillam haberent cetera Chriſtiana ſecta. Qua Charitate ſe geſſerunt ſui Catholici in Indorum converſione? Quis abſque horrore valet legere hanc Hiſtoriam?* Poſtmodum ſubdis: *Narrat Hiſtoricus (Barthol. de las Caſas hiſt. Ind. Occid.) quod* 40. *annorum ſpatio plus quam duodena decies centena millia trucidati fuerunt*. Noſti, malignum caput, bene noſti non Apoſtolicos viros, nec Miſſionarios, ſed milites ad expeditionem illam Indorum miſſos, ut Hiſpaniarum Regi novum illum Orbem acquirerent. Hæc profecto calles. Nihilominus vertens hiſtoriam in mendacium, falſitatem componis, & calumniam. Si non Miſſionarii ab Eccleſia delegati, ſed milites illi fuerunt a terrena poteſtate miſſi, quomodo expeditionem illam vociferaris miſſam ad convertendos infideles? Quid Eccleſiam crudelem calumniaris? Meum non eſt juſtificare, vel damnare illorum geſta victorum. Tantum affirmo, ſi quid crudelitatis in illa expeditione immixtum fuit, Eccleſiæ non eſſe tribuendum. Certum eſt tamen, quod barbari illi reſiſtentes, & impedientes armis Evangelii promulgationem, quod ibi inferendum illa expeditione meditabatur, hac de cauſa puniri meruerunt. An autem hæc agendi ratio apta, vel iniqua fuerit, non eſt judicare meum. Sat mihi duodena illa decies centena millia Indorum non fuiſſe a Miſſionariis, nec eorum juſſu qui eos mittebant occiſa, vel, ut ais, trucidata.

21. Scire magnopere cupio, ſed ex certa notitia, quomodo, quando Hollandii *Fidem Chriſti attulerint inter barbaras Gentes, ad quas permeant*, quandoquidem tu curioſum hoc nuncium pandis. Ut ignorantiam meam fatear, neſcius penitus ſum de hac re; ſiquidem audio eorum claſſes quoquo anno remeare onuſtas divitiis, & mercibus ab Orientalibus Indiis delatis; nunquam tamen audio regredi ovantes triumpho unius infidelis animę Chriſto acquiſitæ. Audio quidem navigantes continue ad Indos Negotiatores eſſe, non Miſſionarios. Nec ſat mihi te Picenine id dixiſſe, & Rivetum confirmaſſe. Ubi annales ſunt, referentes converſiones a Miniſtris Hollandicis obtentas, quemadmodum de noſtris integra proferuntur volumina? Samuel Pufendorfius nullas reperit; immo in ſuo Libro *de Monarchia Pont. Rom.* §. 41. hanc laudem Romanæ ſupra ſuam Eccleſiam cogitur tribuere: *Nec diffiteri licet, Pontificium Clerum majore plerumque ſtudio, opera, induſtria, et contentione animi incumbere*

ad

ad propagandam Religionem, quam Proteſtantes: eorum enim complures in Eccleſiaſtico munere ita verſantur, ut potiſſimum ad tolerandam vitam omnia referant, non ſecus ac opifices victum quæritare, opus faciendo, ſolent. Monachi e contrario, ac Jeſuitæ magnam ſibi auctoritatem comparant, miſſis in verſas ad Orientem oras. et in Americam legationibus. quas Miſſiones vulgo appellant etc. Ubi ſunt Miniſtri in odium Chriſti martyrio confecti? Poſſibile. Jeſu Chriſti verbum Hollandicorum ora Prædicantium tam ſuaviter modulari, quod nulla contentione infidelium animas rapiat, cum alias, non dicam a recentioribus Miſſionariis, ſed a vetuſtis, immo ab ipſis Apoſtolis a Chriſto miſſis pronuntiatum, tam aſperum, & durum viſum ſit Idololatris, ut in illos excivit atrocius quodlibet genus pœnarum? Japonii qui Chriſtum a noſtris prædicatum abegerunt, ſi ab Hollandiis enuntiatum ſuſciperent, miraculum ſane illuſtre foret, ſi probaretur. Quod *in Indiis Orientalibus, et Occidentalibus Eccleſia ſint reformata*, ut aſſeris, parum id refert, dum non ex Indis ad fidem converſis, ſed ex Hollandiis componantur, qui colonias illuc ſtatuerunt, & Calvinum ſecum ipſis detulerunt. Quæſo indica populos, *quos Miniſtri Hollandici ſua probitate ad Chriſtum traxerunt*, ſicut probitate noſtrorum id factum oſtendam. Notum plane, & patens eſt *deſtruxiſſe Altaria erecta* a noſtris Japoniæ in honorem Jeſu Chriſti; non quod cordi ipſis eſſet illorum Infidelium converſio, ſed quidquid boni peractum fuerat funditus evertere, ut ſic omnino periret memoria nominis Chriſti ab illis barbaris odio habiti, qui Hollandiis inſtigantibus Catholicos a ſuis finibus ejecerant. Attendo nuncia tantiſper comprobata de *Altaribus myſticis illuc erectis Jeſu Chriſto, loco eorum quæ ex lapidibus conſtructa deſtruxerunt; de Proſelytis juſtitiæ vice Proſelytorum gehennæ; de cultoribus Chriſti in Cœlo, vice adoratorum Chriſti in Hoſtia.* Si quis autem eſſet, qui ex Calviniſtarum concionibus a Paganiſmo diſceſſiſſet, tum dicerem Calvinum quidem novum diſcipulum fuiſſe adeptum, nunquam vero Jeſum Chriſtum: dicerem hujuſmodi hominem ingreſſum fuiſſe in ovile Chriſti, ſed non per oſtium, quia non per veram Eccleſiam ingreſſus eſſet, quæ ſola poteſt introducere ad Chriſtum. De hujuſmodi Miſſionariis id proferrem, quod Auguſtinus de Phariſæis (*Tract.45. in Joan.*): *Ecce ipſi Phariſæi legebant, Chriſtum ſonabant, venturum ſperabant, et præſentem non agnoſcebant: jactabant ſe etiam ipſi inter videntes, hoc eſt inter ſapientes, et negabant Chriſtum, et non intrabant per oſtium. Ergo et ipſi, ſi quos forte ſeducerent, mactandos, et occidendos, non liberandos ſeducerent.* Hi Proſelyti eſſent Hollandicorum Miniſtrorum Japoniæ, ſi qui tamen eſſent.

22. P. Segneri commendat charitatem noſtram, *et bonitatem Summi Pontificis, tendentem unice ad unum, ideſt ad ſalutem populorum.* Cum id negare nequeas, quod manifeſtiſſimum ſit, calumnia niteris obſcurare *pag.* 498., dicens *directam eſſe unice ad unum aliud, quod eſt ditari*. Jam his reſponſum fuit, quæ ex contemptu modo prætereo, Romam te mittens ad Congregationem dictam *de Propaganda Fide*, ut audias quid ibi agatur, & in quæ erogentur tot impenſæ quæ ab illa fiunt. Non audies ibi de negotiis, non de claſſibus mercium onuſtis tractari, ad aurum, & argentum Romam reportandum; ſed de Barbarorum converſionibus, de Miſſionariis delegandis ad remotiſſimas partes, ut Crucifixo novi reportentur adoratores. Ingredere in alios congreſſus, audieſque agitari de ſubſidiis Principibus Chriſtianis miniſtrandis contra Turcam; de excipiendis Principibus, exteris a propriis ſtatibus excluſis. Hoc eſt Papam *ditari*, Chriſtum ditare novis cultoribus, Eccleſiam novis fidelibus. Talia ne tractantur *in venerandis Eccleſiis Evangelicis?* Tu bene ſcies, qui

adeo

adeo illas commendas in tua dedicatoria , immo te ipſum extollis , & laudas *promptiſſimum ad eas ædificandas ;* forte ne tua ſanctitate ?

23. *Jeſuita* (ais *pag.* 499.) *ſe introducit tribus fœminis , Catharina Senenſi , Chriſtina , & Catharina Raconiſienſi . Harum effert Charitatem .* Et infra : *Nec tamen confirmat quod pandit de hac trinitate fœminarum , uno ſolo hiſtorico veridico .* Si hiſtoricos quæris acta referentes S. Catharinę Senenſis , lege Raymundum a Capua, D. Antoninum 3.p. *Chron. tit.*23. *cap.* 14., Bollandum ad diem 30. Aprilis . Hic habebis unde ejus charitatem erga egenos , & ſalutem proximorum admireris . De Chriſtina autem , *Admirabili* cognominata , pœnas pro aliorum ſalute toleratas leges apud Bellnacenſem *lib.* 30. *cap.* 15. , D. Antoninum 3. *par. Chron. tit.*19. *cap.* 12., Thomam Cantipratenſem, & Surium die 23. Junii , & alios. De Catharina Raconiſienſi teſtis eſt Franciſcus Picus nobilis auctor integræ fidei in ſuo manuſcripto , ſcribens ut ocularis teſtis. Alii etiam de ea ſcribunt, inter quos Marcheſius in ſuo *Diario Dominicano* ad diem 4. Septembris. Quid tamen refert Auctores revolvere, dum factum neges? *Quomodo,* inquis , *hæ fœminæ poterant ſibi pœnas aſſumere pro peccatorum converſione ? Quomodo ſcopus fieri calamitatum, quæ mortalibus debebantur ?* Poterant ne hæ tres fœminæ orare pro ſalute peccatorum ? Sin poterant ; jam e medio tollitur potiſſimum orationis objectum , ſemel ac illicitum ſit pro ſalute proximi orare . Si vero poterant; quid non item & pati ? Si orantes injuriam Jeſu Chriſto nullam faciebant, qui oravit , & orat pro omnium ſalute; cur patientes , injuriam ipſi inferebant , qui paſſus eſt , & offert paſſionem ſuam pro omnium ſalute ? Natæ erant in peccato tres illæ Dei famulæ , ſed tamen inde juſtificatæ , & ſanctificatæ in lavacro Baptiſmi, acceptam ſanctitatem Dei gratia ſervare didicerant: hinc zelo charitatis proximi accenſæ, exhibebant ſuarum tolerantiam paſſionum, non quaſi pretium , cui ex æquo aliorum remiſſio peccatorum deberetur , ſed tanquam rem quandam aptam flectere divinam miſericordiam , ut efficaciam ſanguinis Chriſti iis conferret , pro quibus patiebantur . De his autem ſermo erit, agendo de juſtificatione & merito , ubi ineptias tuas omnes retundam . Subdis : *Deus nolebat in Moyſen transferre pœnas Iſraelitis debitas . Exod.* 32. *v.* 32.33. Neque ego aſſero Deum ſemper aliorum paſſiones acceptare , & per ipſas ad culpas delendas moveri . Neque enim ſemper aliorum preces ſuſcipit. Interdum tamen paſſiones acceptat, ſicut & preces. Moyſes deprecabatur Deum , ut in ipſum transferret pœnas populo debitas. Poterat igitur Raconiſienſis Catharina Deum deprecari , in ipſam transferri temporales pœnas alienis peccatis debitas. Deus non exaudivit Moyſen, Catharinam autem exaudivit. Neque quod Deus uni gratiam deneget , omnibus denegat : alias quemadmodum Deus preces Moyſis pro populo non audivit, dicendum foret nullius preces exaudire . De his tamen alibi .

24. Quibus optime ſtatuit P. Segneri , *evidenter demonſtraſſe Eccleſiam Romanam omnibus ornari ſignis , quæ propria ſunt veræ Eccleſiæ .* Non P. Segneri , ſed tu Picenine falleris, tibi ſuadendo Eccleſiam meam Catholicam non eſſe , nec illam a Chriſto fundatam, & ab Apoſtolis diffuſam per univerſum Orbem. Tu falleris, dum niteris ſuadere miſeræ plebi , meam fidem non eandem eſſe , ac primitivæ Eccleſiæ . Tua enimvero , tua apoſtatica eſt , nuperrime ex furore , & invidia erupta, non aliunde , quam ex abyſſo, Lutheri , & Calvini opera; homines nulla vocatione , nulla miſſione, nullo Apoſtolatu muniti . Tu hærens ſolis Scripturæ litteris , hęreticorum jam antiquo ritu , traditiones negas, quibus innititur omnium temporum Eccleſia. Tu Sanctorum inimicus, cultum ipſis, & eorum imaginibus negas ; & Chriſti hoſtis, ejus crucem ,

cem, Diabolo deterior, renuis adorare. Tu, ut effreni licentia vivas, auctoritatem negas primi Chriſti Vicarii ſucceſſoris D. Petri, quo nil ſanctius fuit in Eccleſia. Satanicam illuſionem blaſphemas unicum Chriſtiani Orbis Sacrificium, ſanctam videlicet Miſſam, Indulgentias irrides, Purgatorium inter fabulas rejicis. Hominum tibi commenta videntur Sacramentalis Confeſſio, Jejunia, Cælibatus. Uno verbo, putidas omnes hæreſes jam prædamnatas excitaſti; quibus non Eccleſiam, ſed errorum Babelem conflaſti, ante pſeudoreformatores tuos inauditam. Hæc omnia qua ex parte efficaciter oſtendi, qua etiam ex parte iterum oſtendam; ut apertiſſime conſtet meæ, non tuæ Eccleſiæ perfectiſſime convenire attributa illa, quæ jam probavi, videlicet *potentiam*, *ſapientiam*, *bonitatem*, *firmitatem*, *& uniformitatem*. Hinc pariter conſtat quam merito P. Segneri extollat manſuetudinem, & charitatem Romanæ Eccleſiæ: nec in his commendandis ejus liber mendax eſt, ſed in illis vituperandis tu mendaciſſimus. Ergo neutiquam P. Segneri, ſed tu malitia tua falleris. Durum tolle perfidiæ lapidem ex corde tuo, excute tenebras ab oculis tuis, & videbis. Quod ſi renuas facere, ſaltim non conviciis, & probris, ſed rationibus age, & oppugna haſtenus dicta, & deinceps dicenda; ſi tamen unquam id ſcias aggredi alio armorum genere, præter ea quæ tibi præſtant calumnia, mendacium, hæreſis.

CAPUT XVII.

Extra Romanam Eccleſiam nulla ſalus.

§. I.

Solę Eccleſia Romana obedientia veram conſtituunt Eccleſiam.

1. Apologiæ *cap.* 19. *pag.* 501. concedis, *extra veram Eccleſiam ſalutem non aſſequi.* Non omnes tamen confratres tui in hac opinione verſantur, quorum nonnulli, immo plurimi, docent poſſe quemquam in ea, qua natus eſt Religione ſalutem aſſequi. Libertini, horrenda proles cujuſdam *Quintini Sutoris Picardi*, aſſerunt quacunque Religione Deum delectari, non minus ac homines variis delectantur cibis, quamobrem cuique licere Religionem quamlibet ſibi ſtatuere ad ſalutem; quod David Georgius Faber tribuit cuilibet Religioni, vel ſectę infidelium: cujus generis plurimi Hollandiæ, & Friſiæ exiſtunt, ut refert Floremundus Remundus *lib.* 2. *cap.* 16. Hanc latam ſemitam neutrales calcant, ſtudentes placere utrique parti, Novatoribus nempe, & Catholicis. Joannes Surranus Aureliæ Prædicans, totis viribus hanc ſectam promovet, quæ copioſa, & major eſt inter ſegregatos a Catholica communione, quod tu ipſe fateris in ipſo exordio præfationis tuæ Apologiæ, *multos* dicens ejus ſectatores; quod non aſſereres, niſi ex certa notitia haberes. Thomas Hobbes Anglus docet, ad ſalutem ſufficere credere in Jeſum Chriſtum, Deo obedire, & Principi, cum nulla neceſſitas ſit cetera credendi fidei dogmata; ſecus implexa nimis, & oneroſa foret Chriſtiana lex. Quin etiamſi Princeps infidelis eſſet, & contra fidem præciperet, non obtemperans peccaret. Videatur hujus Leviathan *de Civitate Chriſtiana cap.* 43. Confeſſio Anglicana *cap.* 18. hanc ſectam Angliæ ſupponit exiſtere; quanquam autem ibi damnetur,

tur, conſtat tamen, quod poſito illo axiomate = Quempiam in ea religione, qua natus eſt ſalutem aſſequi poſſe = omni ſtudio agitur intra pſeudoreformationem contineri illos, qui ceteroqui Religioni Catholicæ addicti eſſent.

2. Hoc tamen errore aſſeris te minime laborare, dum velis neminem ſalutem aſſequi niſi in *vera Eccleſia*, quam tamen Romanam eſſe negas. D. tamen Hieronymus id non negabat (*Ep.* 57. nunc 14. *ad Damaſum*): *Faceſſat invidia, Romani culminis recedat ambitio; cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ędificatam Eccleſiam ſcio.* (hic optimum) *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Quibus ſic: Nemo ſalvari poteſt niſi in *vera Eccleſia* repræſentata in *Arca Noe*. Sola Romana Eccleſia earum eſt caput, quæ *veram Eccleſiam* componunt, ut probatum eſt, & probabitur. Eccleſiæ quæ ſemper conſtituerunt corpus Eccleſiæ Catholicę, veræ, & univerſalis, Epiſcopum Romanum ſemper caput agnoverunt, & doctrinam eandem cum Romana Eccleſia tenuerunt. Extra igitur hoc corpus nulla ſalus. Ad hæc. Ante pſeudoreformationem Lutheri, Calvini, & cujuſquam prioris hæretici, omnes Eccleſiæ obedientiam Papæ exhibebant, & Romanę Eccleſię; quandoquidem Ariani, Eutychiani, Neſtoriani nunquam contenderunt hunc Primatum, neque ipſi Donatiſtę, ut oſtenſum eſt, & oſtendetur. Porro omnes illæ Eccleſię ſalutem aſſequebantur, nec ne? Sin autem: quis ſalutem aſſequebatur? Si veram Eccleſiam illę non conſtituebant, ubi illa? Nunquid in ſeptem illis millibus, quos Romanę Eccleſię occultos fuiſſe aſſeris? Hic error eſt Donatiſtarum putidus, ab Auguſtino ſupra reprobatus. Etſi autem hoc eſſet, in iſtis pſeudoreformata Eccleſia nequaquam dignoſci poterit, quæ, ut oſtendi, a Luthero dumtaxat exordium habuit. Si autem ſalutem aſſequebantur, cur non etiam poſt pſeudoreformationem? Quod nunc docet & facit Romana Eccleſia, ipſorum etiam pſeudoreformatorum teſtimonio, perantiquum eſt, & a primis uſque ſeculis exercebatur. Si antea igitur ſalvi fiebant, nunc etiam ſalvi fient, & vera nunc eadem erit Eccleſia. Si autem in Romana Eccleſia nunc etiam ſalus acquiritur; aut ipſa vera Eccleſia confitenda eſt; aut extra veram Eccleſiam certa ſalus eſt admittenda.

3. Aſſerere, Eccleſiam Romanam non eſſe *univerſalem*, ad rem non facit; cum jam oſtenſum ſit quo ſenſu habenda, vel non habenda ſit *univerſalis*. Cum Eccleſia Romana univerſalis appellatur, tum omnium Eccleſiarum collectio ſumitur, quæ cum Romana communicant, & ejus Epiſcopo obediunt. Hanc D. Auguſtinus agnoſcebat *univerſalem*; nec tamen illis temporibus deerant Arianę, Manichææ, Donatiſtę, Luciferianę, Pelagianę falſo nomine Eccleſiæ. Si Segneri peccat omnes Eccleſias damnans, quæ cum Romana non communicant, nec ipſi obediunt; peccabis & tu contra damnans omnes Eccleſias, quæ illi obediunt. Et ſi Eccleſiæ quæ cum Romana communicant non conſtituunt *univerſalem* Eccleſiam, minus eam repræſentabunt Eccleſię ab illa ſeparatæ. Parum proficis opponendo quod *Donatiſta volebant Chriſti Eccleſiam in ſola parte Donati coarctatam eſſe; & Luciferiani, quempiam, qui Luciferianus non eſſet, non eſſe Chriſtianum;* etenim, aut prętendis *veram Eccleſiam* coarctatam eſſe ad ſolam communionem tuæ pſeudoreformationis, & ſic cum Donatiſtis, & Luciferianis conſentis; aut ex aliis componi, & tunc proferendæ ſunt, quæ ſint hæ Eccleſiæ cum tua componentes unam *veram Eccleſiam?* Romana per te *abominationibus* ſcatet; Græca plurima profitetur apud te erronea, & falſiſſima; & juxta Calvinum illæ

Ec-

Eccleſiæ in unam conveniunt Eccleſiam, quæ in eadem doctrina, eiſdemque Sacramentis conſentiunt. Tuæ Eccleſiæ igitur cum Romana & Græca unam Eccleſiam componere nequeunt: hinc cogeris aſſerere, aut veram Eccleſiam in tuis dumtaxat coarctatam; aut ſi ad Romanam Græcamque eam extendis, fateri debebis Eccleſias tuas, illis in doctrina, & Sacramentis oppoſitas, ad *veram Eccleſiam* non pertinere, & nullam in iſtis eſſe ſalutem, ſi in illis habeatur. Clarius procedamus. Profecto perſonarum ſocietas habenda eſt, quę vel Eccleſiam univerſalem totam componat, vel aliquam ejus partem, vel quæ ab Eccleſia univerſali diviſa ſit. Pſeudoreformatorum ſocietas totam plane univerſalem Eccleſiam non componit, quoniam anguſta primo nimium eſſet, & merito D. Hieronymus id repetere poſſet, quod olim contra Luciferianos in Dialogo: *Si Eccleſiam non habet Chriſtus, aut in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus eſt.* Præterea cum jam oſtenderim pſeudoreformatorum ſocietatem ante pſeudoreformatores ſuos non extitiſſe; ſi hæc ſola eſſet Eccleſia univerſalis tota, ante ipſam ubi univerſalis Eccleſia? Pſeudoreformatorum ſocietas neque Eccleſiæ univerſalis pars eſt, quandoquidem ſocietas quæ univerſalis Eccleſiæ pars eſt, cum ceteris ſocietatibus communicare debet, quæ tanquam compartes ſecum componunt univerſalem Eccleſiam. Pſeudoreformatorum ſocietas cum aliis non communicat; non cum Romana, ut notum eſt; non cum Græca, quę ipſam contemnit. Quid reliquum, niſi quod ſit pars præciſa, & ſchiſmatica ab Eccleſia univerſali? Hic ſane labyrinthus, a quo expediri tu ipſe debes, ſi tamen vales. Quis itaque Donatiſta, vel Luciferianus hæreticus; Segneri, an Piceninus?

4. Interrogemus D. Auguſtinum *Epiſt.* 165., 166., *& alibi paſſim*, & ab ipſo audiamus Donatiſtarum, & Catholicorum linguam. Catholici probabant ſuam Eccleſiam veram eſſe, oſtendentes eandem eſſe, quę Jeruſalem orta, diffuſa erat per univerſum Orbem, quod & confirmabant texentes ſeriem Epiſcoporum Romæ a D. Petro uſque ad Anaſtaſium, tunc regnantem Pontificem. Eadem lingua Eccleſiæ Romanę ſectatores loquuntur, & hic meus perpetuus ſermo. Donatiſtæ autem aſſerebant Eccleſiam magna ex parte periiſſe, & apoſtataſſe, nec niſi Africę in ſola parte Donati ſtetiſſe, & in ſectariis ſuis, in ſeptem illis millibus reprę ſentatis, qui non curvaverant ſe ante Baal. Hic tuus Picenine frequens, & domeſticus ſermo. Ex varietate igitur ſermonis ſtatim conſtat qui Catholicus ſit, qui hæreticus, qui in vera Eccleſia ſit, qui extra, & verus Donatiſta. Vel debes admittere Donatiſtas pro veritate fuiſſe locutos, vel ſi falſa dicebant, fatearis oportet te falſa hactenus pronuntiaſſe. Ad hæc. Donatiſtæ aſſerebant veram Eccleſiam apud ipſos ſtetiſſe, ſed non probabant, ut D. Auguſtinus ipſis improperabat (*Epiſt.* 166.): *Vos dicitis propter traditores, quos non oſtenditis, remanſiſſe Eccleſiam Chriſti in ſola Africa partis Donati, quod non de Lege, non de Propheta, non de Pſalmo, non de Apoſtolo, non de Evangelio, ſed de corde veſtro, de parentum veſtrorum calumniis recitatis.* Proteſtantes calumniantur Eccleſiam Romanam apoſtataſſe cum ceteris ſuę obedientię, propter ſcelera, & errores, quos non probant; & effutiunt veram Eccleſiam remanſiſſe in Waldenſibus, & Albigenſibus, inde reſtitutam a Luthero, & Calvino. Quod tamen non oſtendunt nec de Lege, nec de Prophetis, nec de Scripturis, cum nullibi enuntiatum ſit Eccleſiam Apoſtaſiam, vel Eclipſim pati debere, inde renovandam, & reſtituendam a quopiam iſtorum. Quis igitur Donatiſta? Ubi eſt vera Eccleſia?

5. Quis vero Luciferianus? Audiamus iterum ex D. Auguſtino *de agone Chriſtiano cap.* 30. Luciferiani *præcidere ſe ab unitate, & Luciferiani magis dici, quam Catholici maluerunt.* Proteſtantes pręcidere ſe ab uni-

unitate, & *Lutherani*, vel *Calviniſtæ*, quam *Catholici* dici malunt. Luciferiani Catholicam non agnoſcebant Eccleſiam illam, quæ in perſona D. Petri claves ad ſolvendum receperat. Neque Proteſtantes eam agnoſcere volunt. Audiamus D. Hieronymum (*Dial. adverſus Luciferianos*): *Jam familiare eſt eis dicere, factum eſt de Eccleſia lupanar*. Proteſtantibus jam familiare eſt dicere Eccleſiam Romanam eſſe ſcortum Babylonicum, & alias traxiſſe poſt fornicationes ſuas. Luciferiani dicebant hæreticos non eſſe Chriſtianos; Proteſtantes dicunt nos eſſe Idololatras. Luciferiani aſſerebant Epiſcopum, & Sacerdotem peccato iniquinatum, a ſuo gradu eſſe dejectum; Proteſtantes, vel omnes, vel aliquos Romanos Epiſcopos calumniantes, audent eos diffamare nec veros Epiſcopos, nec Paſtores. Nos non dicimus hæreticos non eſſe Chriſtianos, quia tales eos facit Baptiſmus; ſed hæreticum, & non Catholicum illum dicimus, qui pertinaciter negat credere quod communiter credit Eccleſia, & qui perfidia, & pertinacia ab unitate fidei diſcedit. Nos in Antiſtite pravæ vitę, vitium perſonæ ab auctoritate, & ſanctitate gradus novimus diſtinguere, & cum Chriſto dicimus: *Quæ dicunt facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere*.

6. *Si Jeſuitæ ſunt Judices* (ſubdis *pag.* 502.) *proſcribebantur Aſiaticæ Eccleſiæ, a Victore interdictæ, quod Paſcha Luna* 14. *celebrabant*. Et infra: *Meletius Antiochenus Epiſcopus proſcribebatur, quod male audiebat apud Papam .... D. Auguſtinus proſcribebatur, qui ſuperiorem non agnoſcebat Papam, ſupremam juriſdictionem ei contendens appellationes negando. Immo Eccleſiæ Africanæ proſcribebantur, quæ diu ſchiſma fecerunt ab Eccleſia Romana*. His omnibus ex parte jam reſponſum fuit, ex parte reſpondebitur. Breviſſime dico: Damnantur qui ab unitate ſcinduntur, quique Summum Pontificem primum Vicarium Chriſti fateri renuentes, ex contemptu *Antichriſtum* eum appellant. Eccleſiæ Aſiaticæ a Victore non fuerunt interdictæ, dehortante D. Irenæo, ut refert Euſebius *lib.* 5. *hiſt. cap.* 24. Poterat tamen eos excommunicare, non quod ſe opponerent ritui Eccleſiæ Romanæ, ſed quod hujuſmodi ritu Moſaicam legem cum Evangelio componere volebant, quamobrem *Quartodecimani* inter hæreticos referuntur a S. Epiphanio *hęreſ.* 50., a Theodoreto *lib.* 3. *hęret. fabul. cap.* 4., & a D. Auguſtino *lib. de hęreſ. cap.* 29., quique ab Eccleſia ſeparatus, in hoc errore proſcripto etiam a Concilio Nicæno obiiſſet, in æternum periiſſet. Meletius Sanctus fuit, nec unquam ab Eccleſia diſceſſit. Hæc quæſtio ad fidem non pertinebat, ſed ad ejus ordinationem, quam ad Antiochenum Epiſcopatum illegitimam Papa cenſebat, utpote ab Arianis intentatam; quod contigerat, quia, ut ait D. Baſilius *Epiſt.* 349., *ex ignorantia veritatis abdicabant virum Dei admirabilem Meletium*. Ceterum Meletius profeſſus eſt Nicænam fidem, qua de cauſa ab Arianis perſecutionem paſſus eſt; & Romanæ Eccleſiæ communione poſtulata, revera obtinuit. Plurimi illorum temporum Patres ſecum communicarunt, immo ipſe cum Romano Epiſcopo communicavit, quem ſemper honore habuit: idcirco non heræticus is, nec ſchiſmaticus, ſed Sanctus obdormivit in Domino. Videatur Tillemontius *tom.* 8. *Memor.* pro Eccleſiaſtica hiſtoria *pag.* 371. 374. *&* 767. D. Auguſtinus *Epiſt.* 162. 165. 169. *&c.* nunquam Papæ jus appellationum denegavit, ut oſtendam, ſed in quibuſdam tantum caſibus: & in *prima cognitione* cenſuit in propriis diœceſibus debere judicari. Scripta hujus ſancti Doctoris undique venerationem teſtantur erga Romanum Epiſcopum. Eccleſię autem Africanæ ſi ętate D. Cypriani controvertebant cum Romano Epiſcopo; charitatis tamen vinculum, nec unitatem ſciderunt. Perperam igitur laboras, & inſudas pro tuis partibus: nimium quippe perſpicuum eſt, extra ſalutis ſpem eſſe, qui

qui extra Romanę Eccleſiæ unitatem pertinaciter vivit, qualis eſt quicunque, vel hæreſi, vel ſchiſmate eam deſerit, quemadmodum pſeudoreformati fecerunt.

7. Inaniter autem tibi plaudis referens dictum Bonifacii II. (*Tom. 2. Concil.*) *qui circa annum 539. ajebat, Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem cum collegis ſuis (D. Auguſtino, & 217. Epiſcopis) ſuadente Diabolo inſurrexiſſe contra Eccleſiam.* Quamobrem clamas: *Ecce ad Jeſuitarum arbitrium Aurelius damnatus, damnatus D. Auguſtinus, damnatus Epiſcoporum Conventus, Eccleſię Africanę damnatę!* Quis porro tibi ſuaſit, Epiſtolam illam apocryphami fœtum eſſe legitimum Pontificis Bonifacii? Ubinam legitur, Aurelium cum Africanis Epiſcopis, & præſertim D. Auguſtino, temporibus Bonifacii I., Cæleſtini I., *ſuadente Diabolo* inſurrexiſſe adverſus Romanam Eccleſiam; & ab illo tunc, Africanam Eccleſiam ſeparatam fuiſſe a communione Romana, uſque ad tempora Bonifacii II., quemadmodum ſcribit ineptiſſimus artifex illius Epiſtolæ? Quæſtio orta in Concilio Carthaginenſi VI. ſupra jus appellationum ad Romanam Sedem, pacatiſſima animorum concordia acta fuit, ut videri poteſt apud Nat. Alexan. *Sec. V. cap. 5. ar. 4.* Fauſtinus Papæ Legatus Alipio dicebat: *Nec veſtra Sanctitas prajudicat Eccleſię Romanæ, ſive de hoc capitulo, ſive de aliis.* Et D. Auguſtini votum fuit: *Et hoc nos ſervaturos profitemur, ſalva diligenti inquiſitione Nicęni Concilii;* de quo tum diſceptabatur. Somniatur itaque ſutor illius Epiſtolæ, dum aſſerit uſque ad Bonifacium II. Africanas Eccleſias diſceſſiſſe a Romana. Eo autem ineptius tu ſomniaris, qui tam clara luce non vides hanc veritatem; nec inſuper vides aſciam cruribus illidere, dum non advertis in ipſa Epiſtola, qualiſcunque ſit, Eulalium videntem ſe ex peccatis Aurelii ſeparatum a Romana communione, humiliter veniam petiiſſe: *Recognovit ſe, pacem, & communionem Romanæ Eccleſię petens, ſubſcribendo una cum collegis ſuis, damnavit apoſtolica auctoritate omnes ſcripturas, quę adverſus Romanę Eccleſiæ privilegia facta quoquo modo fuerant.* Summa autem rei eſt, quod in formula libelli ſupplicis Eulalii legitur: *Submittit ſe Romano Pontifici, aſſerens eſſe veram ſalutem in Romana Eccleſia, & veram fidem* (attende) *& non extra illam; & anathematizat omnes hæreticos, qui oppoſitum tenent, & ſtatutis Romani Pontificis contradicunt.* Hæc tuus Bonifacius adverſum te.

§. II.

Conditiones requiſitæ ad ſalutem.

8. Blateras *pag. 502., ideam veri Chriſtiani quæ a Jeſuitis proponitur, eſſe, quod ad ſalutem aſſequendam tria ſunt neceſſaria, externa fidei profeſſio, communio in Sacramentis, adhæſio legitimis Paſtoribus, videlicet Papę.* Præfata quidem neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſed ſola non ſufficiunt, quoniam præter externam fidei profeſſionem, communionem in Sacramentis, & adhæſionem legitimis Paſtoribus, requiritur interna fides, & obſervantia legis. Diſplicet tibi, *neceſſariam eſſe adhæſionem legitimis Paſtoribus,* dum probe ſcias ſupremum iſtorum eſſe Papam. Diſplicebat id ſane ipſis Donatiſtis, qui, teſte D. Auguſtino (*Epiſt. 48. ad Vicent.*) ſtatuebant ad rationem Catholici ſufficere mandatorum Dei obſervantiam, & omnium Sacramentorum, quo gloriabantur ipſos ſolos habere veram fidem. Non acquieſcebat tamen in his D. Auguſtinus, qui ultra exigebat univerſalis Eccleſiæ communionem, a qua Donatiſtæ diſceſſerant. Idipſum tecum ago. Ad ſalutem neceſſarium eſt eſſe in vera Eccleſia; quod fit adhærendo legitimis Paſtoribus eam regentibus, quemadmodum qui in Republica eſſe vult, fas eſt illi adhærere ſuis Principibus. Qui ſunt Paſtores legitimi? Oſtendant tui ſuas patentes

litteras, ordinationem, miſſionem ſuam. Nos hęc in noſtris demonſtramus, ex legitima ſucceſſione uſque a Chriſto ducta; & hanc probavi connexam ſucceſſioni doctrinæ. Quæ igitur vera Eccleſia? Ubi ſalus? Vanum eſt clamare: *Miſeri Chriſtiani! Vos reprobi qui vivitis ſub Patriarchatibus Conſtantinopolitano, Alexandrino, Ægyptio, Syriaco, Moſcho; omnes reprobi.* Quippe quid dubitandum? In Eccleſiis ſchiſmaticis, immo hæreticis, nulla eſt ſalus. Velles in Eccleſiis Græcis ſchiſmaticis ſalutem haberi, ut inde deduceres, etiam in tuis pſeudoreformatis ineſſe. At falleris; quandoquidem, probato etiam in Eccleſiis Gręcis ineſſe ſalutem, nil conficeres pro tuis, quæ ab illis tanquam hæreticæ proſcriptæ ſunt. Quamobrem ad hanc rimam adſtrictus eſſes, aſſerendi inter *hęreticos* palam proſcriptos ab Eccleſia Latina, & Gręca, ſalutem conſequi poſſe. Non ideo tamen extra ſalutem ſunt Eccleſiæ Grecæ, quod *azymo non utantur ad Euchariſtiam*, ut blateras, hic enim ſimplex eſt ritus, qui ipſis non contenditur; neque ideo, quod *nolint Symbolo addere vocem Filioque*; ſed quod contra Scripturam negant credere Spiritum Sanctum realiter procedere a Filio. Neque Ariani hæretici præciſe erant, quod recuſarent vocem *Omouſion*; ſed quatenus hanc refugiebant vocem, ne Filium faterentur conſubſtantialem Patri. Schiſmaticus adultus in ſuo Baptiſmo aquam recipit, ſed non Spiritum Sanctum: quem nec poteſt recipere, quouſque in ſchiſmate perſiſtit; abſque autem Spiritu Sancto, & conſequenter abſque Charitate, qui ſalutem aſſequi poteſt? *Aliud eſt ergo aqua Sacramenti, aliud aqua qua ſignificat Spiritum Dei.... Ipſe eſt Spiritus, quem non poſſunt habere haretici, & quicunque ſe ab Eccleſia pracidunt.* D. Auguſtinus *tract. 6. in Epiſt. 1. Joan.*

9. Quis unquam dixit, *poſſe quempiam ſalvum fieri mera ſubjectione Papa, abſque Charitate?* Profecto verum, Charitatem non aſſequi qui Papæ non vult ſubjici, & eum agnoſcere. Credere in Chriſtum nil aliud eſt, quam Chriſto parere in his, quę vel ipſe per ſeipſum præcepit, vel per Apoſtolos ſuos, vel per Eccleſiam ſuam, & hujus Paſtores. *Quid ergo eſt credere in eum* (poſtulat D. Auguſtinus *tract. 29. in Joan.*)? *Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Qui hæc non implet, in Chriſtum credere dicit, revera tamen non credit. Si valet dicere in Chriſtum credo, & cetera reiicere, quaſi non neceſſaria, ſalvi fient Anabaptiſtæ, Eutychiani, Neſtoriani, qui omnes pariter dicent credere in Chriſtum. Ad ſalutem, vocem Chriſti oportet audire: *Oves meę vocem meam audiunt*; hanc autem audit, qui ejus Miniſtrorum vocem audit: *Qui vos audit, me audit.* E contra qui Miniſtros audire negat, Chriſtum ipſum non vult audire: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* An ſalus ulla ſit apud Lutheranos & Calviniſtas, optime facis nolendo diſſerere; peſſime tamen facis tam audacter mentiendo contra Gallicanam Eccleſiam, quaſi hęc negaret ſuperioritatem, Primatum, Infallibilitatem Pontificis; cum manifeſtum ſit controverſiam in hoc verſari, an infallibilitas ipſi conveniat dum loquitur abſque conſenſu Eccleſiæ, vel dum cum conſenſu Eccleſiæ tantum loquitur; qui articulus non eſt ſolvens Charitatem, & Eccleſiam ſcindens.

10. Hactenus contendiſti, Jeſuitas *eos damnare, qui merentur ſalvi fieri*; ſcilicet hæretici, & ſchiſmatici. Nunc aſſumis probare Jeſuitas ſalvos facere eos, qui merentur damnari, quaſi in ipſorum manibus ſtaret damnatio, & ſalus. Audiamus quæ *pag.* 503. congeris: *Abyſſini ſunt Eutychiani, credunt unam tantum in Chriſto naturam, filios circumcidunt. Euchariſtiam in infantia illis miniſtrant, ſabbata ſanctificant ut Judai, ejus Religioſi uxores ducunt, ſeptenarium Sacramentorum numerum rejiciunt, Purgatorium non credunt, Euchariſtiam non adorant. Hos tamen benigne recepit Clemens Papa VII., quoniam obſequium*

quium ipſi praſtiterunt ut Epiſcopo univerſali. Id contigit ann. 1524. *Eutychianus, Neſtorianus, Gracus ſit, habeat putidiſſimos errores; parum refert. Cavere fas eſt Papa auctoritatem non inceſſere. Calvinus incolumis erat a Vaticani fulminibus, ſi intactum permittebat hunc articulum.* Quot calumniæ, quot mendacia componis! Antiquæ hæreſes Papæ Primatum directe nunquam adortæ ſunt; immo heretici in Conciliis damnati Papam appellabant, ut oſtendi, & iterum oſtendam. Nec ideo ipſis Papæ blandiebantur. Quid non illi Pontifices ad eos extirpandos tentarunt? Quid non Cæleſtinus I. contra Neſtorium, S. Leo contra Eutychetem? Lutherus, & Calvinus preter auctoritatem Pape pleroſque alios negarunt articulos; & Concilium Tridentinum æque eos damnavit: & quotidie proſeribuntur errores eorum, qui ceteroqui Papæ Primatum non aggrediuntur. Sic cum Michaele Bajo, ſic cum Janſenio, Molinos, aliiſque actum eſt. Qua igitur facie aſſerere vales, Calvinum incolumem futurum iri a fulminibus Vaticani, ſemel ac illeſum prætermiſiſſet hunc articulum? Abyſſini ſi infecti ſunt erroribus a te indicatis, niſi tuis ipſis principiis ſalutem illos aſſequi dicas, noſtris certe non aſſequentur. Per te ad ſalutem, opus non eſt niſi Chriſtum credere; cetera autem a te preſumta *non neceſſaria*, ſi non credantur, parum referunt. Abyſſini in Chriſtum credunt. Quod unam tantum in eo naturam fateantur, aliaque falſa dogmata; forte erunt inter illa tua *non neceſſaria*, & ſic, tua ſententia, ſalutem aſſequentur, nunquam tamen noſtra. Memoras *benigne fuiſſe receptos a Clemente VII.* Romam hi venerant ad deponendos errores, petentes a Pontifice Miſſionarios: cur autem non debuerant humaniſſime recipi? Si Lutherus, & Oecolampadius humaniter ſuſceperunt Waldenſes Picardos, cum ad ipſos acceſſerunt rationem redditurи de ſua fide, eam conferentes cum Lutherana; quæ juſta ratio opponi poteſt benignitati adhibitæ cum Abyſſinis?

11. Si P. Segneri *Lutherum accuſat flagraſſe odio implacabili adverſus Romam*, tu Segneri incuſas *flagraſſe contra Lutherum*. Late hæc tamen diſtant, cum Lutheri odium ſit hoſtile & iniquum filii adverſus matrem; illud vero P. Segneri ſit odium æquiſſimum, & abominationis erga rebellem fratrem, & Apoſtatam. Lutherus, & Calvinus *Apoſtata* fuerunt, quia deſertores Romanæ Eccleſiæ in qua nati erant, quæ ut vera Eccleſia recepta erat ab omnibus ferme Orbis Regionibus. Eccleſia igitur illa ab iſtis compaginata, quanquam ſibi blandirentur veram eſſe Eccleſiam, ſicut Donatiſtæ de ſua ſibi blandiebantur, Eccleſia tamen rebellis, & falſa fuit, in qua nulla ſalus; quandoquidem ex tuo aſſerio in falſa Eccleſia ſalus eſſe nequit.

12. Calumniam jam alibi exſufflatam hic *pag.* 505. revoeas, videlicet: *Si Lutherus, & Calvinus, flagitiis ſuis infames, ut accuſatores admitti nequibant*, neque ex noſtris Papis multi *infames notorii ex ſuis ſceleribus*, admitti poſſunt nedum accuſatores *in foro humano, ſed minus in divino, & Judices Conciliorum de omnibus controverſiis Religionis*. Jam dictum, quæ lata diverſitas interſit inter tuos pſeudoreformatores, & Papas, quos carpis maledictis. Iſti ſuæ auctoritatis authenticum characterem habebant, & notum erat unde venerant, ideſt ex legitima Apoſtolorum ſucceſſione. Eccleſia illos agnoſcebat Capita & Judices ordinarios, quamobrem de eorum auctoritate certa, ſuis moribus non attendebat; quemadmodum in humano foro jam certi de legitima Judicis auctoritate, ſuſcipimus ejus ſententiam, qualiſcunque ſit ejus converſatio morum. Sic etiam Chriſto diſplicebat converſatio Phariſæorum, non tamen doctrina, qua zelabant legem, & ejus obſervantiam, quanquam ipſi ab ea deficerent moribus ſuis. De Luthero autem & Calvino res eſt omnino diverſa. Oſtentabant ſe a Deo miſſos extraordinaria legatione, tanquam immediatos ejus Miniſtros pro re-

reformatione Eccleſiæ, contra Eccleſiam, & Papam; & ad enuntianda dogmata oppoſita his, quę uſque tum tradita erant, & ad tollendum de *ſub ſtamne Evangelium*, juxta elegantem tuam & Lutheri phraſim. Quapropter ſignum plane aliquod expoſcendum erat, quod commendaret tam inſignem, & peregrinam miſſionem, dum alias expertes eſſent ſpiritu prophetiæ, & miraculorum. Eorum vita nullatenus conformis erat vitę Apoſtolorum, & eorum doctrina licentiam quam reformationem ſapiebat, cum caſtitatem, & jejunium deteſtentur. Sanum igitur, ac prudens conſilium erat ipſos attente perſpicere; & prius quam credere illos apoſtolicos viros, quin potius apoſtaticos, eorum erat perluſtranda vita, & mores. Si ex dicto tuo Bolſeco fides adhibenda non eſt in his, quæ ſcribit contra tuam reformationem, quia ab ea *Apoſtata*; quæ hercle fides habenda duobus illis pſeudoreformatoribus contra Eccleſiam Romanam, cujus & ipſi *Apoſtatæ* erant, & deſertores? Bolſecus & ipſe ab Eccleſia Romana Apoſtata fuit, & clauſtris rebellis, ſed pœnitentia ductus, deteſtatus eſt apoſtaſiam, & rebellionem. Si Bolſeco non eſt præſtanda fides contra Proteſtantes, quod Proteſtans fuerat, & inde reverſus ſe reſtituit Catholicum Romanum; neque Arnobio præſtanda erit fides de his, quæ ſcribit contra mores Gentium, quatenus & ipſe Gentilis Paganiſmo ejurato factus eſt Chriſtianus. Immo nec Auguſtino fides contra Manichæos, cum & hic ſanctus Doctor ipſis quondam adhęſit, redditus inde Catholicus. Bolſeco minime credendum; his vero credendum qui ex noſtris ad oppoſitas ſe transferunt partes? Hi apud te teſtes ſunt primæ notæ, non autem Bolſecus quia infamis Apoſtata.

13. Petis, *quis dixerit Lutherum, & Calvinum ſe conſtituiſſe Judices Conciliorum, Canonum, & Papæ tenus?* Ipſimet dixerunt. Nonne audivimus qua contumelia loquantur de Patribus, Conciliis, Canonibus, & de Eccleſia? Spangebergius Lutheri diſcipulus nonne auſus eſt dicere: *Hic vir Dei Lutherus plus prudentiæ, & intellectus, verique Spiritus Dei habuit in minimo digito ſuo, quam omnes Monarchi, Sacerdotes, Epiſcopi, Papæ, Patres, Concilia, Univerſitates ab initio Papatus, nemine excepto?* Lutherus nonne damnabat erroris Concilia, & Papas omnes? Qui cuncta damnat, qui cuncta ſive Concilia, ſive Papas, ſive Canones contemnit, & ridet, ſibique tantum conceſſum præſumit ſpiritum intelligentiæ, nonne omnium arbitrum & judicem ſe conſtituit? Calvinus quomodo obloquatur de Eccleſia, & Conciliis, videri poteſt *lib. 4. Inſt. cap. 8. §. 10. & cap. 9. §. 8. & 9.*, ubi impudentiſſimam inſtituit criticem ſuper Concilia; quatuor prima ſacroſancta probat, in ceteris perfectam non reperit doctrinę puritatem, & unum alteri aſſerit contradicere. Demum ſedens Judex Concilii Conſtantinopolitani ſub Leone, & Nicæni II. ſub Irene, quanquam fateatur hoc eſſe in legitima poſſeſſione, tamen definit hoc Conciliabulum, illud legitimum Concilium; neque id eſt Judicis partes ſumere ſuper Concilia? Opponis, *reformatores Judicem habere Deum loquentem in Scripturis*. Tum etiam Concilia cenſuerunt ſanctiones ſuas inniti *Deo loquenti in Scripturis*. Si autem dicas ſe decepiſſe; nonne id erit Judicis perſonam aſſumere? Quod ſi tot Patres ſe fefellerunt condendo Conciliares Canones, quanquam inhærentes *Deo loquenti*; ſi decepta ſunt tot poſteriora ſecula in his acceptandis qua verbum Dei; quid non male deceptus reputandus erit unus Calvinus, aſſerens oppoſitum contra omnes; & quatenus illi aperuerint ſalutis ſemitam, hunc latam perditionis viam reſeraſſe? Arrogantia ne major valet excogitari? Qui Eccleſiam Judicem ſpernit, Eccleſiæ Judicem ſe ipſum conſtituit; & infallibilem Eccleſiam negat, qui ſe infallibilem affirmat. Aſſerit Eccleſiam non intellexiſſe Scripturas, qui ſe unice perſpicue intelligentem facit. Vir necor-

cordatus, & prudens eſſe poterit, nullo præjudicio captus, qui ſuadere ſibi valeat, Eccleſiam univerſam potius erraſſe, quam Calvinum, & Lutherum; & illam falſam Eccleſiam fuiſſe, hanc vero iſtorum veram eſſe, & ad ſalutem tranſmittere?

§. III.

Certitudo ſalutis ſola eſt in Eccleſia Romana.

14. RECte, & merito poſt Patrem Segneri aſſero, *in Romana Religione ſola eſſe ſalutis certitudinem, excluſa alia quacunque: & hanc eſſe breviorem viam perveniendi ad Cęlum.* Merito inquam; quia Romanam Religionem ſequens, id teneo quod tot ſeculis creditum fuit, matrem illam ſequor, quæ ſponſo ſuo fidelis habita fuit ſemper, & genus ſuum ab Apoſtolis ducit, & a Chriſto. Pſeudoreformatas autem Eccleſias ſequens, novitates heri vel nudiuſtertius natas ſequor, Lutheri, & Calvini opera conflatas. Scio, has recentes Eccleſias a Chriſto & ipſas genus ſuum oſtentare; aſt unde probant? Noſtra ad inſtar regalis fluminis, a ſua origine caput ſuum ſemper viſibile, nunquam intereiſum oſtendit. Iſtæ ad inſtar quorundam torrentium ſunt, qui originem quidem indicant, ſed perenni curſu vacui, caput terra merſum diu latens, fingunt iterum emerſiſſe. Præter te nemo aſſerit, *Romanam Religionem ſuos articulos ex Ariſtotele ſortiri.* Pallavicinus (*lib. 8. & lib. 3. cap. 15. hiſt. Concil. Triden.*) ſupponit Ariſtotelis philoſophiam utiliorem ceteris ad ſuadendum intellectui fidei articulos naturali rationi non repugnare, qui tamen articuli non aliunde, quam ex Scripturis deſumuntur. De certitudine auctoritatis Papę, cui innititur Romana Religio, non eſt tibi loquendi locus, niſi prius occurras a me uſque dictis, dicendiſque magis in articulo *Primatus.* Pro nunc dico: Si certa non eſt Papę auctoritas, putas ne erit certa auctoritas Calvini, & Lutheri? Si Papa errare poteſt in intellectu Scripturæ, forte ne Lutherus, & Calvinus cum ſectariis ſuis errare non poterant?

15. Certitudo ſalutis in ſola Romana Religione a P. Segneri probatur, quia hæc: *Duo habet ſua certitudinis teſtimonia, proprium ſcilicet, & illud Adverſariorum.* Id negas *pag.* 506., inquiens: *Mea fides, non ſua, duo habet teſtimonia.* Quoniam ratio a te facta illam Patris Segneri non oppugnat, hanc brevi ponderemus, tuam inde excuſſuri. P. Segneri ſic diſſerit ,, In Romana Religione certitudinem ſalutis haberi, nedum proprio confirmatur aſſerto, ſed aliæ etiam contrariæ ſectæ id ipſi concedunt; in ceteris autem ſectis ſalutem aſſequi ipſæ quidem aſſerunt, ſed ab Eccleſia Romana negatur. Id ratum magis ac firmum eſt, quod duobus teſtibus aſſeritur, tum maxime cum eorum unus ſit inimicus; quam id quod uno tantum, pręſertim proprio, affirmatur. Major igitur ſalutis certitudo in Eccleſia Romana, quam alibi reperitur ,,. Hæc ratio eſt Patris Segneri; cujus efficacia ipſe teſtatur, converſos fuiſſe plures Turcas. Sic pariter D. Auguſtinus probabat (*in lib. de conſenſ. Evang.*) adverſus Paganos Deum Iſraelis eſſe verum Deum; urgens ipſos duabus his rationibus. Prima (*cap. 2.*) erat: Deum Iſrael eſſe verum Deum, qui adoratores ſuos ſalvat, non tam Hebræi aſſerunt, quam ipſi Pagani non contradicunt; Deos autem Gentilium veros eſſe Deos Pagani affirmant, ſed Hebræi, & ipſorum Deus negant; Deus igitur Hebræorum verus eſt Deus. Secunda (*cap. 12.*) erat: Dei Gentium non vetant, nec contendunt cultum Deo Iſraelis; hic ſolus prohibet, nec ſinit alios Deos coli, ſed ſolus ipſe vult adorari; Deus igitur Iſrael verus eſt Deus: *Cur non potius miſeri intelligunt, illum eſſe Deum verum, quem ſic vident a ſuorum Deorum ſocietate ſejunctum, ut quem Deum fateri coguntur, qui omnes Deos colendos eſſe profitentur, cum ceteris colere non ſinantur? Cum ergo ſimul coli*

non

non poſſint, cur non ille eligitur, qui iſtos coli vetat, relictis illis, qui illum coli non vetant? Qui autem impedit de Eccleſia Romana me non poſſe eadem ratione diſſerere ſic: Eccleſiam Romanam ſuis fidelibus ſalutem conferre nedum ipſa dicit, ſed nulla ipſi contraria ſecta contradicit: Eccleſię autem ab ipſa ſejunctæ affirmant quidem de ſeipſis, præbere ſalutem, ſed id verum eſſe Eccleſiæ Romanę communionis negant; Ergo Eccleſia Romana ſola vera, et ad ſalutem certa. Ad hæc. Pſeudoreformatæ ſectæ Romanam fidem, & Religionem qua abſolute falſam nec vetant, nec contendunt. Sola Romana Eccleſia falſam dicit, nec ſinit profiteri, vel pſeudoreformatæ, vel cujuſcunque ab ipſa ſejunctę Eccleſiæ fidem; Romana igitur Eccleſia ſola vera eſt. A Proteſtantibus igitur *cur non illa eligitur, quę iſtas coli vetat, relictis illis, quę illam coli vetant?* Hęc a nobis facta ratio. Me latet, conceſſurus ne ſis in Eccleſia Romana certitudinem haberi ſalutis? Si concedis; fit quod, quemadmodum per te extra veram Eccleſiam nulla eſt ſalus, hac Romanę Eccleſiæ conceſſa, nonniſi iſta vera erit Eccleſia: & pſeudoreformatæ cum veræ Eccleſiæ eſſe nequeant, nec fieri poteſt quod ullam ſalutem conferant. Si autem neges; flocci facio negationem tuam coram tot tuarum partium teſtibus, qui ingenue fatentur in Romana Religione certam aſſequi poſſe ſalutem.

16. Nunc de tua oppoſita ratione ſermo, quam contra P. Segneri ſic inſtituis *pag. 506. Articuli poſitivi, quos ego profiteor, ab ipſo item affirmantur: duo igitur teſtimonia habent, ſuum, & meum. Articuli quos ipſe profitetur, & ego nego, ab uno ipſo affirmantur: unum igitur ſingularem habent teſtem.* Quid Picenine reponeres, ſi Arianus contra Catholicum ageret ſic: *Patrem ęternum generare Filium vos dicitis, & ego profiteor: Filium tamen eſſe Patri æqualem vos dicitis, & ego nego. Si igitur mea fides duplex teſtimonium habet, meum, & veſtrum, fides autem veſtra nonniſi unum, nempe veſtrum, mea fides vera erit.* Quo te verteres, ſi Anabaptiſta ad probandam ſuæ Religionis veritatem in hunc modum procederet: *Quod ego credo, & vos creditis. Credo in Jeſum Chriſtum. & ſolam Scripturam; traditiones reſpuo, Sanctorum cultum, Virginis, Imaginum & ego deteſtor; item vobiſcum nego Purgatorium, Papæ auctoritatem &c. Mea igitur fides duo habet teſtimonia, veſtrum, & meum. Unum autem quod ego nego, & vos affirmatis, videlicet poſſe & deberi infantes baptizari, individuum teſtimonium habet, & hoc veſtrum. Mea igitur Religio vera eſt, quia habet duo teſtimonia de ſe, meum, & veſtrum; quod unum tantum vos habetis, ſcilicet veſtrum.* Quid ad hæc? *Afferre Scripturam certiſſimum teſtem id præcipere?* At ſi tum ille: *Ubi hæc habet?* Num in verbis illis (*Joan. 3. 5.*): *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei?* Id non evincit, quia, *juxta Calvinum, ibi Chriſtus non loquitur de Baptiſmo*, ut ſupra oſtenſum fuit. *Bene vero*, inſtare poſſet Anabaptiſta, (*Marci 16. 16.*) *lego: Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Baptiſmus igitur conferendus eſt his qui idonei ſunt ad credendum: qui vero fidei incapaces ſunt, nec capaces ſunt Baptiſmi. Ecce igitur duo teſtes hic, ego, & Scriptura.* Quid ad hęc domine ſophiſta? Ego equidem dicerem diſcurſum infirmum omnino eſſe, & facile retundendum ſic: Articuli quos tu negas a te negantur, a me autem neutiquam. Ergo ſi teſtimonium meum poſitivum ſingulare eſt, tuum pariter negativum eſt ſingulare, & ſic pari ratione diſſerimus. Verum non ego ſolus affirmo articulos, quos tu negas; nec ſolus ego profiteor traditiones, quas tu inficiaris. D. Paulus, Irenæus, D. Auguſtinus, omnes antiqui illa fatentur. Non ego ſolus Papę Primatum aſſero, Miſſæ Sacrificium, Purgatorium, Confeſſionem auricularem, Chriſti præſentiam in Euchariſtia, Sancto-

rum

rum cultum, & Imaginum, ceteroſque articulos, quos tu negas. Prȩter Scripturam, hȩc teſtes habent antiquos omnes, quod nec veſtri ipſi negare audent, ut oſtenſum eſt. Solus igitur es, etiam dum negas articulos, quos ego fateor, non ego tamen eos profiteor ſolus. Quod dictum volo de doctrina Sacramentorum, & meriti, quæ omnia certiſſimis teſtimoniis Scripturæ, & antiquitatis inconcuſſe probabo.

17. Panigarola iterum introducis *pag.* 508. ſcribentem, *conſcientias anxias eſſe in Provinciis hæreſi infectis.* Id ſane veriſſimum, ait D. Auguſtinus (*Epiſt.* 119.), quia: *Sicut conciliatus, & placatus Spiritus Sanctus requiem prȩſtat mitibus, & humilibus corde: ita contrarius, & adverſus, immites, & ſuperbos inquietudine exagitat, quam inquietudinem Muſcæ illæ graviſſimæ ſignificarunt, ſub quibus Magi Pharaonis defecerunt.* Petis tamen ſi *Italiȩ conſcientiæ quietæ ſint?* Hinc mendacia, & ſcommata virulento ore vomis: *Quomodo quietem habere poteſt ſpiritus, cui crimen eſt obedire Chriſto, & gratiæ Dei fiſus, dici certus ſua ſalute?* Ecquando Catholico Romano crimen eſt obedire Chriſto, & divinȩ gratiȩ fidere, cum in ipſa omnem ſalutis ſpem reponat? Cum Catholicus teneatur divinȩ gratiæ ſuam cooperationem jungere, non poteſt, dum in hac vita vivit, certitudinem illam habere, quam tibi temere prȩſumis. Ejus certitudo pendet ex certa notitia propriæ prædeſtinationis, & perſeverantiȩ finalis: hac via, juxta te, ad cȩlum graditur. Quis autem tibi prædeſtinationem tuam revelavit, & finalem in bono perſeverantiam? Num Calviniſtam eſſe, ſignum eſt certæ prædeſtinationis? Vel nemo Calviniſtarum damnatur, ſicque pro Calviniſtis nulla erit gehenna: vel ſi nonnulli damnantur, quis inter iſtos te non eſſe tibi revelavit? Omnem fiduciam habeo in meritis Chriſti, & tamen timere debeo: *Quare* (ajebat Auguſtinus *Serm.* 94. *de tempore*) *cum timore, & tremore meam ſalutem operor, cum ſit in poteſtate mea operari ſalutem meam? Vis audire, quare cum timore, & tremore? Deus eſt enim qui operatur in nobis; ideo cum timore, & tremore, quia quod impetrat humilis, amittit ſuperbus.* D. Paulus (1. *Corinth.* 9. 27.) erat in electorum numero, tamen timebat, & certabat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipſe reprobus efficiar.* Quomodo tu tam certus de tua ſalute, ſi de propria D. Paulus incertus timebat? *Quis enim* (ſequitur Auguſtinus *lib. de correp. & grat. cap.* 13.) *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prȩdeſtinatorum ſe eſſe prȩſumat, quia id occultari opus eſt in hoc loco, ubi ſic cavenda eſt elatio, ut etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus? Nam prȩter hujus utilitatem ſecreti, ne forte quis extollatur, ſed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum eſt, qui perveniant &c.* Certitudo igitur iſta tua Picenine vana præſumptio eſt. In hac vita fiduciam quidem oportet habere, ſed etiam timorem. Vis quietem habere? Bene operare, quia de tua ſalute quamvis certus non ſis, certus tamen es, perſeverantem in bono uſque in finem non damnari: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, hȩc enim facientes* (non ait credentes) *non peccabitis aliquando, ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Chriſti* (2. *Pet.* 1. 10.).

18. Subdis: *Quam tranquillitatem habere poteſt conſcientia Panigarolæ, dum ejus fides fundatur ſupra Traditiones, Traditiones in infallibilitate Romanȩ Eccleſiæ, hæc in infallibilitate Papæ, iſta in ſucceſſione D. Petri, & hæc incerta eſt?* Si tua fides, ut ais, fundatur in Scriptura quam legis, quomodo ſcis Scripturam quam legis eſſe verbum Dei? Non aliter, niſi quia talis recepta fuit ab antiquis, videlicet vetus Teſtamentum a Synagoga, & novum a Concilio Laodiceno.

Si autem hi omnes errare potuerunt, in Canonem referentes ut divinum librum aliquem, qui forte divinus non erat, ut, per te, erravit Tridentinum, decernendo Canonicos, & divinos Machabæorum libros, & alios: pręterea ſi libri aliqui, quos modo divinos habes, quondam dubii erant, ut Apocalypſis, quæ non continetur in Canone Laodiceno, Epiſtola ad Hebręos, aliique; nunc vero, quomodo ſcis, libros, qui apud nos habentur divini, hi ipſi ſint, olim a Deo dictati, & inferti in Canones, quodque exemplaria, & textus integra ſint, & non depravata? Profecto cogeris ad traditionem confugere. Si autem hæc fallibilis eſt, & innixa hominum dictis, qui falli poterant, immo, ex dicto Lutheri, & Calvini, revera erraruut; vel ergo certus ego. vel nec tu. Ebion, Marcion, Cerinthus, aliique antiqui dubitabant de veritate Evangeliorum. Tatianus & Severus negabant Actus Apoſtolorum, Ebionitę D. Pauli Epiſtolas, & inter Epiſtolas Catholicas illa D. Jacobi Luthero dubia fuit, aliis vero aliæ. Forte dices hos fuiſſe hęreticos. At fuerunt hæretici, & ſunt illi etiam, qui traditionum auctoritatem negant, infallibilitatem Eccleſiæ, & Papæ, & ejus ſucceſſionem a D. Petro. Cur autem meæ fidei certitudinem tollere a me debet hæreticus, cum ab altero hęretico, qui ęque eam negat, a te illam tolli non permittis? Primatus D. Petri, & adſiſtentia ipſi promiſſa alibi oſtendetur. Quod autem Epiſcopus Romanus D. Petro ſuccedat, ſi non eſt ex divino jure, ut aſſerit Bellarminus *lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 2.*, propterea ne incertum erit? Lege ab exordio tenus Eccleſię Annales, & ſi accipias Romanum Epiſcopum ſemper agnitum S. Petri ſucceſſorem, debes hac notitia omnem expellere incertitudinem. Vis me dubitare *de Adriano, quando probabat Concilium Nicenum II., & cultum Imaginum ſtatuebat, an eſſet canonice electus*; tu vero non dubitas an Calvinus, & Lutherus eſſent miniſtri vere legitimi a Deo miſſi ad reformandam Eccleſiam; & an Calvinus erraſſet quando illegitimum declaravit Nicęnum II., & legitimum ſtatuit Conſtantinopolitanum? Adrianus cum Scriptura loquitur, minime vero Calvinus; tu autem de illo dubitas, non de iſto? Reſponde: Certus ne es, Angliæ Regem legitimum eſſe Regem? Utique dices. Verum quomodo ſcis ejus electionem fuiſſe legitimam, ſicut ejus vocationem ad Regnum? Certus ne es Regem Galliarum eſſe verum Regni hæredem? Utique dices, quia ex vero Rege natus. Verum quis certum te facit hos eſſe vere filios Regis, & non ſuppoſititios partus? Dices, non eſſe ambigendum, quia Regna Angliæ, & Galliæ, Reges eos agnoſcunt, & tales eos aſſerunt omnes; unde fas eſt rem ita ſe habere: & ſi ſecus dicerem, ſeditioſum, & ſtultum merito me haberent. Et hac ipſa ratione, quia Eccleſia agnoſcit, & acceptat Papam, certus ſum eſſe baptizatum, eſſe Epiſcopum, & Papam, & potiori ratione, ac tu, quia ex Scriptura certus ſum, Chriſtum nunquam deſerturum Eccleſiam ſuam. Loqui Picenino ingenio, eſt nodum in ſcirpo quęrere: & ſi nodus quiſquam foret, æqualem video in tuis partibus, immo difficiliorem eo, quem fingis in meis deprehendere. Dicis, *auctoritatem, quam Papæ aſſero, eſſe chimaram*. Hęc autem propoſitio ſola probat te cęca & inſana mente loqui. A quo tempore Papę auctoritas facta eſt *chimara*? Nonniſi a temporibus tuæ pſeudoreformationis dicere potes; quia ſi veteres conſulas, mendacem te redarguent: tu autem majorem adhibes fidem ſectario tuo, quam tot, qui ipſum præceſſerunt? Si reſpondeas his te non credere; quibus profecto credis? Tibi ipſi, & ingenio tuo, abſque metu erroris? Ecce ubi reſolvitur amplificata Proteſtantis certitudo.

§. IV.

§. IV.

In Pſeudoreformatione nulla ſalutis certitudo.

19. P. Segneri in calce ſui operis hoc aſſertum ſtatuit, *Religionem reformatam contrariam eſſe doctrinis Chriſti, ſibi ipſi, a ſuperbia ortam, a luxuria enutritam, ab inſolentia dilatatam, erroribus refertam recta rationi contrariiſſimis etc., et minori ſpecie religionis, quam Synagoga, et Alcoranum.* Id enimvero ſtatuit, poſtquam plene probaverat. Nec clamor me terret tuus *pag.* 509., nitens retrudere præfata omnia in Religionem noſtram. Veni Philiſtæe Gigas, quod obviam tibi ſum *in nomine Domini.* Quomodo *mea Religio opponitur divinis mandatis, et doctrinis Chriſti?* Ubi ſunt *hi Dii quos colit?* Sancti, quos veneratur, non Dii, ſed Dei famuli ſunt, in quibus Deum, qui Sanctos eos facit, adorat. Non templa, non altaria erigit, niſi ſoli Deo, in eorum memoriam. Id ne primo præcepto opponitur? *Imagines colimus, non quaſi Idola*, ſed in Imaginibus veneramur quod per ipſas repræſentatur, relativo, & reſpectivo cultu. Id ne vero contra *ſecundum præceptum? Per creaturas juramus*, & non animo nos ipſis jurejurando adſtringi, ſed dumtaxat Deo. Id autem eſt contra *tertium præceptum?* Audiamus D. Auguſtinum *Lib.* 1. *de ſerm. Dom. in monte cap.* 17. ad verba Chriſti: *Neque per Cælum, quia thronus Dei eſt etc. Ideſt cum juras per Cælum, aut terram, non arbitreris non debere te Domino juſjurandum tuum, quia per eum jurare convinceris, cujus Cælum thronus eſt.* Neque ibi Chriſtus intendit prohibere juſjurandum per Creaturas, ſed corrigere errorem Hebræorum, qui *non putabant ſe teneri jurejurando, ſi per iſta juraſſent.* Nos feſta inſtituimus in *honorem Sanctorum*; ſed ut Auguſtinus ait *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 27. *Quæcunque adhibentur religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum .... Honoramus ſane memorias eorum*, non ut Deitates, ſed *tanquam ſanctorum hominum Dei.* Id ſane non eſt *contra quartum præceptum.* Poſſibile ne, quod inſaniam tuam non agnoſcas in his calumniis? Per te, nos advocati ſumus æquivocationum; cum publicis ſanctionibus eas proſcribamus? Profecto aſſerimus *concupiſcentiam* habitualem non erumpentem in actum non eſse peccatum, filiam tamen peccati, & matrem eam teſtamur, quod ſupra dictum eſt cum Auguſtino, qui Calvino, & Luthero rectius aſſequutus eſt D. Pauli mentem. Aſylum concedimus *Reis in Clauſtris, in Eccleſiis, in Cœmeteriis.* Nec propterea *protegitur iniquitas*, ſed reverentia ſacris locis impenditur. Si domus Regis malefactorem ad eam confugientem ſalvat; domus Dei non ſalvabit?

20. Statuis *pag.* 509. ante Dei tribunal Catholicum falſis criminibus reum; nunc & ego Calviniſtam veris flagitiis irretitum. Poſitus ante tremendum illud tribunal, dicet, at ſero nimium: Domine præcipiendo præceperas me verbum tuum ſequi, nedum ſcriptum, quam traditum a tuis Apoſtolis, & conſignatum Eccleſiis, quam ipſi erexerunt, ut ejus intellectum acciperem, non ex privato meo ſpiritu, ſed ex communi conſenſu Eccleſiæ & Patrum, & canonicos haberem libros ab Eccleſia propoſitos: in ſumma, ut ipſi obſequentiſſimus eſſem; ego autem infelix Calvino addictus, ſi ex parte verbum tuum ſcriptum ſuſcepi, traditiones rejeci: intellectum Scripturarum non ab Eccleſia, ſed a Calvini mente, & a meo privato ſpiritu deſumpſi. Plures libros, quos Eccleſia canonicos mihi proponebat, reprobavi, quia falſis meis dogmatibus oppoſitos eos deprehenderam; demum ut Calvino nomen darem, Eccleſiæ ſanctæ perfidus terga dedi. Tu contuliſti Petro ſupremum jus ligandi & ſolvendi, ipſi committens Principatum in regimine tuarum Ovium. Ego, ut Calvino adhærerem, hæc pernegavi, e-

jus ſucceſſores ſubſannavi, auctoritatem contempſi, ſatanicam, & meretricem Babelem calumniatus ſum Romanam Eccleſiam; quam alias univerſa vetuſtas, caput ceterarum ſemper venerata eſt: ex contumelia ſectatores ſuos *Papiſtas* appellavi, ſequens Lutherum, & Calvinum ejus Apoſtatas, qui Eccleſiam finxerunt, quæ unde ſit ignoratur. Tuam eam oſtentabant; noveram tamen ejus originem, & progeniem ignotam eſſe. Quanquam Romana Eccleſia doceret, Sanctorum cultum, Crucis, & Imaginum, te potiſſimum reſpicere, tibi ſoli Deo,& Sanctorum Auctori honorem, & gloriam præſtari; quanquam, Calvino ipſo teſtante, cultum hunc venerabilem, & religioſum ex vetuſtate agnoſcerem; vaniſſime mihi ſuaſi, hunc exercendo injuriam fieri primo, & ſecundo præcepto; hinc Sanctis tuis maledixi, Templa in eorum memoriam tibi dicata deprædatus ſum, Imagines conculcavi, Reliquias,&ſacros cineres ventis diſperſi,Crucem ſanctam, & te in ipſa jacentem ſacrilegus deriſi. Oſtenſo Euchariſtico pane, tu mihi teſtatus es: *Hoc eſt Corpus meum*; & accepto Calice: *Hic eſt Sanguis meus*; ego autem, quin tibi crederem, Calvino potius adhæſi, mihi ſuadenti tuum Corpus, tuum Sanguinem non re vera, ſed figura tantum adeſſe; & oculis meis, quam verbis tuis credidi,merum panem, merum vinum illud reputans, detrectans propterea ipſum adorare. Quanquam in Evangelio tuo ex ore Pauli audieram, non auditores, ſed factores legis ſalutem ut mercedem conſequi, nihilominus docente Calvino, bonis operibus quomodocunque fidere, & juſtificationis ſpem in alio quocunque medio reponere, præter fidem in te, injuriam eſſe paſſioni & meritis tuis, reſtiti, reputando ſolam fidem illam eſſe, quæ juſtificet, & meritis bonorum operum deteſtatis, innixus fidei, impie credidi nullum peccatum æterna vita me poſſe privare. Liberum arbitrium denegavi, & maledicentiſſimus in tuam bonitatem,blaſphemavi nonnullos homines te creaſſe ad gehennam: nedum te permittere, ſed abſolute velle peccata, ad quem finem uti te Dæmonibus tanquam miniſtris tuæ voluntatis; ſic autem obloquebar a Calvino ſeductus, quanquam ex verbo tuo, & ab Eccleſia audirem contraria doceri. Fabulam Purgatorium cenſui, Indulgentias fraudem, Sacrificium Miſſæ ſatanicum artificium: cuncta licet conſecrata fide, & praxi primorum ſeculorum, quæ ideo ex mandato tuo ab Apoſtolis tradita, credere incautus debueram. Calvino autem contradicenti, quam reliquis omnibus, inſanus credidi. Noveram quidquid pro dogmate Calvinus effutiebat errorem eſſe, hęreſim, & mendacium ab Eccleſia proſcriptum, quam ipſemet intactam in primis ſeculis fatebatur; protervus tamen ſic credidi, & gloriabar Calviniſtę nomine in odium Papę, &Romanę Eccleſiæ, quam ſancto *Catholici* nomine. Execratus ſum Jejunia, & Cælibatum, quod, hujuſmodi licentia, ad arbitrium ſenſibus indulgebam, & concupiſcentiis meis blandiebar. Quid hujuſmodi deſperatæ confeſſioni reſponſurus ſit Chriſtus, Calviniſtę audient, & heu jam miſer Piceninus audivit, ab hac vita emigratus, ut ex fama fertur. Judica modo tu benigne lector num conſona, vel abſona ſit Evangelio Jeſu Chriſti doctrina Calvini.

21.P.Segneri pronuntiaverat, Proteſtantium Religionem *ſibi eſſe contrariam.* Vis id Romanę imponere, quam propterea *pag.* 510. vocas *contradictionibus plenam inter unum & alium ordinem, inter Papam et Antipapam, inter Papam et ſeipſum.* His omnibus alibi ſatius dictum; cumque nihil blaterando probes, pretereo hoc, uno ęquiſſimo reſponſo reddito, ſcilicet te mentiri. Audes dicere *Romanam Religionem ſuperbia ortam.* Nos oſtendimus ſucceſſione ſuorum Sacerdotum a D. Petro deſcendere, & collectionem Eccleſiarum ſuę communionis illam componere Eccleſiam, quam Chriſtus ſuam pronuntiavit, &

ſuper

ſuper Petri confeſſionem ędificavit. Eccleſia Romana cum ceteris ſuę communionis conſtituunt Eccleſiam fundatam a Chriſto: hęc autem non in ſuperbia, ſed in humilitate fundamentum poſuit. E contra Eccleſiæ tuę ędificatę ſunt a Luthero, & Calvino, nec retro repeti poſſunt: & iſtę fundamenta habuerunt in ſuperbia, ideſt in rebellione, & inobedientia, in arrogantia affectatę ſapientię ſuper omnes, in ceterorum contemptu, ſolas ſe infallibiles prǫſumentes. Falſa igitur Eccleſia tua (non mea, quę vera eſt) in ſuperbia radices ſuas egit.

22. Proſequeris: *Romana Religio gloria Dei Patris derogat meritorum doctrina, hominem faciens ſua ſalutis architectum.* Meritorum doctrina, quę tota innititur Dei miſericordię, gratia ſua initium, medium, & finem omni noſtro merito tribuentis, divinę glorię derogat? Quomodo homo fit ſuę ſalutis architectus, dum nequeat eam, non quęrere, ſed nec optare, niſi gratia Dei elevetur? *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* (*2. Corinth.* 3. 5.). Deo Patri injuriam facit, qui auctorem peccati eum facit, ut audet Calvinus (*Lib. 1. Inſt.cap.*18.§. 3.): *Jam ſatis aperte oſtendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, qua iſti cenſores volunt otioſo tantum ejus permiſſu contingere.* Injuria ſane eſt Deo Patri, aſſerere pleroſque hominum ab ipſo creatos ad gehennam: & inſolentiſſima arrogantia eſt ex meritis Chriſti unice gloriam ſibi promittere, cum Deus eam proponat ut prǫmium, coronam, & mercedem. Garris, *Eccleſiam Romanam ſuper Deum ipſum erigi, diſpenſando in divina lege*; Calvinus tamen ille eſt. qui generalem largitur diſpenſationem, cum aſſerat *impoſſibilem eſſe obſervantiam* divinę legis; quo conſequenter monet unumquemque diſpenſatum iri, cum nemo teneatur ad id, quod eſt *impoſſibile*. Et ſic crudelem, & barbarum facit Deum, quaſi hominibus impoſſibilia prǫcipiat. Quomodo audes dicere, *Romanam Eccleſiam gravius punire ſuarum traditionum, quam mandatorum Dei pravaricationes, ſi his ęterna, illis temporalis prǫſcribitur pœna?* Sancti, quorum interceſſione ad Deum orat, non minuunt, ſed adaugent gloriam ejus, qui tales Sanctos facit. In terris autem haberi Vicarium Chriſti tunc hujus glorię derogabit, quando Miniſtri auctoritas damnum ferat Majeſtati Domini ſui. O cęcitas maxima! Papa ſi *Vicarius Chriſti* vocetur, iſtius gloriam minuit; Calvinus vero Dei gloriam offendere non timet, aſſerendo (*Lib. 4. Inſt.cap.* 20. §.6.) Magiſtratus eſſe *Vicarios Dei*: *In ſumma ſi ſe Dei Vicarios eſſe meminerint, omni cura, ſedulitate invigilent oportet &c.* Eos appellat Deos (*Lib. 4. Inſt. cap.* 16. §. 31.): *Dicit Chriſtus Reges & Magiſtratus vocari a Propheta Deos, quia munus ſuſtineant divinitus ſibi injunctum*; inde horret quod nos in Eccleſia fateamur caput a Chriſto inſtitutum ceu *Vicarium* ſuum, quem & *Vicedeum* appellemus. Si Spiritus Sanctus nedum calamo, ſed lingua Apoſtolorum locutus eſt, non nos ejus gloriæ injuriam facimus, dum ejus verbum admittimus tum ſcriptum tum traditum. Proteſtantes enimvero ſunt qui omne verbum non ſcriptum negantes, partem tantum eorum credunt quę revelavit. Immo neque quæ Spiritus Sanctus calamo dictat integre credunt, recipientes quędam ad arbitrium, quædam rejicientes. Quis igitur *detrahit glorię Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* plus vobis?

23. Si revera ſcire aveas quæ ſit Religio *nutrita ab impudicitia*, interroga Lutherum; ex putido quippe ore ſuo cognoſces ſuæ libidinis putredinem; ſatis enim ſupra paginas meas hac peſte fœdavi. Jodocus Coccius *Tom. 1. Lib. 8. de ſignis Eccleſia* id fuſe tractat. Miror tamen audaciam tuam, quod in hac parte non verearis Catholicis inceſſere, qui noſti de Calvino ipſum palam nefandum geſtaſſe ſignum ſuæ improbitatis; quod veriſſimum eſt, licet a

te negatum, tum etiam de Beza, libidinum infamia, nobili. His non *peccata minima*, ſed virius & honor, tot obſceniſſimis eminere; atque hi ſunt Eccleſię Reformatores. Irregularitas non crimine ſemper, & culpa contrahitur, ſed ex alio non culpabili defectu; hinc ſi Matrimonium aliquando irregularitatem cauſat, non autem Sodomia, id non arguit Matrimonium eſſe peccatum, minus vero Sodomiam non eſſe flagitium. Fornicationem porro nulla malitia affici ex ſe, *jacere cum nupta non eſſe adulterium, viro conſentiente*, audivi a Patriarcha pſeudoreformationis Luthero. Apud nos vero doctrinæ ſunt damnatę, & proſcriptæ.

24. Religio dilatata ab *inſolentia*, illa eſt, cujus lingua tota ſe exercet in contemnendis antiquis Scriptoribus, Patribus Eccleſiæ, Epiſcopis, & ejus Pręlatis. Hujuſmodi eſt tua, Picenine, Eccleſia, ut oſtenſum fuit, & videri poteſt apud Coccium (*tom. 1. lib.* 8. *de ſignis Eccl.*). Religio igitur Proteſtantium dilatata eſt *inſolentia, ferro, & igne*, in bello inter Zuinglianos, & Lutheranos, in ſeditionibus Ruſticorum Germaniæ, & contra Imperium, in illis Galliæ, Hollandiæ, & tandem in apoſtaſia ab Eccleſia, & a ſuis legitimis Paſtoribus. Hoc ſe ſolo, excluſis ceteris, ſat eam probaret Eccleſiam ſpuriam, ſuos ad perditionem ſolicitantem, non ad ſalutem; & nunc doles ipſam eſſe odii, & perſecutionis ſcopum, atque ideo illam, quæ legitima eſt, & vera Eccleſia! Jam dixi has fuiſſe Donatiſtarum querelas, quas D. Auguſtinus ut iniquas reprobabat. Muſſitas, *Religionem Romanam erroribus redundare, rationi quam maxime oppoſitis*. Ego autem ex hoc infero, & agnoſco eam veram Religionem Chriſti, quia nimirum hic eſt Atheorum ſermo; & eadem pariter Pagani adverſus ipſam opponebant, de quibus monet D. Paulus (*ad Coloſſ.* 2. 8.): *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum elementa Mundi, & non ſecundum Chriſtum*. Fides pendere non debet a naturali ratione, bene vero ratio a fide, & a Chriſto, qui dum dicit: *Hoc eſt Corpus meum*, credere debeo, quidquid ſenſus murmuret, & Philoſophia opponat. Præterquamquod vera Philoſophia, ſi Chriſtum in Hoſtia mihi non demonſtret, ſaltim impoſſibilem non probat, ut ſuo loco oſtendam. De integritate doctrinæ morum quam mea docet Eccleſia, jam actum eſt. Miror tamen de te in mentiendo tam temerario, ut audeas calumniari moralem doctrinam noſtram vera Atheiſmi *ſemina jacere*; quoniam ſi, ut aſſeris, verus Atheiſmus eſt *ubi fabulæ reputantur articuli fidei*, ubi Atheiſmus, quam inter pſeudoreformatos? Articulus eſt fidei, ſeptem eſſe Sacramenta, Chriſtum realiter eſſe in Euchariſtia, extare Purgatorium, gratiam liberum arbitrium non deſtruere, ſed fovere. Eccleſiam Chriſti eſſe indefectibilem, utilem eſſe Sanctos invocare, & venerari, neceſſariam eſſe Confeſſionem auricularem, & alia vel aperta in Scripturis, vel deducta ex illis per traditionem, & qua hujuſmodi in Conciliis ſtatuta. Hęc autem omnia a me creduntur, a te fabulæ dicuntur. Ergo ubi Atheiſmus, ubi ſalus erit? In illa Religione, quæ omnes articulos fidei profitetur, an in illa, quæ quoſdam probat, quoſdam inter fabulas mandat? Si Petrarca (*Epiſt.* 16. *ſine titulo*) obloquutus eſt de aulicis Papæ dum Avenione manebat, quid inde? Oblocutus eſt de quorundam moribus illorum temporum, non de doctrina. Ad hęc. Petrarca vehementi illa, & gravi cenſura, in illa Epiſtola exaggerata, auſus ne eſt deteſtari Romanam Eccleſiam ceu falſam, ab ea ſe dividere. Papam Antichriſtum appellare? Mores reprehendebat; doctrinam autem moralem, bonam commendabat.

25. Siſtis hic *pag.* 511. *ante tribunal Domini Reformatum*, phariſaico faſtu ſuæ perfidię & malitiæ, ſub mentita veræ Religionis ſpecie. Ehe miſer, quomodo *in Catholica Religione vixiſſe* ante conſpectum Domini gloriari

riari

riari poterit, ſi Catholicæ fidei rebellem, & apoſtatam ſe agnoſcit, dum ut fucum ſibi faciat, hunc non eſſe veræ Eccleſiæ characterem fingit, & vanis commentis *Catholici* nomenclaturam involvit? Quæ tamen coram ſummo Deo incaſſum tentabit. Notum eſt Hæreticos quoſcunque affectaſſe ſemper *Catholici* larvam; ſed apud Deum mentiri, impoſſibile. Si nobis perſuadere fallaci induſtria conatus es eam te profiteri *fidem, quam Martyres confeſſi ſunt, Apoſtoli evangelizarunt, confirmarunt miracula*, errorem jam tuum aperui tibi, ſed heu quantum perſpicuus tibi fiet coram oculis Domini! Si tua Eccleſia ab Apoſtolis, unde originem probas? Si Martyres tui ſunt, unde iſtis honor ille præſtitus ab antiqua Eccleſia? Si tua Eccleſia confirmata eſt veris miraculis, quando tua pſeudoreformatio illa exhibuit? Mihi narrare potes fidem tuam *inniti Dei verbo*; Deo autem neutiquam, cui manifeſtum eſt, verbum Dei quod a perfidis Prædicantibus ſeductæ plebi traditur, non verbum eſſe a Deo, ſed a Calvino propoſitum. Quomodo fidem veſtram honorem, & gloriam Dei unice promovere, oſtentare poteſtis, ſi nullum fere attributum eſt a vobis non laceſſitum, ſi, ut oſtenſum eſt, Sanctos Dei amicos, ſervos, & miniſtros omni contumelia peſſundare, vobis Religio eſt? Bonum ne foret in conſpectu Principis, conculcatis ejus Miniſtris, dicere: Domine, deſpexi, contempſi, vexavi Miniſtros tuos, quia te glorificare volo? Commentum nobile! ſcilicet ad vitandum laborem adipiſcendæ ſalutis, ad majorem Dei gloriam, totum ejus negotium, remota omni induſtria, unice ipſi committere! Quomodo homini perditio ſua imputari poteſt, ſi Deus, ex doctrina Calvini, homines æque creat ad ſalutem, & perditionem? Quæ tricæ? Dicis Religionem ſequi, *oſtendentem vera media Deo ſe reconciliandi*. Hæc autem juxta verbum Dei ſunt, peccatorum pœnitere, abſolutionem a Dei miniſtro & veniam quærere, conſcientiæ ſuæ conſulere, non otioſa fide, ſed viva, & operante bonum ad certitudinem ſalutis, renovante nedum precibus cordis, ſed re ipſa in Altari Sacrificium, a Chriſto oblatum in Cruce. Hæc media ſunt ad divinam reconciliationem, quæ tamen omnia negas. Verum quæ tibi media neceſſaria ſunt ad reconciliationem? Nonne tibi ſola fides medium eſt unicum, & efficax? Nonne juſtificatus ſemel, juſtitiam non times amittere, dummodo fidem ſatagas retinere? Hanc igitur incolumem ſerva, inde quod libet age; ſarta tecta fide, nihil imputabitur, & bene tibi omnia. Dicis Religionem profiteri, *qua Deum unum colit*; taces autem, prætextu divini cultus, Religionem hanc tuam Sanctos ſubſannare, Altaria demoliri, Reliquias, Imagines conculcare, & ipſam Crucem, quinimmo ſacrilego auſu dejeciſse, ne dicam projeciſse Canibus Sacroſanctam Euchariſtiam; hanc Purgatorium negare, quamvis ab Eccleſia ſemper creditum, & Scripturis indicatum; hanc duo tantum confiteri Sacramenta, quanquam ſeptem antiquitus crederentur. Quamobrem Religio hæc merito odio habetur; eo vel magis, quod præter tot errorum colluviem, quos congeſſit, Urbes & Regna turbavit, bella excitavit, & tumultus in Populis, ſeditiones adverſus Principes: nec minus, ex mera pertinacia, eam retinere voluiſti, ſicut Donatiſtæ, aliique antiqui hæretici erroribus ſuis hærebant, contra leges Eccleſiæ, & Principum edicta. Jam cum Auguſtino dixi: Non ille ſemper juſtus, qui perſecutionem patitur; perſequuntur quippe identidem rebelliones, & peccata: hinc cum eodem addo (*Conc. 2. in. Pſ. 34.*): *Magna vigilantia diſcernenda eſt cauſa, non pœna*. Paſſi ſunt noſtri Angliæ ſub Henrico, & Eliſabeth; tui ſub Maria, & in Galliis ſub Ludovico XIV., ſed *diſcernenda eſt cauſa, non pœna*; *ſceleratus enim poteſt habere Martyris ſimilem pœnam, ſed tamen diſſimilem cauſam. Tres erant in Cruce, unus ſalvator, alius ſalvandus, alius damnandus. Omnium par pœna, ſed impar cauſa.*

ſa. Noſtri patiebantur ad Majorum antiquam religionem tuendam, veſtri ad falſam novitatem introducendam. *Nemo dicat, quia patior juſtus ſum.... Nam multi habentes bonam cauſam, faciunt perſecutionem, & habentes malam cauſam, patiuntur perſecutionem. Si enim perſecutio non poſſet fieri bene, non diceretur in Pſalmo: Detrahentes ſecreto proximo ſuo, hunc preſequebar. Deinde fratres, Pater bonus, & juſtus, nonne perſequitur filium luxurioſum &c.* Cetera lege; inde, cum doleas perſecutionem pati, reſponde, num Deo exhibere valebis cum pœna tua juſtam cauſam? *Nemo dicat* (concludit Sanctus) *perſecutionem patior: non ventilet pœnam, ſed probet cauſam, ne ſi cauſam non probaverit, numeretur cum iniquis.*

§. V.

Quæ ab Eccleſia Romana creduntur, & a Pſeudoreformatis negantur, non ſunt additamenta non neceſſaria.

26. AUdiamus te tandem malam cauſam tuam juſtificare tentantem *pag. 512. In Eccleſia Romana additum multum Religioni ab Apoſtolis jam enuntiatę. Hæc additamenta aut eſſentialia ſunt Religioni, aut non ſunt? Si Jeſuita aſſerat eſſentialia, Deum culpat dediſſe naſcenti Eccleſia Religionem imperfectam, abſque ſuis partibus eſſentialibus. Si neget eſſe eſſentialia, inique damnat non ea obſervantes. Quid damnare negligentes non eſſentialia, & conſequenter non neceſſaria?* Quod additum dicis ab Eccleſia Romana, vel opponitur ſummæ Religionis, vel non. Si primum, Deum culpa tot ſeculis, ut ipſe Calvinus fatetur, permiſiſſe Religionem in eſſentialibus depravatam. Si ſecundum, cur Eccleſiam Romanam damnas id ſervantem? Non capis argumentum tuum ipſum eſſe paralogiſmum, quo ſerpens antiquus Evam ſeduxit, & Adam? Aut veſci de hoc fructu, aiebat ille, neceſſarium ad vitam, aut non. Si non neceſſarium, *cur præcepit vobis Deus?* Nec tamen neceſſarium abſolute erat, ſed Adamo neceſſarium erat obedire. Si tuus magiſtratus ad negotia religionis inſtitutus, quidquam adderet antiquis legibus, quod negares recipere, & magiſtratus puniret tuam inobedientiam; putas ſatisfacturum hac ratione facta: Hoc additamentum aut neceſſarium eſt, aut non eſt. Si neceſſarium, imperfectam igitur hactenus habuimus Rempublicam. Si non neceſſarium, cur punire negligentem non neceſſaria? Valeret ne tibi hæc ratio, an potius audires: Sit nec ne neceſſarium Reipublicæ, neceſſarium tibi eſt obedire? Diſcurſum ad rem tuam accommoda, & redde diſparem cauſam, ſi vales.

27. Nec propterea me putes concedere eſſe *additamenta* dogmata illa quæ a Romana Eccleſia profitentur, a te vero negantur. Quomodo probas Religionem ab Apoſtolis enuntiatam non habuiſſe quę tu *additamenta* vocas? Vales ne tu eorum inſtitutum indicare, ſi Calvinus, quantum expiſcaverit, originis latebras permeare nequivit? Nonne centies Auguſtinus tibi dixit (& jam nauſeat repetere), quod ſemper ab omnibus retentum, nec Conciliis habetur ordinatum, ab Apoſtolis traditum credendum eſſe? Religio Chriſti fundata fuit ſcripto, & voce; cur tu id negas? Hoc ex ipſis Scripturis tibi demonſtratur, cur non acquieſcis? At diſtincte procedamus. Inter hęc quæ dicis *additamenta*, quędam ad dogma, quædam ad ritum pertinent. Tu qui ſubditus es, teneris cuncta implere: verum ſi detrectas facere quæ ad ritum ſpectant, non ſtatim hæreticum te dicam, niſi inobedientię falſum dogma addas, negando Eccleſiam hæc inſtituendi jus habere. Si autem te opponas his, quę dogmatis ſunt, negando ea profiteri, hæreticus es. Attende Jacobe, nec pro injuria habeas. Quando Chriſtus ait: Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te non audierit, adhibe duos, vel tres teſtes. Quod ſi non audierit,

dic

dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus; hìc ſane, ut memini a te dictum, res non erat de dogmate, ſed de privatis controverſiis, & tamen Chriſtus ait: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Tu vero qui negas audire Eccleſiam, nedum de ritibus, ſed de dogmatibus, doles *hæreticum* dici, cum juxta mandatum Chriſti appellari deberes *Ethnicus*, nempe Paganus? Attamen ſi velles adorare Deum abſque Imaginibus, contra ritum Eccleſiæ, *inobedientem* te tantum dicerem. Verum cum illicitum & ſuperſtitioſum aſſeras, Deum adorare, & Sanctos colere in eorum Imaginibus, erras in re gravi, & dogmatica; ideo hereticum te dico. Donec aſſeris te *invocare Deum*, & *fiduciam habere in meritis Jeſu Chriſti*, proponis generatim fundamentum totius Chriſtianæ Religionis; ſed addendo Sanctos colere, & invocare, Idololatriam eſſe, meritum tribuere bonis operibus, etiam factis ab homine juſto, & ſpem ſalutis in iſtis reponere, præſumptionem eſſe ſuperbam, derogantem meritis Chriſti; errorem profers contra ſubſtantiam Religionis, & hereticum te pandis. Quod non habeas *Monaſtica Vota*, *Confraternitates*, *Proceſſiones ſupplices*, *Coronas*, *Agnus Dei*, *Imagines*, non ideo damnaris; ſed quod vituperes Monaſtica Vota, cælibem ſtatum, Proceſſiones ſupplices, Coronas, Cruces &c., reus evadis falſi dogmatis, & erras in articulo eſſentiali Religionis. Vociferaris, *abſque his ſalutem aſſecutos eſſe primos Chriſtifideles*, quod dare vellem; uſum tamen horum non habentes, praxim ipſam illi non deteſtabantur, ut tu facis. Credis *omnibus communicantibus Sacrum Calicem* eſſe exhibendum, & falſum credis: quia nec Chriſtus id mandavit, nec omnibus ſemper exhibitum fuit, & vetuſta Eccleſia aliquando licet talem praxim habuerit, neceſſariam tamen non cenſuit, cum non omnes ſemper acciperent; quare hereticus es non ex Calicis uſu, ſed quia Eccleſiam damnas de non uſu, quem neceſſarium ſtatuis. Tranſubſtantiationem negas, & realem preſentiam Chriſti in Euchariſtia, & utrinque *hæreticus* es; in hoc autem ſecundo nedum apud nos, ſed apud ipſum Lutherum. In primo apud nos *hæreticus es*, quia abſque Tranſubſtantiatione nequeunt proprie intelligi verba Chriſti. Hoſtiam conſecratam non adoras, quo item *hæreticus es*; nec juvat te dicere: *Non adoro quaſi ex defectu debiti honoris erga meum Jeſum, ſed quod certus ſim non eſſe in Hoſtia incluſum;* quandoquidem ſi hæc declaratio locum haberet, hereticus quilibet ſuum purgaret errorem, dum Arianus dicere poſſet, Filium ſe non negare Patri æqualem ex irreverentia, ſed quia certus eſt rem ita ſe habere; Neſtorianus item excuſari poſſet a cultu Jeſu Chriſti, dicendo certum ſe divinitatem in Chriſto non ſubſiſtentem, ſed præciſe inhabitantem adeſſe. Porro quis certum te facit Chriſtum in Hoſtia non eſſe? Dum ille eam oſtendens aſſerit: *Hoc eſt Corpus meum*, ipſi credere, non ſenſibus tuis debes oppoſitum ſuadentibus. Papam non credis, & petis *ſi ob id reſpuas eſſentialem fidei articulum?* Si abſque falſitate dogmatis diſcederes ab Eccleſia Romana, ſchiſmaticus præciſe eſſes; quoniam vero plura miſces falſa dogmata, & contradicis diſpoſitioni Chriſti, qui D. Petrum conſtituit ſuæ Eccleſiæ Caput, inde in Eccleſia negas ſupremam eſſe auctoritatem, cui obtemperandum ſit ab omnibus, quod a principio traditum, omnibus ſeculis confirmatum fuit, & fundamentum habet in verbo Chriſti. ideo hæreticus es pluribus de cauſis. Dicis: *Quot ſeculis Eccleſia fuit, abſque Papis!* Nullum inde indicas. Quod, ut ais, queat *nunc etiam abſque Papa Eccleſia eſſe, cum qui titulum habet eſſet vel non rite electus, vel excommunicatus, vel hæreticus*, caſus eſt chimæricus, quem divina providentia nunquam permittet contingere: nec porro hæc eſt quæſtio. Concede ſaltim Papam rite electum, Catholicum, non excommu-

municatum eſſe verum Caput univerſalis Eccleſię, ſucceſſorem S. Petri, Vicarium ſupremum Chriſti. Jus admitte, inde diſputabimus de facto. At tu cuncta negas, & ſubmurmurando citas Auctorem (quem *Pontificium* dicis) probantem *Papatum damno eſſe Eccleſia*; quem cum non nomines, pace tua permitte inter ſolitas calumnias tuas hanc reponi.

28. Simulas *pag.* 513. credere *omnes articulos eſſentiales, et poſitivos Religionis*, qui per te illi ſunt *compendiati in Symbolis Apoſtolico, Nicano, et Conſtantinopolitano*; ſicut te *damnare omnes hareſes prędamnatas in primis Conciliis*. Peto quid intelligas *pro articulis eſſentialibus Religionis*, vel *non eſſentialibus?* Hi ſecundi, vel continent a Deo revelata, vel non? Si continent, eſſentiales ſunt, & non minus fidei Chriſtianæ fundamentum læderet negans Chriſtum paſſum Jeroſolymę, & ſub Pontio Pilato, quam negans ipſum abſolute paſſum, quia utrumque ęque nobis proponitur a Deo revelatum, & præceptum poſitivum credendi quidquid Deus revelavit, aliud includit negativum, nil neque minimum diffitendi eorum quæ Deus revelavit. Si autem non revelata a Deo contineant, ſed ab hominibus inventa, & indicata, non *articulos fidei* debes dicere, ſed *opiniones*. Judicium tamen diſcernendi nec ne revelata ſint a Deo, ad quem pertinet? Num cuilibet privato? Si ita, nullus prorſus erit *hareticus* in Eccleſia Chriſti, quoniam quilibet hæreticus credidit ſemper non a Deo revelatum, ſed meram eſſe quęſtionem, extra rem fidei, quod negabat: ſive errori ſuo pertinaciter adhæſit, quia illum habuit tanquam veritatem a Deo revelatam. Cæleſtius & Pelagius autumabant peccatum originale nec ne propagatione contrahi, quæſtionem eſſe præter fidem, eamque negare non lædere eſſentialem articulum; hinc ſe eſſe *hareticos* negabant (D. Auguſtinus *Lib. 2. contra Pelagium, & Cęleſt. cap. 23.*): *Nunc illud oportet excutere, quod volentes hareſeos aſtute invidiam declinare, aſſerunt, iſtam prater fidei periculum eſſe quaſtionem: ut videlicet ſi in ea fuerint exorbitaſſe convicte, non criminaliter, ſed quaſi civiliter erraſſe videantur.* Sic etiam Cæleſtius in libello ſupplici Romę exhibito, ſupponebat quæſtionem de peccato originali diſputabilem inter Catholicos. Quidam Apelles ab Euſebio relatus (*Lib. 5. hiſt. cap. 13.*) *fundamentalem* articulum aſſerebat in Chriſtum credere, & bona opera facere; de reliquo, juxta ipſum, quiſque poterat in ea fide manere, quam profeſſus fuerat, & ſalutem conſequi: *Coactus eſt fateri, non rationem fidei omnino quarere oportere, ſed quemque in ea fide perſtare debere, quam profeſſus fuiſſet; eos enim, qui in Chriſtum crucifixum ſpem conjeciſſent, ſalvos fore, dummodo in bonis operibus ſedulo verſarè reperirentur.* Quidam Timotheus Conſtantinopolitanus, referente Theodoro Lectore (*Collectan. lib. 2.*), ad vitandam hæretici notam, recitabat, & recitare committebat Symbolum Nicęnum, qua ſufficiens, & *fundamentale* indicium veri Chriſtiani. Cetera, Picenino more, flocci faciebat.

29. Quotieſcunque vero falſum dogma a Novatoribus ſuſceptum ad ſubſtantiam Religionis pertinere viſum eſt ipſis, quis eorum ſacris textibus munitus contendere non affectavit? Ariani, Neſtoriani, Sabelliani, quot & quales textus ſpecie perſpicuos, in confirmationem ſuorum errorum non compilarunt, & præclariores certe his, qui in favorem ſuę cauſæ a Proteſtantibus infarciuntur? Pro Arianis quid clarius illo: *Pater major me eſt?* Pro Neſtorianis quid luculentius illo: *Solvite Templum hoc... hoc autem dicebat de Templo corporis ſuè?* & altero: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis?* Quid pro Eutychete apertius: *Ego & Pater unum ſumus?* Vel itaque dicendum, *hęreticum* nunquam ullum fuiſſe, quod nemo unquam credidit a ſe negatum Religioni eſſe *fundamentale*, ſive qui credidit ad ſummam Religionis pertinere, nunquam tamen deſtitit ali-

quo

quo Scripturæ textu dictum ſuum confirmare; vel profecto dicendum commentum hujus chimæricæ diſtinctionis a Proteſtantibus excogitatum vacuum eſſe prorſus, & inane. Vel concedis Pelagianos, Arianos, Neſtorianos &c. fuiſſe hæreticos, vel negas. Si concedis; cum ipſi dicerent, articulos ab ipſis negatos aut ad ſummam Religionis non pertinere, aut credentes pertinere, eos ex Scriptura probarent, alterutrum horum dare cogeris; ipſos nempe articulos ab illis negatos vel *fundamentales* fuiſſe; vel ad vitandam notam hæreſis fuiſſe neceſſarium articulos etiam non *fundamentales* confiteri. Si autem concedas illos non fuiſſe hæreticos, teneris aſſerere articulos ab ipſis negatos non eſſe *fundamentales*, & conſequenter apud Pelagianos, Arianos, & Neſtorianos ſalutis viam patuiſſe; eam ſcilicet., quæ apud Calviniſtas exſpectatur.

30. Cathedram aſcendis peſtilentię, & ſtatuis, *rejicere Cathedram D. Petri, Traditiones, differentiam inter Preſbyteratum, & Epiſcopatum, Jejunium Quadrageſimale, preces pro defunctis, Sacrificium Miſſę, neceſſitatem bonorum operum ad juſtificationem, liberum arbitrium, vitam Monaſticam, cultum Imaginum, Reliquiarum, Sanctorum invocationem*, & hujuſmodi, *articulos eſſe non fundamentales*. Ego autem dico: hæreſes hæ omnes ſunt putidiſſimę; & hęc ratio eſt. Qui negat quidquam habitum inter articulos Religionis *non fundamentales*, non eſt cenſendus hęreticus; Antiqui autem negantes articulos quos tu negas dicti fuerunt hæretici ab Eccleſia; Ergo non negabant articulos non *fundamentales*, ſive *adiaphoros*. Probo. Donatiſtæ rejiciebant Romanam Cathedram qua apoſtaticam, Cathedram eam peſtilentię appellantes, ſuos Epiſcopos defectibus incuſabant, & negabant hac de cauſa ſe hæreticos; D. tamen Auguſtinus *Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 51.*, & alibi, tales illos cenſet. Ariani reſpuebant Traditiones. Sic Maximinus apud D. Auguſtinum *Lib. 1. adver. Maxim. cap. 1.* a nobis alibi relatus. Pelagiani pariter eas negabant apud eundem S. Doctorem *Lib. de natura, & gratia cap. 39.* Ipſe tamen earum agnoſcebat neceſſitatem *Lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas, & Lib. 1. contra Creſconium cap. 33.*, ubi probat ad Eccleſiæ unitatem pertinere inſignem illam quæſtionem Baptiſmi manu hęretica collati: *Quamvis hujus rei certe de canonicis Scripturis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſę placuit Eccleſia &c.*; & D. Irenęus *Lib. 3. adverſ. hęreſ. cap. 3.* a nobis ſępe citatus, hæreticos ęque habebat eos qui Traditiones, quam qui Scripturas negabant. Ariani apud D. Auguſtinum hęretici erant, nedum Arianiſmi cauſa, ſed etiam quia aſſerebant, *orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta ſolemniter celebranda eſſe jejunia, ſed cum quiſque voluerit jejunandum, ne videantur eſſe ſub lege* (quod & Gnoſtici dicebant apud S. Epiphanium *hæreſ. 26.*); inſuper *Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni*. Manichæis non aliud Sacrificium, quam orationes, & preces; illud autem Corporis, & Sanguinis Domini negabant. D. Auguſtinus *Lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. & 19.* erroris eos redarguit, & eorum rationes oppugnat, non diſſimiles, ex parte, illis Proteſtantium. Eunomius, D. Auguſtino teſte, bonis operibus adeo adverſabatur, ut aſſereret quod *nihil cuique obeſſet quorumlibet perpetratio, & perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet*; quod idem refert, ac homini in fide firmiter perſeveranti nullum imputari peccatum, quia fide adjunctam ſibi tenet juſtitiam Chriſti; & Simon Magus tradebat, *ſecundum ipſius gratiam ſalvari homines, non ſecundum opera juſta*, ut teſtantur Irenæus *Lib. 1. cap. 20.*, & Theodoretus *Lib. 1. hæret. fabul. cap. 1.* Simon Magus primus qui liberum arbitrium peſſundedit. Eum

ſecuti ſunt Gnoſtici, poſt iſtos Manichæi, confutati a S. Auguſtino pluribus in locis. Videantur a me dicta *Cap. 6.* toto §.4., ubi conſtat num hæretici ab antiqua Eccleſia hi omnes haberentur, qui vitam Monaſticam, Cęlibatum, Sanctorum invocationem, Reliquiarum cultum inſequebantur. Quę cum ita ſint, nonne Jacobe mi omnes hi articuli tui hæreſes ſunt primis ſeculis damnatæ? Hęreticus igitur erit negans articulum etiam non *fundamentalem*. Aut pręfati articuli *fundamentales* ſunt; vel illorum temporum Patres inique damnarunt tanquam hæreticos qui tales non erant; quamobrem puritatem, & ſinceritatem doctrinę amiſerant: quod ipſorum Proteſtantium ſententię adverſatur, præſertim Calvini, agnoſcentis in Eccleſia Doctrinæ puritatem per quinque ſaltim ſecula. Quibus omnibus ſic diſſero: Salus nulla eſt in illa Eccleſia, quę plura dogmata tenet ab Eccleſia pura hęreſi proſcripta. Eccleſia tua, ut oſtenſum eſt, plura dogmata tenet a pura Eccleſia hęreſi proſcripta. Salus igitur in tua Eccleſia nulla eſt: & certiſſime nulla eſt.

31. Si perſiſtas, *minutias eſſe, ſummam Religionis non offendentes*; quęram ex te, *minutia* ne ſit ſecundas nuptias damnare? quam tamen hęreſis cenſura reprehendis in Montano. *Minutia* ne hęreticos rebaptizare? Hęreticum tamen haberes ſic ſentientem, quemadmodum hęreticum haberes qui infantibus Euchariſtiam miniſtrare vellet, & Anabaptiſtas damnas Baptiſmum infantium non approbantes. Arminiani, ſive Remonſtrantes, prętendunt articulos oppoſitos doctrinæ Gomariſtarum non eſſe *fundamentales*, & tamen in Synodo Dordracenſi damnati fuerunt tanquam *corruptæ religionis, ſciſſæ unitatis .... reos, ac convictos teneri (Syntag. Confeſſ. in ſent. Syn. Dordracenę)*, & ſub pœna mortis, niſi reſipiſcerent, & ſe retractarent. Hæc diſtinctio Arminianis non profuit contra Proteſtantes, prodeſſe autem debet Proteſtantibus contra Catholicos Romanos? Quam ſi profuturam pertinaciter contendas, regulam ſaltem certam præbe ad articulos *fundamentales* ab *adiaphoris* diſcernendos. In Scripturis nullam video; quod tibi Scripturis dumtaxat hærenti ſufficere deberet ad evertendam tuam diſtinctionem. Permittere tamen volo, dummodo id mihi certiſſime pręſtes, quo abſque erroris periculo diſcernere valeam, quę Religioni eſſentialia ſint, quę vero non ſint. Si cum Calvino *Lib. 4. Inſt. cap. 1. §. 12.* dices, articulos fundamentales eſſe: Unum eſſe Deum, Chriſtum Deum eſſe, & Filium Dei, ſalutem in ſua miſericordia reponendam eſſe, & *: Sunt alia, quæ inter Eccleſias controverſa, fidei tamen unitatem non dirimunt;* profecto ſcio te ſuaſum eſſe alios articulos profiteri debere. Neque effutias, iſta tantum credentem, & cetera negantem, adhuc ſalutis ſtatum attingere: ſecus Anabaptiſtas, aliosque, qui tibi hęretici ſunt, quomodo damnare valeres, cum præfatos articulos omnes profiteantur? Si vero omnes fundamentales articulos in Symbolo Apoſtolorum includi aſſeras, tibi ipſi contradicis, qui teſtatus es credere fundamentales eos etiam qui habentur in Nicęno, & Conſtantinopolitano. Si iſtos tantum fundamentales te habere ſtatuas, ſtatim inferendum, articulos in poſterioribus Conciliis, Epheſino contra Neſtorium, Chalcedonenſi contra Eutychetem, Arauſicano II. contra Pelagium, non eſſe *fundamentales*, & conſequenter hos non erraſſe in articulis eſſentialibus, nec fuiſſe hæreticos, & ſalutis media tenuiſſe. Si cum Marco Antonio *de Dominis* adſtruas fundamentales illos habendos, qui perſpicue leguntur in Scripturis; Ariani tum, Macedoniani, Neſtoriani, primæ notæ hæretici, qua tu, præſumere audebunt errores ab ipſis profeſſos articulos eſſe *eſſentiales* Religionis, pro cauſis ſuis referentes textus Scripturę, eorum judicio nitidiſſimos. Hac doctrina hęreſes omnes veritatem habere contendent, & Chriſtiano Orbi perſuadebunt puritatem habere doctrinæ, & ſalutis ſemitam do-

docere. Fatearis igitur oportet, vel in Eccleſia tua nullam eſſe ſalutem, vel in quacunque hęreticorum Secta latam eſſe ſalutis viam; in quam abyſſum vos Proteſtantes plerumque corruitis. Tandem ſi animadvertas illos erraſse, reponam ſtatim: Qua ratione certum te facis in eundem errorem non eſse lapſurum? Quis hoc tibi promittit? Scriptura? Vel ſenſum, vel litteram conſideras. *Littera occidit*, non ſalvat, ait *D. Paulus*(2.*Cor.* 3.6.). Senſum recipis? Cum iſtud ſit quæſtionis ſubjectum, Judex eſse non poteſt. Hæretici etiam illi quos fefelliſse ſe narras, Scripturæ ſenſum ſibi propitium habere blandiebantur, & ſpiritum veritatis ad ejus intellectum; compertum tamen non tuo diſſimilem ſpiritum habuiſse mendacii. A quo autem compertum? Ab Eccleſia, quę in Conciliis eos damnavit. Si hæc porro Eccleſia, quæ ſpiritum etiam Proteſtantium damnavit, hunc pronuntiavit ſpiritum mendacii, cur ſcriptis tuis etiam nunc calcitras?

32. Ineptum eſt dicere *pag.* 514. *Putabatur, Eccleſiam fore Calicem populo reddituram, privatas Miſſas abrogaturam.* In gratiam ne veſtram cuncta abiicere & dogmata, & ritus? neve fanatica veſtra deliria ſequi præterire, terga dare venerabili antiquitati, Evangelio & Chriſto? Ariani quoque ſibi promittebant Eccleſiam in ſui favorem fore pronuntiaturam; quamobrem tot turbas civerunt, tot Conciliabula per ſummam violentiam coegerunt. Fremebant & ipſi, conquerentes Eccleſiam infallibilitatis gloriam ſibi arrogare in ſuo Concilio Nicæno I., nec cedere velle in minimo, nec etiam in *vocabulo*, & ita fuit. Semel hæretici pronuntiati, ſemper hęretici fuerunt, ſunt, & erunt; & Arianis Eccleſiis nulla ſalus. Sic et ego concludo. Indignare, freme, Picenine, quantum vales clama contra Eccleſiam. Infallibilis eſt, nec in minimo vult cedere, quod contrarium ſit veritati. Hęreticum te pronuntiavit; talis es, et eris: et in Eccleſia tua nullam audeas ſperare ſalutem.

33. Fidei confeſſio, quam palam exhibes, nullum tibi pręſtat ſuffragium. Qui hęreticus ad illudendos credulos ſuę fidei confeſſionem non exhibuit? Arius, Neſtorius, Eutyches, omnes id præſtiterunt. Falſi ſunt articulos ab ipſis creditos, a Catholicis non diſcrepantes; ſubdole involventes, et diſſimulantes quos negabant. Audiamus an Picenini confeſſio caliga ſit ejuſdem panni.

CAPUT XVIII.

Expenditur Picenini edita Fides.

§. I.

Articuli de Deo, & Chriſto.

1. Ergo Apologię tuę *cap.* 19. *pag.* 514. ſic pravæ tuę Fidei Confeſſionem inſtituis: *Nos credimus unum Deum eſſe, ideſt unam perfectiſſimam eſſentiam. Hęc eſſentia, poſſidens omnes perfectiones, ſe manifeſtat hominibus per opera creationis. Revelatur tamen perfectiori modo fidelibus ſuis per verbum ſuum. Non credo Chriſtianum, hunc articulum negare poſſe.*

Hoc articulo Chriſtianus in genere haberi potes.

2. *Nos acceptamus libros in hoc ſancto verbo contentos: tum illos veteris, quos Deus in Judęorum manibus depoſuit, tum illos novi Teſtamenti; & ſuaſi ſumus, quod integra Scriptura eſt divinitus inſpirata, ſcripta inſpiratione divina a Prophetis, Evangeliſtis, & Apoſtolis &c.*

Hic etiam hujuſmodi haberi potes; ſed procedamus.

3. *Nos pro canonicis tenemus illos libros, qui tales crediti uerunt a primęvis Chriſtianis, 30. Veteris, & 27. Novi Teſtamenti; & apocryphos cenſemus eos, quos recenſebat tales populus Dei, cui commiſſa fuerunt ejus oracula. Nos rejicimus libros Machabaeorum, tanquam compendium hiſtoriarum contradictionibus refertarum; additio.. Eſther, & Danielis, quę repugnant li*

bris

bris canonicis ejuſdem nominis ; hiſtoriae Tobiç, & Judith, quç continent res falſas ; & illam Suſannç, quç fabulam ſapit. Hçc fuit antiquç Eccleſiç fides ; & ſi alii nobis opponunt Canonem Concilii Carthaginenſis III., nos illud ſuppoſititium tenemus, dum in multis exemplaribus deſideretur, & opponimus Concilium Laodicenum.

Jam incipis putidiſſimum te hæreticum manifeſtare. Spiritus certus ad diſcernendos canonicos libros ab apocryphis non cuique privato conceſſus fuit, ſed totius Eccleſiæ corpori, cui commiſſa ſunt oracula tum Novi, tum Veteris Teſtamenti. Ipſa canonicos ſanxit libros illos; qui ſi ab Hebræis canonici habiti non fuerunt, neque inter apocryphos amandati, ut de illis Prædicantes faciunt, oppoſitos eos deprehendentes ſuis novitatibus. Eccleſiæ credendum eſt, & non pſeudoreformatoribus, quibus ſi libri illi in aliquibus contradici videantur, idem quoque illis accidit in canonicis libris, de quibus quemadmodum teſtantur id eſſe ſecundum apparentiam, non ſecundum veritatem, ſic de illis tenentur judicare. Clamas contra Eccleſiam, quæ fieri velit Scripturç judex, inde non pudet te eaſdem judicis partes uſurpare, falſum appellans, & ſapiens fabulam, quod ipſa probat. *Canonem Concilii Carthaginenſis III.* ſuppoſititium aſſeris, ſed non probas. Oppoſitum quidem probavi Auguſtini auctoritate. Dicis velle *opponere Laodicenum Concilium*; cui tamen minime adhæres, dum ab iſto liber *Apocalypſis* non recipiatur in Canonem, quem tu recipis. Inniteris igitur jactantiæ ingenii tui. Sic nimirum antiqui hçretici recipiebant, & rejiciebant Scripturas ad arbitrium. Sed proſequere.

4. *Nos libros canonicos inſpicimus tanquam regulam noſtrç fidei, & morum. Nos ex ipſis accipimus Dei notitiam, & noſtri; quid Deus pro nobis facit, quid propter Deum nos facere debeamus; quid Deus expoſcat a fidelibus, quid ipſis promittat. Nos credimus teneri nos legere, & inceſſanter meditari, juxta mandatum Dei, & antiqua Eccleſia praxim. Quis ob id nos vult damnare?*

Utile ſit Scripturas legere, & explicatas audire. Sed tu vis ſolam originalem lectionem omnibus eſſe communem, mulierculis ſcilicet, & laniis tenus, ac cauponibus. In hoc ab Eccleſia diſcrepas, quæ non omnes idoneos cenſens ad intelligentiam ſublimium myſteriorum, diſponit aliquos haberi qui legant, & explicent, alios qui audiant, & diſcant ab illis verum ſenſum; quæ diſciplina mirum in modum fovet uniformitatem in fide. Neque contrarium præcipitur, immo in veteri lege id fieri conſueverat. Progredere.

5. *Nos nullum recipimus dogma, niſi ſit in Sancta Scriptura contentum. D. Paulus anathema dicit ipſi Angelo, ſi aliud annuntiaret præter id quod annuntiatum eſt. Quis ob id dicet nos eſſe hçreticos?*

Verbum divinum qua ex parte litteris, qua ex parte voce communicatum. D. Paulus non dicit anathema Angelo, ſi aliud Evangelium annuntiaret præter id quod *ſcriptum* eſt; utique præter id quod *annuntiatum* eſt. Annuntiare autem non eſt præciſe ſcribere, ſed vel ſcripto, vel voce communicare. Hç non ſunt humanæ rationes, ſed ipſum Dei verbum depoſitum ab Apoſtolis oretenus in aures Eccleſiç; & ab ipſa cuſtoditum, inde traditum fuit poſteris. Quamobrem hic tibi contradicis, quia ex parte ſtatuis non recipere aliud dogma, quam ſcriptum; ex alia non vis recipere verbum non ſcriptum, ut poſtea oſtendam. Interim demus aures.

6. *Coherenter ad has Scripturas nos credimus unum ſolum Deum tanquam perfectiſſimum entium omnium, purum ſpiritum, ſimpliciſſimum, omni materia expertem, qui cuncta cognoſcit, ſapientia infinita, omnipotentem, bonitatis, & miſericordia ineffabilis, juſtiſſimum, ſanctiſſimum, qui peccatum non dimittit impunitum, im-*

mu-

mutabilem, infinitum, glorioſiſſimum. Hęc ne etiam hæreſis?

Minime, ſed doctrina ſana eſt, quę tamen omnino non convenit cum illa Lutheri *Lib. de Concil. par. 2.*, & Calvini *Lib. 2. Inſt. 2. cap. 7. §. 5.* Lutherus prędicat in Chriſto divinam naturam paſſam. Quomodo igitur immutabilis? Calvinus docet Deum facere non poſſe, quod non futurum Scripturæ pronuntiant: *Cavillis non eſſe obnoxiam ſententiam, ſi quis dicat fieri non poſſe, quod non futurum Scriptura pronuntiant.* Quomodo igitur Deus *omnipotens?* Calvinus vult Deum peccati auctorem; quod poſitive illud velit; & peccatorem neceſſario peccare? Quomodo autem juſte Deus punire poteſt culpam, cujus eſt auctor, quam ipſe voluit, & peccator non committere non potuit? Quomodo ſimul tum juſtus, & miſericors? Hic ſtudes nos decipere, & tibi contradicis, & doctrinam Magiſtri tui pernegas. Ad aliam.

7. *Nos credimus tres Perſonas, in quarum nomine baptizati ſumus, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Quę eandem habent eſſentiam, ſed nihilominus ſunt diſtincta Perſona. Tres Perſonę, ſed unus Deus; ut ait D. Joannes (1. Joan. 5.).*

Optimus eſt hic ſermo, quanquam non omnibus Proteſtantibus communis; in aliquibus quippe nutritur purus putus Arianiſmus. Calvinus *Epiſt. ad Stankarum* ſępius fit ſuſpectus de fide. I. Chriſtum ponens mediatorem etiam ſecundum naturam divinam. II. quando *Lib. 1. Inſt. cap. 13. §. 5.* abhorret a nominibus *conſubſtantialis, Hypoſtaſis, Trinitatis.* III. *Lib. adverſ. Valentinum Gentilem refutat. 10.*, aſſerens nomen Dei per excellentiam ad ſolum Patrem pertinere. IV. hunc ſolum proprie Creatorem eſſe Cæli, & terræ. V. Filium ſubiectum eſſe Patri, etiam ſecundum divinitatem. VI. modum loquendi Symboli Nicæni *Deum de Deo, eſſe improprium, & durum.* VII. Chriſtum etiam ſecundum divinam naturam eſſe minorem Patre (*Epiſt. 2. ad Polonos*). Sic loquens, Arianiſmo putido fœtet.

8. *Nos credimus Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum, Filium Dei proprium, & naturalem. Magnum Deum, & Salvatorem, per quem omnia facta ſunt, Throni, Dominationes, Poteſtates. Qui terram fundavit. Quem adorant Angeli. Quem tentarunt Iſraelita in deſerto. Qui ſcrutatur renes, & corda. Quem Iſaias ſedentem vidit ſuper gloria Thronum. Quem Jeremias nominat Dominum juſtum noſtrum, & D. Joannes Deum. Haccine hęreſis?*

Minime. Sed quomodo Chriſtum Filium *naturalem* Dei appellare potes, ſi cum Calvino *Lib. 1. Inſt. cap. 13. §. 23.* negas eſſentiam accipere a Patre? (*Joan. 5. 26.*): *Sicuti Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo, & dedit illi poteſtatem &c.*; & alibi (*Joan. 7. 16.*): *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* Si hæc credis, abjurare debes Calvinum. Procedamus.

9. *Nos credimus divinitatem Spiritus Sancti, in cujus nomine baptizati ſumus. D. Petrus docet, quod mentiri Spiritui Sancto, eſt mentiri Deo. Et D. Paulus, quod Spiritus Sanctus ſcrutatur imperſcrutabilia Dei, & ab ipſo procedere donorum varietatem. Nos eſſe ejus Templa. Peccatum contra ipſum eſſe irremiſſibile. Nos a Deo petimus non minus communionem Sancti Spiritus, quam gratiam Filii, et Charitatem Patris. Hęccine etiam hæreſis?*

De divinitate Spiritus Sancti non male audis, ſed hæreticus es Novatianus, aſſerens peccatum contra Spiritum Sanctum eſſe abſolute *irremiſſibile.*

10. *Nos credimus æternum Deum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum decreviſſe jam ab ęterno quidquid futurum erat in Mundo. Et ęterna eſſe ejus decreta, immutabilia, ſapientiſſima. Id negari nequit, abſque repugnantia rationi, et verbo Dei.*

Neque hic male audis; ſed cum Calvino aſſerere Deum decrevisse bona opera æque ac peccata, & horum eſſe auctorem, blaſphemia eſt peſſima contra ejus Omnipotentiam, & Sancti-

ctitatem, deterior hæreſi Manichæorum, dum hi Deum unum fingunt boni auctorem, alterum mali.

11. *Nos credimus Deum creaſſe quidquid eſt: viſibilia, et inviſibilia, Homines, Angelos, Cęlum, Terram, Aſtra, Plantas, et Animalia. Quod ab ipſo, per ipſum, et propter ipſum omnia ſint. Hęc porro hęreſis?*

Minime. Sed cum Calvino dicere omnium Creatorem proprie eſſe ſolum Patrem, ut ſupra animadverti, eſt Ariana hæreſis. Addere ab ipſo, per ipſum, & propter ipſum eſſe peccata, horrendum eſt blaſphemiæ verbum.

12. *Nos credimus Deum gubernare omnia per providentiam ſuam, adeo ut nil accidat abſque ejus permiſſu... Nec Paſſerculus in terram cadit abſque ejus voluntate. Omnes capilli noſtri numerati ſunt; in Deo ſumus, movemur, et vivimus; et Chriſtum omnia ſuſtinere verbo potentię ſuę. Hęc forte hęreſis?*

Minime. Eam tamen Providentiam Deo tribuere. quæ abſolutam neceſſitatem imponat, eſt liberum arbitrium hominis evertere. Providentia, quæ a Calvino adſtruitur, eadem eſt ac Gentium fatum, vel ipſum Manichæorum Providentiæ monſtrum. Et vos tam perfidi, quod ſectatores Chriſti fideles eſſe gloriamini?

13. *Nos credimus Deum feciſſe hominem ad imaginem ſuam, dotatum intellectu, et innocentia, luce, intelligentia ad agnoſcendum factorem ſuum, et dandum illi debitum cultum. Conſtituit eum Deus dominum ſuper inferiores creaturas. At egreſſus homo e manibus Dei puriſſimis, diu non ſtetit in ſtatu feliciſſimo innocentia. Immo effectibus liberalitatis Creatoris ſui abuſus eſt ad tranſgreſſionem ejus pręcepti ipſi impoſiti, de non comedendo fructu Arboris ſcientia boni, et mali. Totum hoc ex Moyſe; nec ſane hareſis erit.*

Hęc mera eſt verborum pompa. Abuſum fuiſse Adam effectibus liberalitatis Creatoris tranſgrediendo ejus pręceptum, non conſonat doctrinę Calvini *Lib. 3. Inſt. cap. 23. §. 8.*, ubi ſtatuit Deum abſolute prędeſtinaſse et voluiſse lapſum Adę. et Adam neceſsario lapſum eſse. Ad reliqua.

14. *Nos credimus per primum Adam peccatum introiſſe in Mundum, et per peccatum mortem, et per hanc unam offenſam ſuper omnes cecidiſſe culpam in damnationem. Et hac conceptiſſima eſt D. Pauli doctrina. Et nos ſuaſi ſumus, omnes Ada poſteros, ſolo excepto Chriſto, reos naſci, corruptos, et in peccato conceptos; quia quod ex carne natum eſt, caro eſt. Omnes igitur natura ſunt vitiatę, et corrupta. Nec particularis, ſed communis eſt omnibus hęc corruptio. Ergo omnes natura filii irę. et damnabiles. Si hac hereſis; heretica item erit doctrina Davidis, D. Pauli, D. Joannis.*

Si intelligis hic nos omnes eſse corruptę naturę, nec niſi corruptionem in nobis eſse, videlicet naturam corruptam eſse nonniſi peccatum, falſum dicis, quia per peccatum non omnino extincta, ſed dumtaxat extenuata, et infirmata eſt cognitio, et propenſio in bonum. Omnes autem reos naſci veriſſimum eſt; non tamen id conſonat Calvini doctrinę *Lib. 4. Inſt. cap. 16. et 24.*, ſtatuentis infantes fidelibus parentibus genitos in pacto contineri, et antequam naſcantur in ſuos ab utero pronuntiari a Deo; ita ut decedentes etiam ſine Baptiſmo ſalutem conſequantur. Non itaque apud Calviniſtas verum habetur omnes reos naſci, et damnatione ſontes.

15. *Quamvis peccata non æqualia ſint, credimus tamen omnia mereri mortem, quia ſtipendium peccati mors.*

Siſte. Hic errorem diſſimulas. Negas dari peccata reapſe venialia, et confundis otioſum verbum cum adulterio, putans utrumque ęternam mortem ęque mereri. Hęreſis fuit in Joviniano damnata, ut legi poteſt apud D. Auguſtinum *hareſ. 82.*, & expreſſius apud D. Hieronymum *Lib. 2. contra Jovinianum* circa finem. Hæreſis etiam in Pelagio proſcripta,

teſte

teſte D. Auguſtino *Hereſ.* 88., & D. Hieronymo *in Dialog.* 1. *&* 11. *contra Pelagianos*. Proſequere nunc: *Nihilominus peccatum non eſt, quod Deus peccatori pęnitenti non remittat*. Siſte iterum. Non ergo ſola fides eſt, quæ juſtificat, ſed etiam pœnitentia, ſi Deus peccatori parcat pœnitenti. Progredere: *Vel cui remittere vult, excepto peccato contra Spiritum Sanctum, quod Deus non remittit neque in hoc, neque in futuro ſeculo, ideſt in æternum. Hęretici ne hac etiam de cauſa erimus?*

Indubitanter, quia plures hic celas errores. Dicis Deum peccata remittere; ſed revera id negas, dum velis peccatum manere, & dumtaxat a Deo non imputari, et remiſſionem peccatorum non eſſe maculas delere, vel tollere, ſed dumtaxat juſtitia Chriſti eas tegere. Hæc *Maſſilianorum* hæreſis eſt, relata a Theodoreto *Lib.* 4. *hęret. fab. cap.* 11., ut obſervat Lindanus in ſuo Dubitantio *Dialog.* 2. Hæreticus etiam es *Novatianus*, credendo peccatum contra Spiritum Sanctum eſſe omnino irremiſſibile, nedum ab Eccleſia, ſed etiam a Deo.

16. *Nos credimus, quod dum peccatores, & morte rei ſint omnes Mundi homines, nemo poſſet eſſe beatus, ſi Deus ante Mundi conſtitutionem quoſdam non elegiſſet, quos prędeſtinavit ad gloriam ſuam, alios in corruptione deſerens; et niſi in abyſſis ſapientię ſua reperiiſſet medium juſtitię ſua ſatisfacienda, & exercendę ſua miſericordia. Uno verbo, niſi largitus eſſet Mundo Mediatorem. Hęc profeſſio fidei hęretica nequit eſſe, quia eſt D. Pauli.*

Miſces ubique mendacium veritati, & D. Paulum cum Calvino, *Serpentes avibus geminantur, tigribus agni*. Dum dicis Deum quoſdam prædeſtinaſſe, alios vero in corruptione deſeruiſſe, bene habes; verum dum cum Calvino doces quoſdam Deum, data opera, creaſſe ad perditionem, & damnationem, ut ſupra oſtendi, Deum facis Tyrannum, & impium te ſceleſtiſſimum prodis.

17. *Nos confitemur hunc Mediatorem eſſe Jeſum Chriſtum Filium Dei, humanatum in plenitudine temporum. propter noſtram ſalutem, filium hominis factum, obediendo legi, & ſuſtinendo pœnas a nobis meritas. Patiens id Deus, ut Deus pati non poterat. Nos credimus conceptionem, nativitatem, vitam, mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem hujus Salvatoris, ut deſcripta nobis ſunt a Sanctis Evangeliſtis.*

In hoc bene crederes, ſi pro pœnis a nobis meritis, & a Mediatore noſtro toleratis, non intelligeres pœnas etiam, quas in Inferno damnati patiuntur, ut ſentit Calvinus (*Lib.* 2. *Inſt. cap.* 16. §. 10.).

18. *Nos credimus Jeſum Chriſtum morte ſua ſatisfeciſſe divina juſtitia, & expiaſſe omnia peccata noſtra. Ipſe meritus eſt nobis peccatorum veniam. Ipſe liberavit nos a maledicto legis, et gratię fœdus ſtatuit. Et hæc eſt doctrina Prophetarum, & Apoſtolorum, Chriſtum in Mundum veniſſe peccatores ſalvos facere, & dare animam ſuam redemptionem pro multis; ipſum vulneratum fuiſſe propter peccata noſtra, redemiſſe nos a maledicto legis, emiſſe nos pretio ſanguinis ſui; in ipſo nos habere remiſſionem peccatorum, peccata noſtra portaſſe in ligno. Et ſicut quaſi Sol nitet hæc ſatisfactio Chriſti in ſacris libris, ſic non hęretici nos hac fide.*

Non eſſes, ſi crederes quomodo credere ſimulas; quoniam autem, ſtante ſatisfactione Chriſti mediante ejus paſſione, aſſeris cum Calvino (*Lib.* 3. *Inſt. cap.* 14. §. 4. 9. & 11.) juſtorum, & regeneratorum opera in ſe peccata eſſe, fœditates, & immunditias, hac loquela, ſi penitus non tollis, valde tamen dejicis paſſionem ſuam, dum conſequenter dicas Chriſtum homines relinquere, quales eos reperit peccatores miſeros cum peccato, quod concupiſcentiam eſſe doces; & falſum facis D. Pauli aſſertum (Rom. 5: 20.): *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

19. *Nos credimus tria mediatoris mu-*

munera annuntiata in veteri Teſtamento, & repręſentata in novo ipſo nomine Chriſti, ſicut nomen Jeſus ſignificat Salvatorem noſtrum. Et hac tria munera ſunt, Propheticum, Sacerdotale, & Regium.

Non videris in hoc male credere.

20. *Nos credimus Chriſtum, qua Prophetam, oſtendiſſe nobis veram Paradiſi ſemitam, quę uniee diſci poteſt a doctrina ejus, quę vitę aternę verba habet. Hic Doctor, quem licet audire. Non equidem hęretici, ſi Chriſtum audiamus: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.*

Profecto vos non hæretici, ſi Chriſtum audiretis vobis loquentem, & mentem ſuam exprimentem per Eccleſiam ſuam, neve potius exaudiretis Lutherum & Calvinum, oſtendentes vobis Chriſtum, ſed ubi non eſt. Non vos hæretici, ſi Chriſtum audiretis vobis loquentem per ſuorum Paſtorum ora, neve iſtos ſperneretis, cum ille (*Lucę* 10.16.) ipſis, & de ipſis dicat: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Non vos hęretici, ſi a ſpiritu Eccleſię, non a mendaci veſtro trahi permitteretis. Si ab illo exploraretis doctrinæ Chriſti ſenſum, & non ab inſania veſtra. Si Matrem illam veneraremini, & non ut adulteram abominaremini. Quoniam autem hæc non facitis, vos hęretici, & Donatiſtis deteriores. Quomodo audire vultis Chriſtum, cum Eccleſiam non audiatis, illo dicente (*Matth.* 18. 17.): *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus?* Age.

21. *Nos credimus, Jeſum Chriſtum eſſe ſummum Sacerdotem noſtrum, qui in plenitudine temporis apparuit ad delendum peccatum ſacrificio ſuiipſius, qui ſemel obtulit ſeipſum; ſecus ſepius pati debuiſſet a conſtitutione Mundi. Ejus victima valoris eſt infiniti, quę non eget reiterari, ut fiebat de victimis veterum Sacerdotum. Non revera hac pleniſſima oblatio poteſt reiterari, niſi interſit realis paſſio. Nos credimus etiam una oblatione conſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos. Et poſtquam Chriſtus obtulit in terra ſuum ſacrificium, ingreſſus eſt Calos, ad comparendum ibi ante faciem Dei pro nobis. Et ſic aternum eſt illius Sacerdotium, nec eget ſucceſſoribus, ut Sacerdotes veteris Teſtamenti, qui morte impediebantur perſeverare. Nequit hac fides hareſis eſſe, quoniam eſt D. Pauli.*

Doctrina D. Pauli ſanctiſſima eſt, ſed interpretatio tua, & deductæ illationes, hæreſes tui propriæ ſunt; nempe ab Eccleſia eliminare Sacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti, ab ipſo inſtitutum in Cœna, & mandatum, dum ait: *In mei memoriam facietis*; & ex doctrina Apoſtolorum uſu retentum ab exordio tenus Eccleſię. Hanc hæreſim a Manichæis ſuſcepiſti, & a Meſſalianis, ut oſtenſum fuit, & ultra oſtendetur. Victima Jeſu Chriſti non eget ab ipſo reiterari novi pretii largitione, ſed nos egemus eam reiterare, ut nobiſmetipſis appropriemus ſolutum pretium. Quemadmodum autem Chriſto facie licet ſua pro nobis ſe exhibente, debemus noſmetipſos precibus exhibere, & bonis operibus ante conſpectum Dei, ſic pro expiatione noſtra exhibere ipſi debemus Sacrificium Corporis, & Sanguinis ſui. Neminem Chriſti Sacerdotio ſuccedere, doctrina eſt D. Pauli; ſed illatio deducta, videlicet Sacerdotes in Eccleſia non eſſe, qui ſummi Sacerdotis Chriſti nomine ſacrificent, novitas eſt, error eſt, & peſtis.

22. *Nos credimus Chriſtum noſtrum Regem eſſe, qui ſceptro verbi ſui nos regit, & ductu ſpiritus ſui. Nec terrenum eſt hoc regnum ſuum, nec terrenis mediis regitur, vel humanis, pompa, et magnificentia, ſed ſpirituale eſt, et caleſte.*

Plures hìc ſolemniſſimos celas errores, in fraudem miſeræ illius plebis, quæ te audit. Chriſtus nos regit ſuo verbo, & ſpiritu; ſed ſpiritus non immediate commiſſus eſt cuique privato, ſed Eccleſiæ, a qua quilibet Chriſtianus accipere debet

ver-

verbum, & veritatem ſpiritus. Hìc negas Eccleſiam, quæ Dei regnum eſt in terra, viſibilem eſſe: hæreſis jam reprobata ab Auguſtino contra Donatiſtas, ut dictum eſt. Si media ad ejus regimen ſpiritualia ſunt; negas tu igitur prædicationem verbi Dei, negas Sacramenta, ritum omnem externum, & ſenſibilem. Aliud quippe eſt Regnum Dei terrenum non eſſe, nec de hoc Mundo; aliud eſt in terra non eſse, nec viſibile. Primum veritas eſt, ſecundum autem hæreſis oppoſita Dei verbo, ut plurimis locis oſtendit D. Auguſtinus.

§. II.

Examen Articulorum Piccnini, de gratia, & bonis operibus.

23. *Nos cum D. Paulo credimus Deum efficaci vocatione omnes prædeſtinatos vocare, pro quorum ſalute Filio proprio non pepercit. Deus illos ita vocat, ut ex mortuis vivos eos faciat, tranſmittens illos de ſtatu naturæ ad ſtatum gratię, a ſervitute Satanę ad libertatem filiorum Dei, a tenebris ad lucem. Et hoc facit Deus per verbum ſuum, & ſuum ſpiritum. Hęc ne hęreſis?*

Donec dicis, Deum vocatione efficaci trahere ad ſe prædeſtinatos ſuos, mihi videris loqui cum D. Paulo, & catholice: ſed quando intelligis hanc efficacem vocationem imponere neceſſitatem, & arbitrium evertere, omnia perdis, ſentiens cum Calvino, & Manichęis, & verus es Hęreticus. Donec aſseris, Deum pro ſalute prædeſtinatorum non pepercisse Filio ſuo, mihi videris loqui etiam cum D. Paulo, & bene: ſed ſi prætendis ad ſolos electos coarctare pretium ſuæ Paſſionis, & voluntatem ſuam homines ſalvandi, cum Calvino *contra Hesbus.* ſentis, & injurius es illi Domino, de quo ait S. Paulus (1. *Timoth.* 2. 4.): *Omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; & vult orationes fieri pro omnibus ad Jeſum, qui ſanguinem ſuum fudit pro hominibus, nemine excluſo, quanquam non omnes de ejus fructu participes fiant.

24. *Nos credimus hominem propriis viribus abſque efficaci auxilio divinę gratię non potuiſſe liberari ab infelici ſtatu, in quem per peccatum lapſus erat: quoniam nos in delictis noſtris mortui eramus. Caro neſcit ſubjici divinę legi. Animalis homo non percipit qua Dei ſunt. Nemo ad Filium vadit, niſi Pater traxerit eum. Deus operatur in nobis velle, & operari, ipſe cor aperit, ut prędicata intelligantur. Ipſe mutat cor lapideum in cor carneum. Hæc eſt doctrina D. Pauli, D. Auguſtini; immo Thomiſtarum, & Janſeniſtarum.*

Senſim quæſo Jacobe mi. Si pręter gratiam efficacem agnoſcis etiam gratiam inefficacem, & ſufficientem, cui homo valet reſiſtere, cum D. Paulo loqueris (2. *Corinth.* 6. 1., *ad Hebr.* 12. 15.): *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis ... Contemplantes ne quis deſit gratię Dei*; id autem cum D. Auguſtino, & Thomiſtis: & ſi cum gratia efficaci liberum arbitrium ſalvas, cum poteſtate indifferentiæ, & dominio libertatis, catholice loqueris. Sed quia non aliam agnoſcis gratiam, quam efficacem, & cum hac omnino tollis liberum arbitrium, in errore verſaris Calvini, & Janſeniſtarum, jam prędamnato.

25. *Nos ſuaſi ſumus, Deum in nobis cauſare fidem: hinc donum Dei dicitur; & hæc fides (qua creditur), perſuaſio eſt fidelis animæ, quę certa de Divinis promiſſis, ad Jeſum Chriſtum confugit, in ipſo ſolo quærens, ut in unico Salvatore, juſtitiam, et vitam. Hæc fides innititur merito Jeſu Chriſti, et ipſi conjungit fidelem, adeo ut nil poſſit dividere unum ab altero. Hæc eſt fides illa qua recipimus Jeſum Chriſtum in cordibus noſtris, et applicamus ejus juſtitiam, obedientiam, et mortem. Hæc fides mortua eſt, niſi efficax ſit per charitatem, ſi ſit ſine operibus. Non omnium eſt, ſed Electorum. Error num etiam hic peſtilentiſſimus?*

Indubitanter; immo non unus,

ſed plurimi rotundiſſimi in hoc articulo continentur. Fateris te ſuaſum, Deum in nobis fidem operari. Si propoſito duobus Evangelio, donum Dei aſsereres unum quam alium credere, catholice ſentires: quoniam vero vis Deum in nobis ita fidem operari, ut nec intellectus, nec voluntas ad hujuſmodi actum ullatenus concurrant, ſed tantum ut paſſivæ cauſæ a Deo eum ſuſcipiant; loqueris hæretice, ſentiens fidem hominibus non eſse liberam, ſed neceſsariam: cum Catholicus ita teneatur fateri gratiam ſuæ vocationis ad fidem, quin deſtruat libertatem, & ita vitare Pelagianam hæreſim, quin in Manichæam offendat.

Definitio Fidei a te poſita miſcet Fidem cum Spe, & Charitate: & quia in his totus es ignorantiæ tenebris involutus, charitative te docere volo quidnam Fides ſit. Suaſio illa qua fidelis anima verum credit quidquid Deus revelavit, ac promiſit, & præſertim quod per Jeſum Chriſtum, & ejus gratiam impius juſtificetur, hæc ſcilicet Fides eſt, ut eam deſcribit Concilium Tridentinum (*Seſſ. 6. cap. 6.*). Confugere autem ad Jeſum Chriſtum, & ipſi ſoli fidere, non is amplius eſt actus intellectus, & fidei, ſed voluntatis, & ſpei. Sic eam deſcribit idem Concilium, ideſt: *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divina juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*. Dum autem ſubdis, *in ipſo ſolo quærens, ut in unico Salvatore, juſtitiam, et vitam;* jam fateris, quod homo ſe convertendo incipere debet Jeſum Chriſtum diligere, ut docet idem Concilium: *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*. Et quia peccator moveri nequit ad dilectionem juſtitiæ Chriſti, niſi deteſtetur injuſtitiam ſuam, fateri debes, quod homo peccator ad adipiſcendam juſtitiam duobus gradibus movere ſe debet, uno dilectionis erga Deum, implorando juſtitiam ejus, altero odii adverſus peccatum, illud deteſtando, & pœnitendo; denique promittendo *inchoare novam vitam, et ſervare divina mandata*. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt Actorum (*cap. 2.3. 8.*), ubi D. Petrus prædicans prima vice Jeſum Chriſtum, illi qui crediderunt *compuncti ſunt corde*; & petentes: *Quid faciemus viri fratres?* Petrus ait illis: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti*. Prima igitur fides, poſt compunctio, inde pœnitentia, & Baptiſmus, quibus facta eſt remiſſio peccatorum, denique gratię acceſſit donum & juſtitiæ. Vel igitur tua juſtificationis doctrina contraria eſt Scripturæ, ſi vis per ſolam fidem, nullo alio prævio actu, hominem juſtificari, immo contradicis ipſi confeſſioni tuæ, in qua, ut oſtendi, fateri debes ſpem, & charitatem; vel te opponis Magiſtris tuis Luthero, & Calvino (*Lib. 3. Inſt. cap. 2. §. 11. et 12.*), ſi præter fidem vis præcitatos actus præcedere conſecutionem juſtitiæ Chriſti. Dum autem aſseris fidem adeo conjungere hominem Chriſto, ut nihil ſit quod unum poſſit ab altero dividere, fateris Calvini errorem jam recenſitum, quod fides, & juſtitia ſemel obtenta nequeant amitti; quod fideles nequeant damnari; nullumque peccatum ipſis imputari. Iſti errores omnes excogitati ad confirmandam peccandi licentiam, vana illa ſpe, quod retenta fide nil imputetur, ſed unuſquiſque certus ſit de ſua ſalute, quaſi, ut Lutherus effutiebat, nullum peccatum ſit, niſi infidelitas; errores omnes damnati cum illo, quo ſolis electis fides tribuitur: quo ſequitur pro fidelibus non eſse nedum Purgatorium, ſed nec Infernum, et conſequenter nec judicium in condemnationem, ſed ſolum in ſalutem. Hinc in Catechiſmo Calviniſtico anno 1567. Dominica 13. ad interrogationem num timendum ſit Judicium? reſpondetur: Non, *quia certi ſumus, quod nonniſi in ſalutem apparebit*. Nunc ad alia.

26.

26. *Nos credimns enm D. Paulo Denm juſtificare quos vocavit, dum illis remittit peccata, aperiens illis acceſſum ad æternam vitam: & ſnaſi ſumue ſolam cauſam juſtificationis noſtræ eſſe meritnm Chriſti, perfectiſſimam obedientiam, quam Patri exhibuit uſque ad mortem Crucis. Quamobrem pronuntiari neqnimus juſti ante tribunal Dei propter juſtitias noſtras; ſed unice propter juſtitiam Jeſu, quam ſibi fidelis applicat per fidem. Et ſicut fatemur eum D. Paulo fide nos juſtificari, ſine operibus legis, ſic proteſtamur eum D Jacobo quemlibet baptizatum manifeſtare bonis operibus debere ſuam fidem.*

Hìc pariter fidem habes mille erroribus implexam. Dicis cum D. Paulo Deum juſtificare quos vocavit. Quot Deus vocat, quos non juſtificat, renuentes vocationi? *Vocavi, & renuiſtis* (*Proverb.* 1.24.). *Multi ſnnt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* 22. 14.). Dicere debebas, Deum juſtificare eos, qui vocati veniunt ad eum. Prætendis meritum Chriſti unicam eſſe cauſam juſtificationis, & nos pronuntiari juſtos dumtaxat per juſtitiam Jeſu, quam fidelis ſibi applicat per fidem. At, Domine mi, juſtificari non eſt dumtaxat juſtum mere pronuntiari a Deo, nec amplius imputari peccatum, ſed intus renovari: (*Concil. Trid. Seſs.* 6. *cap.* 7.) *Renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, unde homo de injuſto fit juſtus, ex inimico amicus &c.* Id D. Paulo eſt juſtificari (*Epheſ.* 4. 22. & 23.), *deponere vos ſecnndum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrnmpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Juſtificare Dei non eſt dumtaxat pronuntiare juſtum, ſed facere intrinſecus juſtum, non mera imputatione juſtitiæ, & nihil amplius, ſed diffundendo internam juſtitiam in cordibus noſtris, ita quod ſimus revera ſancti, & juſti per juſtitiam diffuſam in nobis, & data a Deo per Chriſtum: (*ad Rom.* 5. 5.) *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis;* & quemadmodum nos injuſti non fuimus per ſolam injuſtitiam Adę nobis imputatam, ſed per injuſtitiam traductam, & a nobis contractam: ita non juſti per meram juſtitiam Chriſti, ſed per juſtitiam ab ipſo in nobis diffuſam, quæ vere juſtos nos facit, ſicut antea vere peccatores eramus. Hæc germana D. Pauli doctrina (*ad Rom.* 5.19.): *Sicnt enim per inobedientiam nnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per nnius obeditionem juſti conſtituuntnr multi.* Ad hæc. Tu non recenſes cauſas omnes noſtrę juſtificationis, dum ponis cauſam meritoriam, videlicet merita Chriſti, taces vero inſtrumentalem cauſam, nempe Baptiſmum. Cauſam formalem taces, nempe juſtitiam Dei per Chriſtum derivatam in nobis: taces diſpoſitivam cauſam, nempe motus peccatoris, a quibus tactus, & monitus a Spiritu Sancto, non inhabitante, ſed excitante, diſponitur ad juſtificationem. Fides totum fundamentum eſt hujus ędificii; ſed ſola non ſufficit, & conjungi debet cum ſpe, & dilectione Dei, & pœnitentia peccati. Bona opera non mera ſigna ſunt, quæ manifeſtent fidem, ut ſtultiſſime adſtruis, ſed inter ipſas Charitas eſt velut anima, quę vivificat fidem, ſine qua, ſicut ſine operibus, fides mortua eſt. Quamobrem ſicut anima non eſt ſignum vitę corporis, ſed cauſa vitę; ſic Charitas, & bona opera non ſunt mera ſigna vivæ fidei, ſed cauſæ vivæ fidei. Vides quot fœdiſſimos errores, quot inſana abſurda congeris in hac tua confuſione, quam confeſſione, digna quod omnes gentes eam vituperent, & deteſtentur.

27. *Deus perſonam non juſtificat, quam non ſanctificet, & fidelis ſanctificatus facit bona opera, ſine qnibus nemo poteſt adipiſci ſalutem. Meritoria tamen non tenemus bona opera, quia paſſiones hujus temporis non*

ſunt

ſunt condignę glorię, qua revelabitur in nobis; & implentes nos qua nobis pracipiuntur, ſervi inutiles ſumus, facientes tantum quod tenemur reddere. Meritum velle apud Deum, doctrina eſt ſuperba nimis, nec qua eam impugnat eſſe poteſt haretica.

Hic primo juſtificationem a ſanctificatione nulla Scripturæ ratione diſtinguis, tibi inſuper contradicens: quoniam dixiſti, quod & Calvinus dicit, fidelem ſemel juſtificatum, a Chriſto dividi non poſſe, & fidem ac juſtitiam ſemel adeptam non poſſe dimitti: fidelibus non imputari peccata, quoniam ea Chriſtus in ſe tulit, nec illis regnum Cęlorum poſſe magis excidere, quam Chriſto, qui jam ingreſſus eſt. Quid nunc das vela retrorſum, aſſerens neminem poſſe ſine operibus ſalutem habere? Fidelis facere negligens bona opera, fidem amittit, nec ne? Si amittit; ergo amiſſibilis eſt: nec fidelis æque ac Chriſtus erit de ſua ſalute ſecurus, ut antea effutiebas. Sin minus amittat; poteſt ergo ſine bonis operibus ſalutem adipiſci. Si tu hoc neges, dicam mala opera fidelibus imputari; quod Calvinus negat. O inſanæ tricæ! O cavilla, & abſurda!

Fateris bona opera meritoria minime admittere, & in hoc hæreticus es, negans quod Scriptura aperte aſſerit, ut tibi oſtendam in articulo de merito, ibique occurram textibus, quos tibi aſſumis.

Vociferaris, meritum velle apud Deum, ſuperbam eſſe doctrinam. Utique illud ſenſu Pelagiano velle juxta vires naturę; non autem, ſicut Catholici profitentur, ortum, & excitatum a Gratia Dei per Jeſum Chriſtum, unicum principium totius meriti noſtri. Clare, & diſtincte loquere, ſi velis intelligi.

28. *Nos unicam regulam noſtrarum actionum divinam legem habemus, quia omne quod contra legem eſt, peccatum eſt; & e contra peccatum non eſt, quod non eſt contra legem.*

Sed facere contra leges humanas, civiles, tum etiam Eccleſiaſticas, peccatum non eſt? Doctrina hęretica hęc, Prępoſitis, & Principibus pernicioſa, contra D. Paulum *ad Rom.* 13. 2., ubi ait: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Proſequere.

Summa legis eſt Dei dilectio, ſine qua nemo ſalvus fieri poteſt, & amor proximi, qui Dei dilectionem manifeſtat.

Quot Ethnici diligebant proximum, non item Deum? Dicere debebas, amorem proximi propter Deum Dei dilectionem manifeſtare.

Hinc fit quod non pingimus Deum, nec ſculptilibus illi ſervimus, nec flectimus ante Imagines, quia hujuſmodi cultus expreſſe prohibitus eſt in ſecundo pracepto Decalogi.

Semper inſanas hæreſes vomis, impatiens abſtinendi. Hæc perfidia tua eadem eſt ac Iconoclaſtarum, qui ſi apud te non hæretici, tales fuerunt, & erunt ſemper apud veros fideles. Uſus Imaginum ſi non præceptus, neque prohibitus eſt a Deo veris Chriſtianis. Sed fuſe de his in proprio articulo. Age.

Sicut quotidie peccamus tranſgreſſione legis, ita peccatorum veniam a Deo ſperare nequimus abſque pœnitentia, qua eſſe debet ſincera, prompta, & firma, conſiſtens in averſione a malo, & exercitatione boni. Nos petimus a Deo veniam peccatorum noſtrorum, donum ſui ſpiritus, noſtrarum affectionum mortificationem, ut quotidie facimus in noſtris precibus. Tum etiam iſta hareſis?

Hæc doctrina principiis tuis non reſpondet. Certe recordaberis pronuntiaſſe obſervantiam legis eſſe impoſſibilem. Quomodo igitur peccas eam ſolvendo? Si fideli nullum imputatur peccatum, quando peccas? Et ſi peccas, quę neceſſitas petendæ a Deo veniæ? Nonne id fecit Chriſtus, & facit ſemper pro te? Præterea hęc tua doctrina hæretica eſt, quod tacite neget neceſſitatem Sacramentalis Confeſſionis a Chriſto inſtitutæ ad impetrandam ab ipſo veniam, ut oſtendam.

dam. Ad hæc. Pœnitentia nedum conſiſtit in averſione a malo, & exercitatione boni, ſed quæ a Deo præcepta eſt alia exigit. Id in Ninivitis, in Davide aſpice, & in ceteris pœnitentibus a Scriptura deſcriptis. Exigit animi triſtitiam, deteſtationem, odium peccati commiſſi, & lacrymas cordis. Lege eam deſcriptam in Tridentino Concilio *Seſs.* 14. *cap.* 4. Quot rotundos, & abominabiles errores in uno articulo, paucis complecteris!

29. *Suaſi ſumus, ſolum Deum objectum eſſe noſtri cultus, noſtrarum precum. Solum Deum eſſe invocandum.*

Si de primario objecto loqueris, verum dicis, Deum nempe, ut unicum, & primum gratiarum auctorem, eſſe invocandum. Si autem negas Sanctos dignos eſſe cultus, & honoris, & pie poſſe invocari, ut interceſſores noſtros, hæreticus es Joviniani ſocius, & Manichęorum, qui de hoc Chriſtianis inceſſebant. De Tertulliano, & Origene patientiam habe, quod ſuo loco quę eorum mens fuerit notum tibi faciam.

30. *Nos credimus, a Deo juſtificatos, & ſanctificatos, ab ipſo ſtato tempore eſſe glorificandos. Horum animæ ſolutis terrenis ſuis tabernaculis, intrant cæleſtem domum, ut quieſcant ibi a laboribus ſuis, & fruantur ęterno fructu ſuorum operum, et corpora, quæ terræ ſinu recipiuntur, ſuprema die reſurgent, hęc ad gaudium æternæ gloriæ, alia ad cruciatum æternę pœnæ; & hoc fiet quando veniet Chriſtus judicaturus vivos, & mortuos. Et hæc hęreſis?*

Cum ſemper confuſe balbutias, vellem diceres, an omnes a Deo quoquo tempore juſtificati item omnes ab ipſo glorificabuntur, quia etiam Simon Magus juſtificatus fuit: *Credidit, & baptizatus eſt?* Reſponde num & ipſe cum fide juſtitiam etiam Chriſti complexus ſit, & glorificandus fuerit, quippe hi dumtaxat glorificantur, qui perſeverant in juſtitia uſque ad mortem, & ſecus loquens, extra rectam ſemitam errat? Addis, *juſtorum animas in cæleſtem domum ingredi, ad fruendam requiem laborum, & fructum bonorum operum.* Quid porro intelligis pro domo cæleſti? Forte æternam vitam? Non puto, quia Calvinus (*Lib.*3. *Inſt. cap.* 25. §. 6.) negat illuc ingredi niſi poſt judicii diem. Ubi autem inhabitabitur hoc temporis ſpatio, quo Calvinus ait, *omnia teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat Redempor?* En locus medius inter Paradiſum, & Gehennam: porro iſtum Calvinus monet non eſſe quęrendum. En novus error, videlicet juſtorum animas non admitti ſtatim poſt mortem ad viſionem Dei, ſed detineri exſpectantes judicii diem. Vis *in cæleſti domicilio eas frui fructu ſuorum operum;* porro non vides hoc per te impoſſibile, quoniam ſi bona opera non habent meritum, nec virtutem ad lucrandum nobis quidquam, minus efficaciam habebunt ad conſecutionem præmii æternæ vitæ. Quæ delira mens, tam incompoſita a te ſomniata abſurda imaginari valeret?

Quod non audiam te proferentem quaſdam animas poſt mortem ad Purgatorium deſtinatas, non miror, quoniam illud negas: quo tamen hæreticus es, & contrarius dogmatibus Eccleſiæ Chriſti. Audiamus hoc aliud.

31. *Nos credimus theſauros omnes a Chriſto acquiſitos, merito ſuæ paſſionis, eſſe pro Eccleſia.*

Sed negas Eccleſiam Indulgentias largiri poſſe, quæ, ut dixi, nonniſi ſunt quam largitiones theſauri a Chriſto adepti in bonum ſuorum fidelium. Sic miſces lucem & tenebras, & aſſeris & negas quæque abſurdiſſima.

Eccleſia nil aliud eſt, quam cœtus perſonarum, verbo Dei, & intrinſeca efficacia ſui Spiritus convocatus, ſub regimine unius Capitis Jeſu Chriſti, ad credendum eandem veritatem, ad inſerviendum eidem Deo, ad vivendum juxta eandem normam, ad fruenda eadem dona in hâc vita, ad exſpectandam eandem gloriam in futura. Hæc vera eſt idea Eccleſiæ Chriſti.

Hæc falſa chimærica eſt idea *inviſi-*

viſibilis Eccleſia & abſconditæ, quando Eccleſia, ut proponitur a Scripturis, *viſibilis* eſſe debeat in ſuis Sacramentis, in ſuis Paſtoribus eam gubernantibus in nomine Chriſti hìc in terris, ac in illis qui eam componunt. Sed ad alia tuæ mentis deliria.

§. III.

Examen cæterorum Articulorum Picenini.

32. **N**Os non agnoſcimus aliud Eccleſiæ Caput, quam Chriſtum, *eujus Corpus dicuntur fideles. Et ſane Scriptura novi Teſtamenti de alio Capite præter iſtum non loquitur; vera membra Eccleſia ſunt fideles. Quomodo Chriſtus habere poteſt pro membris hypocritas, & ſceleroſos?*

Hæc baſis, & potiſſimus tuæ confeſſionis articulus, negare viſibile Caput, quod vice Chriſti Eccleſiam regat, & paſcat vice ſua oves ſuas: & inficiari Papæ auctoritatem, & Primatum ſuum ſuper omnes fideles. Pro nunc dico, in hoc etiam te eſſe hæreticum, & contemptorem totius vetuſtatis Eccleſiæ. Chriſtum unum poſuiſſe vice ſui ad regimen Eccleſiæ, non præjudicat dignitati, & rationi Capitis, ſicut non tollit quin fideles ſint ſuum Corpus, & Eccleſia non ſit ejus Sponſa. In hoc apertiſſime Evangelio contradicis, & Chriſti ſtatutis.

Muſſitas, *quomodo Jeſus Chriſtus poſſit membra habere hypocritas, & ſceleroſos?* Si non habet, quid Eccleſiam areæ (*Matth.* 3.) aſſimilat, in qua *frumentum eſt cum palea* mixtum? Reti, in qua (*ibidem v.* 47.) ſunt *boni piſces, & mali*? decem Virginibus (*Matth.* 25.) *quinque prudentibus, & quinque fatuis?* Quid dixit (*Matth.* 25.): *Multi ſunt vocati, pauci vero electi?* Error iſte tuus Novatianorum eſt, qui magnos peccatores Eccleſiam continere negabant; & Donatiſtarum, qui ab Eccleſia excludebant peccatores, contra quos ſcribit D. Auguſtinus *Lib.* 3. *contra Petilianum cap.* 2. 9. 12. 18., & alibi. Peccatores igitur quodammodo ſunt Chriſti membra, quia ipſi fide conjuncti. Quia tamen charitate, & juſtitia ſejuncti ſunt, cenſenda ſunt membra arida, & imperfecta, capacia tamen recipiendi influxus. Ad alia procedamus, inſaniora audituri.

33. *Credimus genuina, & vera Eccleſia ſigna eſſe puram prædicationem verbi Dei, legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, cum exercitio diſciplina.*

Si ita, quomodo veram a falſis Eccleſiis agnoſces? Quæ hæreticorum ſecta non oſtentavit verbi Dei puritatem, legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, & diſciplinæ exercitium? Hæc ſigna ſunt, quæ ambiguam, quam certam faciunt veram Eccleſiam.

34. *Quoniam Chriſtus ordinavit miniſterium ad ædificationem corporis ſui, nempe Eccleſia, ſic attendere debent Miniſtri ad inſtructionem fidelium in cognitione Dei, ad adminiſtrationem Sacramentorum, & ad exercitium diſciplina contra ſcandaloſos prævaricatores legum Domini, implentes munera ſua, & loquentes populis intelligibili ſermone, ut mandat D. Paulus.*

In tua Eccleſia vanum erit exercitium diſciplinæ contra prævaricatores; quia, ſi vos audiamus, cum omnes ſitis fideles, juſti, ſanctificati, electi, nec valentes amittere obtentam juſtitiam, non erunt inter vos ſcandala. Hic eſt Phariſæorum Typhus, & Lutheri, ac Calvini proprius. Nos volumus Miniſtros Dei intelligibili ſermone, & vernaculo, loqui populo ut intelligantur; non autem cum loquuntur Deo in precibus ſuis. Sufficit has fieri communi ſermone. Age, age.

35. *Quemadmodum ſcimus Deum velle Eccleſiam ſuam duci, & regi ad umbram ſuperiorum poteſtatum Regum, & Magiſtratuum; ſic has poteſtates honoramus. Nos ipſis obedimus in omnibus quæ legi Dei non adverſantur.*

Ne gloriemini ſolos vos reddere obedientiam Regibus, & Magiſtratibus, quia & nos reddimus in el-

legibus nedum a Deo, ſed ab ipſis ſtatutis, de his quę pertinent ad politicum, & civile regimen. Quomodo autem ſcitis Deum velle Eccleſiam ſuam, etiam in Eccleſiaſticis negotiis, regi a poteſtatibus ſecularibus, & laicis? Erexit ne eam ſuper ipſas, quomodo teſtatus eſt eam ſupra Petrum ædificare? Illis ne, ſicut iſti, dixit (*Matth. 16. 16.*): *Paſce oves meas*? Non equidem Reges, nec Magiſtratus, hi quibus a Chriſto dictum: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*; ſicut nec Reges hi quibus D. Paulus ſcribebat (*Act. 20. 28.*): *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* (*1. Petr. 5. 2.*): *Paſcite gregem Domini, qui in vobis eſt &c.*, ut mandabat Petrus. Paulus mandat obedire Principibus etiam Paganis. Ergo per vos Paganis etiam Chriſtus commiſit regimen Eccleſiæ ſuæ? Puto id confirmabitis, dummodo Pontifici Summo non obediatur.

36. *Nos docemus, omnes, ſive Religioſos, ſive Seculares, ſubjici debere Principibus, & obtemperare politicis Magiſtratibus. Non erit hęretica hęc noſtra doctrina quia conformis doctrinæ D. Pauli: Omnis anima ſubjecta eſt ſuperioribus poteſtatibus &c. Apoſtolus docet (ait D. Joannes Chryſoſtomus) id imponi omnibus Sacerdotibus, & Monachis, non ſolis Secularibus: Etiamſi Apoſtolus ſis, Evangeliſta, & Propheta, hac ſubjectio non deſtruit pietatem. Et D. Bernardus: Si omnis anima, ergo & tua. Qui te ab univerſitate exemit? Qui eximi ſtudet, fallere ſtudet. Principibus ſubditi erant Propheta, Sacerdotes, Apoſtoli, antiqui Epiſcopi, & ipſe Filius Dei ab ipſis judicatus eſt. Vera igitur novitas eſt, immunem eſſe velle.*

Omnes iſtæ gerræ optime conveniunt primo Artifici, & Oraculo veſtrę Rebellionis, nempe Martino Luthero, qui pluribus in locis Principes *Tyrannos* nominat, aſſerens non habere jus conſtituendi nec unum jota ſuper Chriſtianum hominem, niſi quantum ipſe velit. Luthero igitur, non nobis, Principibus obtemperantibus in his quæ reſpiciunt eorum temporale jus, hæ ineptiæ accommodantur. D. Paulus autem non vult omnes in omnibus ſubditos eſſe poteſtatibus ſecularibus; tantumve vult omnem animam ſubjici ſuo, vel ſuis ſuperioribus, juxta ſtatum ſuum; & hoc eſt contra eos, qui detrahebant Chriſtianis, & præſertim Apoſtolis, quaſi *qui omnia ad evertendas leges communes, & facerent, & docerent*. Vide Chryſoſtomum *in cap. 13. ad Rom. Ser. 23.* Quamobrem D. Paulus, & prælaudatus Sanctus Pater ſecum, aſſerit legem Chriſti non deſtruere communem legem, quæ dictat unum eſſe præpoſitum, alios autem ſubditos, ſed omnes cujuſcunque ſtatus ſubdi debere præpoſitis ſuis: *Non enim eſt poteſtas niſi a Deo*; ubi Chryſoſtomus notat D. Paulum non dixiſſe: *Non enim eſt Princeps niſi a Deo, ſed de re ipſa diſſerit, dicens: Non enim eſt poteſtas niſi a Deo.* Illatio quidem tua hæc eſt: Omnes Sacerdotes, Monachi, Apoſtoli, & Prophetæ ſubdi debent in omnibus poteſtati ſuperiori; Ergo omnes omnino ſubdi debent Principibus ſecularibus, & Magiſtratibus laicis. Si mentem Chryſoſtomi clarius perſpicere vis, & paralogiſmum tuum, lege *Homil. 4. de verbis Iſaię*, ubi Regni & Sacerdotii terminos ſignat: *Alii ſunt termini Regni, alii Sacerdotii*; & *Lib. 3.* de Sacerdotio: *Habent & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, ſed corporum ſolum; id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam continet, atque ad Cælos uſque pervadit.* Quid plura? ſi Calvinus ipſe in *cap. 7. Amos* deteſtatur Anglos, rationem Eccleſiaſtici Capitis Regi tribuentes: *Erant enim blaſphemi, cum vocarent ipſum ſummum Caput Eccleſia ſub Chriſto.* In *Lib. 4. Inſt. cap. 11. §. 15.* ipſe aſſerit Eccleſiaſticas cauſas, & fidei, etiam in veteri Eccleſia, deferri ſolitas non ad tribunal Imperatoris, ſed ad Epiſcopum, & commendat D. Ambroſium, quod de fide diſceptare arceſſitus a Valentinia-

no Imperatore, negavit facere. In veteri Teſtamento, circa Eccleſiaſticas cauſas, non Sacerdotes Regibus, ſed Reges Sacerdotibus ſubdebantur: & ad ea quæ cultum ſpectabant, non Regibus, ſed Sacerdotibus mandata ſua Deus committebat. Loquatur non Papa, ſed Calvinus: *Si Scripturas, aut vetera exempla intuemur, quis eſt, qui abnuat in cauſa fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare?* Sunt tamen verba Ambroſii *Epiſt.* 32. *ad Valentinianum*, a Calvino probata. Audiamus te iterum.

37. *Nos recipimus ambo Sacramenta, Sanctum Baptiſmum, & Cœnam. Nos ea adminiſtramus ſicut Jeſus ea inſtituit, & adminiſtrata fuerunt ab Apoſtolis. Nos integrum Baptiſma habemus, & quidquid ſervabatur Apoſtolorum temporibus, & a primævis Chriſtianis.*

Vafre aſſeris hic recipere ambo Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, & Cœnam; cetera autem ubi ſunt? Rejicis Confirmationem, & Ordinem, quæ ab Actibus Apoſtolorum deducuntur; Extremam Unctionem, & Matrimonium, quæ pariter ex Scriptura inferuntur. Negas Pœnitentiam, & Confeſſionem, quæ omnia a ſolis hæreticis negantur. Unde hic probe Lactantius (*Lib.* 4. *de divin. Inſt. cap.* 3. *de hæreſ.*) diceret hanc Picenini Eccleſiam veram Eccleſiam non eſſe, quia: *Sciendum illam eſſe veram, in qua eſt Confeſſio, & Pœnitentia, quæ peccata, et vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.*

Dicis, adminiſtrare Sacramenta juxta inſtitutionem Chriſti; inde rejicis ritus omnes ab Eccleſia antiqua ſervatos. Quomodo tibi, adeo diſtanti ab ævo Chriſti, innoteſcere poteſt verus ritus, quo iſte ea quæ inſtituit Sacramenta adminiſtrari diſponebat, & alias latuit omnino antiquos Chriſto proximos? Melius diceres Novatianos ſequi, & Pelagianos, veternoſos hæreticos, non antiquos veros Jeſu Chriſti fideles.

38. *Nos integram habemus Euchariſtiam. Nos nullum ſacrum pignus a Chriſto in ipſa inſtitum abrogamus, et temerarium ducimus id audere. Nos adhibemus Panem, et Vinum. Nos Calicem porrigimus ſingulis communicantibus. Nos ſacra illa pignora contemplamur ut ſymbola Corporis, et Sanguinis Jeſu, quaſi crucifigeretur ante oculos noſtros, et proſpiceremus pretioſum ejus Sanguinem e vulneribus ſuis manantem. Nos recipimus hoc Sacramentum in memoriam cruenta mortis Jeſu:* Hoc facite in meam commemorationem.

Hic confundis Sacramenti Euchariſtici confectionem, & diſpenſationem. In conficiendo nos quoque duo ſacra pignora adhibemus, Panem, & Vinum; & hic præceptum divinum vergit: *Hoc facite in meam commemorationem.* De diſpenſatione vero Calicis ſingulis communicantibus, non hoc a Chriſto mandatum recipies ſemper ab antiqua Eccleſia immobili ritu ſervatum. Vos hæretici in cauſa fuiſtis, ob quam Eccleſia uſu Calicis laicos privavit, dum adſtruebatis, ſine Calice infectum eſſe Sacramentum. Quamobrem hujuſmodi falſo dogmati ne videretur aſſentiri, ſolum Corpus diſtribuit laicis, quo ritu integrum ipſis prætendit Sacramentum miniſtrare, quod diverſum eſt a Sacrificio, dum ut hoc integrum ſit, utraque ſymbola requirantur, illi vero dumtaxat horum unum. Aſt fœdiſſimis iterum nos terres hæreſibus, videlicet.

39. *Nos non credimus Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, quoniam oportet Calum ipſum capere uſque ad diem reſtitutionis omnium rerum. Nihilominus ſuaſi ſumus participare realiter Jeſu Chriſto, ferme ſi ore noſtro manducaremus ſacratiſſimum ſuum Corpus, dum anima noſtra vere paſcuntur hoc pane vivo e Calo deſcenſo; & ad digne participandum de hoc Sacramento oportet ſeipſum probare, juxta regulam D. Pauli.*

In hoc articulo, in quo omnium ex tartareis blaſphemiis tuis horrendiſſima continetur, manifeſtiſſime contradicis Chriſto, & hæreticum te prodis

dis, nedum apud nos, ſed apud Lutherum. Inſuper tecum ipſe pugnas, dum ex parte una tenes Euchariſtiam non eſſe realiter ipſum Chriſti Corpus, ſed ſolum typum, & figuram; ex parte alia aſſeris *participare realiter Jeſu Chriſto*, quaſi ore manducares ejus Corpus. Dicis fide manducare, & memoria ſuæ paſſionis; inde, quod *anima noſtra vere paſcuntur hoc pane vivo*. Tuum illud *typice figurative*, & hoc *realiter et vere*, quomodo cohærent? Dum communicas, vel domi habes figuram Principis, communicas *realiter, et vere* ſecum?

40. *En epilogum noſtræ fidei*, ſic concludis. Dictum melius *noſtra blaſphemia*. Sit quod aſſeris; nil ultra credis? Credis etiam non teneri quadrageſimalibus jejuniis, negans Eccleſiæ omnem auctoritatem, quo Aerianam profiteris hæreſim; hanc autem taces? Damnas etiam, & rides Monaſticum ſtatum, cælibatum, vota, preces pro defunctis, quo revocas omnes hæreſes antiquitus prædamnatas; & hoc taces? Alios etiam profiteris errores, quos & hactenus detexi, & impoſterum retegam; & iſtos taces? Tuus *magni nominis* Theologus, nedum ſubdolam, ſed mutilam tibi exaravit confeſſionem, cum alias confeſſio nedum ſincera, ſed integra etiam eſſe undequaque debeat. Porro ſubdis:

41. *Mihi placet in toto Orbe notam fieri meam fidem*. Placet pariter mihi totum Orbem habere notitiam examinis a me facti, & ſic qualis illa ſit ad oculos omnium appareat. Quod Sigiſmundus II., *Auguſtus* appellatus, nullum deprehenderit errorem in confeſſione Proteſtantium Poloniæ, tu ais, ſed nullum profers auctorem; unde fide cadis, ſi aſſertorem te, & teſtem adhibeas. Certe Sigiſmundus primo non ita averſus fuit pſeudoreformationi, & parum zeli prçſtitit in negotiis Religionis, quæ prima eſſe debuerat ſui regiminis cura; Religio quippe Catholica ſumma rei eſſe debet cujuſcunque Principis. Veruntamen certum pariter eſt, comperta gravitate erroris, correxiſſe erratum, & Catholicum ſe exhibuiſſe Principem, exilio fugatis a ſtatu ſuo Prædicantibus noviſſimarum hæreſum. Neve iterum regredi intentarent, Sigiſmundus III. ejus ſucceſſor eos perculit ſevero decreto, quod incipit *Sincere fideles dilecti*, cuilibet vetans acceſſum illis prçſtare, eos damnando ceu peſtem Reipublicç, factionarios, & deſtructores Religionis. Ne videar meo marte hæc retuliſſe, auctorem notiſſimum profero Ludovicum Morerium. Etſi tamen verum foret quod narras, Princeps iſte ſubdola confeſſione deceptus fuiſſet, quemadmodum tu hac tua Italiam fallere ſtudebas; quod Rex ille indicavit ſuo poſt facto. Errorem pudet manifeſtum iri; hinc plerumque pallio *veritatis* paludatus incedit. Sic Ariani in confeſſionibus quas ediderunt, quibus quot & quot decepti? Hæc omnium Novatorum ars maxima, qua fraude ad aliquod tempus viſi ſunt Catholici, nedum Principum oculis, ſed Prælatis ipſis. Dicis: *Si lector, ſemoto cujuſcunque affectus præjudicio, moleſtiam ſumat præmiſſam confeſſionem ad examen revocare, hanc deprehendet verbo Dei omnino conformem, et Chriſtianç Religioni priorum ſeculorum*. Tum ego pariter aſſero: Si lector, nullo præjudicio, ſerioque conſilio, attendet ſincero examini a me facto, ſpecie tantum eam conformem, revera autem alienam comprehendet, & diſſonam a verbo Dei. Si vero dignabitur retroſpicere *Cap. 9. §. 6.* collationem a me factam inter Pſeudoreformatorum fidem, & illam a primis Chriſtianis profesſam. eam iſti deprehendet (& ipſorum Pſeudoreformatorum teſtimonio) penitus oppoſitam: aſſeretque hujuſmodi fidei profesſorem primæ notæ hæreticum, & Novatorem. Sed reliquum tuæ confeſſionis tantiſper recolamus.

42. Poſcis *pag. 525. juſtitiam de injuria a P. Segneri Proteſtantibus illata*. Ego autem ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui ambo adſtare

ſtare debemus, juſtitiam poſtulo de dolo malo intentato univerſæ Italiæ fraudibus, & mendaciis tuis; Deumque deprecor, ut gratia ſua dignetur veris impertiri *credentibus fideliter ſervare depoſitum ſuum, illuminare errantes, & donare omnibus in hac terra credere, & docere veritates illas, quas ipſe tradidit, & praſtitit Eccleſię ſua*, a qua cuſtoditæ fuerunt uſque in hodiernam diem. Citas D.Cyprianum, ſed perperam ad cauſam tuam; quoniam ait ille oportere ſequi & audire Jeſum Chriſtum, nec attendere quis hic, vel ille fecerit, ſive quid conſuetudo ferat. Hæc loquendi ratio apta non eſt, ut ais, quaſi cum *Jeſuitis ille contenderet*, ſed cum Proteſtantibus ſcilicet quæſtionem haberet. Ævo Cypriani quidam, *Aquarii* appellati, in Calice *ſolam aquam* conſecrabant, exemplum aſſerentes, & aliorum conſuetudinem ſequi. Neutiquam. reſpondit S.Martyr, non iſtos expedit cæco ductu ſequi, ſed quem ipſi ſecuti ſint ſedulo inquirere: *Quærendum eſt enim ipſi quem ſint ſecuti*; inde ſubdit (*Epiſt. ad Cęcilium*): *Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit, ſed quid qui ante omnes eſt Chriſtus prior fecerit; neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.* Quo ſuadere volebat Cyprianus, non attendendum quid hic, vel ille fecerit, ſive dixerit; ſed quid vel fecerit, vel faciendum ante illos præceperit Chriſtus. Non conſecravit Chriſtus in Calice *ſolam aquam*, ſed vinum aqua mixtum, & nos ita facere præcepit; facite ergo quod Chriſtus fecit, & dixit, non quod hic, vel ille: *Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet.* Hic autem ſermo non nos Catholicos tangit, Chriſtum ſequentes ductu Eccleſiæ, quam ipſe ſequi nobis pręcepit; quamobrem tuto aſſerere poſſumus, quod illa in præſens vel facit, vel faciendum præcipit, Chriſtum feciſse, & faciendum pręcepiſſe, vel in Scripturis, vel per Apoſtolos, ipſi Eccleſiæ ab iſtis ædificatæ, quo immemorabiles, & univerſorum conſuetudines proceſſerunt. Cyprianus loquitur quaſi tecum contenderet. Tu rejicis Romanam Eccleſiam, ut apoſtaticam, & eam erroribus depravatam damnas: ſequeris autem Lutherum, & Calvinum. Quære, quęre quem iſti ſecuti ſint: *Quęrendum eſt enim ipſi quem ſint ſecuti.* Ipſi erraverunt ſectantes hominum doctrinam, nempe Waldenſium, Albigenſium, aliorumque veterum hęreticorum. At Cyprianus monet quęrendum, *quid qui ante omnes eſt Chriſtus prior dixerit.* Hæc eſt Eccleſia a Chriſto ædificata ſuper Petri confeſſionem, de qua teſtatus eſt: *Portę inferi non prævalebunt.* Si ſequi igitur oportet Chriſtum, ejus Eccleſiæ credamus, quam infallibilem ipſe pronuntiavit; Chriſtum quæramus quo illa iſtum oſtendit, non quo Calvinus, & Lutherus, eum oſtendentes ubi non eſt: *Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid alius ante nos, ſed quid qui ante omnes eſt Chriſtus, prior dixerit*; inde concludens: *Ut cum in claritate ſua, & majeſtate cęleſti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, obſervare quod docuit, facere quod fecit.*

43. Continere potes, vel ad Proteſtantes tuos præcinere quæ *pag.* 525. tam incondite exaggeras: *Expergiſcimini increduli! Scrutamini rationes veſtra infirma fidei!* Non debeo quærere, & ſcrutari quæ mea ſit fides, ſed certam illam habere, & religoſe cuſtodire. Ad vos pertinet increduli Proteſtantes quærere fidem, quam non habetis. Vos non Dei verbum ſequimini, ſed inſanam doctrinam duorum hominum deſertorum Eccleſiæ Chriſti. Sic Tertullianus (*Lib. de præſcrip. adverſ. hæreſ. cap.* 10.): *Nemo quęrit, niſi qui aut non habuit, aut perdidit.* Vos veram fidem quam perdidiſtis quærere debetis. Ubi vero? Apud Calvinum? Lutherus a ſe ipſo quærendam contendet. Sic Anabaptiſtæ, ſic Puritani, ſic Sociniani, ſic omnes ſectæ in fruſta ſcindentes Proteſtantium religionem, a ſeipſis fidem cla-

clamabunt inquirendam. Omnes depoſitum verbi Dei cuſtodiendum oſtentant recepiſſe. Moneo autem vos: Si ab his fidem quæretis, ſemper quæretis, nunquam invenietis: *Ceterum ſi quia tanta ab aliis ſunt inſtituta propterea in tantum quærere debemus, in quantum poſſumus invenire, ſemper quæremus, & nunquam inveniemus. Ubi enim eſt finis quærendi? Ubi ſtatio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit, quærite, & invenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me prænuntiatione pulſabit, & Ebion, & Simon; & omnes ex ordine non habent aliud, quo ſe mihi inſinuantes, me ſibi adducant. Ero itaque nuſquam, dum ubique convenior &c.* Quærite veram fidem a Romana Eccleſia, a Chriſto & ab Apoſtolis erudita, quæ depoſitum ſemper cuſtodivit, nunquam amiſit: *Nobis* (Tertullianus *ibidem cap.* 8.) *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Puto in primitiis ipſis doctrina ſua, cum adhuc dubitaretur apud omnes an Chriſtus eſſet, & cum adhuc nec Petrus ipſum Dei Filium prænuntiaſſet, eum etiam Joannes de illo certus eſſe deſiiſſet. Merito ergo tunc dictum eſt: Quærite, & invenietis.... Scrutamini Scripturas &c.* Nunc autem enuntiata, & confirmata jam fide, & concredita Eccleſiæ. a qua diſpenſatur, unice oportet credere, non curioſitate ſcrutari, ne vana inquiſitione fides amittatur, quæ jam certa tenetur: *Fides, inquit, tua te ſalvum fecit: non exercitatio Scripturarum. Fides in regula poſita eſt. Habes legem, & ſalutem ex obſervatione legis. Exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritię ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti.* (Idem *cap.* 14.). Mihi videor videre vetuſtiſſimum hunc ſcriptorem cum Luthero, Calvino, ſive cum Picenino, ceteriſque curioſis, ſuperbiſque ſcrutatoribus veritatis Chriſtianæ fidei quęſtionem habere, dum ad Scripturas provocare audent, ne finiendæ controverſiæ modus ullus habeatur: *Quid promovebis, exercitatiſſime Scripturarum, cum ſi quid defenderis, negetur ex adverſo; ſi quid negaveris, defendatur?* Legantur elegantiſſimi hujus ſcriptoris ſequentia *Capita* 15. 16. 17. 18. 19. 20., & conſtabit in rebus dubiis ab ipſo conſultum, non expedire Scripturas diſputando evolvere, quas unus probat, alter rejicit, unus hoc, alter alio ſenſu interpretatur. Tandem *Cap.* 21. hanc regulam ſtatuit, quam Picenine vellem ſerio attenderes: *Hanc igitur dirigimus præſcriptionem. Si Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prędicatores, quam quos Chriſtus inſtituit, quia nec alius Patrem novit niſi Filius, & cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelaſſe Filius, quam Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prędicaverint, id eſt quod illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi* (bene nota) *per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce* (en Traditiones), *quam per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus, & originalibus fidei conſpiret veritati, deputandam id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit. Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quę ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* Hæc Tertulliani præſcriptio finem huic Operi faciat, & jugulum petat Proteſtantium. Si D. Cyprianus viſus eſt oppoſitum tenere de rebaptizandis hæreticis; quem latet, in hoc erraſſe, quod tu ipſe non negabis? Ergo quemadmodum Cyprianus erravit cum ceteris Africanis, dum Scripturis tuto inniti pro certa cauſæ ſuę ratione præfidens, aliarum Eccleſiarum doctrinam ab Apoſtolis ipſis traditam neglexit, & præſertim Ro-

ma.

manæ Eccleſiæ conſuetudinem a Stephano hujus Epiſcopo non ſemel oppoſitam injuſta contentione rejecit; ſic Proteſtantes errarunt, cum, ſuo ſenſu abundantes, ex Scripturis favorem ſibi captantes, Romanæ Eccleſiæ doctrinam, & conſuetudinem repudiarunt. Error tamen Cypriani iſtorum longe tolerabilior fuit; tum quod ritum illum ad diſciplinam potius, quam ad dogma ſpectantem arbitrabatur; tum quod comperta veritate, & ſtatuto dogmate, errorem deteſtaturum profitebatur. Non idem autem eſt error, & contentio Picenine tua, & Proteſtantium, qui pertinaciter reſiſtitis, & oppugnatis tot veritates, in pluribus Conciliis propoſitas velut dogmata a Chriſto Apoſtolis revelata, ab Apoſtolis vel ſcripto, vel viva voce Eccleſiis commendata. Quamobrem non nos, ſed vos D. Cyprianus alloquebatur (*Epiſt. 73. ad Jubajanum de haret. baptiz.*): *Ignoſci poteſt ſimpliciter erranti. Poſt inſpirationem vero, & revelationem factam, qui in eo quod erraverat perſeverat, prudens, & ſciens, ſine venia ignorantia peccat. Præſumptione enim, atque obſtinatione quadam nititur, cum ratione ſuperatur.*

Verę Eccleſiæ Chriſti aſpectus, ex ſignis quibus externa ejus forma conſpicitur, jam completus abſolvitur. Adaperiat Dominus ſplendore gratię ſuę eorum oculos, qui Prædicantium fraudibus, & malitia excęcantur, quo omnes accedant, & aſſequantur veritatem; ut Catholici in ipſa proficiant, & Proteſtantes in ſinum piiſſimæ ſuæ Matris confugiant, a qua abſque ulla ratione ingrati diſceſſerunt.

Finis primi Tomi.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in hoc primo Tomo continentur.

A

ABlutio pedum non fuit Sacramentum. 390
Abiſſini, & quid de illis ſit catholice ſentiendum. 444
Additamenta minime neceſſaria non ſunt dicenda quæ ab Eccleſia Romana creduntur, a pſeudoreformatis negantur. 476. & ſeq.
Adorationes Papæ jure a Principibus exhibentur. 398
Adorationis Papę, & oſculorum pedis, ritus. 395
Adrianus Imperator, ejuſque cadaveri miraculo adſcripta cæci ſanatio, aſſentatorum commentum. 17
Adrianus IV. cum Friderico Imperatore. 397
Æquivocatio in queſtione miraculorum declaratur, & tollitur. 22
Agatho Papa, ejuſque Epiſtola VI. Synodo data, qua Honorius a Monothelitarum hæreſi vindicatur. 267
Albanus Verulamienſis, ejuſque miraculum. 38
Albigenſes a S. Dominico precibus, non armis, impetiti, ac fracti. 67
Ipſorum errores. 68
A Luthero, & Calvino renovati. ibid.
Quinam eſſent, & quam juſte perſequuti. 83
Impii ipſorum mores. 360
Alcoranum commendat Lutherus. 337. quare 338
Alexander III. cum Friderico Imp. Venetiis. 397
Alexander III., ejuſque Epiſtola, qua D. Thomæ de Cantuaria miracula confirmantur. 47
Alexander VI., ejuſque mors. 116
Alexander VII., ejuſque Decreti de juſtificatione explicatio. 323
Amare inimicos præceptum eſt, non conſilium. 353
Amor Dei extra Sacramenta neceſſario ad juſtificationem requiritur. 323
Anabaptiſtæ, eorumque auctor. 172
Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ejuſque erga Pontificem reverentia. 100
Angli non concordant, & neſciunt in quo conſiſtat in ſuis Regibus auctoritas Capitis Eccleſiæ. 105
Anglia, & perſecutiones contra Catholicos. 82
Anglia; Martyres in illa ſola cauſa religionis. 74
Antichriſtus; ejus miracula præſtigia erunt. 19
Antiqui Martyres ſunt noſtri. 64
Apoſtatæ fiunt magis effrenes, & improbi, ex ſenſualitate, deſperatione, vel ambitione. 107
Apoſtolorum quatuor genera. 30
Quamvis uxorati, cælibatum ſervarunt. 89
Applicatio Sanguinis Chriſti, & meritorum Virginis Mariæ, Sanctorumque. 94
Hæc fit ab Eccleſia per Indulgentias. ibid.
Aqua miraculo in Oleum verſa. 37
Arbuſcula floribus ornata oritur ubi Joannes de Colonia martyr occubuit. 76
Arcadius Imp. Samuelis Oſſa de Judea in Thraciam tranſtulit. 58
Ariani in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos diviſi. 14
Cum ipſis non communicavit Liberius. ibid.

Georgium Alexandrię Epiſcopum martyrem immerito prædicant. 69
Arimas Rex capite truncatus; quæ vera cauſa. 73
Arius, ejuſque mors turpis, & repentina. 39
Articuli fundamentales credendi quinam ſint, & qui a Picenino non fundamentales vocentur. 456
Articuli Lutheri cum Calvini Articulis conferuntur. 176
Articuli Picenini oppoſiti in ejus Fidei Confeſſione. 461. ad fin.
Aſſentatores Hæreſis. V. Patroni.
Aſſentatores Henrici VIII. Deo vindice pœnas dant. 120
S. Athanaſius Oſſa S. Joannis Baptiſtæ celat. 58
Eorundem Miracula. 39
Eſt auctor vitæ S. Antonii Abbatis. 161
Athei, & Novatores. 321
Auctores aſſerentes Chriſtum Dominum e Cruce locutum Divo Thomæ. 42
Auctoritas Capitis Eccleſiæ, quæ. 105
Auctoritas Conciliorum. 277
D. Auguſtinus, ejuſque de continuatione Miraculorum in Eccleſia ſententia. 24. & ſeq.
Idem de coercendis, & puniendis Hęreticis quid ſentiat. 430

B

Babylon, & Roma non ſunt pares, ut Hæretici criminantur. 122
Pſeudoreformationi maxime hæc comparatio convenit. 123
Balaam, licet Propheta Dęmonum, prophetavit ex inſpiratione divina. 159
Baptiſmus, ejuſdemque ritus, a Proteſtantibus rejecti, defenduntur. 401
Quomodo a Fœminis valeat miniſtrari. 404
Ejus materia & forma ab Hæreticis mutatur. 407
Quo pacto Gratiam conferat. 409
Baſilea; ejus Concilium deteſtatur. 163
Ejus Concilium in exordio legitimum, dein Conciliabulum. 280
S. Baſilii Miracula. 39
Bellarminus non favet Calvino de inviſibilitate Eccleſiæ. 249
Benedictio Campanarum, aliarumque rerum. 403
Benedictus VI., vel VII., & ejus mors. 114
Benedictus IX., ejuſque mors. 116
A Sancta Sede ejectus. ibid.
Poſt mortem horrenda forma viſus, quid dixerit. ibid.
Benno Cardinalis qua fide dignus. 114
Berengarius primus negat præſentiam Chriſti in Euchariſtia. 26
Faſſus eſt, ab Eccleſia coactus, Corpus Chriſti ſenſibiliter tractari in Euchariſtia. 285
Bernardinus Ochinus Apoſtata quid de Poteſtatibus ſenſerit. 182
D. Bernardus, ſuorum miraculorum veritas. 42
Bodino, ejuſque ſcriptis nulla fides. 370
Bonifacius Ruſſiæ Apoſtolus inter duos ardentes rogos pertranſiens exivit illæſus. 48
Bonifacius VIII., ejuſque duæ Extravagantes. 273
Ejuſdem mors. 115
Blaſphemi Lutherus, & Calvinus in Chriſtum. 240
Blaſphemia Lutheri laudantis raptorem Virginis Deo ſacræ. 88

C

CÆci illuminati a Veſpaſiano. & Adriano, figmenta ſunt, non miracula. 17
Cæleſtinus Papa ut talis habitus a Græcis. 125
Caiphas non erat Aaronis ſucceſſor, nec verus Pontifex. 212
Calendarium Foxianum nullos veros antiquos Martyres, ſed tantum Proteſtantium novos mentitos Martyres habet. 80
Calvini Articuli cum Lutheri Articulis conferuntur. 176
In ejus doctrina contradictiones. 244
Calvini deſcriptio. 87
Calvini enormitas. ibid.
Calviniſta ante tribunal Dei conſtitutus. 451

Cal.

Calviniſtæ Carolo IX. rebelles, & necis Ducis Guiſæ auctores. 122
Inter ſe diſcordes. 174
In quator ſectas diviſi, & in quo inter ſe differant. ibid.
Calvinus Concilia ſpernit, & Patres, 96. etiam in Patriarchas & Prophetas blaſphemus. 97. etiam in ipſum Chriſtum, & Deum. ibid.
Calvinus Deum facit auctorem peccati. 325
Calvinus diſſenſionum cauſa. 87
Calvinus in Chriſtum blaſphemus. 240
Calvinus Serveti accuſator, eoque inſtante igne combuſtus. 77
Calvinus vim Miraculorum fatetur. 21
Et eorundem durationis convenientiam pro omni tempore. 22
Miracula patrare tentat, ſed infelici exitu. 60
Deum facit peccati auctorem. 324
Ejus erronea de Prædeſtinatione ſententia. 330
Ejuſdem quæ de Patribus Eccleſiæ opinio. 96
Quæ de Conciliis. 57
Infauſta ejus mors. 122
Calvinus. V. Lex Hęreticos.
Campanarum, aliarumque rerum benedictio. 403
Cani Melchioris de Dialogis S. Gregorii judicium. 24
Canonizatio Sanctorum, ejuſque diſtinctio. 238
Caput Eccleſiæ; ejuſque poteſtas, non tantum ordinis, ſed præcipue juriſdictionis. 105
Caput S. Joannis Baptiſtæ, ejuſque hiſtoria. 50
Cardinalis Benno. V. Benno.
Carloſtadius, ejuſque mors. 113
Carolus IX. a calumniis Picenini vindicatus. 121
S. Catharina Senenſis multa ſucceſſu comprobata prædicit. 166
Catholicæ titulus ſolæ Eccleſiæ Romanæ convenit. 184
Eſſe Catholicam quid importet. ibid.
Catholici a Proteſtantibus occiſi. 74
Catholici in Anglia perſecuti. 128
Eorum nomina. 129
Catholici Religioſi a Japonia exulare jubentur, & cur. 72
Character membri ab Eccleſia ſeparati. 79
Charitas erga Proximum quatenus ſignum veræ Eccleſię. 420
Chriſtiani, eorumque pręſentia, Sacrificia Gentilium impediebat, & ob hoc perſequuti. 59
Chriſtus e cruce D. Thomam alloquitur. 42
Chriſtus eſt ſolus Redemptor. 95
Circumcelliones ex Donatiſtis ſtulti, & ſacrilegi reputati, quare. 81
Clemens VIII. in Bullis Neapolitanis datis confirmat Chriſtum e cruce locutum D. Thomæ. 42
Clementis II. mors. 114
Commentaria in Pſalmos non ſunt D. Hieronymi. 9
Communio, quare nunc fidelibus non adminiſtretur quotidie. 236
Neque ſub bina ſpecie. ibid.
Hoc etiam temporibus Apoſtolorum. ibid.
Habebat quidem Eccleſia uſum utriuſque ſpeciei. non tamen neceſſarium putabat; ſæpe in una ſpecie communicabat. ibid.
Communio Sanctorum quid ſit. 94
ſtiſta. 12
Comparatio Donatiſtarum cum Proteſtantibus. 6
Picenini cum Hæretico Rogati.
Doctrinæ Eccleſiæ Romanæ, & Pſeudoreformatorum, cum doctrina Eccleſiæ veteris. 218. & ſeq.
Comparatio Eccleſiæ cum Babylone non currit. 122
Convenit quidem Eccleſiis reformatis. 123
Comparatio inter Proteſtantes, & Hæreticos antiquos, de Primatu Pontificis, auctoritate Scripturæ, traditione, jejunio, & ſacrificiis. a 128. ad 150
Comparatio Sanctitatis SS. Ignatii, Franciſci, & Dominici, cum Sanctitate Prophetarum, & Apoſtolorum. 367

Conceptio immaculata, & diſpoſitiones Conciliorum circa ipſam. 163
Concilia approbationem Pontificis quærunt. 100
Concilia non convocata a Papa erarunt. 280
Concilia ſunt infallibilia, ſed quæ. 287. & ſeq.
Conciliabulum Auguſtæ. 177
Witembergæ. 178
Conciliabulum Epheſinum quare Prædatorium dictum. 126
Ejus acta a Martiano reſciſſa. ibid.
Conciliorum auctoritas. 277.
Eorum infallibilitas. 287
Concilium Baſileenſe deteſtatur. 163
Concilium Baſileenſe fit Conciliabulum. 280
Concilium Chalcedonenſe quare a S. Leone, & Gelaſio non approbatum. 100
Concilium Conſtantienſe prohibet dari Calicem laicis. 237
Concilium Conſtantinopolitanum I. 275
Concilium Epheſinum I. ibid.
Concilium Nicænum I. a Pontifice convocatum. ibid.
Concilium Palmare. 276
Concilium Tridentinum fuit œcumenicum. 283
Concupiſcentia non eſt peccatum. 412
Conditiones ad ſalutem requiſitæ. 443
Confeſſio Fidei Picenini expenditur. 461. ad finem.
Congregatio *de Propaganda Fide* Romæ, ejuſque officium. 437
Conſcientiæ quieti quomodo conſulendum. 449
Conſtantinus ante Conſtantium ſacras Reliquias transfert. 57
Conſtantius Imperator, ejuſque levitas. 14
Licet Arianus, perſequitur Ethnicos. 57
Conſuetudo utendi Cruce ad obtinenda miracula, antiquiſſima. 59
Contradictiones in doctrina Calvini. 244
Contradictiones in doctrina Lutheri. 241
Contradictiones iſtæ falſo noſtris attributæ a Picenino. ibid.
Coronæ, Cruces, Reliquiæ, & miracula in eorum applicatione. 56
Corpus Chriſti; ejus ſolemnitas quare inſtituta. 47
Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis flammis addictus. 121
Crux inventa tempore Conſtantini, ejuſque translatio, & miracula patrata. 59
Cultus Mariæ Virginis, ejuſque antiquitas. 230
S. Cyprianus, ejuſque liber *de Unitate Eccleſiæ*. 14. Martyrii ejuſdem circumſtantiæ mirabiles. 51
Ejus cum Stephano contentio. 85

D

DÆmon, ejuſque martyres. 85
Dæmon magiſter, & familiaris Lutheri. 60
Dæmon Monachum ſolicitat ad celebrationem Miſſæ. 260
Dæmon quomodo invocatus a Luthero. 166
Eum emit Lutherus floreno uno a Carloſtadio, pro ſe, ſuiſque miniſtris. 261
Dæmones coram Chriſtiano obmuteſcunt. 59
Damaſcenus. V. Joannes.
Damaſi II. mors. 114
Del Rio. V. Martinus.
Denuntiatus, niſi cum delatore detineri, & carceri mancipari poteſt Genevæ. 77
Deſcriptio Calvini. 87
Deus condonando culpam, totam non remittit pœnam. 92
Exemplo Davidis comprobatur. 93
Deus etiam prophetare facit ſuos inimicos. 160
Deus in ſententia Calvini auctor peccati. 325
Deus, verus & præcipuus miraculorum auctor. 19
Dialogi S. Gregorii. 23
Dioſcorus Conciliabulo Epheſino preſidet. 125
Diſciplina Eccleſiæ in diſpenſationibus pro Matrimonio Principum. 348
Diſpenſationes Pontificum ob Matrimonia. 345

Diſ-

Diſpenſationes variæ Matrimoniorum. 348
Diſtinctio qua Papa conſideratur ut Homo, & ut Pontifex. 266
Diſtinctio Proteſtantium in dijudicandis Scripturis, diſcretionis nempe, & deciſionis. 314. & ſeq.
Diverſitas Opinionum in Catholicorum ſcholis non tollit Fidei uniformitatem. 180
Diviſio Calviniſtarum. 174. & ſeq.
Diviſio in ſchola Lutheri. 172
Diviſio inter Arianos. 14
Doctrina Apoſtolica, & ſucceſſio legitima, idem ferme ſunt. 213
Doctrina Eccleſiæ Romanæ, & pſeudoreformatorum, collata cum doctrina veteris Eccleſiæ. 218. ad 224
Doctrina Indulgentiarum. 91
Doctrina Theologica de Revelationibus. 262
Dogma inter Proteſtantes non uniforme. 171
Dominicani. Dominicanus non fuit interemptor Henrici, III. 67
Dominicani Martyres. 68
Dominicani Martyres in Japonia. 71. 72. in Gallia. 75
S. Dominicus a calumniis Picenini vindicatur. 67
Contra eundem defenditur. 366
S. Dominicus primus Inquiſitor. 434
Dominium temporale Eccleſiæ. 101
Donatiſtæ; eorum ſententia de Eccleſia. 441
Eorum mores. 360
Donatiſtæ olim dicebant quod nunc Proteſtantes de vera Eccleſia. 6
Inter ſeipſos diſcordes. 13
Eorum miracula, figmenta. 19
Donum linguarum D. Franciſco Xaverio collatum. 53
Inter gratias *gratis datas* enumerandum. ibid.
Donum Prophetiæ a dono linguarum diſtinctum. 160
Dux Guiſe; ejus mortis quis auctor, & miniſter. 426
Dux ſupremus Proteſtantium, ſuos milites teſtes vult eſſe exorciſmorum Catholici Sacerdotis anno 1709. 62

E

Eccleſia a Chriſto puſillus grex vocata. 191
Eccleſia, ejuſque Capitis auctoritas. 105
Eccleſia, ejuſque circa Ritus poteſtas. 380
Eccleſia, ejuſque theſaurus. 93
Eccleſia, & ejus temporale Dominium. 101
Eccleſia Græca; poſt ſchiſma in ipſa interrupta Epiſcoporum ſeries, & doctrinæ ſucceſſio. 124
Eccleſia in ſui ortu, & licet anguſta, ſemper fuit Catholica. 12
Eccleſia quantum indulſit hæreticis, ut eos lucraretur. 83
Eccleſia Romæ poteſt dici Univerſalis. 7
Eccleſia Romana; in ea qui ſuccedit in Sede Petri, ſuccedit in Doctrina. 213
Eccleſia Romana; qui extra ipſam eſt, hæreticus. 9
Eccleſia vera debet eſſe Catholica, & Sancta. 1
Debet eſſe Una. ibid.
Eccleſia vera eſt Catholica. 8
Eccleſia vera eſt viſibilis. 225
Eccleſia vera eſt una. 13
Eſt pariter ſancta. 15
Eccleſiæ cum Babylone comparatio non currit. 122
Bene quidem Babylonis cum Eccleſiis reformatis. 123
Eccleſiæ judicium de Libris Canonicis. 303. 303
Eccleſiæ poteſtas ordinandi Ritus. 380
Eccleſiæ reformatæ inter ſe diffidentes in doctrina, & adminiſtratione Sacramentorum. 2
Ad Eccleſiam ſpectat Scripturas exponere. 3
Neceſſitas Judicis ad dirimendas contentiones. ibid.
Eccleſiæ reformatæ non ſunt dicendæ Catholicæ. ibid.
Eccleſiæ Romanæ ſolæ convenit titulus Catholicæ. 184
Eccleſiæ veræ ſigna. 2
Eccleſiæ vetuſtas ex ſucceſſione Epiſco-

Digitized by Google

ſcoporum oſtenditur. 191. 206
Eccleſiaſtici a Tributis immunes. 104
Editio vulgata Scripturæ. 273
Elias, ejuſque miracula, ad Achab, Populumque convincendum. 35
Eliſabetha, ejuſque mors infelix. 119
Eliſabetha Angliæ, ejusque falſa lenitas, quam Piceninus prædicat. 130
Crudelis in Mariam Scotiæ. 215
Eliſabetha Angliæ licet nomen Capitis Eccleſiæ non aſſumpſerit, poteſtatem tamen ſpiritualem in Regno ſuo ſibi uſurpavit. 105
Illi a Parlamento collata & confirmata eadem poteſtas. 106
Eliſabetha Angliæ Regina, ejuſque leges contra Catholicos. 83
Eliſabetha Croſte puerula inter falſos parietes interclufa in Anglia, quę infauſta Regno prenuntiabat Maria regnante. 82
Energumena Lutherana a Sacerdote Catholico liberatur a Dæmone. 63
Enormitas Calvini, & Lutheri. 87
Epheſinum Conciliabulum Prædatorium dictum. 116
Epiſcoporum ſucceſſio probat antiquitatem Eccleſiæ. 206
Epiſtola quæ dicitur a D. Petro e Cęlo Miſſa Pipino, figmentum. 46
Eraſmi, de vita, & moribus Lutheri aſſertum. 139
Error nec uniformis eſſe, nec diu durare poteſt. 31
Errores Eccleſiæ imputati a Picenino. 151. & ſeq.
A Ravizza. 153 & ſeq.
Ethnicos perſequitur Conſtantius Imperator Arianus. 57
Evangelium æternum condemnatum, & quid ſit. 194
Evangelium Indis a Frumentio prædicatum. 33
Euchariſtia, ejuſque materia. 419
Euchariſtia a Sacerdote miſſa Serapioni morti proximo. 66
Eunuchus Reginæ Candacis, & ejus ſepulcrum miraculis clarum. 57
Eutyches Papam ſupremum Judicem agnoſcit. Damnatus ad Theodoſium confugit, a quo Conciliabulum Epheſinum indicitur. 125
Examen Confeſſionis Fidei Picenini. 462. ad fin.
Exemplum nummi adulterini a Picenino male adductum. 37
Exitus infelix Perſecutorum Eccleſię, ejus veritatis ſignum. 110
Exorciſta Catholicus in duobus obſeſſis quid fecerit coram Proteſtantibus anno 1709., quod non valebant facere ipſorum Miniſtri. 62
Extenſio, ſignum veræ Eccleſiæ. 187

F

FAmiliaritas Lutheri cum Dæmone. 60
Fautores Hæreſis. V. Patroni.
Feſtum Corporis Chriſti. 237
Quare inſtitutum. 46
Fideles perſecutionibus ſedatis Eccleſias ædificant. 66
Formoſus non peccavit acceptando Pontificatum. 155
Foxii Calendarium, Hæreticis, & improbæ famæ viris plenum. 79
In omnibus Eccleſiis in Anglia aſſervatur. ibid.
Et legitur populo diebus feſtis. ibid.
Fraticelli; eorum ſecta, & errores. 102
S. Franciſci Xaverii modeſtia. 52
S. Franciſcus Xaverius ſua ſcriptis non refert miracula. 52
Aliqua recenſentur. 54
S. Franciſcus Aſſiſii a calumniis Picenini vindicatus. 366
Fridericus Imperator cum Adriano IV. 397
Idem cum Alexandro III. Venetiis. ibid.
Frumentius Evangelium Indis prædicat. 33
Fur ad ſepulcrum Martyrum cogitur veritatem fateri. 25
Firmitas veræ Eccleſiæ ſignum. 122

G

GElaſius Papa, ſicut Leo fecerat, non approbat Chalcedonenſe Concilium. 100
Gena Angliæ Regina proclamatur. 133
Georgii duo; unus miles, Martyr, & Angliæ Patronus; alter Epiſcopus Alexandriæ, Arianus. 69

Græca Eccleſia; poſt Schiſma in ipſa interrupta Epiſcoporum ſeries, & doctrinæ ſucceſſio. 124
Græci aliquas Synodos vitiarunt. 268
Græci Imperii extremus caſus a Nicolao V. prædictus. 122
Gratiæ gratis datæ non ſunt habitus, ſed Spiritus Sancti motus. 54
D. Gregorii Dialogi. 23
S. Gregorius, ejuſque mens de miraculis. ibid.
S. Gregorius Thaumaturgus, ejuſque miracula. 37

H

HÆreſes magni nominis hominum ſocius. 87
Hæreſum Patroni, Deo vindice, pęnas dant. 120
Hæretici character. 79
Hæretici inter ſe jurgiis, & contumeliis certant. 183
Hæretici ſe ſe Catholicos jactant. 8
Hæretici trium priorum ſeculorum. 274
Per ipſos clariores redduntur Eccleſiæ veritates. 226
Hæreticis deſunt ſigna ſuæ miſſionis, cum careant miraculis. 28
Hebræi; non curandum ſi ſcandalum ipſi ſumant a Criſtianis, dum illis non datur. 109
Henrici II. nobilis pœnitentia pro nece D. Thomę Cantuarienſi illata. 70
Henrici VIII. infelix mors. 119
Henricus III. interfectus dum Epiſtolam legeret, ſed non a Clemente Ord. Prædic., ut Piceninus caluminatur. 67
Henricus VIII. ejuſque ſævitia, etiam in ſuos Miniſtros, & Aſſentatores. 120. 121.
Henricus VIII. ſepulcrum D. Thomę Cantuarienſis deprædatur. 71
Heroes Proteſtantium Calendarii Foxiani. 80
D. Hieronymus; Commentariorum in Pſalmos non eſt auctor. 9
Ex ipſius ſententia quatuor genera Apoſtolorum. 30
D. Hilarion, ejuſque miracula. 38
Hilarius Pictavienſis, ejuſque miracula. 38
S. Hildegardis Virgo Germaniæ prædixit cuncta, quæ Lutheri temporibus ſequuta ſunt. 169
Hiſpania, & miracula in ipſa patrata. 38
Hiſtoria, & regulę ad illam diſcernendam. 41
Hollandia, ejuſque factiones, & Conciliabulum Dordraci. 318
Hollandii, mercatores, non Miſſionarii. 436
Honorius Papa non fuit Monothelita. 267
Honorius II., ejuſque mors. 115
Humilitas veræ virtutis teſſera. 363
Huſſitæ, eorumque articuli. 204
D. Hyacinthus, ejuſque miracula. 43

I

JAcobus Ravizza. V. Ravizza.
D. Januarius, & miraculum ejus ſanguinis. 48
Japonia; quæ tormenta ibi paſſi ſint Catholici. 71
Maxime Dominicani, & Jeſuitę. ibid.
Idololatria antiqua deſtructa, moderna in ultimis terræ finibus exulat. 124
Jeſuitæ; eorum Societas Picenini calumniis impetita. 191
Nec parcit eorum Miſſionariis in Sinarum Imperio. 71
Quare ex Japonia exulare juſſi, una cum aliis Religioſis viris. 72
D. Ignatius Lojola a maledictis Picenini vindicatus. 365
Ignis Inferni corporeus. 24
Immaculata Conceptio Virginis Mariæ, & de ea Conciliorum diſpoſitiones. 163
Immunitatis Eccleſiaſticæ antiquitas. 103
Imperii Græci extremus caſus ob ſchiſma a Nicolao V. prædictum. 122
Incontinentia Lutheri. 88
Indulgentia non culpam, ſed ſolam canonicam pœnam remittit. 90
Indulgentiæ injuſte a Luthero impugnatæ. ibid.

Indulgentiarum veritas ex Scripturis deducitur. 91
Harum diſpenſandi faculias, a Chriſto Petro conceſſa, manſit in Eccleſia. ibid.
Per Indulgentias ab Eccleſia applicantur aliorum merita. 94
Infallibilitas Papæ. 262
Et Conciliorum. 287
Inimici Dei & ipſi aliquando prophetant. 159
Inimicus veræ Eccleſiæ, ejuſque characteres. 32
Inquiſitio etiam inter Proteſtantes. 435
Inquiſitionis Tribunal, ejuſque character. 434
Primus Inquiſit. D. Dominicus. ibid.
Inventio Crucis tempore Conſtantini. 59
Invocatio Dæmonis facta a Luthero. 166
D. Joannes Baptiſta; ejus capitis hiſtoria. 50
Ejus reliquiarum miracula. ibid.
Ejus ſanguinis liquefactio. ibid.
Ejus oſſa S. Athanaſius occultat. 58
D. Joannes Chryſoſtomus dictus *ob aureum eloquentię flumen*. 43
Et hoc nonniſi medio ſeptimo ſeculo. ibid.
Joannes de Colonia martyrio a Calviniſtis affectus, ejuſque miraculum in loco ſui martyrii. 76
Joannes Henuvier ſtragem Calviniſtarum impedit, & plurimos convertit. 135
Joannes X., ejuſque mors. 114
Joannes XII., ejuſque mors. 116
A calumniis vindicatus. ibid.
Joannes XXII. declarat ſe nunquam profeſſum doctrinem de gloria animarum juſtorum dilata poſt Judicii diem. 254
D. Joanni Damaſceno dextera reciſa, interceſſione Virginis Mariæ illi reſtituta. 43
Jovannicius Abbas, ejuſque miracula. 39
Irenis Imperatrix, ejuſque infelix mors. 111
Ironia Tertulliani. V. Tertulliani.
Judicium diſcretionis, & deciſionis. 314
Judicium Eccleſiæ de Libris Canonicis. 303
Judith, ejuſque facinus defenditur. 304
Julianus Apoſtata blanditiis Chriſtianos perſequebatur. 130

K

Koppem raptor ſacrarum Virginum. 88

L

Laici quo pacto poſſint intereſſe Concilio. 290
Et quomodo interfuerint Conſtantinus, Theodoſius, Martianus, & alii. ibid. & ſeq.
Lectio ſacræ Scripturæ. 384
Leges veterum Imperatorum contra Hæreticos. 63
Lege veteri nullus Reliquiarnm uſus. 56
Lenitas Eliſabeth, cui plaudit Piccninus, quę. 130
D. Leo Pontifex renuit confirmare Canonem 28. Concilii Chalcedonenſis. 100
Leo VI, ejuſque mors. 114
Leo IX., ejuſque mors. ibid.
Lex Genevæ ne carceri mancipetur denuntiatus niſi cum delatore. 77
Lex Hæreticos igne comburendi prius a Calvino deteſtata, poſtea ab ipſo approbata. 76
Lex hæc Angliæ viget. 78
Liber D. Cypriani *de Unitate Eccleſiæ* non ſuſpectus. 14
Liber Judith antiquitus habitus eſt Canonicus. 304
Liberius Papa non fuit Arianus. 269
Libertini, eorumque ſecta, & principia. 439
Quis eorum auctor. ibid.
Libri Canonici, & judicium infallibile Eccleſiæ de illis. 305
Libri Hæreticorum comburendi. 302
Uſus antiquus illos comburendi. 303
Libri Machabæorum Canonici. 305
A contradictionibus quas Proteſtantes exaggerant vindicantur. 307
Limbus Calvino fabula. 96. 97.
Lingua qua Eccleſia utitur in precibus. 234

Lin.

Linguarum, & Prophetiæ dona ſunt diſtincta. 160
Liquefactio. V. D. Januarius. V. D. Joannes Baptiſta.
Lis inter Stephanum, & Cyprianum, puræ diſciplinæ, de re nondum judicata; contentio tamen non ſolvebat charitatem. 85
Liturgia Miſſæ. 298. & ſeqq.
Luciferiani qui ſint. 441
Ludovicus XIV. Rex Gallorum juſte commotus contra Ugonottas. 82. 83
Ludovicus XIV. Rex Galliam ab Ugonottis purgat abſque ferro. 127
Luſitanis Japoniæ interdictum commercium, quare. 72
Lutheri enormitas. 87
Ejus incontinentia. 88
Ejus deſcriptio. 87
In Indulgentias injuſte inſurgit. 90
Lutherus in Chriſtum blaſphemus. 240
Blaſphemus in laude raptoris Virginis Deo ſacræ. 88
Ejus Articuli cum Calvini Articulis comparati. 176
In ejus doctrina contradictiones. 241
Cum Dæmone intime, & familiariter agebat. 60
Dæmonem pro Magiſtro habebat. ibid.
Ejus colloquia cum Dæmone. 259
Quomodo Dæmonem invocabat. 266
Emit Dæmonem a Carloſtadio floreno uno. 261
Lutherus in Sanctos Patres injurius. 192
Se jactat primum ſuę reformationis auctorem. 205
Se parem Virgini facit. 230
Se gratia Dei Evangeliſtam jactat. 140
Lutherus innumerabilium diſcordiarum cauſa. 86
Diviſiones in ejus ſchola. 172
In ejus doctrina. 173
Quot mala ex ejus Evangelio. 166
Haſſiæ Lantgravio duas Uxores permittit. 339
Matrimonium inter conſobrinos admittit. 343
Reprehendit Pontificum diſpenſationes. 345
Lutherus miraculum intentat. 60
Alcoranum laudat. 339
In verſione unius ex Epiſtolis S. Pauli hanc vocem addit *ſola*. 141
Ejus Teſtamentum. 115
Ejus mors. 112

M

Magni errores ex magnis hominibus. 86
Magnificentia Eccleſiarum defenditur. 108
Maldonatus defenditur. 298
Manichęorum cum Proteſtantibus comparatio. 9
D. Marcellini Reliquiæ, & miracula in earum translatione. 38
Maria Angliæ a calumniis Picenini vindicatur. 133
Quanta contra ipſam moliti ſint Proteſtantes. 82
Maria Scotorum Regina fruſtra ad Eliſabetham Angliæ Reginam confugit. 133
Capite truncatur. ibid.
Maria Virgo; antiquitas ejus cultus. 230
Dextera reciſa D. Joanni Damaſceno ejus interceſſione reſtituta. 43
Martianus Acta Conciliabuli Epheſini reſcindit. 126
Martinus del Rio, ejuſque ſententia de miraculis. 20
S. Martinus vetat cultum præſtari animę Latronis, quem martyrem reputabant. 69
Martyr non poteſt eſſe, qui non eſt in vera Eccleſia. 78
Martyr verus qualis ſit, & quare. ibid.
Martyrem non facit pœna, ſed cauſa. 79
Martyres antiqui ſunt verę Eccleſię. 64
Martyres Catholici a Proteſtantibus facti. 74. & ſeq.
Martyres Dæmonis qui ſint. 80. 81
Martyres Dominicani. 68
Martyres Dominicani in Japonia. 71
72. in Gallia. 75

Mar-

Digitized by Google

Martyres, eorumque numerus, ſignum veræ Eccleſię. 63
Martyres in Anglia, & Gallia. 75
Martyres in Eccleſia non coluntur, niſi qui ſunt in Martyrologiis deſcripti. 69
Martyres in Japonia. 71
Martyres Proteſtantium in Calendario Foxii. 80
Martyres recondebantur cum ſanguine in vitro repoſito. 49
Martyres veros nec habent, nec poſſunt habere Proteſtantes. 78
Martyrium S. Cypriani, ejuſque circumſtantię. 51
Materia Euchariſtiæ. 439
Matrimonium inter Conſobrinos admittit Lutherus. 340
Quæ permitterentur in lege veteri, quæ non. 346
Uſque ad quem gradum in Eccleſia. 347
Diſpenſationes a Pontificibus conceſſæ. 348
Matthęus Paris, & Martinus Polonus, quam fidem mereantur. 115
Mediolani Fur ad ſepulcrum Martyrum cogitur veritatem fateri. 25
Mediolanum; ejus Concilium non approbatum a Liberio. 285
Melchioris Cani. V. Cani.
Meletius fuit Sanctus, ſolum de ejus Ordinatione controvertebatur. 442
Milites ab Infidelibus in bello occiſi non ſunt Martyres. 68
Miniſtri Dei debent eſſe certi de ſua vocatione, etiam in ſententia Lutheri. 32
Miniſtri Lutherani nequeunt a Dæmone Adoleſcentulam ſuæ ſectę liberare, quod de facili prętſtat Catholicus. 62
Miracula a D. Gregorio relata non reſpuenda. 23.
D. Auguſtini de illorum continuatione ſententia. 24
Et quare noſtris diebus non durent. 23
Miracula Adriani, & Veſpaſiani, illuſiones, ſicut & illa Veſtalium. 17
Miracula Donatiſtarum vera mendacia. 19
Miracula edita in Eccleſia Romana, eorumque veritas. 36
Miracula Elię ad convincendum populum. 35
Miracula, eorumque vim fatetur Calvinus. 22
Miracula fruſtra tentata a Luthero, & Calvino. 60
Miracula impetrata applicatione Reliquiarum. 56
Miracula in Hiſpania. 38
Miracula nec Virgini injuriam, nec Eccleſię Romanę ignominiam pariunt, ut Piceninus contendit. 44. & ſeq.
Miracula priorum ſeculorum. 37
Miracula S. Athanaſii.) S. Baſilii.) 39 Monachorum Ægypti)
Miracula ſunt ſigna divinę Miſſionis. 28
Miracula ſunt ſigna verę Eccleſię. 16
Miracula vera poſſunt fieri etiam ab impio in confirmationem veritatis quam prędicat. 18
Miracula Veſtalium conceſſa a Deo, & cur. 20
Miraculorum auctor verus, & pręcipuus Deus. 19
Miraculorum neceſſitas. 21
Et eorum convenientia quolibet tempore. ibid.
Miraculorum vis. 16
Miraculum in loco martyrii Joannis de Colonia. 76
Miraculum fœminæ mortuę. 37
Miraculum verum quid ſit. 17
Miſſa, ac Calvini, & Lutheri contra ipſam blaſphemiæ. 145
Miſſa, & modus illam celebrandi defenditur. 298
Miſſionarii catholici e Japonia exulare jubentur, & qua de cauſa. 72
Modeſtia S. Franciſci Xaverii. 52
Montanus cur hæreticus. 153
Mors Arii fœdiſſima. 37
Lutheri. 112
Calvini. 113
Zuinglii ibid.
Oēcolampadii. ibid.
Martini Buceri. ibid.
Mors infauſta Henrici VIII. 119
Eliſabeth Angliæ. ibid.
Cranmeri Archiepiſcopi Cantuarienſis. 121. 134

Mors

Mors Joannis X. 114
Leonis VI. ibid.
Benedicti VI., aut VII. ibid.
Silveſtri II. ibid.
Clementis II. ibid.
Damaſi II. ibid.
Leonis IX. ibid.
Victoris II. ibid.
Stephani IX. ibid.
Nicolai II. ibid.
Honorii II. 115
Bonifacii VII. ibid.
Joannis XII. 116
Benedicti IX. ibid.
Alexandri VI. ibid.
Mortui in Anglia, & Gallia, Religionis cauſa. 75
Mortui ſub Regno Mariç Angliæ, non Martyres, ſed rebelles. 80
Mulieres excluſæ a gubernio Eccleſiæ. 105
Quomodo illis permittatur baptizare. 404
Munſterus. V. Thomas.

N

Narciſſus Epiſcopus Jeroſolymitanus, ejuſque miraculum Aquæ in Oleum verſæ. 37
Nathan Propheta Davidi ſuadens ædificationem Templi, non ut Propheta locutus eſt, & eſt deceptus. 54
Natura corrupta non eſt peccatum. 415
Neapoli ſanguis D. Januarii fervens in conſpectu ejus Capitis colitur. 48
Idem de ſanguine S. Joannis Baptiſtæ. 51
Neceſſitas miraculorum. 34
Neſtorius, ejuſque jactantia. 141
S. Nicolaus Barienſis, & humor ex ejus oſſibus mirabiliter emanans. 49
Nicolaus II., ejuſque mors. 114
Nicolaus V. Imperii Græci extremos caſus prædicit. 122
Nicolaus Storkius, ſive Pelargus, Anabaptiſtarum Auctor. 172
Nicolaus Vallo Catholicorum in Anglia calumniator. 131
Ejus Epiſtola, in qua omnia fatetur. 132
Nomen Catholici a Piccenino, & Hçreticis uſurpatum. 9
Nomen Catholici ut explicetur a Rogatiſtis. 12
Ut a Vincentio Lirinenſi. 13
Nomina Catholicorum in Anglia infectatorum. 120
Aliorum qui fuerunt e carceribus educti, quia abjurarunt fidem catholicam. ibid.
Nomina, quç Catholicis ab Hæreticis tribuuntur. 9
Novatores in Atheiſmum facile labuntur. 321
Novitas corruptæ Reformationis oſtenditur. 130
Numerus Martyrum ſignum veræ Eccleſiæ. 63
Numerus Miraculorum quo major, eo magis decorus Fidei Romanæ. 45

O

Obedientia, quæ a ſubditis ſuperioribus licet malis debetur. 117
Obſequia a Principibus Papæ præſtita, v. g. oſculum pedum. 395
Odoenus Opeo Anglus cogit Wallum aliosque ad accuſandos Catholicos. 131
OEcolampadii mors. 113
Oleum. V. Narciſſus.
Opera bona aliis applicabilia, hoc probatur auctoritate, & exemplis. 93 94
Opiniones diverſç in Eccleſia Catholica non tollunt uniformitatem fidei. 180
Ornitum, & miraculum Hoſtiç conſecratæ ex qua Sanguis emanavit. 47
Oſſa D. Joannis Baptiſtç ab Athanaſio recondita. 58
Oſſa Samuelis, eorumque translatio. ibi.

P

Pagani non patrabant miracula. 16
Panis in ſaxum converſus. 39. 40
Papa conſiderari poteſt ut Papa, & ut Homo. 266
Papa, ejuſque temporale dominium juſtificatur. 102
Papa, infallibilis quidem, ſed non impeccabilis. 118

Digitized by Google

Papa quare Tiaram in capite deferat. 104
Ejus poteſtas non ſolum ordinis, ſed & juriſdictionis. 105
Ut caput etiam ab Eccleſia Græca habitus. 125
Eſt ſupra Concilium. ibid.
Papæ Bonifacii VIII. mors, quæ. 115
Papę infallibilitas. 262
Paphnutius, ejuſque miracula. 38
Parlamentum Angliæ dat Eliſabeth ſupremam poteſtatem in Eccleſia Regni. 106
Paſchalis II. quidquid in vinculis detentus conceſſerat, retractat libertate donatus. 254
Patientia quanta Eccleſiæ, ut ad meliorem frugem, licet inutiliter, Lutherum, & Calvinum reduceret. 83
Patres contempti a Luthero. 193
Patres Eccleſię quo in honore apud Calvinum. 150
Patroni Hęreſum, Deo vindice pœnas dant. 120
D. Pauli ſudaria, & ſemicinctia; multa per ipſa mirabilia patrabantur. 56
D. Paulus præcipiebat orare pro Principibus Paganis, quare. 56. 131
Peccatum nullum irremiſſibile. 100
Peccatum; quomodo illi Deus concurrat. 328
Pedes Papę oſculari æquum eſt. 395
Pelagius Rex, ejuſque mirabilis victoria. 39
Perſecutio ſemper eſt aliquo ſpecioſo motivo palliata. 72
Perſecutiones & violentię contra Catholicos in Anglia. 83
Perſecutorum Eccleſię infelix exitus, ipſius veritatis ſignum 86. 110
Petrarca mores vituperat, non doctrinam Eccleſiæ. 454
D. Petrus; ejus Epiſtola de Cælo Pipino ſcripta eſt fabula. 46
Philippus Haſſię Lantgravius binas habet, Luthero una cum Witembergę Conciliabulo permittente, uxores. 339
Philippus II. Hiſpaniarum Rex a calumniis, quibus a Picenino eſt impetitus, vindicatur. 121
Picenini Confeſſio Fidei ad examen vocata. 462. ad fin.
Piceninus Rogatiſtis comparatus. 12
Antiquos Martyres ſuos facit. 65
Callide duos confundit Georgios Cappadociæ; unum Epiſcopum Arianum, alium Catholicum, & Martyrem. ibid.
Ejus contra Jeſuitas Sinenſes calumniæ. 71
Patres mendoſe citat. 151. & ſeq.
Ipſius in Pontifices calumniæ. 253
Ejus Fidei Confeſſio. 461. & ſeq.
Pipinus, ejuſque in Italiam adventus. 46
Pœnitentia apud Proteſtantes eſt injurioſa Gratiæ. 80
Pœnitentia luctuoſa quæ ſit. 92
Remittit culpam, & pœnam æternam, ſed non temporalem. ibid.
Pœnitentia moderanda juxta diſpoſitionem pœnitentis. 91
Polygamia ſimultanea a Luthero admiſſa. 338
Pontifex conſideratur ut Homo, & ut Papa. ibid.
Pontifices, eorumque infallibilitas. 262
Calumniis a Picenino affecti. 266
Poteſtas Eccleſię ordinandi ritus. 380
Pręcepta Levitici, alia moralia, alia judicialia. 350
Præceptum dilectionis Dei. 324
Prædeſtinatio, ejuſque de ea Calvini falſa doctrina. 330
Prædictio S. Hildegardis de iis quæ acciderunt Germaniæ tempore Lutheri. 169
Præſentia realis Chriſti in Sacramento, quam negat Berengarius. 26
Prætextus Hæreticorum, ut Catholicos perſequerentur. 118
Preces, & qua lingua fiant in Eccleſia. 234
Preces pro Principibus Paganis fundendę, & cur. 131
Presbyterorum nomine, qui Apoſtolorum Concilio interfuerunt, non Laici, ſed ſoli Eccleſiaſtici, & horum primi intelliguntur. 293
Principes debent coercere, & punire hoſtes Eccleſiæ. 137

Principes Proteſtantes morti adjudicant Catholicos ſola cauſa Religionis. 72
Propheta nequit ut illi libet prophetare. 45
Prophetæ, ex divina motione, aliquando etiam impii tales conſtituuntur. 159
Prophetia, & Linguæ, ſunt duo dona diſtincta. 160
Prophetia Nicolai V. de exitio Imperii Græcorum. 168
Prophetia non eſt habitualis. ibid.
Prophetia nunquam deficiens in Eccleſia. 161
Prophetia ſignum eſt veræ Eccleſiæ. 159
Prophetię in Eccleſia perpetuitas. 161.
Propoſitio damnata ab Innocentio XI. de pręcepto amoris Dei. 324
Proteſtantes cum Donatiſtis comparantur. 6
Cum Manichæis. 10
Cum aliis Hæreticis. 140
Proteſtantes, qui ad Catholicos tranſeunt, hoc tantum faciunt ex ſyntereſi, & Spiritus Sancti afflatu. 107
Jure & merito Principes pœnas ab illis exigunt. 135
Non patiuntur propter juſtitiam. ibid.
Sunt hęretici ęque ac antiqui. 138
Non habent Dogmatum uniformitatem. 171
Contumeliis ſe mutuo afficiunt. 183
Novitas illorum pſeudoreformationis. 192
Contradictiones in illorum doctrina. 241. & ſeq. ſunt Athei. 322
Inter ipſos non eſt invenire charitatem. 423
Proteſtantes ſunt teſtes efficacię Exorciſmorum Eccleſię de anno 1709. 62
Dant neci Catholicos, ſola religionis cauſa. 74
Non habent, nec habere poſſunt veros martyres. 78
Ipſorum character. 79
Pro Martyribus & heroibus habent viros ſceleſtiſſimos. ibid. & ſeq.
Semper primi ad impetendam Eccleſiam violentiis & calumniis. 81
Rebelles, & ſeditioſi, juſte a Catholicis perſequuti. 83
Illorum mali mores falſam ipſorum doctrinam oſtendunt. 90
Pſalmodia, & quomodo in Eccleſia peragenda. 382
Purgatorium, articulus antiquiſſimus. 238

Q

Quadrageſima a Calvino irridetur. 88
Quæſtio in ultima cœna Lutheri propoſita. 112
Quintinus Sutor Picardus Libertinorum auctor. 439

R

Raptores Virginum Sacrarum a Luthero laudati. 88
Rebellio Calviniſtarum a Carolo IX. 121
Rebellio; hujus pręτextu in Anglia Hęretici perſequuntur Catholicos. 128
Redemptor quid ſit, & quid importet redimere. 95
Reformatores, nec habent, nec habere poſſunt veros Martyres. 78
Quales ipſorum mores, & doctrina. 186
Eorum exitus. 119
Regulę pro cognoſcenda veritate, & pro intelligentia Scripturarum. 289
Regulę pro dijudicando Hiſtoriarum merito. 41
Religio; ſtatum Religioſum probris afficiunt Hęretici. 147
Religio Chriſtiana a calumniis Picenini defenditur. 451., & ſeq.
Religioſi Catholici a Japonia exulare jubentur, & cur. 72. & ſeq.
Reliquię, & mirabilia in eorum applicatione. 56
Illarum Translatio temporibus Conſtantini. 57
Reliquię D. Marcellini, & miracula in earum Translatione. 38
Reliquię S. Joannis Baptiſtę. 50

Reliquię S. Joannis Baptiſtę a D. Athanaſio collectę. 58
Reliquię Sanctorum; cur in Lege Veteri nullus fuerit illarum uſus. 56
Repudium; doctrina Lutheri circa ipſum confutatur. 340
Revelatio quę aſſeritur facta D. Catharinę Senenſi de Conceptione Virginis, non ſubſiſtit. 165
Revelationes, & doctrina Theologica de ipſis. 162
Revelationes SS. Catharinę, & Birgitę, ſucceſſu ſunt comprobatæ. 166
Ritus Canonizationis Sanctorum ſub Leone III. 238
Ritus in adminiſtratione Baptiſmi defenditur. 402
Ritus in celebratione Miſſę defenditur. 298
Ritus ſunt in diſpoſitione Eccleſię. 238. 380
Ab Eccleſia Romana ſanctificantur. ibid.
Roma a Picenino Babyloni comparatur. 122
Romanus Martyr, ejuſque miraculum. 73

S

Sacerdos Catholicus Energumenam Lutheranam liberat, quod non potuerunt præſtare Proteſtantes. 62
Sacramenta, eorumque numerus. 388
Non ſunt pura rei myſticę repręſentatio, ſed gratiam operantur. 390
Sacrificia Gentilium impedita a ſigno Crucis. 59
Sacrificia Proteſtantium quę. 146
Salus; ejus certitudo in ſola Eccleſia Romana. 447
Samuel Propheta, ejuſque oſſium tranſlatio. 58
Sancti chimærici Pſeudoreformationis. 369
Sancti; eorum Canonizatio vetuſtiſſima. 238
Sancti; Sanctorum Communio quid ſit. 94
Sancti veri omnes ad Romanam ſpectant Eccleſiam. 363
Sanctitas dogmatum ſignum Eccleſię. 321
Sanctitas Eccleſię. 25
Quomodo intelligatur verbum *Sanctum*. ibid.
Sanctitas morum neceſſaria illi qui a Deo mittitur. 89
Sanctitas morum ſignum verę Eccleſiæ. 358
Sanguinis D. Januarii miraculum. 48
Sanguis Chriſti pretium ſuperabundans. 95
Sanguis Martyrum a Chriſtianis colligebatur, & in vitro poſitus, una cum Martyribus recondebatur. 49
Sanguis S. Joannis Baptiſtę quando liqueſcat. 50
Sanguis vivus ex Hoſtia conſecrata Orniti emanat. 47
Sapientia cæleſtis ſignum veræ Eccleſiæ. 86
Saraceni mirabiliter victi a Pelagio Rege. 38
Satisfactiones & merita aliis applicabilia. 95
Scandalum duplex. 109
Scandalum, ejuſque diſtinctio. ibid.
Hebręi qui de Chriſtianis ſcandalizantur, an juſte. 110
Schiſma cauſa ruinæ Imperii Græci. 122
Schiſmata fuerunt in Lege Veteri, ſchiſmata in antiqua Eccleſia, ſed non per hoc interrupta ſeries Sacerdotum. 215
Scriptura, ejuſque vulgata editio. 272
Scriptura; quinam ejus Interpres. 295
Scriptura ſacra, ejuſque lectio. 384
In antiquo Teſtamento non promiſcue apud omnes. ibid. & ſeq.
Scriptura ſacra eſt panis. 235
Scriptura ſacra; non omnes illam capiunt. 4
Eccleſiæ eſt illam explicare. 5
Scripturæ Sacræ lectio. 384. non omnibus antiquitus indifferenter permiſſa. ibid. & ſeq.
Seniorum nomine, qui Apoſtolorum Concilio interfuerunt, non Laici, ſed ſoli Eccleſiaſtici, & horum primi intelliguntur. 293
Sepulcrum D. Thomæ Cantuarienſis ab Henrico VIII. deprędatum. 70
Sepulcrum Eunuchi Reginę Candacis, clarum miraculis. 57

Se-

Serapion morti proximus Euchariſtiam ſumit a Sacerdote ipſi miſſam. 66
Serapionis morti proximi de Abſolutione ſolicitudo. ibid.
Servetus hęreticus a Calvino accuſatus, eoque inſtante mortis pœna punitus. 71
Servetus vivus igne combuſtus Genevę. 77
Signa veræ Eccleſiæ. 2
Signum veræ Eccleſiæ eſt charitas. 420
Signum veræ Eccleſię eſt firmitas. 122
Signum veræ Eccleſiæ infelix exitus Perſecutorum ejus. 110
Signum veræ Eccleſiæ Prophetiæ donum. 157
Signum veræ Eccleſiæ Sanctitas doctrinæ moralis. 337 & morum. 358
Signum veræ Eccleſiæ Sanctitas Dogmatum. 321
Signum veræ Eccleſiæ uniformitas, & extenſio. 171
Silveſter II., ejuſque mors. 114
Sirmii Conciliabulum, ejuſque formulę. 269
Solemnitas Corporis Chriſti. 237
Quæ vera ejus inſtitutionis cauſa. 47
Spangebergius Lutheri diſcipulus, quibus execrabilibus laudibus magiſtrum extulerit. 446
Stella; quam fidem mereatur. 116
Stephanus, ejuſque cum Cypriano contentio. V. Liſ.
Stephanus Papa in cauſa Formoſi erravit in materia facti, non dogmatis. 255
Stephanus IX., ejuſque mors. 114
Subditus tenetur obedire ſuo legitimo Domino, licet malo. 118
Succeſſio Epiſcoporum, & doctrinæ, in Eccleſia Gręca interrupta. 124
Succeſſio Epiſcoporum vetuſtatem Eccleſię demonſtrat. 206
Succeſſio legitima, & doctrina Apoſtolica, conjunguntur. 213
In Eccleſia ſemper fuerunt. 214
Sudaria, & ſemicinctia D. Pauli, per ipſa patrabantur mirabilia. 56
Superſtitionem perſequitur Conſtantius Imperator, licet Arianus. 57

T

Templorum magnificentia defenditur. 108
Tertulliani ironia contra Hęreticos ſuorum temporum, competit ſatis bene modernis Hęreticis. 32
Tertullianus, ejuſque argumentum pro Traditione. 31
Quæ ironice contra Marcionitas dicebat, pſeudoreformatis aplicantur. 32
Teſtamentum Lutheri. 115
Theodorus Beza auctor rebellionis Calviniſtarum. 122
Ejus ſententia de materia Euchariſtię. 419
Ejuſdem character, & mores. 424
Auctor mortis Ducis Guiſę. 426
Theodoſius, & quo pacto cum Arianis ſe geſſerit. 291
Theodoſius Imperator in gratiam Eutychetis Conciliabulum Epheſinum, Prędatorium dictum, indicit. 125
Theſaurus Eccleſię quid ſit. 93
D. Thomas Aquinas, & verba illi a Chriſto dicta e Cruce. 42
D. Thomas Cantuarienſis, & ejus indubia miracula. 47
Martyr, ejuſque martyrii cauſa. 70
Ejus ſepulcrum Henricus VIII. penitus deprædatus eſt. ibid.
Thomas Munſterus Evangelium alium ab illo Lutheri componit. 85
Tiara, cur a Papa deferatur. 104
A quo Pontifici donata. 105
Traditio, ejuſque neceſſitas. 300
Ejus continuatio. 301
Traditio, error a Picenino vocatur. 31
Traditio; per ipſam explicatur Scriptura. 4
Trajanus; liberatio ejus animę ab Inferno, fabula. 45
Translatio Reliquiarum S. Marcellini, & miracula quæ acciderunt. 38
Translatio Reliquiarum tempore Conſtantini. 57
Oſſium Samuelis ſub Arcadio. 58
Tranſubſtantiationem fatetur Lutherus. 257

Tria

Tria priora ſecula; eorum Hæretici. 274
Tribunal Dei, cui ſiſtitur Calviniſta. 451
Tribunal Inquiſitionis. 434
Tributum ſolutum Cęſari a Chriſto, ſed quare. 103
Ab illo eximuntur Sacerdotes. ibid.
Quod ſolutum fuit a Chriſto, non erat profanum, ſed ad uſum Templi. 104
Tridentum; ejus Concilium univerſale. 284
Trinitas, & miracula in confirmationem Myſterii ejuſdem contra Arianos. 39
Turcę laudantur a Luthero. 337
Tyrannus. Quilibet Tyrannus ſuam ſęvitiam ſpecioſiſſimis titulis prętexere ſtudet. 72

V

Valens Imperator nequit ſignare decretum contra D. Baſilium Magnum. 39
Vera cauſa cur a Japonia exulaverint Miſſionarii Catholici. 72. 73
Vera cauſa cur Chriſtus voluerit ſolvi tributum. 103
Vera cauſa cur in Eccleſiis Gręcis non ſit ſalus. 444
Vera cauſa facit verum Martyrem. 79
Vera cauſa hæreſis Montani. 153
Vera cauſa ob quam Calvinus curavit mortem Serveti Genevæ. 77
Vera Eccleſia, & ejus ſignum firmitas. 122
Et ejus ſignum Prophetia. 157
Et ejus ſigna uniformitas, & extenſio. 161
Ipſi ſoli competit titulus Catholicæ. 184
Vera Eccleſia eſt viſibilis. 225
Ejus infallibilitas. 262
Ejus ſignum ſanctitas dogmatum. 321
Et ſanctitas doctrinę moralis. 337
Ejus ſignum ſanctitas morum. 358
Vera explicatio nominis Catholici. 184
Vera hiſtoria mortis aliquorum Pontificum contra Picenini calumnias. 113. & ſeq.
Vera intelligentia verborum Chriſti: *Ubi ſunt duo, vel tres congregati* &c. 282
Vera ſalus in Eccleſia Romana. 447
Vera ſucceſſio Epiſcoporum, quæ ſit. 207
Veræ Eccleſiæ ſignum ejus Perſecutorum infelix exitus. 110
Verba Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit*, quomodo intelligenda. 417
Verbum Dei duplex, ſcriptum nempe, & traditum. 197
Veri Martyres non ſunt, nec eſſe poſſunt inter Proteſtantes. 78
Veritas miraculorum in Eccleſia Romana. 36
Veſpaſianus a Gentilibus aſſentatus, ejuſque miracula falſa. 17
Veſtales, & eorum miracula opera Dæmonum. ibid.
Ugonottæ, eorumque ſævitia contra Dominicanos. 74
Ugonottæ in Gallia non ſunt Martyres, cum non pro juſtitia ſint paſſi. 80
Juſte illos perſequitur Ludovicus XIV. 61. 62
Deſtructi a Ludovico XIV. abſque ſanguinis effuſione. 127
Victor II., ejuſque mors. 114
Victor Maſſilienſis, ejuſque miracula. 38
Vigilius factus legitimus Pontifex, alius ſane a ſeipſo cum eſſet Antipapa. 253. 270
Virgines Deo ſacræ a Lutheranis raptæ. 88
Virginitas a Luthero Fornicationi, & Adulterio poſtponitur. ibid.
Virginitas apud Proteſtantes, non virtus, ſed vitium reputatur. 80
B. Virgo alloquitur D. Hyacinthum. 42
Dicit vale D. Bernardo. ibid.
Manum abſciſſam D. Joanni Damaſceno reſtitituit. 43
Vis miraculorum. 16
Vita ſancta debet correſpondere doctrinæ ſanctæ. 89
Vitæ S. Antonii Abbatis verus Auctor S. Athanaſius. 161
Unitas, indubius veræ Eccleſiæ character. 13
Unitas, & unio capiti viſibili, nec

ſuit, nec eſt inter Hæreticos. 4
Unitatis tres ſpecies. ibid.
Vocatio neceſſaria Miniſtro, etiam in ſententia Lutheri. 32
Urbanus IV. cur inſtituerit Feſtum Corporis Chriſti. 47
Waldenſes, eorumque mores. 360
Waldenſium hæreſis quo tempore orta. 199
Eorum progreſſus, & articuli. 201
Illorum diviſio. 200
Wallo Nicolaus, quid Londini contra Catholicos egerit. 131
Wicleſiſtæ, & Huſſitę, eorumque articuli. 203. 204
Witemberga, ejuſque Conciliabulum, Lantgravio Haſſiæ duas uxores permittit. V. Philippus. 339. 340.
Vulgata editio Scripturæ. 272

Z

Zacharias Pontifex Hildericum Regno privat, eique Regem Pipinum ſubrogat, & quare. 394
Zuinglius in Indulgentias inſurgit. 90
Frequens ejus aſſertum: *Evangelium ſanguinem ſitit.* 135
In ſomnis a Dęmone admonitus, quem Monitorem vocat. 149
In conflictu moritur. 113

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google